BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVIII
G
28

XVIII
G
27-29



NAPOLI

HUGONIS GROTII

DE

JURE BELLI AC PACIS

LIBRI TRES,

In quibus Jus Naturæ & Gentium, item Juris Publici præcipua explicantur.

CUM COMMENTARIIS

GULIELMI VANDER MUELEN,

Domini d'Oudt-Brouckhuyſen, Decani D. Mariæ, Aggerum, qui inferiorem Leccæ partem coërcent, Præfecti; &c.

ACCEDUNT

Et Auctoris Annotata, ex poſtrema ejus ante obitum cura; & Joan Fred. Gronovii Notæ in totum opus.



AMSTELÆDAMI,
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS & WETSTENIOS.
cIↃ IↃ CCIV.
Cum Privilegio Illuſtr. & Præp. Ordd. Hollandiæ & Weſtfriſiæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

PRIVILEGIE.

DE Staaten van Holland ende Weſtvrieſland, doen te weeten: Alſoo ons vertoont is by *Johannes* en *Gillis Janſſonius van Waesbergen*, en *Abraham van Someren*, Boekverkoopers tot Amſterdam; hoe dat de voorn: *Waesbergen* en *Arnout Leers*, (wiens regt hy *van Someren*, by opveylinge met den eygendom van de helft der Copye en Privilegie aan ſig heeft gekogt) den 12. December 1674. gunſtelyk hadden geobtineert onſe Privilegie, voor vyftien agtereenvolgende jaaren; om ſeker Boek, genaamt *Grotius de Jure Belli ac Pacis*, alleen te mogen drukken, welke Privilegie geëxpireert ſynde, waren ſy Supplianten bedugt, dat door 't expireeren van 't voorſz. Privilegie, eenige nydige en baatſoekende menſchen, door wangunſt of iets anders, 't ſelve Boek, tot haar Supplianten groot nadeel, wel mogten nadrukken, ofte elders buyten Onſen Lande gedrukt ſynde, hier in Onſen Landen invoeren, verkoopen, of verruylen, waar door de vreedſame beſittinge van dit haar Boek, t'eenemaal verydeld ſoude worden: ſoo keerden ſy Supplianten haar tot Ons, ootmoediglyk verſoekende, dat het Ons gelieſde haar Supplianten te vergunnen verlenging van 't voorſz. Privilegie, voor den tyd van nog vyftien agtereenvolgende jaren, waar by aan haar Supplianten voor haar ſelven, haar erven, of actie verkrygende, geconſenteert en geoctroyeert wierd, om 't ſelve Boek hier in Onſen Landen alleen te mogen drukken, doen drukken en verkoopen, met ſpeciaal verbod, dat niemand, wie het ook ſoude mogen ſyn, 't ſelve Boek, geduurende den ſelven tyd, in 't geheel ofte ten deele, 't ſy ook den text alleen, of met bygevoegde Aanteykeningen ofte Uytleggingen, ſoo van den Autheur ſelfs, ofte iemand anders, op eenigerhande manieren in 't groot ofte kleyn, hier in Onſen Lande, ſoude mogen nadrukken, verhandelen ofte verkoopen, of elders nagedrukt ſynde, in Onſen Landen te verkoopen, te verruylen, ofte anders te beneficeeren, op ſekere groote peine daar tegen te ſtatueeren. SOO IS 'T, dat wy de ſake ende 't verſoek voorſz. overgemerkt hebbende, ende geneegen weeſende ter bede van de Supplianten, uyt Onſe regte Weetenſchap, Souveraine Magt ende Authoriteyt, deſelve Supplianten by continuatie geconſenteert, geaccordeert, en geoctroyeert hebben, conſenteeren, accordeeren, ende Octroyeeren mits deſen, dat ſy geduurende den tyd van vyftien eerſt agtereenvolgende jaren, het voorſz. Boek, genaamt *Grotius de Jure Belli ac Pacis*, binnen den voorſz. Onſen Lande alleen ſullen mogen drukken, doen drukken, uytgeeven en verkoopen. Verbiedende daaromme allen ende een iegelyken, het ſelve Boek in 't geheel, ofte ten deel, 't ſy ook den text alleen, of met bygevoegde Aantekeningen of Uytleggingen, van den Autheur of iemand anders, na te drukken, ofte elders nagedrukt, binnen den ſelven Onſen Lande te brengen, uyt te geeven, ende te verkoopen, op de verbeurte van alle de nagedrukte, ingebragte, ofte verkogte exemplaren, ende een boete van drie honderd guldens daarenboven te verbeuren, te appliceeren een derdepart voor den Officier, die de Calange doen ſal, een derdepart voor den armen der plaatſe daar het Caſus voorvallen ſal; ende het reſteerende derdepart voor de Supplianten. Alles in dien verſtande, dat wy de Supplianten met deſen Onſen Octroye, alleen willende gratificeeren, tot verhoedinge van haar ſchade, door het nadrukken van het voorſz. Boek, daar door in geenigen deele verſtaan den inhoude van dien te authoriſeeren, ofte te advoueren, ende veel min het ſelve onder Onſe protectie ende beſcherminge eenig meerder credit, aanſien ofte reputatie te geeven, nemaar de Supplianten, in cas daar inne iets onbehoorlyks ſoude influeren, alle het ſelve tot haaren laſte ſullen gehouden weſen te verantwoorden; tot dien eynde wel expreſſelyk begeerende, dat by aldien ſy deſen Onſen Octroye voor het ſelve Boek ſullen willen ſtellen, daar van geen geabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie ſullen mogen maken, nemaar, gehouden ſullen weſen het ſelve Octroy in 't geheel, ende ſonder eenige omiſſie, daar voor te drukken ofte te doen drukken, ende dat ſy gehouden ſullen ſyn een Exemplaar van het voorſz. Boek, gebonden ende wel geconditioneert, te brengen in Onſe Bibliotheecq van Onſe Univerſiteyt tot Leyden, ende daar van behoorlyk te doen blyken; alles op pœne van het effect van dien te verlieſen; ende ten eynde de Supplianten deſen Onſen Conſente ende Octroye mogen genieten als na behooren, laſten wy allen ende een jegelyk die 't aangaan mag, dat ſy de Supplianten van den inhoude van deſen doen, laten, ende gedoogen, ruſtelyk, vredelyk, ende volkomentlyk genieten ende gebruyken, ceſſeerende alle belet ter contrarie. Gedaan in den Hage onder Onſen grooten Zegele hier aan doen hangen, op den ſeventienden December in 't jaar onſes Heeren en Zaligmakers een duyſend ſes honderd ſeventnegentig.

A. HEINSIUS. vt.

Ter Ordonnantie van de Staaten

SIMON VAN BEAUMONT.

na arrogantia, vel præcipiti qua-
dam temeritate procedit, quaſi
plane meæ conditionis ignarus,
perſuaſus eſſem a me aliquid proficiſci poſſe, quod di-
gnum eſſet, cui Auguſtum tuum nomen inſcriberetur.



Ter Ordonnantie van de Staaten

SIMON VAN BEAUMONT.

Digitized by Google



AUGUSTISSIMO

PRINCIPI

GULIELMO III.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ
ET HIBERNIÆ

REGI.

GUILIELM. VANDER MUELEN.

QUod ad genua tua REGUM EMINENTISSIME, veluti Numinis pulvinar, haſce mearum in *Grotium* lucubrationum primitias depono, non ex importuna arrogantia, vel præcipiti quadam temeritate procedit, quaſi plane meæ conditionis ignarus, perſuaſus eſſem a me aliquid proficiſci poſſe, quod dignum eſſet, cui Auguſtum tuum nomen inſcriberetur.

* Verum

Verum & argumenti, quod in hoc opere tractatur, dignitatem; & ſummam erga ſacratam MAJESTATIS TUÆ perſonam, tanquam communem noſtrum PARENTEM, & communis PATRIÆ PATREM, pietatem meam, conjunctam cum devotiſſima MAJESTATI TUÆ debita reverentia & veneratione, in cauſa fuiſſe fateri neceſſe habeo, quod eo audaciæ proceſſerim. Non ſine fiducia impetrandæ veniæ, ſi fortaſſe intempeſtivo, ſed juſto tamen zelo inflammatus, nimis vel arroganter vel incaute, mihi hac via ad TUAM MAJESTATEM aditum aperire conatus fuerim. Fretus ſingulari humanitate & mira benignitate tua, qua non ſolum excipere ſoles eos, qui lateri tuo quotidie adhærent: verum & omnes cum cives, tum etiam peregrinos vel exteros, quibus vel propenſam tuam erga ſe voluntatem ambientibus; vel ad clementiam tuam, veluti certiſſimum miſeriarum, quibus obruti jacent, levamen atque ſolatium confugientibus; vel opem & auxilium tuum unicum ubique oppreſſis refugium, & ſedibus ſuis pulſis aſylum, implorantibus, facilem ad te aditum præbes, nec a venerabili conſpectu tuo dimittis, niſi ſumma lætitia perfuſos; nihil dolentes quam ipſum, neceſſitate exigente diſceſſum. Quoniam nihil cuiquam jucundius; nihil optabilius eſſe poteſt, quam ut te videat, te fruatur. Virtutes tanto in Principe eo illuſtriores, quo rariores in ipſo etiam vulgo. Verum cum eſſet in fatis REX SERENISSIME, te aliquando futurum perfectiſſimum exemplar, in illuſtri hoc mundi theatro poſitum; unde quid imitandum, quid vitandum caperent ac diſcerent non ſolum qui imperium tractant, ſed etiam ad quod ſeſe dirigerent nec non componerent quibus obſequii tantum gloria relicta, cives & ſubjecti, placuit ſupremo hujus univerſi conditori Deo, qui ad ſuam hominem effinxit imaginem, te, Regum AUGUSTISSIME, ad omnes

omnes virtutes formare, quarum ne quidem humana natura capax, niſi divinitati propior. Non neceſſe itaque eſt, *Quirinos*, *Numas Pompilios*, *Tullos Hoſtilios*, *Ancos Marcios*, vel *Camillos*, *Scipiones*, *Curios*, vel *Catones*, quorum raras virtutes & eximias animi dotes veterum referunt monumenta, ad imitandum nobis proponere. Quas enim ſinguli ſingulares poſſederunt virtutes, earum omnium in te uno, REX SERENISSIME, conſpicimus complementum. Certiſſimum documentum in tua Auguſta perſona vere aliquid divini reſidere, cujus illi vana quadam ſuperſtitione participes fingebantur. Quam ſpatioſus & amplus hic ſeſe tuarum virtutum prædicandarum campus pandit? verum cum hiſce celebrandis humani ingenii vires longe ſint impares, miremur potius ſummam juſtitiam, ſingularem clementiam, miram benignitatem, intrepidam, ſed verendam bonis civibus, innumeris expoſitam periculis fortitudinem, & quæ omnes omnino virtutes complectitur, puram atque ſinceram in Deum pietatem tuam, quam ut illas depingendo, earum magnitudini, qua omnes obſtupeſcimus, aliquid detraheret mea dicendi imbecillitas. Verum & incaſſum hiſce enarrandis operas impendiſſe viderer, quæ toti Orbi notiſſimæ; utpote quas nominis tui fama per omnes terræ mariſque plagas, qua patet Orbis, circumtulit, & cunctas nationes adeo in tui admirationem rapuit, ut non ſolum potentiſſimi Reges ac Principes tuam amicitiam & tecum jungere dextras ambierint, ſed & ipſi ad MAJESTATIS TUÆ præſentiam intuendam, tanquam naturæ aliquod miraculum, ſuis conſpiciendum oculis, non ſolum regni tui oris appulerint; ſed & noſtras inviſerint terras, ſummo capti deſiderio ea quoque perluſtrandi loca, quæ & tuis & tot illuſtriſſimorum Herôum, unde genus tuum, auguſtius quo nullum, ducis, & illam ad eximias quaſcunque virtutes tibi innatam indolem, tanquam avitam

 hære-

hæreditatem, ſed multis a te auctam nominibus, accepiſti, incunabulis geſtiſque egregiis, & victoriarum ubique monumentis celeberrima. Pulchrum, eſt antiquitate generis avitaque majorum gloria florere. Verum multo pulchrius & laudabilius ſuis virtutibus & animi ornamentis partam a majoribus gloriam non ſolum tueri, ſed etiam propriam famam illuſtriorem reddere & quam maxume longam efficere. Hæc de te omnium REX AUGUSTISSIME civium fuit exſpectatio, cum ad ſummum illud dignitatis faſtigium, in quod olim illuſtriſſimi tui majores collocati, tanquam digniſſima Auguſtiſſimæ Arauſionenſis familiæ proles, cui propter egregia in patriam merita omnia debemus, quæ vel natura, vel fortuna nobis largita eſt, non minus tuis meritis, quam civium amore provectus fueris. Quantum gaudium, quanta lætitia omnium animos inceſſerat, poſtquam fama percrebuiſſet, in te PATRIÆ PATRES avitas contuliſſe dignitates. Quantus te ſalutantium clamor excipiebat, quaſcunque, novis auctus honoribus diu exſpectatus deſideratuſque, urbes ingrediebaris; ita ut veriſſime quadrent in TE illa Plinii *de optimo Principe Trajano :non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quo minus oculos* TUÆ MAJESTATIS *præſentia impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes. Ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere. Fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiit, cum cernerent, cui Principi cives, cui imperatori milites peperiſſent, videres referta tecta ac laborantia ſpectatorum multitudine, oppletas undique vias, alacrem hinc atque inde populum, par gaudium, paremque clamorem,* Vive *diu* Vive GULIELME *temporum felicitas, ſeculi gloria, amor civium.* Verum longe ſuperarunt ſpem noſtram egregia a TE, divina equidem providentia ad Reipub. Gubernacula admoto, domi vel foris, in bello vel in pace edita

vir-

virtutis tuæ facinora, quæ vix apud poſteros fidem invenient, niſi ex ipſo ore parentum, quaſi per traditionem perpetuam accipiant nati natæque. Teſtis eſt tuis auſpiciis tuaque virtute ab importuna hoſtium dominatione, & duro ſervitutis jugo, in priſtinam libertatem vindicata patria. Cujus merito liberator, præſidium, refugium, deliciæ & ornamentum omnium civium acclamatione ſalutaris. Teſtis eſt, nunquam intermorituris condecoranda atque celebranda laudibus, glorioſa illa totius fere Europæ & naturali ſitu, & arte, urbis munitiſſimæ arciſque Namurcæ expugnatio, cui ſimile quicquam geſtum nec veterum referunt monumenta, nec ætati noſtræ proximi teſtantur annales; Non dolo nec fraude, vel Punica fide, unica & præcipua magnarum rerum gerendarum hoſtibus ratione, ſed ſingulari virtute ſummaque prudentia atque conſtantia tua, REX INVICTISSIME, incredibili celeritate confecta, quamvis ab omni bellico apparatu aliiſque rebus, ad defenſionem neceſſariis, inſtructa, ad cujus tutelam undique flos & robur militiæ ſub auſpiciis Ducum belli peritiſſimorum, prope ſedecim equitum peditumque millia, confluxerant, poſitis in conſpectu tanquam in ſtatione hoſtium caſtris, in quibus armatorum copiæ plus, quam centum millia, expleverant, qui veluti tantæ victoriæ teſtes eſſent oculati; & ſimul etiam obſtupefacti rei geſtæ magnitudine, irent dicerentque Regi ſuo, Solem, cujus radios ſæpius prædixerant ad ultimas terrarum plagas remotas gentes, illuminaturos, ſtitiſſe gradum curſumque ſuum Namurcenſibus in vallibus, MAGNI GULIELMI, tanquam benigniſſimi Europæ Sideris, interventu, qui, velut alter Jupiter, Imparem te, *Ludovice*, videns moderandis habenis, e curru egit præcipitem, ut diſceres juſtitiam & non temnere Divos, eorum

cerum ac populi ſumma ambitio plus apud te valuiſſet, quam tanti imperii cupido. Longe itaque alia tibi REGUM MAXIME arma capiendi cauſa fuit, ſubibat animum tuum Reges atque Principes non fruſtra gladio armatos, ſed ut eo utantur ad plectendos malos, & bonos tuendos adverſus improborum vim & injuriam, ad ſublevandos injuſte oppreſſos, &, ut paucis dicam, ad adminiſtrandam juſtitiam ſuum cuique jus tribuendo. Hoc ipſum igitur fuit in cauſa, quod auxilio veneris, qui jure opem tuam implorabant adverſus quoſdam impoſtores, qui nihil aliud machinabantur, quam regni ſtatum evertere; qui legum auxilium irritum reddere, atque judicia, religionem, libertatem, quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit, legibus & jurisjurandi religione confirmatam & aſſertam, a ſummi imperantis nutu & arbitrio pendere diſſeminabant in vulgus, ſcil. ut arbitrarium conſtituendo imperium, durum ab omni ævo liberi populi cervicibus ſervitutis jugum imponerent. Quid autem juſtitiæ, quid æquitati, quid Chriſti doctrinæ & idcirco Chriſtianorum ſacris initiati Principis officio magis conſentaneum, quam ſocio, injuſte oppreſſo, opem petenti, ſuccurrere? Huic officio nec ipſi gentiles deeſſe voluêre, quamobrem nullam naturam in hominum genere meliorem exiſtimarunt, quam eorum, qui ſe ad ſervandos homines natos arbitrarentur. Quænam itaque, REX JUSTISSIME, arma capiendi tibi cauſa excogitari vel fingi poſſit juſtior, atque illa, quam ipſa dictat recta ratio, & idcirco juſtitia exigit, Chriſtiana approbat doctrina. Miniſtrum & vindicem juſtitiæ divinæ te præbuiſti, dum tua prudentia, vigilantia, & fortitudine irrita reddidiſti, in patriæ noſtræ, tuorumque civium, ac totius vere Chriſtiani Orbis clandeſtina conflata conſilia. Jam mihi renaſci tuo ſub imperio videtur ſeculum il-

lud

lud aureum, quo cœlitus miſſa Aſtræa virgo præſidebat terrarum Orbi. Quid enim ſanctius obſervas, diligentius adminiſtras, quam juſtitiam? illa virtus omnium virtutum regina adeo omnibus, quæ a TUA MAJESTATE proficiſcuntur, actionibus, cum belli, tum pacis tempore, prælucet, ut non minus tuo quodam jure JUSTI appellationem tibi vindicare poſſis, quam quiſquam vetuſtiorum temporum Princeps, niſi & ipſum hoc cognomen infra tua merita videretur, quoniam & eodem appellati, qui, quamvis honoris & dignitatis faſtigio tibi pares, hujus tamen & ceterarum omnium virtutum menſura tanto TUA MAJESTATE inferiores, quanto ipſe majeſtate ſuperior tuis civibus atque ſubjectis. Hujuſmodi cogitationes cum animum meum ſubirent, haſce meas operas, quas non ad exornanda, quæ in doctiſſimo Authoris opere de *Jure Belli ac Pacis*, tractantur argumenta, ſed pro ingenii & judicii facultate, illuſtranda, quæ ſæpiſſime nimis conciſo dicendi genere propoſita, difficiliorem lectori præbent intellectum, contuli, MAJESTATI TUÆ conſecrare volui. In cujus tutelam & fidem ſeſe ipſa juſtitia tanquam certiſſimum munimentum permiſiſſe videtur. Quamobrem cum tuo patrocinio illam dignari tibi REX JUSTISSIME placuerit, eodem quoque amplecti quæcunque a me pro ea, quamvis exigua & tam auguſto nomine neutiquam digna, ſcripta ſunt, MAJESTATIS TUÆ infinita clementia, & benignitas mihi pollicetur. Præterquam quod huic altera & officii & pietatis ratio accedat: Neque enim ſine gravi ingrati animi nota inficiari poſſum, me tuæ ſollicitudini, paternæ curæ, prudentiæ & invicti animi magnitudini, cum ubique terrarum armorum ſtrepitus & belli calamitas aliarum gentium tranquillitatem perturbat, hoc ſcribendi debere otium, idque in chariſſima at-

que dulciſſima patria, quam tuis ſub auſpiciis omnium rerum, quibus vita neque ſatis commode, neque etiam jucunde tranſigitur, quaſi univerſæ Europæ officinam, tum etiam tranquillitatis & felicitatis domicilium conſtituere omnium rerum Author voluit.

Tu civem patremque geras, tu conſule cunctis
Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.

Accipe igitur, REX CLEMENTISSIME, hoſce laboris mei tanquam beatiſſimi iſtius otii, quo mihi te auſpice, frui licet, fructus tibi debitos, leto vultu ut ſoles cetera; & TUÆ MAJESTATIS præſidio ſuſtinere, & clementiæ benignitate adverſus quoſcunque obtrectatores & calumniatores defendere, ut velis, ſumma cum animi ſubmiſſione rogo atque oro. Quod reliquum eſt Deum *Ter. Opt. Max.* precibus fatigare non deſinam, ut MAJESTATEM TUAM, quam diutiſſime conſervet ac tueatur, ad Nominis ſui gloriam, Eccleſiæ firmamentum, Patriæ præſidium, civium tutiſſimum refugium. Ita ſpero; Ita mecum vovent omnes boni cives. Trajecti ad Rhenum, XVIII Kal. Octob. cIↃ IↃC, XCVI.

PRÆFA-

P R Æ F A T I O.

QVantum homo, ratione præditus, ceteris animalibus, omni plane mentis diſcurſu deſtitutis, ideoque naturæ impetum ſequentibus, præſtet, tanto magis naturæ vinculo obſtrictus eſt ſumma ope niti, ne vitam ſilentio tranſeat, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit, ut ait Salluſtius. *Quoniam autem generis ſui præſtantia non in corporis figura, verum divinæ illa particula auræ anima, ſita eſt, cujus eſſentia potiſſimum conſiſtit in operatione & actione, utpote quæ omnis ejus, quod corporeum dicitur, expers, tota ſpiritus, quem niſi agendo & operando exiſtere animadvertimus; oportet hominem ejuſmodi vitæ rationem amplecti & ſequi, quæ origini ſuæ & generis præſtantiæ maxime conſentanea.* Optime *Romanæ eloquentiæ Parens Tullius* Somn. Scip. Nec enim tu es, quem forma iſta declarat, ſed mens cujuſque is eſt quiſque; non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. *Nec aliter Lactant.* lib. de opificio Dei, *cum inquit*, Errat enim quiſquis hominem carne metitur. Nam corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt. Nam ipſe homo, neque tangi, neque adſpici, neque comprehendi poteſt, quia latet intra hoc, quod videtur. *Hanc autem mentem, cujus proprium eſt ſemper in actu & motu eſſe, exercendam in optimis artibus, docet* Cicero, *ut documenta demus, qua ſumus nati origine, atque ita perſpiciatur in totius vitæ curſu nos æternos ac divinos habere animos, quorum dignitati convenit, corporis voluptates contemnentes, in illis rebus inveſtigandis & comtemplandis occupatos eſſe, quæ generis noſtri præſtantiam potiſſimum referunt. Quamobrem qui nihil aliud curant, niſi corporis voluptates; qui luxuriæ & gulæ indulgentes, atque corpori & inertiæ dediti vitam beatam ſomno, cibo, potu, & libidinibus metiuntur, corporis tantum figura a brutis animantibus differre videntur. Quorum ego vitam mortemque juxta æſtimo, quoniam de utraque ſiletur. Verum enimvero is demum vivere, ut decet hominem, ratione præditum, id eſt, anima frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Omnium vero bonarum artium, quibus operam dare oportet hominem, ut convenienter naturæ ſuæ vitam inſtituat, illa merito optima habetur, quæ eum docet bene & recte vivendi regulam, id eſt congruenter naturæ ſuæ cum rationali, tum ſociali, vitæ traducendæ rationem. Quippe cum ſit animal natum ad colendam ſocietatem ſive naturalem, ſive civilem, ipſa illa naſcendi conditio ei impoſuit obligationem, qua tenetur omnes ſuas operas couferre ad aliquid navandum, quo poſſet bene mereri de utraque. Quamobrem rationis particeps, ut, ea duce, poſſet indagare, quæ inſerviunt ejus conſervationi & cultui. Quoniam vero dictat nobis recta ratio nullam ſocietatem coli, nec conſuetudinem homini cum homine intercedere poſſe, niſi accedat officiorum commutatio, quæ homines ſibi invicem præſtare adſtricti ſunt naturali quodam vinculo, qua ſublata totam corruere ejus fabricam, tanquam ſuo fundamento deſtitutam, neceſſe eſt, neminem negaturum mihi perſuadeo, optime illum de ſocietate humana meri-*

tum

tum, qui ſuam conſumit ætatem in ejuſmodi indagandis officiis, quorum commercium ad hominum ſocietatem & conjunctionem tuendam pertinet. Nulla vero doctrina adeo neceſſaria & utilis humano generi, quoniam comprehendit omnia illa jura, quæ homo homini natura debet, quocunque loco, tempore, ſtatu exhiberi invicem conveniat. Quippe nulla vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas; vacare officio poteſt, in eoque colenda ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo, *teſte Cicerone* 1. Off. *Publica dicuntur, quæ ad totius civitatis ſtatum & adminiſtrationem tum domi, tum etiam foris, pertinent, vel pacis, vel belli tempore ſuſcipienda. Privata, quæ ſingulos ſpectant, licet ad plures extendantur. Quæ autem officia in utroque vitæ genere homini præſtanda incumbunt, ea omnia hac de officiis diſciplina atque doctrina continentur. Ea autem non aliunde nec e puriori fonte hauriri poteſt, quam juris naturæ & gentium ſcientia, ad cujus præſcriptum omnia, quæ vel publice, vel privatim geruntur, fieri debent, ſi recte facta dici mereantur. Quis vero præſtabilem hanc ſcientiam atque doctrinam, tanta eruditione, tantoque ingenii & judicii acumine, ut eo omnes obſtupeſcant, tractavit, & ex intimis penetralibus abditiſque receſſibus in lucem protractam ad omnem vitæ uſum, conditionem, ſtatum, locum & tempus accommodavit, quam Vir incomparabilis* HUGO GROTIUS, *in ſuo opere, cui titulum de* Jure Belli ac Pacis, *inſcripſit. De cujus præſtantia, eruditione, ſummaque utilitate, quam ex eo cujuſcunque ſit quiſque generis & conditionis, tum præcipue qui ad Reipub. clavum & gubernacula ſedent, atque ſummæ rerum præſunt, capere poſſunt, potius nihil dicendum mihi videtur, quam ut eam prædicando pro ingenii exigua facultate minus fortaſſe dicerem, quam par eſt. Tanta enim doctrinæ & eruditionis fama, quam eo ſibi conciliavit Author, atque tot Clariſſimorum Eruditiſſimorumque virorum egregia teſtimonia ſatis eam illuſtrant atque celebrant. Præterquam quod & omnes, quorum manibus teritur, uno ore teſtantur, vix aliquem vixiſſe mortalium, qui tanta capacitate, & tam late diffuſa per omnium diſciplinarum genera eruditione polleret, quam qua incomparabile hoc opus demonſtrat authorem ſuum inſtructum fuiſſe. Quamobrem merito tot viri eruditi non propter argumenti tantum dignitatem, utilitatemque, ſed imprimis ſingularem doctrinam & ſummam, qua tractatur, eruditionem, ſe bene de humano genere, & ſua quiſque Repub. meriturum arbitrati fuere, ſuſcipiendo ejus commentationem, & conferendo ſuas operas ad illuſtranda, quæ ſæpe nimis conciſo dicendi genere propoſita, difficiliorem præbent intellectum; tum etiam detegendo & refutando nonnullos errores, in quos, & Authorem noſtrum utpote qui etiam (homo natus, a ſe illud humanum* errare, *non alienum ipſe putavit) cum circa religionis, & fidei quædam dogmata, tum etiam juris naturæ, & gentium tradendam ſcientiam, & doctrinam incidiſſe, ſalva tanti viri fama, dicere poſſumus. Ab eo autem fere tempore, quo manum ferulæ ſubduximus, & ad humaniora ſtudia animum applicuimus, præ cæteris nobis placuit juris naturæ & gentium ſcientiæ, atque moralis doctrinæ, quæ cum illa arctiſſime conjuncta, operam dare: cujus ſtudium vehementer in nobis excitaverat Celeberrimi* Samuelis Puſendorfii, *doctiſſimum & omni eruditionis genere refertum opus de* jure naturali & gentium, *ad hanc Spartam colendam in lucem editum, in quod neſcio qua fortuna incideram, eoque ſemel & iterum evoluto, tanta me hujus ſcientiæ excolendæ cepit voluptas, ut me plane totum huic conſecrare voluerim, præſertim cum magis magiſque indies perſpicerem, quanta in ea later & utilitas. Verum cum animadverterem vix aliquos in illa addiſcenda progreſſus fiere poſſe, niſi quis eſſet paratus ab ea ſupellectile, qua tan-*

quam

PRÆFATIO.

quam neceſſario adjumento indiget, ut perveniat ad intimos receſſus, unde petenda: illamque perſpicerem non unius eſſe generis, ſed fere ex omnium diſciplinarum nötitia, per quos hæc ſeſe diffundit ſcientia, comparandam, pauliſper hæſi, me imparem tanto perficiendo operi ſentiens. Verum ſummun hujus doctrinæ excolendæ ſtudium ac vehemens appetitus facile ſuperabat omnes moleſtias & difficultates, quæ ſeſe mihi offerebant. Itaque & aliarum bonarum artium ſcientiam, tum etiam antiquitatum, quæ ex veteribus cum Romanorum & Græcorum, aliaruinque gentium monumentis, eruendæ, cognitionem, tum etiam Hiſtoriarum notitiam, quæ egregium in juris publici diſciplina excolenda præbet uſum, quantum potui, mihi comparare ſtudui. Cui aliquamdiu opera data, iterum ad evolvendum Pufendorfium *animum applicui, atque experiebar longe majori cum fructu me relegiſſe eruditiſſimi Viri ſcripta, quam antehac perlegiſſem. Verum cum perſpicerem quanta in exiſtimatione haberet incomparabile Authoris noſtri de* Jure Belli & Pacis *opus, cujus authoritate in tractandis plurimis juris publici quæſtionibus ſæpius uteretur, atque in illa etiam plane acquieſceret, non a recta hac excolendi ſtudii ratione me deflexurum arbitrabar, ſi tanti viri exemplar imitando, illud ipſum legerem perlegeremque, atque ad faciliorem intellectum mihi comparandum virorum eruditorum commentarios evolverem, quos & in multis diſſentire ab Authore noſtro merito perſpiciebam, imprimis ubi a receptis* Orthodoxæ *Eccleſiæ unanimi conſenſu ſententiis divortium facit, in nonnullis vero erroris eum arguendo, propriam ignorantiam prodere arbitrabar. Quod ipſum in cauſa fuit, cur diligentius examinanda quæcunque & ab Authore noſtro, & aliis ſcriptoribus atque commentatoribus de jure naturæ & gentium præceptis tradita ſunt, eaque ad dictamen rectæ rationis revocanda duxerim, animo quantum potui omnibus præjudiciis vacuo, propriæque mentis diſcurſu adhibito, ne pecorum ritu antecedentium ſequens gregem, & ab alieno pendens judicio, in eoſdem quoque errores inciderem, quos nonnulli propter ſummam cujuſdam Authoris authoritatem ſæpiſſime amplectuntur cæco quodam impetu, tanquam falli neſciam veritatem. Quamobrem ſæpiſſime non ſolum ab Authoris opinione, ſed etiam communi de re aliqua ſententia, tanquam vulgari errore, diſſentio in hiſce meis commentariis, quibus cauſam præbuit ſæpius ſumma cum animi voluptate repetita hujus elegantiſſimi operis lectio. Quos velim, ut ſcias, lector benevole, non a me divulgatos, quaſi in hac tractanda diſciplina, ad quam illuſtrandam viri doctrina & ingenio ac judicio florentiſſimi operas ſuas contulerunt, cornicum oculos configerem, & aliquid præſtarem, quod non antea præſtitum ab illis. Verum quemadmodum omnes artes temporis lapſu & rerum uſü ad majorem perfectionis gradum perveniunt, quia inventis facile eſt aliquid addere, cui tamen, qui præceſſerunt Authores & inventores cauſam præbuiſſe dicendi videntur, ideoque & illis imprimis hab enda gratia: Sic etiam & in hac ipſa doctrina morali, & juris naturali ac gentium ſcientia tradenda, primi authores occaſionem præbent eam magis magiſque exornandi atque illuſtrandi, tum etiam indagandi quædam & quaſi e tenebris in lucem protrahendi ad eam pertinentia, quæ ab illis præterita atque omiſſa ſunt. Itaque ſi quid a me præſtitum quo & ornatior & illuſtrior hæc præſtantiſſima diſciplina fieri poſſit, id acceptum fero & Authori noſtro & doctiſſimorum virorum commentariis, aliorumque de hac doctrina eruditiſſimis divulgatis ſcriptis. Quamvis in quibuſdam ab illis diſſentiam, eorumque opinionem quaſi erroneam amplecti nequeam, eo tamen me ipſi ſtomachum voluiſſe movere neutiquam velim ut ſibi perſuadeant, quaſi alicujus famam minuere voluiſſem erroris eum arguendo. Oportet enim ut cuique liberum ſit judicium. Errare enim non eſt vitium, quod alicujus famam commaculat*

apud

***

apud viros graves & honeſtos, ſed humana naturæ imbecillitas, cui etiam præſtantiſſimi,
honeſtiſſimi, atque eruditiſſimi viri obnoxii, quia ejuſdem naturæ participes. Quod ta-
men non dictum a me volo de omni errorum genere, nec etiam aliquem ejus arguendi
modo. Sunt enim res quædam per ſe notæ atque veritates nobis innatæ & rationi infixæ,
in quibus errare non humanum, ſed ut ita dicam, inhumanum eſt, id eſt, rationali ho-
minis naturæ contrarium, ideoque ſæpiſſime ſumma cum malitia conjunctum. Quod
etiam dicendum de ejuſmodi aliquem erroris arguendi ratione, qua quis prava & ſiniſtra,
ex privato erga Authorem odio vel malitia proficiſcente, ejuſdem opinionis interpretatio-
ne, famæ notam inurere conetur. Nec ab ejuſmodi calumniis mihi quoque cavere olim
potui, quibus nonnulli ſiniſtre meam opinionem circa aliquod juris naturæ axioma di-
vulgatam, interpretando, me fruſtra proſecuti ſunt, quaſi Pelagianiſmum redoleret
& ad ſubvertenda juris naturæ fundamenta excogitatum, qua ſtatuerem, Vetuſtiſſi-
mos mortalium vitæ integros, ſceleriſque puros, nullas leges naturales propriæ di-
ctas, quibus impellerentur & inſtigarentur ad faciendum quod juſtum, rectum, & ho-
neſtum eſt, deterrerentur vero pœnarum metu ab eo, quod injuſtum eſt & honeſtati re-
pugnat, habuiſſe. Quoniam naturæ impetu & optima animi diſpoſitione ferebantur in
ſtatu integro ad virtutes, conſiſtentes in convenientia actionum & inclinationum cum ima-
gine divina. Cujus Hæreſeos me non quidem accuſaſſe ipſi fatebantur, quod palam favendo
huic opinioni eam profiterer, ſed quia ejuſmodi conſequentiæ ex illa deduci poſſent, quæ
non obſcure teſtabantur hunc anguem latere in herba, ut nuper quidam Germanus in
ſua diſſertatione de jure naturali Paraſidiaco, ſtatuit, fortaſſe in male diſpoſito ſuo ce-
rebro progenitum, cui tantum dignationis addere, mihi neutiquam par viſum eſt, ut
utar Puſendorfii verbis, ut reſponſi quid eidem reponerem; ejus potius me miſeret,
quod tam egregie ſemet ipſum decipiat, propriam non percipiens ignorantiam: per-
ſuadet enim ſibi intelligere aliquid, dum nihil intelligit, ſed ſpero aliquando ad ſanio-
rem rediturum mentem, diſperſis denſiſſimis illis tenebris, quæ cerebro ſuo offuſæ im-
pedimento ſunt, quo nequeat clare & diſtincte percipere, quæ ad juris naturæ & gen-
tium doctrinam, atque ſcientiam pertineant. Sic enim ex melle venenum decerpere, &
quibuſvis bonis principiis abſurdas deducere conſequentias quorundam poteſt vel malitia,
vel ignorantia. Quis poteſt ſibi arrogare jure merito interpretationem alienæ opinionis,
eamque in eum ſenſum detorquendi licentiam, quem ſua ſibi inſpirat malitia & privatum
ſæpiſſime odium. Quamvis autem hiſce calumniis meas olim vindicias oppoſuerim, atta-
men fateri neceſſe habeo, earum memoriam & recordationem in cauſa fuiſſe, quod hoſce
meos in Authoris noſtri de Jure Belli ac Pacis, commentarios in lucem prodire voluerim:
ut poſſet cuique conſtare quidnam ſentiam de juris naturæ & gentium jure, tum etiam me
latum ne quidem unguem a receptis Orthodoxæ Eccleſiæ circa religionis & fidei funda-
menta ſententiis recedere. Quemadmodum vero Authori placuit opus ſuum in tres libros
dividere, uno tamen volumine; ita etiam animum induxi in tria volumina diſpeſcere to-
tum hoc opus, & unumquodque volumen ſeparatim publici juris facere. Quorum primum
jam tibi offero, Lector benevole, ut periculum faciam num placeant tibi, quos feci com-
mentarios. Quod ſi tibi probatos fuiſſe intellexerim, atque cœptis favere te meis perſpexe-
rim, luculentum & amplum laboris mei præmium habiturus. Vale B. L. conatuſque no-
ſtros ulteriores favore proſequi pergito.

IN

IN TRES LIBROS

DE JURE BELLI AC PACIS

PROLEGOMENA.

1. JUs civile, ſive Romanum, ſive quod cuique patrium eſt, aut illuſtrare commentariis, aut contractum ob oculos ponere aggreſſi ſunt multi; at jus illud quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit, ſive ab ipſa natura profectum, aut divinis conſtitutum legibus, ſive moribus & pacto tacito introductum, attigerunt pauci, univerſim ac certo ordine tractavit hactenus nemo: cum tamen id fieri interſit humani generis. I. *Jus. Gentium.*

COMMENTARIUS.

SEcundum juris civilis compilatorum & autorum mentem recte autor noſter de eo jure ſermonem habens, duplicem nobis ejus ſignificationem tradit; una latior, altera ſtrictior eſt. Illa ad omnium populorum, quas ſibi proprias fecêre leges, pertinet, & vocatur in genere jus civile cujuſque civitatis, vel populi aut gentis. Hæc tantum illud jus complectitur, quod civitas Romana ſibi conſtituit, & ſtrictiori vocabulo vocatur jus civile Romanum. Illius definitionem traditurus Ulpianus, ait eſſe *jus illud*, *quod neque in totum a naturali vel gentium recedit*, *nec per omnia ei ſervit: Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi*, *jus proprium*, *id eſt*, *civile efficimus. l. 6. ff. de juſt. & jur.* Jus vero civile in ſtrictiori ſignificatione ſumptum, id eſt, jus Romanum definiens Papinianus, inquit jus illud eſſe, *quod ex legibus*, *plebiſcitis*, *Senatus conſultis*, *decretis principum*, *autoritate prudentium venit. l. 7. ff. eod.* Conſtat enim jus noſtrum, inquit Imperator, aut *ſcripto*, aut ſine *ſcripto*, *ſcriptum* autem *jus eſt*, *lex*, *plebiſcitum*, *principum placita*, *magiſtratuum edicta*, *reſponſa prudentum*, §. 3. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Quanquam etiam illa, quæ latius patet juris civilis ſignificatio atque definitio, omnium populorum leges ſive jura, quæ ſibi peculiariter conſtituendo fecerunt propria, & conſequenter civilia complectens, juri Romano conjunctiſſima ſit & maxime conveniens, quatenus ſcil. ad exemplum ceterarum gentium, juri communi vel addendo vel detrahendo, ſibi conſtituit quoddam jus proprium, quod civile vocatur, & quidem Romanum, quaſi proprium ipſius civitatis Romanæ, tantum a juris civilis generali definitione differens, quantum ſpecies a genere. Optime JCtus Gajus, in *l. 9. ff. de juſt. & jur. Omnes populi qui legibus & moribus reguntur*, *partim ſuo proprio jure*, *partim communi omnium hominum jure utuntur*. *Nam quod quiſque populus ipſe ſibi jus conſtituit*, *id ipſius proprium civitatis eſt*: *vocaturque jus civile*, *quaſi jus proprium ipſius civitatis.* A quâ & denominatur, ita ut aliud ſit *jus civile Athenienſium*, aliud *Romanorum*, aliud *Lacedemoniorum. Sed jus quidem civile*, inquit Imperator, *ex unaquaque civitate appellatur*, *veluti Athenienſium. Nam ſi quis velit Solonis vel Draconis leges appellare jus civile Athenienſium non erraverit. Sic enim & jus*, *quo populus Romanus utitur*, *jus civile Romanorum appellamus*, *vel jus Quiritium*, *quo Quirites utuntur.* Jus itaque civile in genere eſt, quod quiſque populus ſibi fecit proprium addendo vel detrahendo juri communi, quatenus autem ad uſum ſuæ civitatis

quiſque populus accommodat, eatenus tanquam ſpecies differt a genere & fit jus quoddam peculiare & ſingulare iſtius civitatis & populi. Hinc merito Cicero definit *jus civile æquitatem iis conſtitutam, qui ejuſdem ſunt civitatis, ad res ſuas obtinendas.* Et Ariſt. 5. *Ethic. cap 6.* ait, jus civile *eſſe in ſocietate & communione vitæ poſitum.* In eo a jure gentium ſive naturæ diverſum, quod, quemadmodum hoc apud omnes gentes peræque cuſtoditur & locum ſibi vendicat, quia a naturali ratione introductum & conſtitutum; ita illud apud eos tantum obtinet populos, qui juri communi, id eſt, naturali vel addendo vel detrahendo, in quibuſdam a naturalis rationis dictamine receſſi, quatenus licitum ipſis, jus ad reipub. & ſocietatis civilis uſum accommodantes, ſibi fecerunt proprium: unde dicitur jus civile neque in *totum a naturali vel gentium recedere, neque ei per omnia ſervire. l. 6. ff. de juſt. & jur.* Cum enim varii ſint hominum mores, variaque mortalium deſideria & ingenia, ideoque nec omnibus omnia conveniant, cuique populo eſt data quædam libertas earum ſibi condendarum legum, quæ Reipub. formæ, & civium ingeniis inſervire atque congruas ſore arbitraretur. *Diſſimilitudo civitatum variationem juris habeat neceſſe eſt*, inquit Cic. *pro Balbo.* Ita ut vix ulla ſit civitas, quæ non habeat peculiares ſuas conſtitutiones & leges, prout ſalus & utilitas ſocietatis efflagitat, promulgatas ſancitaſque. Quæ diſſimiles tot diverſarum civitatum ſive gentium propriæ leges, in eo ſibi tamen ſimiles videntur, quod ad juris naturæ normam compoſitæ ſint atque conſtitutæ, quatenus omnes gentes juri communi detrahendo vel addendo jus ſibi proprium ſtatuentes, naturalis ſive communis juris ſemper rationem aliquam habuêre, unde tot ejus veſtigia in cujuſque populi propriis patriiſque legibus perſpicimus. Quamobrem Cic. 3. *offic. Neque vero*, inquit, *hoc ſolum natura, id eſt, gentium jure, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus Reſpub. continetur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri.* Eſt enim immutabile hoc juris naturæ dictatum ſive præceptum *alterum non lædere*, quare ab hoc gentes ſaltem moratiores non receſſerunt in propriis ſibi conſtituendis legibus, verum illud ipſum iis inſeruêre & approbavêre. Sed habet illud jus civile Romanum præ cæterarum gentium & civitatum conſtitutionibus præcipuum, quod in eo perſpicimus admirandam quandam æquitatem & ſingularem juris naturæ obſervantiam. Quamobrem Gothofredus ait, *Jus civile Romanum legum ſanctitate & diſciplina exterarum gentium omnium legibus & inſtitutis præponderare, omniaque populorum jura & mores in ſe comprehendere.* Et alius. *Jus civile Romanorum naturali & civili æquitate ante omnes leges pollet, & ad illud omnes ubique recurrunt.* Quare in legibus ferendis, & jure dicundo ceteræ gentes, jus Romanum ſibi tanquam normam & exemplum propoſuerunt, ad quod ſuas componerent. Et conſequenter non immerito a quibuſdam leges Romanorum legum aliarum matrem nuncupantur. *Nunquam magis floruit*, inquie Balduinus, *juris prudentiæ ſtudium, quam apud Romanos, unde ad alias gentes & provincias, magno omnium mortalium conſenſu & applauſu dimanavit.* Quamobrem & jus commune non abſque ratione poſſet appellari, quia ob ejus excellentiam, & ſummam æquitatem utilitatemque, aliæ gentes atque nationes illud amplexæ fuerunt. *Jus Romanum tam æquum eſt, & rationi conſentaneum, ut omnium fere Chriſtianarum gentium uſu & approbatione ſit receptum.* Car. Molin. *ad conſuet. Pariſ.* Et Damhoud. *in prax. rer. civ. cap. 12. Ita juſtum & æquum viſum eſt omnibus jus Romanorum, ut, qui Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanquam æquitati naturali maxime conſentaneum ſequantur, & ſuas leges per has interpretentur.* Merito igitur Imperator *inſt. de jur. nat. gent.* quoties de jure civili ſermo habetur, non addito nomine, cujus ſit civitatis, noſtrum jus, id eſt, Romanum intelligendum voluit. *Patriam legum*, ut inquit in *Novell. 9.* unde cæterorum populorum jura tanquam ex origine & fonte ſuo dimanarunt, ideoque per excellentiam & quandam antonomaſiam κατ᾽ ἐξοχὴν, juris ſimplici vocabulo ſignificari jus Romanum Juſtiniano placuit. Ita enim Vinn. *in ſuis comment. ad inſt. de jur. nat. gent. Hodie jus civile Romanorum quaſi gentium quoddam jus commune apud totam fere Europam obſervatur, utique in quibus cauſis propriæ leges & conſuetudines deficiunt. Sed & ad hujus juris normam dirigitur interpretatio quarumcumque conſtitutionum ac conſuetudinum, quæ illi manifeſte non repugnant: ac tametſi repugnent, tamen in ambigua facti ſpecie ejuſdem æquitate mitigantur, & ita coercentur, ut commune hoc jus quam minime lædant.* Quoniam vero in tanta apud omnes nationes exiſtimatione habitum eſt jus civile Romanum, non mirum, quod tam multi viri maximi illud commentariis ſuis illuſtrare vel contractum ob oculos ponere aggreſſi ſint, & excolendæ huic diſciplinæ operam dederint. Latis enim ll. XII. tabb. ex quibus tanquam ex fonte ſuo fluere cœpit jus civile Romanum, neceſſaria erat prudentium interpretatio inquit Pomponius. *ff. de orig. jur.* Reipub. Rom. itaque initio non defuêre decora ingenia, qui interpretando & diſputando jus quotidie illuſtrarunt atque in melius productum poſteris reliquerunt. Neque hodie deſunt viri juris ſcientia & doctrina florentiſſimi, ſed rari, qui jus illud, quod civile, id eſt, Romanum vocamus, ſuis quotidie etianum ornare doctis commentariis ſuſcipiunt, atque in eo interpretando ætatem conſumunt. Verum proch dolor! quam pauci admodum ad hanc excolendam Spartam ſeſe applicant eo quo decet animo. Multi enim, qui ultra legum verba vix quicquam ſapiunt, quaſi illotis, ut ita dixerim, manibus legum interpretationem ſucipiunt, id eſt, non informato prius animo iis ſtudiis, a quibus ſi quis non paratus, perfectam juris cognitionem atque ſcientiam habere nequit. Oportet enim qui juris civilis ſcientiam aliquo cum fructu profiteri

ri & interpretari velit, exercitatum eſſe in omnibus fere diſciplinis, atque Hiſtoriis, antiquitatibus, & veterum monumentis verſatum, in quibus ſi quis hoſpes, in ipſa quoque juris materia, quam interpretari atque docere vel commentariis & notis illuſtrare animum induxit rudem eſſe neceſſe eſt. Veterum juris conditorum exemplum nobis imitandum, quorum docta de quibuscunque rebus reſponſa nos docent, juriſconſultum omni inſtructum eſſe oportere diſciplinarum, atque ſtudiorum genere. Hinc in Pandectis perſpicimus JCtos aliquando Medici, nonnunquam Philoſophi, interdum Hiſtorici in decidendis controverſiis ſuſtinuiſſe perſonam. Hinc de partu ſeptimeſtri aliquando reſpondit Paulus in *l.* 11. *ff. de ſtatu hom.* ſic de Publio Rutilio JCto, cujus Pomponius meminit. *ff. de orig. jur.* teſtatur Cic. in *Bruto.* cum fuiſſe egregium Stoicæ diſciplinæ Philoſophum. *Rutilius*, inquit, *in quodam triſti & ſevero genere dicendi verſatus eſt, natura vehemens & acer.* Et deinde, *multa opera, multaque induſtria Rutilius fuit, quæ erat propterea gratior, quod idem magnum munus de jure reſpondendi ſuſtinebat, ſunt ejus orationes jejunæ, multa præclara de jure, doctus vir, & græcis litteris eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis.* Et de Servii Sulpitii ſummi quoque juriſconſulti, cujus *eod. loc.* meminit Pomponius, ad omnes bonarum artium diſciplinas addiſcendas adhibito ſtudio, Cicero diſputat in *Bruto.* Imprimis vero ad ornandum jus civile cum juris ſcientia cum conjunxiſſe ſtudia Philoſophiæ, litterarum, & artis quoque oratoriæ, tradit idem in *Bruto*, quamobrem hoc Ciceronis meruit elogium, cum inquit. *Sic Brute exiſtimo juris civilis magnum uſum, & apud Scævolam, & apud alios fuiſſe, artem in hoc uno quod nunquam effeciſſet ipſius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in partes, &c. Hic enim attulit ad hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea quæ confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere (inquit Brutus) recte, inquam, intelligis: ſed adjunxit etiam & literarum ſcientiam & loquendi elegantiam, quæ ex ſcriptis ejus, quorum ſimilia nulla ſunt, facillime perſpici poteſt.* Sic quoque teſtatur C. Mutium Scævolam, non ſolum juris ſcientia, verum & omnis prudentiæ genere præſtitiſſe; quamobrem eum appellat hominem non ſolum juris, ſed & omnium diſciplina eruditiſſimum. Et de *P. Alfenio Varo.* teſtatur Gellius cum non incurioſum fuiſſe rerum antiquarum *lib. 6. cap.* 5. quamobrem & altius jura callere dicit Ammian. Marcel. *lib.* 30. Et ſic paſſim legimus veteres juriſconſultos, ut juris ſcientiam omnibus numeris abſolutam ſibi compararent, in omnium diſciplinarum genere exercitatos fuiſſe. Quorum veſtigiis ſi juris noſtri commentatores & doctores inſiſterent, non adeo cruda & immatura hujus diſciplinæ, quam publice profitentur atque docent, in lucem propellerent ſtudia atque rerum argumenta, quibus nil niſi ignorantiam ſuam produnt, & ſemetipſos alienis riſibus vel juſtis calumniis exponunt, propter innumeros quos admittunt ſæpiſſime errores, earum rerum rudes atque ignari, ſine quarum cognitione juris ſcientia, tanquam partibus ſuis, ex quibus conſtare debet, deſtituta, imperfecta merito dicitur & deformata. Præcipua vero pars hujus ſcientiæ vocari ea poteſt, quæ conſiſtit in cognitione atque notitia juris naturæ ſive gentium, quod eadem venit appellatione. Jus enim gentium definitur, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit; vocatur jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur. *l. 9. ff. de juſt. & jur.* Quoniam vero jus civile ex naturalibus præceptis ſive gentium eſt collectum, ut perſpicimus ex *l.* 1. §. 2. *ff. eod.* conſequenter juri civili operam daturo nihil magis neceſſarium, quam ejus juris, quod gentium ſive naturale vocamus, notitia. Ad unius exemplum alterum introductum, magis a ſe invicem diverſa ratione objecti & extrinſecæ denominationis quam eſſentiæ. Illud magis univerſale & generale, hoc magis ſpeciale: hinc illud publicum, quia concernit ea, quæ inter diverſas gentes aguntur. Hoc privatum, quia ad ea, quæ inter privatos homines peraguntur negotia, ſpectat. Quoniam enim homines nondum in civitatem coaliti, verum ſegreges vel per familias diviſi, cujus paterfamilias erat caput & princeps, vivebant, itaque nullius imperio nec poteſtati ſubjecti, nullo ſibi invicem jure devincti niſi naturali, attamen mutuo ſæpiſſime indigebant auxilio ſive commercio, ipſa neceſſitas docuit mortales ſecundum ejus juris normam contractus celebrare, & cujuscunque generis negotia perficere: dictante illud ipſum recta, qua præditi erant, ratione. Poſtquam vero diverſa ob incommoda hujus ſtatus pertæſi, in civitatem ſive ſocietatem civilem coaleſcere voluerunt, ad ejus juris normam jura ſibi ſancivêre, tum quæ ad totius civitatis utilitatem, cum quæ ad ſingulorum civium commoditatem & negotia pertinebant. Idque vel addendo vel detrahendo juri naturali ſive gentium, prout ſocietatis utilitati conſentaneum fore arbitrabantur, manente eodem juris uſu inter civitates, qui antea obtinuerat inter ſingulos. Hoc jus publicum ſive gentium, quia inter gentes diverſas obtinet, ideoque magis univerſale. Illud jus privatum, quia intra civitatis ſive ſocietatis limites obſervabatur, atque ejuſdem cives eorumque negotia tantum concernebat, ex eodem attamen fonte proveniens. Inde Hobbes, lex naturalis dividit in naturalem *hominum*, & naturalem *civitatum*, quæ & dici poteſt *lex gentium. Præcepta utriuſque eadem ſunt: Sed quia civitates ſemel inſtitutæ induunt proprietates hominum perſonales, lex, quam loquentes de hominum ſingulorum officio, naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus, ſive gentibus, vocatur jus gentium. cap.* 14. *de civ.* Hinc merito vocat Grotius jus gentium, quod inter populos plures ſive populorum rectores intercedit, ab ipſa natura profectum, atque legibus divinis conſtitutum. Refertur enim jus naturæ ad Deum tanquam primum ejus authorem; *Idem eſt*, inquit

 Hiero-

Hierocles *in Pythag. carm. verſ.* 29. *rationi parere atque Deo. Natura enim, quæ rationis eſt particeps, cum ſplendorem ſuum, ſuamque lucem ſortita eſt, ea ipſa amplectitur, quæ divina lex ſtatuit, nec diſcrepat a Dei ſententia animus, qui ſecundum Deum ſe habet.* Voluit enim aliquando Deus viva voce, ut ea magis afficerentur mortales, quaſi de novo promulgare tabulis inciſa præcepta, quæ omnium mortalium cordibus inſculpta ſunt & ingenita, ut oculis quotidie intuentes, quæ ratio ipſis dictabat, ad illorum obſequium magis magiſque inducerentur. Ut olim in monte Sinai ſummus legiſlator jura ſua populo dedit, & quidem eadem illa, quæ naturæ lumen ipſis dictabat, ne aliquam ignorantiæ vel excuſationis juſtam haberent cauſam, quoties Deus ſuarum legum transgreſſiones populo imputaret, cumque ſupinæ ignorantiæ, atque negligentiæ convinceret. Cum autem jus gentium ſive naturæ ſit fons, ex quo jus civile Romanum dimanavit, cuivis facile conſtare poteſt, quam utilis & neceſſaria ſit ejus cognitio atque ſcientia: utpote quæ nobis faciliorem pandit viam, qua ad juris Romani notitiam pervenimus. Cauſa alicujus rei cognita, cætera facilius perſcrutamur & indagamus. Mirum itaque, cum tam multi viri docti & eruditi jus civile Romanum illuſtrare aggreſſi fuerint, jus illud quod publicum ſive gentium vocamus neglexerint, & ſi quidam illud attigerint, quod nemo illud univerſim ac certo ordine tractaviſſet auctoris noſtri ætate, cum tamen id fieri generis humani quam maxime interſit. Primus huic operi manus admovit autor noſter, illudque adeo feliciter perfecit, ut omnes viros doctrina & eruditione florentiſſimos in ſui rapiat admirationem: Tanta enim in hoc opere, cujus pro tenuitate noſtri ingenii interpretationem ſuſcepimus, eruditio, doctrina & ingenii vis recondita eſt atque latet, ut vix humani ingenii eſſe putem, eam perſcrutari atque detegere, niſi ſummo delabetur Olympo alter Grotius, qui nos eruditiores efficit. Multi ſibi autoris mentem intelligere perſuadunt, cum vix quicquam ultra verba ejus ſapiant, non diſſimiles iis, qui intelligendo faciunt, ut nihil intelligant: quo contigit, ut auctorem noſtrum aliquando carpendo, ejuſque opinionem quibuſdam de rebus rejiciendo, craſſam ſuam ignorantiam prodant.

2. Vere enim Cicero præſtabilem hanc dixit ſcientiam, in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum exterarumque nationum, in omni denique belli jure & pacis. Et Euripides hanc ſcientiam rerum divinarum & humanarum cognitioni præponit; ſic enim Theonoen compellari facit:

Belli & pacis.

> *Nam turpe id eſſet, cum ſcias hominum ac Deûm*
> *Quod eſt eritque, juſta te haud cognoſcere.*

COMMENTARIUS.

MEerito præſtabilem hanc vocat ſcientiam Cicero *in orat. pro Balbo cap.* 6. utpote quæ concernit totum humanum genus. Itaque quo magis eſt univerſale ejus objectum, eo dignior ſcientiâ juris particularis ſive ſpecialis, quæ niſi unam Remp. reſpicit. Unde illa definitur quod ſit per totum mundum diffuſa ſcientia, omnibuſque gentibus & populis communis. Hæc verſari tantum dicitur circa unius alicujus populi jura legeſque, quæ ex univerſali jurisprudentia tanquam fonte deducuntur, itaque ſibi locum vindicat in civium contractibus, omnibuſque aliis negotiis, quæ vel ad communem reipub. ſtatum, ſive ut ita dicam, ejus OEconomiam & domeſtica negotia, vel internam regiminis formam ſpectant, & ut uno dicam verbo, hujus ſcientiæ objectum eſt illud omne, quod domi peragitur. Altera verſatur circa ea, quæ foris cum aliis gentibus ſive nationibus contrahuntur atque geruntur vel in bello vel in pace. Utriuſque ſcopus ut omnia juſte vel ſecundum rectæ rationis dictamina, vel receptos mores, & conſuetudines peragantur atque contrahantur. Hujus generis ſunt, ut Cicero inquit; fœdera, pactiones, conditiones ſive conventiones, & placita populorum, aliique cujuſcumque generis, quæ inter diverſos principes ſive nationes intercedunt contractus vel commercia. Alterius civium quæcunque privata negotia, & ſocietatis communis domeſtica utilitas atque ſalus, ut venditiones, permutationes, pacta, conventiones, ſtipulationes, teſtamenti factiones, tum & tributorum & vectigalium æqua impoſitio & exactio, præmiorum & pœnarum juſta proportio & diſtributio, aliaque id genus, quæ vel inter ſingulos cives, vel inter magiſtratum & civem negotia aguntur, horum omnium moderatrix & directrix debet eſſe juſtitia: qua vero ratione potiſſimum ſecundum ejus normam & regulam, omnia, quæcunque publici vel privati juris ſunt, fiant, utriuſque juris periti meditantur atque interpretantur. Hac diſciplina ſive ſcientia imprimis oportet inſtuctos eſſe, qui ad reipub. ſedunt clavem, vel Regum Principumque conſiliis interſunt, & publicorum negotiorum ſunt miniſtri, ut ſecundum iſtius juris normam atque præcepta publicam utilitatem, & principis, cujus perſonam ſuſtinent, commoda ac jura

de-

defendere atque obtinere ea, qua decet dexteritate & prudentia, noverint, quæ ſæpius negliguntur & deſeruntur, ab inexpertis & hujus diſciplinæ rudibus miniſtris.

3. Atque eo magis neceſſaria eſt hæc opera, quod & noſtro ſæculo non deſunt & olim non defuerunt qui hanc juris partem ita contemnerent quaſi nihil ejus præter inane nomen exiſteret. In omnium ferme ore eſt Euphemi dictum apud Thucydidem, Regi aut civitati imperium habenti nihil injuſtum quod utile: cui ſimile illud, in ſumma fortuna id æquius quod validius; & rempublicam ſine injuria geri non poſſe. Accedit, quod quæ inter populos aut reges incidunt controverſiæ ferme Martem habent arbitrum. Eſt autem non vulgi tantum hæc opinio bellum ab omni jure abeſſe longiſſime, ſed & viris doctis ac prudentibus ſæpe dicta excidunt quæ talem opinionem foveant. Nihil enim frequentius quam oppoſita inter ſe, jus & arma. Nam & Ennius dixit: *Nullum quibuſdam, niſi Utile.*

Non ex jure manu conſertum, ſed magis ferro
Rem repetunt.

Et Horatius ferociam Achillis ſic deſcribit:

Jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

& alius alium cum bellum ordiretur ſic loquentem inducit:

Hic pacem temerataque jura relinquo.

Antigonus ſenex irriſit hominem, qui ſibi urbes alienas oppugnanti commentarium de juſtitia adferebat. Et Marius negabat præ armorum ſtrepitu leges à ſe poſſe exaudiri. Ipſe ille oris tam verecundi Pompejus, auſus eſt dicere: *Armatus leges ut cogitem?*

COMMENTARIUS.

HUjus autem ſcientiæ profeſſionem & explicationem merito eo magis neceſſariam arbitratur autor, quod & olim non defuerunt, neque & hoc noſtro ſeculo deſunt ejuſmodi hominum ſocietati noxia ingenia, quorum eo proceſſit audacia & temeritas, ut negarint dari aliquod jus hominibus commune ſive naturale, quod & gentium dicimus, intercedens inter diverſos populos vel eorum rectores, quod gentibus certam præſcribit normam, ſecundum quam commercia, contractus, fœdera, pactiones aliaque id genus negotia, ſive in bello ſive in pace peraguntur & a qua formam recipiunt. Quamobrem jactant *ſummo imperanti nihil injuſtum quod utile; atque in ſumma fortuna id æquius quod validius: Rempub. enim ſine injuria geri non poſſe.* Quis non videt, cui mens ſana eſt in corpore ſano, quam pernicioſa ſit ejuſmodi doctrina humano generi, utpote quæ omnem plane tollit inter homines ſocietatem, belluinam vitæ agendæ rationem introducens. Quippe ſi illud jus naturæ ſive gentium eſt, quod quiſque propria utilitate metitur, neceſſario ferarum ritu & more vivendum ſequitur; quæ naturæ ſuæ obedientes, omnia ad ſe rapere alteri eripiendo conantur, unde ſtatum belli oriri, & continua prælia certaminaque de acquirendo, & acquiſitum retinendo haberi neceſſe eſt. Cum enim homo naturali amore erga ſe ipſum & innatâ quadam habendi cupiditate expetat omnia, quæ ſibi utilia fore videntur, eaque ſtudioſiſſimè perſequatur; ſi hanc naturæ propenſionem ſequeretur, nulla habita ratione honeſti vel decori vel officii quod alterum alteri præſtare naturæ leges voluêre, quid eſſet humana ſocietas, niſi diſſociata belluarum multitudo, in mutuam perniciem advolantium. Quippe cum utilitas omnia ad ſe rapiat, ut inquit Cicero 1. *off.* alteri nil exhibet, neceſſe eſt ut humanæ ſocietatis vinculum, quod in permutandis officiis, quæ naturæ lumen exhibenda dictat, conſiſtit, diſſolvatur, quo contigit, ut homo homini lupus & hoſtis exiſtat, & id æquius habeatur quod validius. Quod ſi igitur utilitas nobis erit regula & norma agendorum, oportet omnem prorſus humanitatem exuere, quâ ſublatâ, quid erit ſtatus naturalis aliud quam ſtatus belli, id eſt, hominum per vim certantium, in quo ferarum inſtar alter alterius imminet exitio. Qualem ſtatum fingere Poetæ voluêre per ſeculum illud quod ferreum dicitur, quo ab obſervantia juris naturæ & officiorum, quæ ſecundum illud ſibi invicem tenentur præſtare mortales, receſſum, libidine potius humana quam ſtudio æqui bonique vita agebatur. Scelerato enim ha-

bendi amore & cupidine agitati mortales, id juſtum ducebant quod utile, cujuſmodi utilitas merito belli mater dicenda. Et noſtro hoc ſæculo, quo tota fere Europa in bellum ruit & ad arma convolat, quæ alia tot bellorum cauſa excogitari poteſt, quam illa ab omni honeſtate & jure ſummorum imperantium ſejuncta utilitas? Quoniam ipſis omnia videntur utilia, quæ non poſſident vel habent ad gloriam vel magis augendam vel imperii fines propagandos, ſemper illos ad aliena rapienda & invadenda ferri neceſſe eſt. Quæ utilitatis injuſta plane & belluina acquirendæ ratio, ſi juris naturalis omnium hominum mentibus tanquam tabulis inſcripti reverentia non moderetur, nulla humana ſocietas, nulla Reſpub. vel civitas diu conſervari poteſt. Eſt enim, ut diximus, cjus juris obſervantia humanæ ſocietatis, quæ ex tot populis & gentibus conſtat, quaſi commune aliquod vinculum, quo univerſum illud & vaſtum corpus continetur, quo diſſoluto, nihil magis ſanctum, nihil inviolatum, nihil ab improborum hominum machinationibus intactum haberi poteſt. Ita Bœcler *in notis ſuis ad Grotii prolegom. Non poſſent conſervari ſingula civitates, ſive ſingulorum imperia, niſi aliquid eſſet, quod contineret univerſum corpus communi aliquo vinculo, quod non poteſt eſſe aut cogitari aliud, niſi jus omnibus commune, quale ſolum eſt, de quo agimus*; Scil. Jure naturæ omnibus mortalibus innato, quod apud omnes gentes peræque cuſtoditur, & conſequenter *jus gentium* dicitur merito, *Omnium*, pergit, *enim inter ſe gentium bella exiſterent, ut primum ab obſervantia juris naturalis eſſet receſſum.* Et paulo poſt; *Quotiens juris naturalis reſpectus apud omnes nationes populoſque viguit, totiens beata pace mundus lætabatur. At, ubi quævis natio, quævis civitas ſibi tendere, atque illud communitatis humanæ vinculum diſſuere cepit, bella bellis, cædes cædibus continuabantur: Donec ad integrandi juris cupidinem reditum eſt.* Illuſtrant hæc quæ apud Ciceronem legimus de *fin. lib.* 5. cuminquit. *In omni honeſto nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: quæ nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio, & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, poſt vicinitatibus, tum civibus, & iis, qui publice ſocii, atque amici ſunt, deinde totius complexu gentis humanæ. Quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, ſocietatem conjunctionis humanæ munificè, & æque tuens, juſtitia dicitur, cui adjunctæ ſunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque ſunt generis ejuſdem. Atque hæc ita juſtitiæ propria ſunt, ut ſint virtutum reliquarum communia. Nam cum ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum quaſi civile, atque populare, quod Græci* πολιτικὸν *vocant: quidquid aget quæque virtus, id a communitate, & ea, quam expoſui, caritate, atque ſocietate humana non abhorrebit: viciſſimque juſtitia, ut ipſa ſe fundet uſu in ceteras virtutes, ſic illas expetet.* Quemadmodum itaque juſtitia pertinet ad conſervandam & tuendam hominum ſocietatem, ſequenter ea ſublata, tota corruit ſocietatis humanæ fabrica; tollitur autem quando omnia ad ſe referunt homines utilitate non honeſtate jus ſuum metientes; nihil in commune deferentes; quod ipſam naturæ rationem voluiſſe ex eo ſatis evincimus, quia illud civile ſive ſociabile ejus naturæ ſummus ille rerum conditor & autor implantavit, acreſque ſtimulos indidit, quibus ad ſocietatem colendam cum ſui ſimillimis fertur atque rapitur. Quod fieri nequit ſi omnia ad nos rapere & propriæ utilitati ſemper conſulere vellemus. Optime Cicero 1. *offic. Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa generatos, ut ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* Verum exulant omnia ab eo ſtatu officia, ubi illud obtinet axioma generi humano quam maxime pernicioſum, *nihil injuſtum quod utile: in ſumma fortuna id æquius quod validius:* & conſequenter omnis ſocietas ſubvertitur humana: exule enim juris naturæ obſervantia, deſciſcunt a natura humana homines, & in belluas degenerant, cum quibus neque ſocietas neque cœtus celebrari poſſunt. Optime Euripides, *jam olim in hac ſententia fui, virum bonum aliis eſſe natum: cujus vero animus pecuniæ inhiat*, id eſt, qui, propriæ utilitati tantum inſervit, *is & Reipub. eſt inutilis, & ad commercia difficilis, ſibi ipſi optimus.* Nullus dubito quin ex hiſce facile perſpicimus, generis humani ſummopere intereſſe, ut ejuſmodi pernicioſas ſocietati humanæ opiniones falſiſſimas eſſe oſtendamus, ne latius ſerpentes, quaſi quædam contagio hominum animos occupent, & ſua labe ac veneno corrumpant contaminentque. Hinc imprimis neceſſaria hæc opera, quam juris naturalis ſive gentium explicationi autor noſter impendit, qui hujus juris exiſtentiam & eſſentiam, ut ita dicam, illudque tam in pace quam bello ſibi locum vindicare adeo manifeſte atque tot claris teſtimoniis & argumentis cum ex ipſa ratione, qua duce errari nequit, tum aliunde petitis, probavit atque demonſtravit, ut quicquid adverſarii opponant nulli ponderis eſſe luce videatur clarius. Quoniam vero, ut dicere incepimus, propter diverſas hominum inclinationes, multorumque malè compoſita deſideria, non ſemper in pace agere liceat, verum aliquando multæ incidunt inter mortales controverſiæ, ſuper ea, quæ vel repetimus ab aliis, vel a nobis petuntur, contigit ut ejuſmodi controverſiæ arbitrum & judices habeant vel ipſos litigantes, vel tertium aliquem qui judicis vice inter eos fungitur: hic decidendi mos obtinet in civitatibus & ſocietatibus: alter inter populos

&

& reges ſæpiſſime ſibi locum vendicat, qui cum nullum ſuperiorem agnoſcant, judicem Martem arbitrum conſtituunt. Quod certandi genus aliquando & in ipſa civitate obtinere diximus, ſcil. cum nulla ſit judicem adeundi occaſio. Duo hæc certandi genera deſcribit Cic. 1. *offic.* quorum unum dicit per *deſceptationem*, *alterum per vim fieri.* Io utroque vero ſunt maxime ſervanda ea jura, quæ rectæ rationis dictamen, quod in totius vitæ curſu, atque in omnibus negotiis, oportet eſſe normam & regulam, quæ dirigit & moderatur hominum actiones, dictat. Hinc erronea plane illa, quæ non tantum vulgi, ſed & doctorum & prudentium quorundum eſt opinio. Scil. *ab omni jure longiſſime abeſſe bellum. Non poſſe præ armorum ſtrepitu leges exaudiri. Maximeque inter ſeſe oppoſita jus & arma.* Tollit quidem bellum illud commercium, eamque conſuetudinem, & officiorum permutationem, quæ inter amicos, vicinos, cives, & quibuſcum pacem colimus, intercedit; verum non omnem prorſus tollit juris communionem, & humanitatem, quam & hoſtibus præſtandam voluit ipſe juris oaturæ autor, & conſequenter optimus ac falli neſcius interpres Chriſtus. Optimè Cicero 1. *off. Sunt autem quædam officia etiam adverſus eos ſervanda, a quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi, & puniendi modus.* Et Liv. 31. *cap.* 30. *Neque id ſe quæri, quod hoſtilia ab hoſte paſſi forent (eſſe enim quædam belli jura: quæ ut facere, ita pati ſit fas).* Verum non permittunt ea, ut ultra modum in hoſtes ſæviamus. Unde Athenienſium legati de crudelitate & ſævitia Philippi regis Macedonum querentes, inquiunt *eod. loc. Sata exui, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi: miſera magis, quam indigna patienti eſſe. Verum enimvero id ſe quæri, quod is, qui Romanos alienigenos & barbaros vocet, adeo omnia ſimul divina humanaque jura polluerit, ut priore populatione cum infernis diis, ſecunda cum ſuperis bellum nefarium geſſerit; omnia ſepulcra monumentaque diruta eſſe in finibus, omnium nudatos manes, nullius oſſa terra tegi: delubra ſibi fuiſſe, quæ quondam pagatim habitantes in parvis illis caſtellis viciſque conſecrata, ne in unam urbem quidem contributi majores ſui deſerta reliquerunt. Circa ea omnia templa Philippum infeſtos circumtuliſſe ignes: ſemiuſta & truncata ſimulacra Deûm inter proſtratos jacere poſtes templorum, &c.* Hæc omnia a legatis dicta quaſi contra jus gentium, & belli jura geſta. Sunt itaque belli ſicuti & pacis jura, quæ apud omnes geotes, ſaltem moratiores obſervantur, quæ & ipſum naturæ dictat lumen, cujus omnes participes, conſequenter peræque ad ea ſervanda teneamur.

4. In Chriſtianis ſcriptoribus plurima ejus ſenſus occurrunt: pro multis unum Tertulliani ſufficiat: *Dolus, aſperitas, injuſtitia, propria negotia præliorum* Qui ita ſentiunt, dubium non eſt quin oppoſituri ſint nobis illud ex Comœdia:

Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas
Quam ſi des operam ut cum ratione inſanias.

COMMENTARIUS.

Fateor libenter multa belli tempore accidere, quæ, ſi vellemus ad juſtitiæ normam tanquam ad lydium lapidem examinare, maxime ab ea aliena eſſe animadverteremur: tot enim mala, tam horrenda, tam ſæva, ex bellis etiam quæ juſta dicuntur, & quidem neceſſario oriuntur, ut qui illa omnia ad juſtitiæ normam redigere conatur, nihil aliud agere videatur quam cum ratione inſanire. Verum cum de *jure belli* diſputemus, potius de iis ſermonem habemus, quæ in bello fieri jura volunt vel permittunt, quam quæ de facto contra ea accidunt. Cum enim ſæpiſſime in civitatibus ubi nullus armorum ſtrepitus auditur, multa gerantur quæ juſtitiæ velo neutiquam obtegi poſſunt, propterea quod ſit conſtans multitudo ex tot capitibus, quæ ſingula ſuis agitantur cupiditatibus, & ad vitia omnes pronitum & rectores, tum etiam ſubjecti, impoſſibile ſit, ut nonnunquam a juſtitia deflectatur; multo itaque magis ſi quædam in bello juſtitiæ minus conſentanea accidant, humanæ naturæ vitiis & imbecillati condonanda, ubi & major aliquando eſt peccandi occaſio, cum ob rabiem & iram, qua agitati per vim certantium animi, multa admittantur aliquando, quæ ſunt cootra jus belli, tum etiam quia magis eſt diſſoluta multitudo eorunt, quorum ope & auxilio in bello utimur, a quibus præ armorum ſtrepitu leges vix exaudiuntur. Itaque revera cum ratiooe inſanimus, quando ab eo ſtatu omnem plane juſtitiam exulare ſtatuamus, quia nonnulla contra juſtitiæ normam aguntur: Quemadmodum humanum eſt errare, & peccare, ita inhumanum eſt nullis urgeri vitiis, nulliſque erroribus obnoxium eſſe. Et conſequenter vitia erunt donec homines, ſed optimus qui minimis urgetur. Tollenda itaque eſt hæc opinio, *bellum ab omni jure abeſſe*; Sunt enim belli, ſicut & pacis jura, & in eos, qui cognationem illam, quam inter homines naturam conſtituiſſe, & quamobrem hominem homini inſidiari nefas eſſe tradit Florentinus, *l. 2. ff. de inſt. & ju.* violando, hoſtilem adverſus ſocium animum rebus & factis declarant, vis haud injuſta eſt, ſi alia ratione cohiberi & ad officium

re-

revocari nequeant. *Iniquitas partis diverſa juſta bella ingerit gerenda ſapienti*, inquit Auguſt. *de civit. Dei. lib.* 19. *cap.* 7. Recta itaque ratio ſuadet ſapienti humanam improbitatem coërcendam bello & vi juſta. Verum eadem ſimul præſcribit bella gerenda ſecundum juſtitiæ normam; dat enim ſuas leges militibus & exercitui; imo & imperatori imponit neceſſitatem, ut diſciplinam militarem ſeverè & prudenter ut decet, exerceat; eâ enim pollutâ, non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, nou magiſter equitum dictatoris parebit imperio; non edicta imperatoris obſervabuntur; ſine commeatu vagi milites, in peccato, in hoſtico errabunt immemores ſacramenti, licentia ſola ſe ubi velint exauctorant, infrequentia deſerantur ſigna; neque convenitur ad edictum; nec diſcernitur interdiu, nocte, æquo, iuiquo loco juſſu imperatoris pugnent, non ſigna, non ordines ſervant, latrocinii modo cæca & fortuita, pro ſolenni & ſacra militia erit: Et ut uuo verbo dicam, ſublata juſtitia & militari diſciplina, bellum nihil erit quam latrocinium & carnificina, id eſt hominum in mutuam perniciem advolantium belua multitudo, quæ jura negant ſibi nata, omnemque in viribus juſtitiam poſitam exiſtimantes, nihil ſanctum, nihil inviolabile habent, verum divina juxta & humana jura pedibus conculcant, permiſcentque.

Jus eſſe aſſertum, contra Carneadis Objectiones.

5. Cum vero fruſtra de jure ſuſcipiatur diſputatio ſi ipſum jus nullum, & ad commendandum & ad præmuniendum opus noſtrum pertinebit nunc graviſſimum errorem breviter reſelli. Cæterum ne cum turba nobis res ſit, demus ei advocatum. Et quem potius quam Carneadem, qui ad id pervenerat, quod Academiæ ſuæ ſummum erat, ut pro falſo non minus quam pro vero vires eloquentiæ poſſet intendere? Is ergo cum ſuſcepiſſet juſtitiæ, hujus præcipue de qua nunc agimus, oppugnationem, nullum invenit argumentum validius iſto: jura ſibi homines utilitate ſanxiſſe varia pro moribus, & apud eoſdem pro temporibus ſæpe mutata: jus autem naturale eſſe nullum: omnes enim & homines & alias animantes ad utilitates ſuas natura ducente ferri: proinde aut nullam eſſe juſtitiam; aut ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceat alienis commodis conſulens.

COMMENTARIUS.

ANtequam vero juris ſive publici ſive privati, ſive quod in pace ſive quod in bello ſibi locum vindicat, ſuſcipi poteſt explicatio, examinari & inveſtigari prius oportet, an aliquid ſit in rerum natura, quod nomine juſti vel injuſti, boni & æqui inſigniri queat: quippe redicula plane & ab omni ratione aliena eſſet diſputatio de eo quod nonquam extitit, vel exiſtere potuiſſe negatur. De nihilo enim nihil fieri vel dici poſſe, vetus ait proverbium. Ejus autem indagatio eo magis neceſſaria eſt, quia & multis ante ſeculis non defuêre; neque hac noſtra tempeſtate deſunt ejuſmodi impoſtores, quorum eo proceſſit audacia, nt nullam agnoſcentes divinitatem, omnium rerum viſibilium & inviſibilium cauſam & originem, principium & finem, uullas omnino leges divinas vel naturales, nullaſque ſive virtutis ſive religionis morales eſſe regulas, niſi quæ a ſummo cujuſque civitatis, ſummorumque imperantium arbitrio & voluntate conſtituantur, enixe defendere & aliis perſuadere omnibus viribus intendunt. Cujus improbæ turbæ princeps merito dicitur Carneades Philoſophus. Qui cum olim egregium juris naturæ oppugnatorem ſe præbere vellet, juris menſuram utilitate & appetitu determinabat: Quare ejuſmodi axiomata diſſeminabat in vulgus. Scil. homines ſibi jura ſanxiſſe varia pro moribus, eaque pro temporibus mutabilia; jus autem naturæ eſſe nullum, verum ut bruta animalia, ita quoque homines naturæ impetu & ſtimulis ad utilitates ſuas ferri rapique, eas unicum eſſe ſcopum, ad quem omnes ſuas actiones collimare volunt, non ſolliciti quibus propoſitum ſibi finem aſſequantur mediis, modo aciem intentionis obtineant, & acquirant quod utile ſibi fore judicant, cujuſmodi acquiſitio quia utilis omnibus modis licita, officiorum, quæ ſocius præſtare tenetur ſocio tanquam naturalis cognationis vinculo ſibi devincto, nulla habita ratione. Ejuſmodi juris naturæ obligatio potius ſumma ſtultitia exiſtimanda eſt, quoniam huic obtemperans contingere poſſet, ut alienis conſulendo commodis ſibi noceret. Cum quiſque ſibi proximus eſt, ſuadere charitas videtur omnia propter ſemetipſum expetenda. Quod pernicioſiſſimum humano generi axioma, omnem plane tollit inter homines juſtitiam, liberalitatem, amicitiam, ac ſocietatem, omnia denique officia, quæ ut in ſe invicem conferrent mortales voluit natura, utpote quorum permutatio humanæ ſocietatis vinculum

Digitized by Google

culum eſt, quo diſſoluto, homines ab omni cultiori vivendi ratione deſciſcentes, in feras degenerant, cum quibus nullum commercium, nulla conſuetudo haberi queat. Quippe quemadmodum homo ſecundum naturæ leges & æquitatem vivens, perfectiſſimum & manſuetiſſimum animal evadit: ita ubi a lege & jure recedit & alienus fit, peſſimum omnium eſt animalium, ut inquit, *Ariſtol. 1. polit.* *Quid enim homine eſt truculentius, quid imitius, ſi dempto metu ſuperiore vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere?* inquit Lactant. Itaque ſi jura, & leges, atque officia, quæ homo homini debet, utilitate metiamur; ſi ea erit nobis agendorum norma, nullum prorſus erit naturæ jus, nulla juſtitia, nulla ſancta erit ſocietas, nec fides humana, quâ ſublatâ, homo homini lupus erit, & qui voraciſſimus juſtiſſimus habendus. Optime Cicero 1. *offic. cap.* 2. *Nam qui ſummum bonum inſtituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque ſuis commodis, non honeſtate metitur, hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, neque amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec liberalitatem.* Quæ inter gentiles ſtatuit Carneades, eadem inter Chriſtianos Hobbeſius tradidit dogmata, eo magis horrenda, quo clariora e puriori fonte potuerit haurire juris, de quo nobis ſermo, fundamenta. Quanquam ideo non excuſandus Carneades, quoniam nulla gens adeo extra leges moreſque projecta ſit, ut non aliquam divinitatem credat, ut Seneca loquitur; a qua, ſaltem moratiores gentes, jus tanquam ex unico atque puriſſimo fonte derivarunt. Unde ab ipſo *Jovis* nomine *jus* Latinis dictum probabiliter dici poteſt. Oportet itaque Carneadem alioſque, qui ejuſmodi de jure naturæ dogmata in vulgus diſſeminant, omnem plane rejicere divinitatem: quippe poſito ſummo aliquo ente vel principio, a quo cælum & natura dependet, neceſſariò ſequitur illud ipſum, quod ſummum ens dicimus, quia omnium rerum cauſa eſt, quoque originem iſtius juris eſſe, quod naturale vocamus; quod ex ordine iſto, quo omnia, quæ producta ſunt ad finem ſuum tendunt ac feruntur, abunde perſpicitur. Illa omnium individuorum ad finem, ad quem ſingula ab autore ordinata ſunt, propenſio & inclinatio revera jus naturæ eſt, omnibus innatum rebus, unde unumquodque individuum ſecundum jus naturæ agere & operari dicimus, quoties ad finem naturæ ſuæ congruum & convenientem rapitur. Quare non a vero aberrare eum arbitror, qui per jus & inſtitutum naturæ intelligit regulas cujuſque individui, ſecundum quas unumquodque determinatum concipimus & ad certo modo exiſtendum & operandum, ex æterno decreto & immutabili ſummi entis voluntate profluentes: nam ex ea tanquam ex unico fonte omnes naturæ leges derivandas mox demonſtrabimus. Hinc Plato ait; *Legem naturalem in ſeminibus poſitam eſſe; eſt enim vis quædam rerum ſeminibus innata, qua ſingula ad proprios actus proprioſque fines propendunt & inclinant.* Quam opinionem amplexus quoque videtur Auguſt. *de civ. Dei lib.* 19. *cap.* 21. Quando concludit juſtitiam ad normam naturæ dirigi oportere, cum id ipſum juſtum ſit, quod ſecundum naturam eſt, ſcil. unumquodque in ſuo genere, unde & Connanus ſtatuit, non licere jus a natura ſejungere, cum illud nobis non opinio, ſed innata quædam vis afferat. *Quod enim univerſi machina, ordine certaque rationabili diſpoſitione conſtet; quod omnia ſe teneant, ratiſque ſucceſſionibus in nodos ſuos urgeantur; quod elementa ſuas ſibi ſervent regiones; quod ferantur leviora ſurſum, graviora deorſum, motuque proprio ſibi vindicent, quod vis æterna ſibi rapuerat; quod dies & nox, hyems & æſtas, quies & actio tempus omne partiantur: quod activis paſſivis, corruptionibus generationibus reſpondeant; quod oppoſita qualitates mediis concilientur; quod unicuique ſpeciei ſit indita vis ad ſui conſervationem, propagationem, in integrum reſtitutionem; quod congrua media ducant ad propoſitos fines, jus eſt a Deo natura datum.* Ivon. *in præfat. de jur. nat.* ſecundum quod individua operantia juſtè & benè operari dicimus. Quoniam itaque jus naturæ aliunde derivari nequit niſi a ſummo aliquo ente, quod omnium individuorum principium eſt & cauſa, conſequenter ejuſmodi entis exiſtentiâ probatâ, ipſum naturæ jus, quod neceſſario ex ſummi entis natura profluens ſingulis individuis communicatum eſt, eadem probatur ratione omnibus innatum eſſe creaturis. Quod quidem ratione originis omnibus individuis commune eſt; verum ratione cujuſque ſubjecti, ſecundum innatam ſibi naturam operantis, diverſis modis, ea, quæ juris naturæ eſſe dicuntur, exequuntur & adimplentur. Nam ut inquit Meſtert. *de juſt. ll. Rom. lib.* 1. *dub.* 7. *Jus quod natura animalia docuit, nullo modo diſcrepat ab eo, quod docuit homines, niſi duntaxat quod qualitas utentium differt.* Hinc autor noſter, *Profecto non id de jure naturali, quin vero nequidem de ullo in rerum natura jure quærendum eſt, an inclinatione naturali, an ratione humana ejus operatio fiat, ſed an in ſe æquum & bonum ſpectandum eſt. Poteſt enim id, quod natura omnia animalia docuit, ita intelligi, ut operatio per rationem hominum propria ſit, operatio autem per inclinationem ceterorum animalium naturæ adſcribatur, nec tamen eo minus utraque ad eundem naturæ finem, & eundem juſtitiæ naturalis ſcopum tendat.* Quamobrem canit Virgilius *Georg. lib.* 9.

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos, dixêre.

Quoniam enim in brutis ceteriſque creaturis communis alicujus juris animadvertimus ſpecimina, hinc omnes ejuſdem mentis participes eſſe non ſine ratione ſtatuimus; ſcil. quemadmodum ab una eademque origine & cauſa dependunt; ita omnia ad unum eundemque tendunt ſcopum, qui ſcopus nihil aliud eſt quam operatio ſingulorum individuorum ſecundum naturam, quam ſummus hujus univerſi autor, omnibus, quaſcunque produxit, rebus, ſecundum ſuum æternum decretum & beneplacitum indi-

dit. Hoc enim decretum univerſæ naturæ finis, & ſingulorum individuorum agendorum norma eſt, ſecundum quod operantia, dicuntur agere quod juri naturæ eſt conveniens; operantur autem ſecundum illud divinum decretum, quoties naturæ ſuæ conſentaneum agunt; quare ſumma cum ratione dicimus æternum illud decretum Dei eſſe fontem & originem juris naturæ, & ex ipſa natura divina neceſſario profluere, ideoque immutabile. Quod paulo poſt luce clarius probare conabimur. Verum, ut inquit Cicero 1. *off.* quanquam omnes creaturæ ejuſdem juris participes ſint, inter hominem tamen & beluam hoc maximè intereſt, quod hæc quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt ſe accommodat, paululum admodum ſentiens præteritum & futurum; quam naturæ inclinationem ſequens, cæco quodam impetu ad finem, id eſt, ad juris naturæ executionem rapitur. Homo vero qui rationis particeps eſt, per quam conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ curſum videt, atque per illum mentis diſcurſum dictat ſibi quid facere debet: vi enim rationis juſtum ab injuſto ſecernere valens, ſibi præſcribit leges, quarum originem duce recta ratione ad ſummum aliquod ens referre facile queat.' E quibus facile perſpicimus, ſi aliquod naturæ jus dari velimus, atque Carneadis aliorumque, qui ejuſdem de jure naturæ perniciofa dogmata amplexi fuere, ſententiam oppugnare atque evertere, ante omnia neceſſe eſſe, ut aliquod ſummum ens, quod omnium rerum viſibilium & inviſibilium principium & auctor eſt, demonſtremus. Ejuſmodi enim, ut diximus, principii probatâ exiſtentiâ atque eſſentiâ neceſſariâ, neceſſario inde ſequetur jus aliquod eſſe naturæ omnibus commune, atque illud ipſum tam neceſſario ſingulis connatum, quam neceſſe eſt, aliquam eorum eſſe cauſam a qua producta ſunt & dependent. Quoniam, ut ſupra diximus, ex ipſa natura ejus, quod ſummum ens vocamus, profluit, omnibus creaturis inſculptum, ut haberent operationum ſuarum aliquam normam & regulam. Cujuſmodi entis probatio non admodum difficilis mihi videtur; propterea quod innumerabilia recta ratio nobis ſuppeditat teſtimonia, quæ hujus veritatis quemcunque convincere debent. Illud autem certiſſimum, ut quoties totius noſtri corporis fabricam, qua mirabili harmonia ſint inter ſe conſpirantia membra ordinata, & quod omnem captum ſuperat, vim mentis noſtræ ratiocinantis comtemplemur, neque elegantis hujus ſtructuræ ſive noſtræ eſſentiæ & exiſtentiæ noſmetipſos cauſam & principium eſſe ejuſdem mentis diſcurſu conſtituere valeamus, toties extra nos ad aliud quoddam principium recurrendum eſt. Quippe alterutrum verum eſſe debet, vel quod noſmetipſos produximus, vel quod ab alio producti ſumus. Cum enim certi ſimus nos eſſe & exiſtere, iſtiuſmodi exiſtentiæ & eſſentiæ noſtræ oportet aliquam cauſam ſtatuere: eamque vel noſmetipſos vel externam aliquam cauſam a nobis independentem ſtatuamus neceſſe eſt. Quod vero non produximus noſmetipſos, ſatis probat noſtra imbecillitas atque impotentia, quæ nobis impedimento eſt, ut ea acquirere non poſſimus, quæ optamus, & quorum deſiderio tenemur. Si enim mihi ipſi cauſa fuiſſem, ut eſſem exiſteremque, etiam eam mihi potuiſſem dare facultatem exiſtendi eo quo vellem modo, itaque nihil mihi deeſſe poſſet, & ſi quid deficeret id ipſum mihi tribuerem: nam ſi illud ab alio quam a memetipſo exigere debeam, argumentum eſt me non dependere a me ipſo, & conſequenter aliud quoddam eſſe meæ exiſtentiæ principium, quod facultatem habet mihi tribuendi ea, quæ ad felicitatem meam conducunt. Quippe cum homo ſit animal quod tenerrimo erga ſe amore afficitur, ideoque ea omnia appetat vehementer, quæ ad ſui bene eſſe pertinere judicat, certiſſimum eſt, ſi ſemetipſum produxiſſet, ſibi quoque omnium bonorum affluentiam dediſſet, ita ut nihil habuiſſet, quod magis optare poſſet, ſed ab omni parte beatus in ſumma animi tranquillitate vitam tranſigeret. Verum cum rerum uſus nos doceat, nobis non tantum deeſſe quæ ad humanam felicitatem conducunt, ſed quod & iis quoque caremus, quibus neceſſitati noſtræ ſubvenire neceſſe habemus, multaque nobis accidere, quæ plane a natura & intentione noſtra aliena ſunt, ad altius quid aſcendere debemus, atque ad ejuſmodi principium confugere, quod omnia ea poſſidet, & ſimul nobis eadem tribuendi facultatem habet, quibus indigemus; a quo omnia ortum habent, ideoque non cœperit eſſe, verum ſemper & ab æterno extitit, quia ſui cauſa: oportet enim pervenire ad ſummum aliquod ens, quod ſui fuit cauſa, ideoque a nemine eſſe cœpit: quippe quod eſſe cœpit, ſibi non poteſt cauſa eſſe exiſtendi, quia quod non eſt agere non poteſt; nec ipſa res eſſe potuit antequam eſſet, unde ſequitur ad aliquod ſummum principium, quod ſemper extitit recurrendum', a quo omnia alia individua, quia eſſe cœperint, ſunt producta & conſequenter dependentia. Dari autem ejuſmodi primum principium, a quo omnia ortum derivare neceſſe habent, præter ea, quæ pro tenuitate noſtri ingenii adduximus argumenta, probat idipſum perfectiſſima ideoque ſumma admiratione digna hujus univerſi fabrica, ſummo conſilio & ſapientia conſtructa, ita ut quoties hanc mundi machinam comtemplemur, ſtatim convicti nihil eorum, quæ vidimus, temerè & fortuitò naſci, ſed ab arte aliqua effici clara teſtemur voce, & in ſummam rapti admirationem, exclamare neceſſe habeamus, ô miram divinæ ſapientiæ profunditatem! *Si quis admirabilem iſtum ſiderum innumerabilium ordinem adſpexerit, utcunque ſit iſtius ratio neſciat, non poſſit, quin miretur immenſam illam cum ſapientiam, tum potentiam, quæ tot tantoſque orbes eo ordine inſtruxit, ut ab omni ataxiâ ſe omnes tamdiu tueantur. Sin quis naturalia omnia contempletur, quomodo ſingula in ſuos fines naturæ ſuæ maximè*

me conſentaneos ferantur, ſtatim conſilio aliquo vel ſuo vel alieno regi fatebitur, cum in finem collimare aut eundem aſſequi nequeant, niſi cauſa ſit, quæ tum illius utilitatem noverit, tum media ei aſſequendo idonea elegerit, & poſtremo de mediorum, quæ eligit, uſu judicaverit. Nolle vero, eligere, judicare, ſolius ſunt conſilio & ratione utentis. Parkerus *de Deo & Provid. div. diſp. 2. ſect. 3.* Si itaque naturalia ſingula naturæ impetu & innata quadam inclinatione rapiantur ad fines ſuos naturæ ſuæ maxime conſentaneos, id ipſum fit vel ſuo vel alieno conſilio; ſuo autem id fieri nequit, quoniam intellectu & ratione carent, ergo omnia rectoris cujuſdam conſilio ac ratione regi & gubernari debent, atque is eſt, qui ab æterno fuit, a quo ortum ſuum derivant quæcunque exiſtunt & producta ſunt, quem ſummum numen, hujus univerſi auctorem, id eſt, uno vocabulo Deum nuncupamus. Docet itaque id ipſum nos recta, qua ornati ſumus, ratio, quæ hæc cuncta intuens dictat eadem illa Gentilibus, qui omni penitus lumine excepto naturali deſtituti ſunt, eſſe Deos, eſſe ſummum aliquod ens intelligens, quod hæc omnia ita ordinavit & gubernat. Poſſemus hic innumera adducere Gentilium teſtimonia, ſed unum & alterum deſcribere ſatis erit, ut eorum opinio de exiſtentia ſummi alicujus numinis lectori conſtet. Optime in hanc rem Cicero *Tuſc. Quæſt. 1. Ut porro firmiſſimum hoc adſerri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet: omnes tamen eſſe vim & naturam divinam arbitrantur.* Et idem *lib. 1. de Nat. Deor. cap. 16. Quæ eſt enim gens*, inquit, *aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam* πρόληψιν *Epicurus, id eſt, anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec diſputari poſſit.* Et paulo poſt. *Cum enim non inſtituto aliquo, aut more, aut lege opinio ſit conſtituta, maneatque ad unum omnium firma conſenſio: intelligi neceſſe eſt eſſe Deos, quoniam inſitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus.* DE QUO AUTEM OMNIUM NATURA CONSENTIT, ID VERUM ESSE NECESSE EST. *Eſſe igitur Deos confitendum eſt: quod quoniam fere conſtat inter omnes non Philoſophos ſolum, ſed etiam indoctos, fateamur conſtare illud etiam, hanc nos habere ſive anticipationem, ut ante dixi, ſive prænotionem Deorum.* Eandem in ſententiam Seneca *Epiſt. 117. Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt: nec ulla gens uſquam eſt adeo projecta extra leges moreſque, ut non aliquos Deos credat.* Harum vero in hominum animis informatarum de Diis notionum quatuor cauſas adfert Cleanthes apud Ciceronem *de Nat. Deor. lib. 2. cap. 5. 6.* quem locum deſcribere operæ eſſe pretium duximus. *Primam poſuit eam, quæ orta eſt ex præſenſione rerum futurarum: alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cæli temperatione, fœcunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia: tertiam, quæ terret animos fulminibus, tempeſtatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vaſtitate, peſtilentia, terræ motibus, & ſæpe fremitibus, lapideiſque imbribus, & guttis imbrium, &c. quartam cauſam eſſe eamque vel maximam æquabilitatem motus, converſionem cæli, ſolis, lunæ, ſyderumque omnium diſtinctionem, utilitatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum adſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe ea fortuita, ut ſi quis in domum aliquam, aut gymnaſium, aut in forum venerit: cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſa fieri judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immenſa & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.* Et Chryſippus argumentatur. *Si eſt*, inquit, *in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit, eſt certe id, quod illud efficit homine melius. Atqui res cæleſtes, omneſque ea, quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt. Eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? etenim ſi Dii non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum natura homine melius? in eo enim ſolo ratio eſt, qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Eſſe autem hominem, qui nihil in omni mundo melius eſſe quam ſe putet, deſipientis arrogantia eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igitur profecto Deus. An vero, ſi domum magnam pulchramque videris, non poſſis adduci, ut, etiamſi dominum non videas, muribus illam & muſtelis ædificatam putes: tantum vero ornatum mundum, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum cæleſtium, tantam vim & magnitudinem maris atque terrarum, ſi tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, non plane deſipere videaris.* Firma itaque eſt omnium nationum & gentium conſenſio, eſſe ſupremum aliquod numen hujus univerſi autorem & gubernatorem, qui infinita ſua potentia omnia produxit & creavit, eaque etiamnum ſuſtentat & conſervat. Ex eo autem quod omnium rerum cauſa eſt & principium, cum quoad naturam, tum quoad exiſtentiam, ſequitur illum eſſe ens ſimpliciſſimum perfectiſſimumque. Ejuſmodi enim principium, quod Deum vocamus, aliquod compoſitum eſſe ab omni ratione prorſus alienum eſſet, quoniam per ſe clarum ſit & evidens, partes, ex quibus compoſitio conflatur, priores eſſe natura ad minimum re compoſita, conſequenter neceſſario illæ ſubſtantiæ, ex quarum coalitione & unione Deus componitur, ipſo Deo priores eſſent natura, & unaquæque per ſe poterit concipi, quamvis Deo non tribuatur. Deinde cum illa inter ſe realiter diſtinguantur, neceſſario etiam unaquæque per ſe abſque ope aliarum poterit exiſtere; qua ratione tot poſſent dari Dii quot ſunt ſubſtantiæ, e quibus Deum componi ſupponeretur. Quippe cum unaquæ-

que per ſe poſſit exiſtere, etiam deberet eſſe cauſa ſuæ exiſtentiæ; & conſequenter ſibi poteſt dare omnes perfectiones, quæ Deo inſunt. Hoc autem nihil abſurdius ſingi vel excogitari poteſt. Ex eo vero quod diximus Deum eſſe ens ſimpliciſſimum, quia a ſe ipſo exiſtit, & ſibi exiſtendi cauſa eſt, fluit quoque eum eſſe perfectiſſimum, nam ſi aliqua imperfectione laboraret, non poſſet dici prima cauſa, a qua omnes creaturæ dependent, quia ab ea productæ. Prima enim cauſa nulla perfectione poteſt orbari; non aliunde, quia quod æternum eſt, ab aliis rebus non pendet, neque quicquam ab illarum actione patitur: neque vero a ſe, quia natura omnis ſuam perfectionem appètit. Quippe cum omnia a ſe ipſo habeat, nullo defectu poteſt laborare, neque ulla re indigere; eſſet enim contradictorium eſſe primam cauſam, a qua ceteræ creaturæ productæ ſunt, & non poſſidere in ſe omnia. Concludimus itaque illud, quod ſummum numen vocamus, & ſimpliciſſimum & perfectiſſimum eſſe, & conſequenter ab eo omnes perfectiones, quas in ceteris individuis perſpicimus, tanquam ex unico fonte dimanare & ortum ſuum habere. Quia vero perfectiſſima eſt cauſa, oportet quoque ſingula ab iſta cauſa producta individua, ſcil. unumquodque in ſuo genere perfectum eſſe; quod enim ſumme bonum & perfectum eſt, nil niſi ſuæ naturæ conſentaneum producit, ideoque nil niſi bonum. Quoniam igitur ſumme perfectum, ab omni labe & vitio purum atque illibatum, nullo defectu, nulliſque imbecillitatibus vel affectibus, quibus poſt lapſum agitatur mortale genus, laborare oportet: (vitia enim & affectus & ceteræ humanæ naturæ imbecillitates ſunt imperfectiones, a quibus immune neceſſario debet eſſe id, quod ſumme perfectum vocamus) ex hac ſumma perfectione proficiſcitur ſumma ſanctitas, quæ in eo conſiſtit, ut neceſſariò amet veritatem & virtutem; abhorreat autem a vitiis; ita ut nihil velle poſſit niſi quod bonum, quod ſanctum eſt, id eſt, naturæ ſuæ conveniens: nihil vetare, niſi malum, ſcil. quod ſanctitati ſuæ contrarium eſt. Unde ex infinita hac Dei ſanctitate profluit ſumma juſtitia, inde pœnarum & præmiorum diſtributio. Dei ſanctitas indicat legem & normam, ad quam rationales creaturæ vitam inſtituere tenentur. Juſtitia autem corrigit actus hominum eam lædentes. Ex hac itaque Dei ſanctitate derivandum neceſſario jus morale ſive naturale, ſeu divinum neceſſarium, quatenus jus refertur ad Deum, tanquam originem & principium omnium virtutum & legum moralium. Per *juris* verbum hic intelligimus regulam actuum moralium obligantem ad id quod rectum eſt, & conſequenter prohibentem contraria, cujuſmodi regula revera lex eſt, ex ipſa divina natura profluens, quæ verſatur circa actus qui debiti ſunt vel illiciti per ſe, fluentes ex eadem ſanctitate, adeoque moraliter boni vel mali, & conſequenter neceſſario vetiti vel præcepti dicuntur. Sanctitas enim in Deo nihil aliud eſt quam recta ratio, imperans bona, prohibens contraria. Quare lex naturæ optime deſinitur rectæ rationis dictatum, ex convenientia vel diſconvenientia cum natura rationali, id eſt, cum iſtis honeſtis nobis innatis principiis, ex divina illa ſanctitate & imagine, ad quam creati ſumus, fluentibus, nobis indicans quid bonum, quid juſtum, quid malum, quid injuſtum, & conſequenter quid vetitum, quid præceptum eſt. Quæ cum ita ſint, evincimus, eſſe aliquod ſummum ens quod Deum vocamus, a quo omnia cum viſibilia, tum etiam inviſibilia producta ſunt, illudque neceſſario eſſe ſummè perfectum, quia autem ſummè perfectum, etiam infinite ſanctum; quia infinitè ſanctum, ideo neceſſariò quoque bonum & juſtum, id eſt, quod ſanctitati ſuæ conveniens imperans, quod contrarium prohibens. Optime Joh. Andr. Vandermuelen frater meus germanus, *de foro Conſcient. in diſſert. prælimin.* 2. *Lex naturalis eſt quæ exprimit imaginem Dei, & ſanctitatis Dei typus eſt, quamobrem neceſſaria & immutabilis exiſtit. Eſt itaque*, pergit, *hæc lex naturalis, lex Dei moralis, quæ natura ſua nota eſt, ac per conſequens omnes & omni tempore obligans; homines enim jus Dei cognoſcunt.* Unde jus illud quod naturale vocamus, omnium cordibus inſculptum; cujus veſtigia in omnibus cernimus individuis, egregie vero in ipſo homine, qui quo magis ceteris excellit, eo in omnibus ejus actionibus videmus ſplendidiora ſpecimina: utpote qui rationis particeps, ejus vi in intimos penetrat juris receſſus, & per mentis ſuæ diſcurſum ſibi dictat normam, quam in actionibus obſervare tenetur. Quare dicit Paulus *c.* 2. *v.* 14. 15. *epiſt. ad Rom. Quod gentes quæ legem non habent, natura quæ legis ſunt faciunt, ea legem non habentes, ſibi ipſis lex ſunt; ut qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſe mutuo accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Hinc tot Gentilium teſtimonia, e quibus perſpicimus, ipſos crediſiſſe eſſe in rebus atque actionibus humanis honeſta vel turpia, quæque ipſa natura, ſive qui naturam condidit, Dei lex vetat, vel jubet, adeoque legem aliquam naturalem. Unde Cicero 2. *de ll.* de hac lege ſermonem habens, ejuſque originem referens. *Hanc* dicit *ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem illam & ultimam mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte eſt laudata; eſt enim ratio menſque ſapientis ad jubendum, & ad deterrendum idonea.* Et paulo poſt ejus vim & vetuſtatem demonſtrare volens, ait. *Quæ vis non modo ſenior eſt, quam ætas populorum, & civitatum, ſed æqualis illius cœlum & terras tuentis & regentis Dei; nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non contra legem illam ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex*

eſſe,

eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tum, cum orta eſt; orta autem ſimul eſt cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Jovis. Quis ſacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem Dei poſſet, quam homo longe a veritatis notitia remotus expreſſit, ut alibi inquit Lactantius, recenſens ſimilia Ciceronis de exiſtentia juris naturæ ſermonem habentis verba.

6. Verum quod hic dicit Philoſophus, & ſequitur Poëta; 1 *Naturale.*

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum:

admitti omnino non debet; nam homo animans quidem eſt, ſed eximium animans, multoque longius diſtans a cæteris omnibus, quam cæterorum genera inter ſe diſtant: cui rei teſtimonium perhibent multæ actiones humani generis propriæ. Inter hæc autem quæ homini ſunt propria eſt appetitus ſocietatis, id eſt, communitatis, non qualiſcunque, ſed tranquillæ, & pro ſui intellectus modo ordinatæ, cum his qui ſui ſunt generis: quam οἰκείωσιν Stoici appellabant. Quod ergo dicitur natura quodque animal ad ſuas tantum utilitates ferri, ita univerſe ſumtum concedi non debet.

COMMENTARIUS.

DEſcendit autor ad refutanda Carneadis argumenta, quibus probare conatus eſt, *naturam non poſſe juſto ſecernere iniquum*, & conſequenter nullum jus naturæ dari: & ſi quid eſt, quod hoc nomine venire poſſet, id ipſum ex ſola utilitate, quæ juſti prope mater & æqui eſt, dimanaſſe & originem duxiſſe: ideoque pro ratione utilitatis ſæpe quoque variaſſe & mutatum eſſe; quibus mutationibus obnoxium eſſe non oportet jus illud, quod naturale vocamus: quoniam ejus originem derivamus & quidem neceſſario ab ejuſmodi principio, quod quia a ſe ipſo exiſtit, & ſibi cauſa exiſtendi fuit, ſumme perfectum eſt, & conſequenter immutabile eſſe debet, quia omnis mutabilitas eſt imperfectio. Solet enim mutatio dividi, vel in melius, vel pejus, vel idem. Mutatio in idem proprie mutatio non eſt, cum res non mutetur. Mutatio in pejus, eſt magna corruptio; in melius, indicium eſt quod perfecta res non fuerit: nulla ergo in Deo locum habere poteſt. Erudite admodum Franc. Burman. *in Synopſ. lib. 1. cap.* 28. *Unde omnis prorſus mutatio & mutabilitas a Deo removenda eſt; quippe quæ ſemper aliquam imperfectionem infert, vel præteritam, ſi mutatione illa perfectior ſtatus acquiratur, vel futuram, ſi deterior; neque ulla res beatiſſimæ ac perfectiſſimæ eſſentiæ magis adverſa eſt, quam illam mutationibus obnoxiam eſſe, eaſque vel aliunde pati, vel a ſe ipſa, ac ſi ea in ſeſe non omni modo beata & contenta foret.* Sequitur itaque jus naturale ſive divinum morale eſſe immutabile, quoniam immediate fluit ex ipſa natura & imagine divina, ut ſuper demonſtravimus: quare nec mutari nec augeri vel perfectius reddi poteſt: non magis quam imago, aut ſanctitas Dei, aut ipſa denique ejus natura augmentum pati poteſt, ut inquit ſtatim allegatus Theologus *lib.* 4. *cap.* 3. E quibus concludimus vel nullum eſſe jus naturæ, ſi non aliunde quam ex utilitate natum, ideoque mutabile; vel ſi aliquod eſt jus naturale, ſtatuamus neceſſe eſt, ab alio illud derivandum principio, & quidem ejuſmodi, quod æternum, quia a ſe ipſo, & conſequenter immutabili, ſummè perfecto, quod ſanctum, quod juſtum eſt, a quo omne illud, quod juſtitiæ vel æquitatis nomine inſigniri poteſt, neceſſario deducimus. Quia quemadmodum neceſſario & non contingenter eſt & exiſtit; ita quoque neceſſe eſt eſſe cauſam ejus juris quod omnibus innatum eſt creaturis. Itaque quamvis Carneadi concederemus non poſſe naturam juſto ſecernere iniquum, tamen non ſequeretur nullum jus naturæ dari. Juſtum enim omne quod a divina procedit mente & voluntate, quia juſtus in omnibus ſuis operibus Deus, juſte itaque operantur quæcunque individua, quando, licet cæco quodam naturæ impetu, voluntati & creatoris ſui decreto convenienter ad metam & finem ipſis conſtitutum tendunt: niſi cum Carneade negemus ejuſmodi aliquod dari principium intelligens extrinſecum, quod eorum actiones & operationes ita moderatur, ut ſint convenientes iſti fini, quem in creando mundo ſibi propoſuit Deus, ut ſupra dicere incepimus. Non admitti itaque omnino debet impia illa Carneadis de jure naturæ ſententia. Ad juris naturalis exiſtentiam inveſtigandam non ſufficit ſive cœleſtium ſive ſublunarium corporum naturam perſcrutari, quo ordine, qua ratione & quomodo omnia moventur, vel ſeſe movent, & unumquodque eorum naturæ ſuæ congruenter operatur, & ad finem & ſcopum tendit. Hæc enim omnia, quia fiunt ſine intellectu, & ratione operantis, eatenus ipſis applicari poteſt illud, quod *natura juſto non poteſt ſecernere iniquum*; verum ad altius quoddam principium extrinſecum aſcendere debemus, quod & hominum actiones & inclinationes

atque propenſiones brutorum, arborum, fruticum, aliorumque corporum naturalium motus dirigit, ut omnes tendant ad finem quem in creando & gubernando mundo ſibi propoſuit. Quales fini congruentes operationes dicuntur juſtæ, quia Dei voluntati & decreto, unde jus naturæ dimanat, conſentaneæ ſunt. Hinc inquit David. *Deum praeceptum poſuiſſe Soli, Lunæ, Stellis, quod non transgrediuntur. Pſ.* 148. *verſ.* 6. & *v.* 8. *Ignis, & grando, nix, & vapor, turbines faciunt verbum ejus.* Id eſt, legi naturæ obtemperant, quoties ad finem ipſis determinatum tendentes, voluntati divinæ convenienter operantur: ſufficit enim ad hæc præcepta naturalia exequenda naturalis inclinatio & impetus, quem omnibus creaturis implantavit hujus univerſi conditor Deus: quamquam jus illud ratione non careat, cum ab æterna lege ſive æterno decreto proveniat, quæ eſt ſumma ratio in Deo exiſtens. Verum ſi quis clariora & ſplendidiora hujus juris a Deo tanquam unico fonte profluentis, cujus omnia individua, quanti eorum natura capax eſt, participant, deſiderat documenta, non aliunde melius, quam a ſe ipſo petere poteſt; utpote cui recta ratio, divinæ illa particula auræ, qua præ ceteris animantibus ipſum ornavit Deus, facile dictabit, juſti & honeſti ſibi innata principia, ad quæ tanquam ad Lydium lapidem omnes examinare queat actiones, num juſtæ ſint & voluntati divinæ conſentaneæ, non ab humana natura derivanda, verum ab ejuſmodi cauſa ſibi communicata & inſculpta, qualem paulo ante deſcripſimus. Atque hæc ratiocinandi, & inter bonum & malum, juſtum & injuſtum diſtinguendi animi facultas, cum ſibi conſcius ſit eam non habere a ſe ipſo, ſimul ipſum convincet, non minori facultate præditum illud eſſe oportere, quod ipſi hujuſmodi facultatem tribuit. Noſtræ itaque naturæ ſive rationis vis, qua duce ſentimus quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictiſque, qui modus nos ad illam quaſi manu ducit naturam, ut cum Carneade loquar, quæ eſt ipſa ratio, ipſa juſtitia, fons & origo omnium virtutum, cujus noſtra tantum parva ſcintilla eſt, imo vix aliqua cum ea poteſt comparatio inſtitui. Sano enim ſenſu ipſa natura Deus eſt, *eum naturam dico, Deum dico, ipſe enim eſt natura opifex*, inquit Chryſoſtomus. Homini, ſive naturam, ſive quem Deum, nihil mente præſtabilius dediſſe, inquit Cato major *de Seneƈt.* Sive itaque naturam, pro univerſi hujus moderatore, ſive pro cujuſque rei, ut Philoſophi loqui amant, eſſentia & conditione ſumas, abſurdiſſimum, impium juxta & falſiſſimum eſt Carneadis effatum. Quoniam, ut ſatis clare jam demonſtraſſe pro tenuitate noſtri ingenii putamus, omnes animi noſtri facultates, omnes omnium individuorum operationes, quia illas a ſe non habent, ad aliud principium referendas eſſe, & conſequenter eas omnes ei ineſſe longe, imo infinite majores. Operæ pretium, ut hic audiamus diſputantem Ciceronem 2. *de Nat. Deor. cap.* 11. & per gradus argumentandi ad ſummum aliquod principium, quod intelligens, ſapiens, & rationis particeps eſt, pervenientem. *Natura eſt igitur*, inquit, *quæ contineat mundum omnem, eumque tueatur, & ea quidem non ſine ſenſu atque ratione. Omnem enim naturam neceſſe eſt, quæ non ſolitaria ſit neque ſimplex, ſed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in ſe principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam ſimile mentis, unde oriantur rerum appetitus, in arborum autem & earum rerum, quæ gignuntur e terra, radicibus ineſſe principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν vocant: quo nihil in quoque genere nec poteſt, nec debet eſſe præſtantius. Itaque neceſſe eſt, illud etiam, in quo ſit totius naturæ principatus, eſſe omnium optimum, omniumque rerum poteſtate dominatuque digniſſimum. Videmus autem in partibus mundi (nihil eſt enim in omni mundo, quod non pars univerſi ſit) ineſſe ſenſum & rationem. In ea parte igitur, in qua mundi ineſt principatus, hæc ineſſe neceſſe eſt & acriora quidem, atque majora. Quocirca ſapientem eſſe mundum neceſſe eſt: naturamque eam, quæ res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere, eoque Deum eſſe mundum, omnemque vim mundi divina natura contineri.* Et paulo poſt. *Quid enim eſt inſcitius, quam eam naturam, quæ omnes res ſit complexa, non optimam dici: aut, cum ſit optima, non primum animantem eſſe, deinde rationis & conſilii compotem, poſtremo ſapientem? qui enim poteſt aliter eſſe optima? neque enim, ſi ſtirpium ſimilis ſit aut etiam beſtiarum, optima putanda ſit potius, quam deterrima: nec vero, ſi rationis particeps ſit, nec tamen principio ſapiens, non ſit deterior mundi potius, quam humana conditio; homo enim ſapiens fieri poteſt, mundus autem ſi in æterno præteriti temporis ſpatio fuit inſipiens, nunquam profecto ſapientiam conſequitur. Ita erit homine deterior.* Et cap. 6. eod. *Et tamen eam ipſam hominum ſolertiam eſſe aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & divinam, exiſtimare debemus. Unde enim hanc homo arripuit, ut ait apud Xenophontem Socrates. Eſſe igitur Deos ita perſpicuum, ut is qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem*, inquit idem *cap.* 16. Ad refutandum itaque Carneadis errorem ſufficit allegare ipſum hominem, eximium illud animans, quod multo longius a cæteris omnibus diſtat, quam cæterorum genera interſe diſtant, cujus natura ratione prædita ceteræque animæ facultates abunde docent, poſſe naturam juſto ſecernere iniquum. Non obſcure ejus præ cæteris animantibus præſtantiam teſtantur tam multæ actiones humani generis propriæ, quæ documenta ſunt qua ſumus origine nati. Inter eas autem, quæ hominis propriæ ſunt, quibuſque a ceteris animantibus potiſſimum diſtinguitur, eſt inclinatio illa & naturalis propenſio, qua fertur ad ſocietatem non qualemcunque, ſed ejuſmodi, quæ conſervationi ſuæ inſervit, cum his qui ſui ſunt generis colendam. Deſcendit enim iſte appetitus ab eadem natura, qua homo eſt, ſcil. quæ particeps rationis facile totius vitæ curſum videt, & conſequenter ipſum docet, quæ res ad vitam degendam ipſi neceſſariæ

ſunt

ſunt & prodeſſe queant. Quoniam vero ſolus ſibi ipſi non ſufficit ad præparanda ea, quibus indiget, & ſuæ conſervationi & felicitati promovendæ inſerviunt, verum ſui ſimilis auxilio opus habeat, ſi ſalvus eſſe velit, & frui commodis ac bonis ſine quibus vitam neque beatè neque tranquillè poteſt tranſigere, neceſſarium eſt, ut ſit ſociabilis, & naturæ quadam impetu rapiatur ad cætus cum ſui ſimilibus celebrandos. Hinc Cicero 1. *off. cap.* 4. *Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ ſocietatem: ingeneratque imprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt; impellitque ut hominum cœtus, & celebrationes eſſe, & a ſe obiri velit.* Per ſocietatem non intelligimus præcisè illam, quam civilem vocamus, vel alias quaſdam particulares ſocietates, quas homines inter ſe quandoque celebrant: Verum generalem illam, quam ipſa natura inſtituit, ad quam nati ſumus; itaque ejuſmodi ad quam cum omnibus hominibus colendam, nulla habita ratione hujus vel illius perſonæ, naturali quodam impetu ferimur. Quoniam itaque, ut ſuperius diximus, homo ſimulac natus eſt ſibi conciliatur propter innatam naturalem ergo ſe inclinationem, ideoque omnia appetat vehementer quæ conſervationi ſuæ inſerviunt, & ad vitam tranquillè degendam neceſſaria ſunt, neceſſe quoque eadem natura ipſi ingeneravit propenſionem ad ſocietatem; unde merito dicitur prima & fundamentalis lex naturæ *ſui conſervatio.* Verum cum ea haberi nequeat ſine quibuſdam mediis, quorum potiſſimum eſt ſocietatis cum ſui ſimilibus cultus; hinc eadem natura, quæ homini indidit acres ſtimulos, quibus ad ſui conſervationem impellitur, eum quoque finxit animal ſociabile, & conſequenter ex jam dicta lege derivatur & altera lex naturæ, ſcil. *ſocietatem colendam eſſe* cum his qui ejuſdem ſunt generis. Atqui nulla poteſt coli ſocietas, niſi præſtentur mutua quædam officia, & jura exerceantur, eadem natura hominibus injungit neceſſitatem, qua tenentur ſibi mutuo præſtare ea, quæ ad colendam & conſervandam humanam ſocietatem neceſſaria ſunt. Ita enim Cicero 1. *off. cap.* 7. *Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici: atque, (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa generatos eſſe, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſent, in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* Homines nati ſunt alter alterius cauſa, ut inquit Marcus Antoninus. Et ut Seneca ait, *de ira lib.* 1. *cap.* 5. *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt. Quamobrem congregari vult, atque prodeſſe.* Et idem *lib.* 4. *cap.* 18. *de benefic. Nam quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis; hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos; quid ſumus; præda animalium & victima, ac viliſſimus & faciliimus ſanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcunque vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt. Hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium, terribilem ceteris fecit, nudum & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum, obnoxium ceteris, validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Itaque qui par nulli eſſe poſſet, ſi diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: ſocietas terris genitum, in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit: hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur ſcindes.* Et epiſt. 48. *Conſortium rerum omnium inter nos eſt, nec ſecundi quicquam ſingulis nec adverſi in commune vivitur. Non poteſt quiſquam beatè degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit: alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere. Hæc ſocietas diligenter & ſanctè obſervanda eſt, quæ vos omnes omnibus miſcet, & judicat aliquid eſſe commune jus generis humani.* Hoc eſt quod de Catone Lucan. *lib.* 2.

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

Quoniam itaque natura nos ita genuit, ut ſine aliorum ope & auxilio noſtræ conſervationi proſpicere nequeamus, ſimul nos & rationales & ſociabiles produxit; ſociabiles, quia ſocietas eſt medium ſine quo finis, qui eſt ſui conſervatio, conſequi non poteſt; rationales, quia ejuſmodi ſocietas coli non poteſt ſine permutatione officiorum, & quarundam legum executione, quas ejuſdem rationis vi, quâ prædit ſumus, nobiſmet ipſis dictamus. Itaque merito Auctor noſter, ut probaret naturam non poſſe ſecundum illud Horatii juſto ſecernere iniquum, ideoque homines tantum utilitate jura ſanxiſſe varia pro moribus, eaque mutabilia, non univerſaliter eſſe verum, ſed aliunde ea petenda, hominis ſociabilem appetitum adducit; cujuſmodi appetitus vix cadere poteſt niſi in ſubjectum juris capax, & conſequenter quod rationis particeps eſt, cujus vi juſtum ab injuſto, honeſtum ab inhoneſto ſecernit, omniaque ea officia, quæ vel præſtare alii debet, vel ſibi præſtanda exigere poteſt ad conſervandam & tuendam ſocietatem humanam ſibi proponit. Rationis enim dictamina, quæ leges naturæ vocamus, ſunt quaſi vinculum ſocietatis, quibus ſublatis, & ipſa ſocietas quoque tollitur. Ex quo ſequitur, obligationem, qua tenemur ſocietatem cum noſtri ſimilibus colere, ut ſalvi eſſe poſſimus, & conſervationem procurare valeamus, nobis quoque neceſſitatem imponere, qua tenemur omnia, quæ ad utilitatem hujus ſocietatis pertinent, facere, quæ eidem nocitura videntur, omittere; unde ſequitur ut ſibi quis proſit, prodeſſe debet quoque aliis: prodeſt autem & ſibi & aliis, quando, quantum in ſe eſt, colere & conſervare ſtudeat tranquillam cum ſui ſimilibus ſocietatem, qui ſcopus & finis eſt, quem Deus ſibi propoſuit in crean-

creando humano genere; & ſic iterum illa naturæ dictamina ad primum juris fontem revocamus. *Non opinione*, itaque, *ſed natura conſtitutum eſſe jus patebit, ſi hominum inter ipſos ſocietatem conjunctionemque perſpexeris*, inquit Cic. *de ll. lib.* 1. Et idem *in fin. lib.* 3. *de fin.* ubi inquit. *Præclarè enim Chryſippus, cetera nata eſſe hominum cauſa & deorum, eos autem communitatis & ſocietatis ſuæ, ut beſtiis uti ad utilitatem ſuam poſſunt ſine injuria. Quoniamque ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi civile jus intercederet: qui id conſervaret, eum juſtum, qui migraret, injuſtum eſſe.* Quemadmodum enim totum conſtans ex partibus conſervatur conſervando ſingulas partes, ita genus humanum ex tot partibus conſtans quot ſunt homines, ſingulos homines conſervando, totum conſervatur: Unde concludimus quoniam Deus voluit, ut humanum genus ex tot partibus conſtaret, ſimul eum quoque voluiſſe, ut quæque pars ſeſe conſervando totum conſervaret, & conſequenter hominem obligavit omnibus uti mediis, quæ huic conſervationi conſentanea fore duce recta ratione arbitraretur: quippe qui vult conſequens, etiam velle præſumitur antecedens, ſine quo conſequens obtineri nequit; cui voluntati ineſt & juſſus & prohibitio: juſſus hominem obligat ad faciendum quod cum illo fine, quem, ut ſtatim dicere incepimus, Deus in creando hoc univerſo, & conſequenter in producendis ſingulis creaturis, ſibi propoſuit, convenit, & ad omittendum, quod huic contrarium eſt, & ſic iterum ad juris fontem pervenimus, hujus univerſi auctorem Deum. Itaque ſibi conſulere tenetur homo, ut ſervet totum, & totum conſervare, ut ſibi conſulat; utrumque lex naturale ab eo exigit, adeoque optimè autor, ita universè ſumtum non concedì debere, *quodque animal ad ſuas tantum utilitates ferri.* Ejuſmodi utilitatis ſtudium, quia ſocietatem humanam evertit, naturæ jure prohitum ipſa dictat ratio, imo dictat idipſum adeo contra naturam eſſe, ut & bruta animalia non ſine aliqua moderatione utilitati ſuæ inſerviant: quod autor noſter in ſequentibus oſtendit.

7. Nam & cæterarum animantium quædam utilitatum ſuarum ſtudium, partim fœtuum ſuorum, partim aliorum ſibi congenerum reſpectu, aliquatenus temperant: quod in illis quidem procedere credimus ex principio aliquo intelligente extrinſeco, quia circa actus alios, iſtis neutiquam difficiliores, par intelligentia in illis non apparet. Idemque de infantibus dicendum, in quibus ante omnem diſciplinam oſtendit ſe ad bene aliis faciendum propenſio quædam, prudenter à Plutarcho obſervata: ſicut & in ea ætate miſericordia ſponte prorumpit. Homini vero perfectæ ætatis, cum circa ſimilia ſimiliter agere norit cum ſocietatis appetitu excellente, cujus peculiare ſolus inter animantes inſtrumentum habet ſermonem, ineſſe etiam facultatem ſciendi agendique, ſecundum generalia præcepta, par eſt intelligi, cui quæ convenient ea jam ſunt non omnium quidem animantium, ſed humanæ naturæ congruentia.

COMMENTARIUS.

AD confirmanda quædam juri naturæ conſentanea vel contraria eſſe, merito ab exemplis brutorum eorumque actibus argumenta deducimus. Quippe cum ejuſmodi actus procedant ab aliquo principio intelligente, quod eorum naturæ indidit inclinationes & appetitus, quibus incitantur operari congruens naturæ ſuæ, ideoque fini conveniens, quem ſibi autor hujus univerſi propoſuit, non ſine ratione concludimus hoc vel illud natura juſtum, vel injuſtum eſſe, quia ipſa bruta naturæ impetu ad illud impellantur, ab hoc abhorrent; præcipue iis in rebus, quarum communia cum illis nobis natura implantavit principia, cujus generis ſunt, ſe tueri contra vim illatam, conjunctionis appetitus procreandi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt, aliaque id genus. Qui naturæ inſtinctus efficiunt, ut ceteræ animantes quædam utilitatum ſuorum ſtudium aliquatenus temperant. Quoniam enim ſæpiſſime videmus eorum, quæ a ſe procreata ſunt, curam agere & defenſionem ſuſcipere cum proprio incommodo, & vitæ periculo, neceſſe ſæpe eſt, ut propriam utilitatem quodammodo deſerant, dum alienis commodis conſulant. Imo ipſe ad ſocietatem colendam, quem in quibuſdam animantibus perſpicimus, naturæ appetitus, aliquatenus propriæ utilitatis ſtudio eas renunciare facit, quoniam impoſſibile eſt, ut aliqua poſſet ſubſiſtere ſocietas, quando alieni commodi nulla habetur ratio, id eſt, nihil in commune defertur. Mirari ſane debemus miram quorundam animalium induſtriam, amorem, ordinem, & ſocietatem, quam inter ſe erigere & in ſuo genere colere videmus; unde illa combinatio & conglutinatio ſub duce aliquo ſeu rege. Sic apes regem

comi-

comitari, omnia in commune deferre, & quaſi Reipub. ſpeciem tueri videmus. Quemadmodum & formicæ mutua ope æſtate ea congerunt, quibus hyeme vitam ſuſtentare poſſunt. Imo & ipſæ feræ inter ſe cœtus & ſocietates celebrare atque tranquille vivere animadvertimus. Unde Seneca 1. *de clementia*, *cap.* 26. *Illa rationis inexpertia & a nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent ſuis, & tuta eſt etiam inter feras ſimilitudo.* Et *controverſ.* 9. *Si quæſierit aliquis, quæ cauſa hominem in facinus coegit: nam neque feris inter ſe bella ſunt, nec ſi forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus.* Unde Juvenal. *Satyr.* 15.

—— *Sævis inter ſe convenit urſis.*

Et Plin. *proœmio lib.* 7. *Cætera animalia in ſuo genere probe degunt; congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petunt ſerpentes: ne maris quidem bellua ac piſces niſi in diverſa genera ſæviunt.* Eandem naturalem ad ſocietatem cum ſui generis ſimilibus colendam inclinationem cernimus in infantibus, qui antequam rationis uſum habeant, vel bonum injuſto ſecernere valeant, non obſcurè declarant ſuam ad aliis benefaciendum propenſionem; non obſcurum teſtimonium naturam inter nos cognationem quandam conſtituiſſe, atque nobis oſtendere voluiſſe, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam cauſam quod ſit homo, conſultum velit: & neceſſum ſecundum eandem naturam, omnium utilitatem communem eſſe. Quare homo naturæ obediens, inquit Cicero 2. *off.* homini nocere non poteſt. Itaque ab ipſo momento, quo anima noſtra corpori infuſa incipit operari, ſuam erga alios ſui ſimiles amorem & benevolentiam declarare conatur: ſcil. ut oſtendat in ſe aliquid divinæ imaginis, ad quam creata eſt, reſidere. Quippe quum Veteres nec quicquam aliud Deum eſſe putaverunt, quam prodeſſe mortalibus; hinc quo hominis propenſior natura erga ſocium ſive proximum, eo propius ad naturam divinam accedit, quippe mortales tum Deum maxime imitari dicuntur, cum beneficia conferunt. Stobæ. *lib.* 10. Hinc apud Plin. *Nat. Hiſt. lib.* 2. *cap.* 2. *Deus eſt mortali juvare mortalem, & hac ad æternam gloriam via. Unde vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcriberent.* Non ignoro hominis naturam poſt lapſum adeo corruptam, ut ſit proclivior ad malum, quam ad bonum, quodque voluntas noſtra ſit adeo depravata, ut videamur potius contra naturam facere, ſi quid boni a nobis in proximum proficiſcitur, quam ei convenienter agere. Verum hæc naturæ noſtræ depravatio non adeo omnem delevit in nobis Dei imaginem, quin reliquæ nobis adhuc ſint iſtæ inclinationes naturales, quæ humanæ naturæ ita firmiter inhærent, ut ab ea divelli nulla ratione queant: cujuſmodi ſunt omnes quæ vel ad conſervationem ſui, vel ſocietatis humanæ pertinent: utpote quæ neceſſario ineſſe debent naturæ humanæ, ad conſequendum finem, quem Deus ſibi in creando homine, tanquam hujus univerſi parte, & conſequenter neceſſariam relationem habente ad totum, propoſuit. Verum in eo conſiſtit potiſſimum naturæ noſtræ corruptio, quod cum vitæ integri ſceleriſque puri, ea quæ cum Deo creatori, tum proximo præſtaremus, poſt lapſum non eo quo decet modo, neque omni tempore, neque ſponte & libenter exequamur; imo ſæpiſſime in totum negligamus, idque ex nimio utilitatis ſtudio & amore erga noſmetipſos, quem propter contractam poſt lapſum imbecillitatem voluntatis noſtræ ita temperare nequimus, ut ſit ordinata & temperata ſecundum Dei voluntatem, & conſequenter, quia a propoſito fine & ordine deviat, mala merito dicitur & corrupta. Omne enim illud quod ab illo fine, quem in creando mundo, & ſingularibus producendis individuis, ex quibus univerſum conſtat, remotum eſt, malum & injuſtum eſt, & venit nomine peccati ac vitii, quia voluntati & decreto divino contrarium. Ex quibus concludimus inclinationes naturales cum erga Deum, tum erga proximum, lapſu hominis non penitus eſſe ex anima eradicatas, verum voluntas ad eas exequendas idonea & prompta nobis deeſt, ita ut ad naturæ officia, quæ ex naturæ integritate ſponte præſtabant mortales, depravata jam natura, metu pœnarum revocari neceſſe fuerit: de quo latius infra, ſi Deus velit, diſputabimus. Non abs ratione itaque quæ de infantibus tradit autor noſter, quod in iis ſe prodat inclinatio naturæ ad benefaciendum aliis, imo etiam cum proprio aliquando incommodo in adultis: ea enim voluntas homini ita cohæret, ut magis contra naturam eſſe Seneca teſtetur, hominem hominis incommodo ſuam rem augere, quam mortem, quam paupertatem, quam dolorem, quamque cætera, quæ poſſunt aut corpori accedere, aut rebus externis. Homo vero poſtquam ad provectiorem eoque perfectiorem pervenit ætatem, & conſequenter rationis ſuæ habet uſum, cui ineſt facultas ſciendi agendique convenienter huic ſocietatis, appetitui, quem in finem peculiare habet inſtrumentum ſermonem, humanæ ſocietatis fortiſſimum vinculum, vi rationis ſuæ facile intelligit, quam vitæ debet inſtituere rationem, atque cujuſmodi officia præſtanda, ac præcepta ſervanda, tanquam ſocietatis humanæ, cujus tanto tenetur deſiderio, ſibi membro incumbunt. Quæ ratiocinandi & ſecundum eam agendi facultas, ſibi præ ceteris animantibus propria, eum docet omnia, quæ huic facultati ſive potius rectæ rationis dictamini conveniunt, non omnium quidem animantium, ſed humanæ tantum naturæ congruentia. Unde videmus non quamcunque hominem ſocietatem appetere, ſed eam, quæ tranquilla eſt & pro ſui intellectus modo ordinata, ſcil. quæ naturæ & rationi, qua præ ceteris excellit, ſuæ convenit, & reſpondet rationis dictamini. Cujuſmodi appetitus vix cadere poteſt in aliud animal præter hominem, quia ceteræ animantes, uſu rationis ac ſermone carentes, ſimul deſtituti ſunt illis mediis, quibus ejuſmodi ſocietas, qualis inter homines intercedit, & quæ vera ſocietas dici poteſt, conſervari debet. Ita

enim Cic. 1. *off. cap.* 16. *Primum eſt quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate. Ejus autem vinculum eſt ratio & oratio: quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate.* Quare merito autor noſter iſtum ſocietatis appetitum, qui in hominem cadit, excellentem vocat, quia non quamcunque, ſed rationi convenientem, id eſt, bene ordinatam, & ab omnibus rebus inſtructam ſocietatem expetat: cujuſmodi haberi nequit niſi homines ſibi invicem præſtent ea officia, quæ alter alteri tanquam ejuſdem ſocietatis & communitatis membro ac ſocio debet, quo fit ut mutuæ indigentiæ defectus ſuppleatur. Quem in finem homini Deus rationem largitus eſt, ut poſſet ſcire quid jus naturæ ab eo exigit ratione ſocietatis humanæ, atque ſimul facultatem dedit, ut oratione ſe queat explicare circa ea quæ vel ab alio ſibi præſtanda petit, vel alteri præſtare ſecundum rectæ rationis dictamen tenetur. Itaque cum humana ſocietas requirit rationem & orationem, conſequenter multum differt ab ea, ad quam brutæ animantes inſtinctu feruntur, unde merito hominis appetitus vocatur excellens, utpote qui cum duobus hiſce facultatibus ratione & oratione conjunctus, humanæ naturæ tantum conveniens eſt.

Hominis proprium ſociale: proprie & ſtricte dictum.

8. Hæc vero, quam rudi modo jam expreſſimus, ſocietatis cuſtodia, humano intellectui conveniens, fons eſt ejus juris quod proprie tali nomine appellatur: quo pertinent alieni abſtinentia, & ſi quid alieni habeamus aut lucri inde fecerimus reſtitutio, promiſſorum implendorum obligatio, damni culpa dati reparatio, & pœnæ inter homines meritum.

COMMENTARIUS.

VIdentur mihi quidam autoris interpretes horum verborum ſenſum non ſatis bene intellexiſſe, cum dicunt ab eo minus dextre dici, ſocietatis cuſtodiam eſſe fontem juris naturalis. Primum, quia illa cuſtodia ſocietatis indifferens, ad bonam & malam ſocietatem pertinet: quod autem fons juris eſſe debet, id ipſum indifferens eſſe nequit, ſed bonum & rectum. Secundo, quia dictamina rectæ rationis univerſalia ſunt, ideoque concernunt quævis objecta; & conſequenter ſeſe ultra alicujus ſocietatis limites extendunt, quippe quæ ſeſe pandunt in officiis, quæ etiam illis debemus, qui extra eam ſocietatem ſunt; tum quia fons juris naturæ nequeat eſſe ſocietatis cuſtodia, quoniam jus naturale etiam verſetur circa Dei cultum, & conſequenter non ſolum circa amorem proximi, qui in ſocietatis cuſtodiam aliquo modo reduci poteſt. Autor enim noſter ſermonem habet de illo innato naturæ impetu, quo impellimur ad ſocietatem cum noſtri generis ſimilibus colendam, ideoque cum omnibus hominibus in genere, quia ſunt noſtri ſimiles, id eſt, ejuſdem conditionis & originis, ejuſdem rationis, ejuſdem naturæ participes, & idcirco habiles ad ejuſmodi ſocietatem conſtituendam & conſervandam, ad quam natura, quæ communis eſt omnium parens, nos congenuit, ſcil. quæ humanæ naturæ eſt conveniens, ad quam conſervandam jure & ordine, ideoque recta ratione, qua præ ceteris animantibus præditus eſt homo, opus eſt. Et conſequenter quia ejuſmodi ſocietas generalis eſt, univerſum complectens genus humanum, ejus cuſtodiam fontem juris naturæ dici, quia continet omnia præcepta & omnia officia, quæ hominem homini præſtare natura ſive Deus naturæ opifex voluit; quippe cum illa ſocietas ſe ad omnes extendat homines, univerſalia quoque debent eſſe ea præcepta, quæ ratione hujus ſocietatis ſive cuſtodiæ ejus recta nobis dictat ratio, ideoque ſe ultra ſingulas & particulares porrigit ſocietates, ſive civiles, ſive duorum, vel plurium de re aliqua communitatem contrahentium. *In omni honeſto, quod per ſe expetendum dicimus, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius patet, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa charitas humana.* Hinc Robert. Scharrock. *de offic. cap.* 2. *n.* 10. *Notatu hoc non indignum eſt, male Gaſſendum, aliosque nonnullos hujuſmodi Ciceronis aliorumque Veterum de naturali & omnium hominum communi ſocietate, dicta & prædicata, de ſocietate tantum civili perperam intellexiſſe, quaſi nec jus naturæ, nec ſocietas naturalis omnino eſſet, aliuſve quam ferinus ille ſtatus, de quo humanam naturam tantopere calumniatus eſt olim Epicurus, hac tempeſtate Hobbius.* Verum vellem equidem autorem noſtrum dixiſſe hanc ſocietatem humanam ejuſque cuſtodiam potius eſſe objectum circa quod jus naturæ verſatur, quam ejus juris fontem eſſe. Altius enim ejus originem repetendam ſupra demonſtravimus, ſcil. ab eodem principio, a quo omnes creaturæ & exiſtentiam & eſſentiam ſuam derivare neceſſe habent: & conſequenter omnes inclinationes & appetitus iis innati, omneſque qualitates, virtutes atque facultates ſive corporis ſive animi, quarum ſingulæ ſunt capaces, ad eandem referri debent cauſam, idemque principium; unde argumentamur, quod, quemadmodum ſummus hujus univerſi conditor hominibus indidit appetitum ſocietatis humanæ, ita quoque eoſdem fecit habiles ad ejuſmodi ſocietatem colendam. Cum autem ea nequit cuſtodiri, niſi jus & ordo obſervetur, atque permutando officia, quæ homines hominibus ob illam a

natura

natura inter eos conſtitutam cognationem & ſocietatem ſibi invicem præſtare tenentur; hinc hominem finxit rationis participem, cujus vi juſto poſſet ſecernere iniquum, & intelligere quænam ſibi tanquam ſocietatis humanæ membro agenda incumberent. Itaque antecedenter ad ſocietatem illiuſque cuſtodiam habet juſti & decori innata principia, ex quorum convenientia vel diſconvenientia cum ſocietate humana dijudicat, quid facere, quid omittere tenetur, ut huic ſocietatis appetitui & conſequenter fini, quem in erigenda humana hac ſocietate ſibi propoſuit Deus, convenienter vitam inſtituat. Ex quibus meo judicio conſtare manifeſte nobis poteſt, ſocietatem ejuſque cuſtodiam potius dici objectum, quam fontem juris naturæ, ſcil. quatenus jus naturæ verſatur circa ea quæ homo debet homini, ideoque non objectum univerſale, ſed particulare: generale tamen, quatenus refertur ad quoſcunque homines, qua homines, ideoque ad univerſum genus humanum. Tria enim potiſſimum juris naturæ objecta ſtatui poſſe mihi perſuadeo; vel enim pertinet ad ea, quæ Deo debemus, tanquam ſupremo numini, ſummo hujus univerſi conditori, & noſtræ eſſentiæ & exiſtentiæ autori, cui conſequenter debemus obedientiam, reverentiam, eaque omnia, quæ a nobis poſſunt proficiſci ad ejus gloriam celebrandam: vel concernit ea, quæ nobiſmetipſis debemus, ut propriæ ſalutis conſervationem & amorem: vel ſpectat ea, quæ ſocio ſive proximo præſtare tenemur, cujus generis ſunt omnia officia, ſine quibus ſocietas humana cuſtodiri nequit, ut mutua charitas, mutuum auxilium, officiorum permutatio, utilitatum communicatio, dictorum conventorumque conſtantia, aliaque id genus. Quæ tria officiorum genera ad totidem pertinent juris naturæ objecta. Eaque merito objecta dicuntur, quia juris naturæ dictamina homini præſcribunt, quomodo ſeſe circa ſingula gerere debeat, ideoque non ex ſocietatis humanæ cuſtodia jura noſcuntur, verum occaſione & reſpectu ejus recta ratio ſive ipſe Deus nobis agendorum quandam normam præſcripſit, quæ noſtras actiones, quatenus huic ſocietati applicantur, dirigit ad propoſitum finem & ſcopum, qui eſt ſocietatis humanæ ſalus & conſervatio, in pace & tranquillitate poſita. Quo pertinet *alieni abſtinentia*. Alienum eſt quod amplius occupari nequit, quia a ſocio juſto poſſidetur titulo, & cujus conſequenter dominium vel uſus ad alium niſi conſenſu poſſeſſoris vel proprietarii transferri poteſt: voluit enim naturalis ratio, ut rerum dominia eſſent diſtincta, earumque certæ poſſeſſiones, quem in finem eadem ratio introduxit legitimos quoſdam modos & titulos transferendi & acquirendi rerum dominii & poſſeſſionis, facto hominis interveniente. Quorum quidem vetuſtiſſimus merito eſt occupatio, utpote quæ cœpit cum ipſo genere humano, quo multiplicante, cum tanta non omnium rerum eſſet abundantia, ut quiſque quantum indigebat, tantum occupare poſſet, ipſa naturalis ratio, nt neceſſitas cujuſque poſſet ſublevari, excogitavit alios quoſdam acquirendarum rerum modos, quibus quiſque ſibi ea comparare poſſet, ſine quibus vita commode tranſigi nequit; unde permutationes, emptiones, venditiones, uſucapiones, locationes, conductiones, aliique id genus acquirendi dominii vel poſſeſſionis transferendæ modi introducti, quibus ea quæ deſidero mihi comparo, vel ad alios transfero, facto meo & conſenſu interveniente: ita ut quicquid hiſce modis ad alium pertinet, alienum dicitur, a quo abſtinendum, ſi ſalvam velimus ſocietatem humanam: unde omnis vis, omnis fraudulosa contrectatio prohibita; illa ſocietatem humanam perturbat; hæc fidem tollendo, ſocietatis vinculum maximum, ipſam tollit ſocietatem: utrumque itaque prohibet naturæ jus, ſive rectæ rationis dictamen. Cui prohibitioni ineſt obligatio, qua tenetur quiſque alieni quid poſſidens, reſtituere domino, idque una cum lucro, licet ſua cura & cultura perceperit; lucrum enim ex re aliena perceptum ejuſdem naturæ & conditionis eſt, cujus res ipſa ex qua percipitur, id eſt, alienum; & conſequenter nullo juſto titulo malæ fidei poſſeſſor ſibi illud acquirere poteſt: imo ad reſtitutionem tenetur non ſolum ejus quod percepit, ſed etiam quod perceptum conſumpſit, & quod percipere potuit. *l.* 62. §. 1. *l.* 33. *ff. de rei vind.* modo ipſe dominus illud percipere potuiſſet. Fructus non modo percepti, ſed & qui percipi potuerint, honeſte æſtimandi ſunt, inquit Paulus dict. *l.* 33. modo dominus eos percepturus honeſte fuiſſet. Quippe ſi proprietarius vel petitor eos percepturus non fuiſſet, non poteſt imputare poſſeſſori cur eos non perceperit. Neque quæri poteſt poſſeſſor de injuria, quia reddere cogitur quod non habet, neque habuerit unquam. Sibi enim imputare debet cur alienam rem invaſerit vel retinuerit, damnum quod quiſque ſua culpa ſentit damnum non eſt. Huc etiam pertinere quodammodo videtur *promiſſorum implendorum obligatio*, quicquid enim alteri præſtare, ſive dare vel facere promiſi, illud ipſum ad eum pertinet cui promiſſio facta eſt, & quamdiu promiſſa non adimplevi, ſum injuſtus poſſeſſor ejus, quod alter a me vi iſtius obligationis, quæ ex promiſſis naſcitur, petere poteſt, & conſequenter teneor ad reſtituendum omne lucrum quod percipere potuiſſet petitor, ſi promiſſa fuiſſem executus, ideoque ad reparandum omne damnum, quod occaſione non præſtitæ fidei patitur juxta naturalem æquitatem. Præterquam quod, ſi cuivis promiſſa exequendi non eſſet impoſita neceſſitas, qua ratione poſſet eſſe ſalva ſocietas humana, utpote quæ ſubſiſtere nequit ſublata juſtitia, fundamentum vero juſtitiæ eſt fides, quid autem fides aliud eſt, quam dictorum conventorumque conſtantia, & conſequenter promiſſorum adimpletio? ſublata itaque illa promiſſorum implendorum neceſſitate, ex naturali obligatione proficiſcente, ipſa inter homines diſtrahitur ſocietas, atque omne commercium tollitur. Quod tamen ita debet intelligi, ſi honeſte & ſine damno ejus cui promiſſio facta eſt, & utilitatis communis, præſtari po-

teſt. Nam ut inquit Cic. 1. *off. cap.* 10. *Sæpe incidunt tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe homine juſto, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria; ut reddere depoſitum, promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ. Primo, ut ne cui noceatur; deinde ut communi utilitati ſerviatur; ea cum tempora commutantur, commutatur officium, & non ſemper eſt idem; poteſt enim accidere promiſſum aliquod & conventum, ut id & effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei qui promiſerit*, & idem 3. *off. cap.* 25. *Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam: neque ſemper depoſita reddenda. Si gladium quis ſana mente apud te depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddaſne depoſitum? non credo, facias enim contra rempub. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ honeſta natura videntur, temporibus fiunt non honeſta, facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta.* Sunt itaque certi fines atque conditiones præſcriptæ, ultra quas extendere nolit recta ratio obligationes, quibus ex ejus dictamine deſcendentibus, homines ſibi mutuo devincti ſunt quædam dare vel præſtare, ſive ex conventione, vel pactis, vel contractibus, vel promiſſis, aliiſque id genus obligationum vinculis. Cum autem homini inhæreat qualitas, quæ ab ejus conditione, qua homo eſt, ſeparari nequit, ſcil. quia ſemper debet conſiderari tanquam membrum humanæ ſocietatis, rectæ rationis dictamen eum obligat, ut omnia negotia, quæ ab ipſo peraguntur, communi ſocietati inſerviant, & conſequenter ne noceant ſocio, quia ſingula conſervando membra totum corpus tuetur. Atque hiſce limitibus circumſcribuntur naturales præſtationes, quæ ex dictis conventionibus deſcendentes, vel ad univerſam ſocietatem, vel ad ſingula ejus membra pertinent: atque eodem fundamento nititur illa naturæ lex, quam autor noſter hic allegat, nimirum, *damni culpa dati reparatio.* Deſcendit enim hæc obligatio ex uno eodemque rationis dictamine, quo prohibemur alterum non lædere, nullum enim infertur damnum ſocio, ſine læſione, vel vitæ, vel corporis, vel famæ, vel rerum; quamobrem reparatio damni eſt iſtius legis adimpletio, quia prohibitio illa ne ſocium lædamus, continet obligationem, qua tenemur ad reparandum damnum illud, quod noſtra culpa proximus patitur, læſio enim manet læſio, donec ejus fiat reparatio. Hinc Cic. 3. *off. Legibus*, inquit, *populorum conſtitutum eſt, ut non liceret ſui commodi cauſa nocere alteri. Atque hoc multo magis exigit ipſa ratio, quæ eſt lex divina & humana; cui legi qui parere velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam vivere volunt) nunquam committet, ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat.* Scribit Pythagoras Juſtitiæ *in abſtinendo ab alienis, & neminem lædendo, & utilitatem ſuam ex aliorum damnis non captando, magnam partem conſiſtere.* Unde inquit Pomponius, *jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Quare naturalis præcipit ratio, ut omne quod noſtra culpa paſſus fuit damnum ſocius, quocunque modo reſtituamus vel reparemus. Non cujuſcunque igitur damni injungitur reparatio, verum ejuſmodi tantum, quod noſtra culpa ſocius patitur. Quæ reparatio a nobis exigit, ut reſtituantur omnia, quæ ei noſtra culpa deſunt, vel ablata ſunt, ſcil. ut conſtituatur in eodem ſtatu; in quo erat, antequam aliquo fuerit damno affectus, ne deterior fiat alicujus conditio aliena culpa, atque illud ipſum divina juxta & humana jura exigunt. Hinc jure civili multæ eum in finem proditæ ſunt actiones, quibus perſequimur ablatum, & ad reſtitutionem, vel reparationem damni illati contendimus. Damni enim reparationem ſub lege Moſaica inferenti incumbere plurima teſtantur S. Scripturæ loca. Habetur enim *Exod. c.* 21. *v.* 33. 34. *Si retexerit foveam quis, aut foderit, deinde illam non operuerit; adeoque ceciderit illuc bos aut aſinus, dominus ille (ſcil. foveæ autor) pecuniam reſtituito domino illius.* Sic quoque *Exod. c.* 22. *v.* 5. *Si depaſci quis fecerit agrum, vel vineam, & immiſerit jumentum ſuum, paveritque in agro alterius; bonitatem agri ſui, & bonitatem vineæ ſuæ reddito.* Hoc eſt, ſi quadrupes pauperiem fecerit, vel rebus proximi damnum intulerit, reſtituet proximo damnum quod inde paſſus eſt. *Levit. c.* 6. *v.* 2. *Si quiſpiam peccaverit, & fefellerit falſitate contra Jehovam, mentitus contra proximum ſuum, de depoſito, aut de ſocietate, aut de rapto, aut de dolo, quo fraudavit contra proximum ſuum; ſive inventa re, mentitus fuit de illa; aut juraverit de mendacio; de aliqua re ex omnibus, quas facere poteſt homo peccando in iis. Tum erit, quia peccavit & reus eſt, ut reſtituat rapinam ipſam quam rapuit, aut ipſam rem dolo interventam, aut depoſitum ipſum quod apud ſe depoſitum fuerat, aut ipſam rem amiſſam, quam invenit: aut de quocunque juraverit per mendacium, rependat illud quanti fuerit, & quintam ejus ſuperaddito ei, cujus eſt: dato illud in die oblationis pro peccato.* Imo adeo cavit Deus, ne quis ex culpa ſua lucrum caperet, ut jus fore decreverit, quando is, qui damnum perpeſſus eſt, non amplius ſuperſtes ſit, Jehovæ delictum reſtitueretur. Extat enim præceptum *Num. c.* 5. *v.* 8. *Si homo propinquum non habet, cui mulcta ſolvatur; ea Jehovæ ſolvitor, ſit Sacerdos præter arietem (hoc eſt accepto ariete) propitiatorium, quo pro eo ſupplicetur.* Jure autem civili actio ex lege Aquilia competit adverſus eum, qui alienum hominem, alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, injuria occidit: ut quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare teneatur. §. 1. *inſt. de lege Aquil.* Sic etiam, *Si ſegetem quis deſecuerit immaturam, vel vineas crudas, Aquilia tenebitur, quod ſi maturas & collectas interceperit, furti tenebitur. l.* 27. *ff. ad leg. Aquil.* imo uſque adeo damnum proximo illatum reparandum volunt leges civiles, ſic ut etiam

divinæ,

divinæ, ut etiam negligentiæ, & incuriæ pœnam in reum ſtatuant. *l.* 3. *eod. Si quis ad ſtipulam ſuam, vel ſpinam comburendæ ejus cauſa, ignem immiſerit, & ulterius evagatus ignis alienam ſegetem vel vineam læſerit: requiramus, num imperitia ejus, aut negligentia id accidit? Nam ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt. Nam & qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur. In eodem crimine eſt, qui non obſervavit, ne ignis longius procederet. At ſi omnia, quæ oportuit, obſervavit, vel ſubita vis venti longius ignem produxit, caret culpa.* Ita quoque jure divino cautum, *Exod. c.* 22. *v.* 6. *Cum egreſſus fuerit ignis, & invenerit ſpinas, abſumptuſque fuerit acervus, vel ſeges, vel ager, reddendo reddito, qui ignem accenderit, combuſtionem.* In eundem finem actiones proditæ jure civili de *Sepulcro violato*, *Plagearus* ex *L. Fabia. Homicidii* ex *L. Cornelia.* Hinc *condictio furtiva*, *actio Servi corrupti.* Hinc *de vi bonorum raptorum*, item *actio albi corrupti & per vim exempti*, aliæque id genus actiones plurimæ. Quæ omnes ad unum eundemque finem collimant, ſcil. damni culpa dati reparationem. Ex hac autem obligatione naturali, qua quis tenetur reſarcire damnum quod ſua culpa ſocio intulit, profluit & altera, qua quis ſubire pœnam tenetur delicto proportionatam. Nam & ipſa damni reparatio eſt aliquando pœnæ executio, unde lex illa talionis, qua cautum, ut idem quis patiatur, quod alteri intulit, nam ut canit Ovidius *de arte amandi.*

—— Neque enim lex æquior ulla eſt
Quam necis artifices arte perire ſua.

Hinc legimus apud Diodorum Siculum legem Charondæ apud Thurios latam, qua cautum, *ſi quis alicui eruerit oculum, reo pariter oculum eruito.* Quamvis autem hac ratione læſo non reddatur quod ipſi ablatum eſt, vel in integrum, id eſt, priorem ſtatum reſtituatur, attamen tenetur reus idem pati, quod ſocio intulit, *juſtiſſima enim patiendi vice, quod quiſque alieno excogitavit ſupplicio, excipit ſuo.* ut inquit Seneca *l.* 5. *controv.* Ejuſmodi enim damni reparatio, quæ fit per modum infligendæ pœnæ, fit potius intuitu communis ſocietatis conſervandæ ſalutis & tranquillitatis, quam reſarciendi damni ſingulari alicui membro illati: utpote cujus magnopere intereſt ne delicta maneant impunita; impunitas enim maxima peccandi illecebra eſt. Quid enim ſalvum, vel ab improborum hominum machinationibus & concuſſionibus intactum atque illibatum eſſet, ſi cuique pro lubitu ſocii bona invadere, vel perſonæ ejus inſidias ſtruere, & damnum inferre impune liceret. Quid inde aliud niſi ſtatus belli, & conſequenter ſocietatis interitus promanaret. Itaque læſio ſingularis alicujus ſocietatis membri ad totam pertinet ſocietatem, quia eſt perturbatio communis tranquillitatis, & conſequenter reus non ſolum tenetur ad reſarciendum damnum ſingulare, quo culpa ſua ſocium affecit, ſed & commune, id eſt, publicum; quæ reparatio fit luendo pœnas, quibus alii ab ejuſmodi delictis deterrentur, eoſque deterrendo communi paci & ſecuritati conſulitur. Unde beatam illam Rempub. quidam merito inquit, in qua quis alienam injuriam ſuam exiſtimat. Quia autem ſingulorum ſalus pendet a conſervatione totius, hinc unumquodque membrum obligatur quantum poteſt, providere, ne læſione alicujus membri univerſa ſocietas aliquid detrimenti capiat, quamobrem mutua ope ad omnia a ſocietate depellenda, quæ nocitura ipſi videntur mala, devincti naturali obligatione cives, ſibi invicem quoque auxilium præſtare tenentur ad extirpandos, & ejiciendos atque plectendos, qui ſocietatis tranquillitatem perturbant. Hinc ſua ſceleribus ſupplicia decreta ſunt, & virtutibus præmia conſtituta, ut non ſolum, ut inquit JCtus, *in l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione homines a malo avocantur, & incitantur ad id quod juſtum & honeſtum eſt, id eſt, humanæ naturæ conveniens; *Reſpicite*, ait Phalaris apud Lucian. *ad legum ſcriptores, etiam irrogandarum pœnarum rationi & conſuetudini plurimum tribuentes, quaſi ceterarum nulla ſpectanda utilitas ſit, niſi metus malefactoribus ſit propoſitus, ac certa ſpes conſtituta luendi pro ſuppliciis flagitii.* Itaque maxime intereſt humanæ ſocietatis, delicta, ne nimium ſerperent, & tranquillitatem ac pacem ejus perturbarent, coërceri. Quare ex delicto vel maleficio quis obligatur jure naturæ pati illam pœnam quæ legibus, vel naturalibus, vel civilibus, in malefactores & ſocietatis humanæ perturbatores ſancita eſt, atque conſtituta, ut eorum exemplo alii a ſceleribus avocentur. Optime Robert. Scharrock. *de fin. & offic. ſecundum naturæ jus. Si igitur malefeceris, & in cauſa fueris cur alii ad vitia eadem ſe componerent ratione, illud imprimis agendum eſt, ut ipſe peccari deſinas, deinde ut ceteris a te læſis damna repares, & animos ad injuſte agendum quos feciſti promptos, in bonam reducas frugem, & humaniora componas ſtudia. Sola, quantum ſcio, expedita eſt ratio, & felix machina ad demoliendum improbe ſuſceptum conſilium, ut apprehenſio grandieris alicujus mali quam quod injuria lucro poſſit compenſari, & certe conſecuturi, deliberanti objiciatur: aut igitur neceſſe eſt futurum, ut qui malo ſuo exemplo alios in ſcelus provocarunt, ſe grandiori aliquo malo affici ſinant, nec pœnas detrectant, aut neceſſe erit, ut damna non reparent jam facta, ſed lædere adhuc alios perſiſtant, ipſi licet ſcelere ulteriori proprias manus non contaminent.* Et paulo poſt. *Æquum igitur eſt, ut, qui injuriis alios impetebant, per proprium etiam damnum, ne in infinitum ab ipſis cœptum derivatumque excurreret nefas, communitati conſulerent, ipſique ſua potius luerent crimina, quam ut hi innocentum ſocietates diſtraherent. Atque hæc eſt quidem*, inquit, *naturalis, quantum ipſe aſſequor, ratio, qua ita obligatur homo, ut pœnam ſubire debeat. Poſtquam enim grave malum ſibi imminere intelligit homo, niſi damna ex improbitate ſua nata reparet, videtur tam naturale ei damna ejuſmodi reparare velle, quam dolorem fugere.*

9. Ab hac juris ſignificatione fluxit altera largior: quia enim homo ſupra cæteros animantes non tantum vim obtinet ſocialem de qua diximus, ſed & judicium ad æſtimanda quæ delectant aut nocent, non præſentia tantum, ſed & futura, & quæ in utrumvis poſſunt ducere; pro humani intellectus modo etiam in his judicium recte conformatum ſequi, neque metu, aut voluptatis præſentis illecebra corrumpi, aut temerario rapi impetu, conveniens eſſe humanæ naturæ, & quod tali judicio plane repugnat, etiam contra jus naturæ, humanæ ſcilicet, eſſe intelligitur.

COMMENTARIUS.

QUoniam vero homo non tantum animal eſt ſociale, ſed & rationale, ita ejus proprium eſt, ut juxta regulas ſociali ac rationali naturæ conſentaneas vitæ rationem inſtituat. Rationalis autem natura cum in iis, quæ ad ſocietatem, tranquillitatem & pacem pertinent officia, ſibi locum vindicat; tum etiam ad ea ſeſe extendit, quæ in quacunque vitæ parte obtinet; itaque ea omnia complectitur officia, quæ naturæ leges, & jura per dictatum rationis nobis cognita, ab homine exigunt præſtanda. *Nulla enim vita pars neque publicis neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt, in eoque colendo ſita eſt vita honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo*, Cic. 1. *off. cap.* 2. Creavit enim Deus hominem ut convenienter humanæ naturæ viveret, ſcil. ejuſmodi naturæ, qua in principio eum ornavit, id eſt, integræ, nullis vitiorum maculis adſperſæ, vel pravis inclinationibus & cupiditatibus jactatæ aut corruptæ, ſed divinæ imagini congruæ. Quamobrem ipſi Deus eſt largitus rationem, cujus dictamine ſe informare poteſt de omnibus officiis, quæ vel Deo, vel ſibi, vel proximo debet, & conſequenter ſibi præſcribere regulas & leges, quæ eſſent vitæ inſtituendæ & agendæ norma, a qua quoties recedit ſibi conſcius eſt vitii vel admiſſi peccati contra naturæ legem. Quamquam enim hominis natura poſt lapſum adeo eſt corrupta, ut magis prona ſit ad malum, quam ad bonum, non adeo tamen iſta depravata voluntas & inclinatio plane omnem delevit Dei imaginem, quin ſuperſint adhuc ejus rudera quædam, ſcil. iſta honeſti & decori innata principia, quæ etiamnum in ſemetipſo ſentit reliqua, ad quæ tanquam ad Lydium lapidem examinandi habet facultatem omnes, quæ a ſe proficiſcuntur, actiones, & ex earum cum illis convenientia, vel diſconvenientia judicat, num juſtæ ſint, id eſt, rectæ rationis dictamini conſentaneæ, nec ne. Atque ita facile perſpicit quid faciendum, quid omittendum ſibi incumbit in totius vitæ curſu, idque non tantum in præſens, ſed & futurum, quibuſve mediis pervenire queat ad conſequendum finem humanæ naturæ convenientem, ſcil. ut vivat naturæ ſocialis & rationalis regulis & legibus convenienter: quibus cognitis atque perſpectis, facultatem inſuper habet recte conformatum judicium ſequi, id eſt, exequi, quæ rectæ rationis dictamini conveniunt, adeoque juri naturæ congrua ſunt. Quippe ſi ejuſmodi facultate careret homo, non poſſet ei imputari legum transgreſſio, cum enim ea eſt voluntaria, ideoque pœna & animadverſione digna, includit juſtum ab injuſto ſecernendi, & de hiſce recte conformatum judicium ſequendi facultatem. Non obſtante naturæ imbecillitate, quæ pravis inclinationibus atque cupiditatibus agitata, ſæpe quidem videt meliora probatque, deteriora tamen ſequitur: ſibi enim imputet, quod non utitur iſta facultate, quam naturæ autor Deus ipſi largitus eſt, verum hujus mundi illecebris ſeſe ab eo, quod juſtum eſt, adeoque humanæ naturæ, id eſt, rationali congruum, avocari permittit. Vivere enim convenienter naturæ humanæ, eſt honeſte & decore vivere in omni vitæ parte, & rectæ rationis dictamina ſequi; quæ locum ſibi vindicarent, etiamſi nulla eſſet ſocietas humana, quia ab humana natura, qua rationali, ſeparari neque disjungi poſſunt. Quod confirmat Ariſtoteles 1 *Rhet.* 13. cum inquit; *Eſt quoddam quod profitentur omnes, natura commune juſtum, & injuſtum, etiamſi nulla ſocietas invicem ſit, nullaque pactio.* Et Robert. Scharrock. *de offic. cap.* 2. *n.* 10. *Veriſſimum ſane eſt magnam ineſſe his anticipationibus ad ſocietates conciliandas & tuendas vim, & magnam proinde utilitatem ab iiſdem provenire; honeſtatem autem natura procuratrice ortam ſubſecuta eſt utilitas, non utilitatem honeſtas.* Natura enim rationalis ſeſe latius extendit quam ſocietas, quoniam omnia omnino complectitur naturæ præcepta, quæ a divina providentia profluentia ad univerſalem illum finem, quem Deus ſibi in producendo hoc univerſo propoſuit, conſequendum pertinent, cui & ſubordinati quidam fines, quibus tanquam mediis ad ultimum & univerſalem finem pervenimus, cujuſmodi ſingulis finibus ſuæ ſunt præſcriptæ leges, quas homo exequendo ad univerſalem finem tendit, & hac ratione legibus naturæ, id eſt, naturæ humanæ convenienter operari, & vivere dicitur. Cum enim iſte finis nequeat eſſe niſi bonus, utpote qui ex ipſo bonitatis fonte proficiſcitur, ſequitur omnia illa media, quibus ad illum finem tenditur, bona

&

& juſta in ſe neceſſe eſſe; e quibus concludimus eum, qui ad hunc finem conſequendum ejuſmodi utitur mediis, juſte & naturæ juri congruum operari: illa enim media nihil aliud ſunt quam naturæ præcepta, quæ homini innata, & per rectæ rationis dictamen promulgata eum informant, quam vivendi rationem amplecti debeat, ſi velit vivere illi fini convenienter, & conſequenter juſte, honeſte, & decore, cum reſpectu Dei, tum ſocii, & ſuimetipſius. Singula objecta ſua habent quidem præcepta, verum cum ad commune objectum, & univerſalem finem pertinent, nimir. Deum, communia quoque ſunt præcepta, ſibi invicem adeo coadunata, ut ſeparari nequeant, quamobrem qui unum horum exequi omittit, contra omnia peccaſſe intelligitur, itaque una eademque omnium exequendarum neceſſitas, quia una eademque obligandi cauſa & idem finis. Obligatio enim ad conſequendum finem neceſſario continet obligationem utendi iis mediis, quibus finis conſequi poteſt, & conſequenter ab uno eodemque autore procedere neceſſe eſt obligationem, qua tenemur ad propoſitum finem tendere, & qua obſtringimur uti ejuſmodi mediis, quæ ad finem conſequendum ordinata ſunt, nobiſque per rationis lumen innoteſcunt. Quæ neceſſitas faciendi ea, quæ recta ratio (quæ & rectè conformatum judicium merito dicitur, quia legi naturæ conſentaneum) nobis huic fini inſervientia, & conſequenter juri naturæ convenientia dictat, continet quoque neceſſitatem abſtinendi iis, quæ impedimento ſunt, ut finis obtineri non poſſit. Ex quo mentis diſcurſu naturæ lex prohibens & præcipiens profluit, de qua mox latius.

10. Atque huc etiam pertinet in his quæ cuique homini aut cœtui propria ſunt elargiendis prudens diſpenſatio, ut quæ nunc ſapientiorem minus ſapienti, nunc propinquum extraneo, nunc pauperem diviti, prout actus cujuſque, & rei natura fert, præponit: quam juris proprie ſtricteque dicti partem jam olim multi faciunt, cum tamen jus illud proprie nominatum diverſam longe naturam habeat, in eo poſitam ut quæ jam ſunt alterius alteri permittantur, aut impleantur. *Impropriè & laxius.*

COMMENTARIUS.

HAbet hic autor ſermonem de jure quod deſcendit ab illa juſtitia, quæ in præmiis, honoribus, aliiſque id genus beneficiis diſtribuendis collocandiſque verſatur, atque uno vocabulo dicitur juſtitia diſtributiva, ad cujuſmodi diſtributionem, quia judicio nemo cogi poteſt, utpote quæ ex liberali voluntate proficiſcitur; hinc hæc juris ſpecies refertur ad juris naturæ latiorem ſignificationem, quæ complectitur tum ea, quæ alius a me exigere poteſt, cum etiam illa, ad quæ præſtanda nemo quidem violento aliquo remedio adigi poteſt, verum naturali pudore & honeſtate quadam tenetur, in quibus locum ſibi vendicat juſtitia diſtributiva, quam prudentem diſpenſationem vocat autor, ſcil. ut habeamus rationem dignitatis, benevolentiæ, ac meritorum, quibus affecti ſumus ab eo, in quem beneficium conferre animum induximus: ut juſta ſervetur in referenda gratia & in conferendis beneficiis proportio. Vult enim naturalis æquitas, ut ſuum cuique tribuatur, id ipſum vero fieri nequit, niſi habeatur delectus dignitatis, benevolentiæ, ac meritorum, quæ in ſocium contulit ratio. Ita enim Cic. 1. *offic. Tertium propoſitum eſt, ut in beneficentia delectus eſſet dignitatis: in quo & mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates officia ante collata: quæ ut concurrant omnia optabile eſt, ſin minus, plures cauſæ majoreſque ponderis plus habebunt.* Et paulo poſt. *De benevolentia autem, quam quiſque habet erga nos, primum illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur.* Et idem. *Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes ſunt patria, & parentes, quorum beneficiis maxime obligati ſumus; proximi liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibuſcum etiam communis plerumque fortuna eſt.* Cuique enim eorum tribuendum, quo quiſque dignus eſt beneficio. Nec eadem enim tribuenda patri & filio, civi & hoſpiti, benemerito & ei qui læſerit, alia denique aliis pro ratione affectionis & neceſſitudinis, quæ cum quolibet intercedit, ut inquit Simplicius *in Epict. cap.* 37. *Optime autem ſocietas hominum conjunctioque ſervabitur, ſi, ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitas plurimum conferetur.* Cic. 1. *off. Beneficia in vulgus effundenda non ſunt, & nullius rei, minime beneficiorum honeſta largitio eſt: quibus ſi detraxeris judicium, deſinunt eſſe beneficia, in aliud quodlibet nomen incidunt,* Senec. 1. *de benefic. cap.* 2. Et Ambroſ. *offic.* 1. *cap.* 31. *Pulchrum eſt propenſionis ejus haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit, ſi ipſi in neceſſitatem incidit. Quid enim tam contra officium eſt, quam non reddere quod acceperis.* Verum in collocando beneficio & referenda gratia, ſi cetera paria ſint, hoc maxime officii eſt, ut quiſque maxime ope indigeat, ita ei potiſſimum opitulari, ut

inquit

inquit Cic. 1. *offic.* Unde ſuadere juſtitiam attributricem vult autor, ut pauperem diviti præferamus, in collocandis clargiendiſque quæ nobis vel cœtui propria ſunt. Ita enim Lactant. *inſtit. divin.* 6. 2. *Si virtus mercedem non exigit, ſi propter ſe, ut dicitis, expetenda eſt, ergo juſtitiam principem matremque virtutum ſuo pretio, non tuo commodo æſtima: ei potiſſimum tribue, a quo nihil ſperes. Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendum eſt, quiſquis precatur, ideo quia te hominem putat, & poſtea, largire cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis, quibus niſi largiare moriendum eſt; inutiles ſunt hominibus, utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Fove quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit.* Ne huic deeſſet officio Arcelianus quidam, tradit eum Seneca *de beneſ. lib.* 2. *cap.* 10. amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem & ne hoc quidem confitenti deeſſe ſibi in ſumptum ad neceſſarios uſus, clam ei ſuccurrendum judicaſſe; atque pulvino ejus ignorantis ſacculum ſubjeciſſe, ut homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat, inveniret potius, quam acciperet. Quoniam vero ejuſmodi officia, quæ ex juſtitia diſtributiva originem ſuam habent, a cujuſque voluntate pendent, ita ut alteri nullum jus competat ea exigendi ab altero, quia non intercedit reciproca obligatio, qua ſibi invicem aliquid præſtare, vel facere, vel dare devinciuntur; hinc horum officiorum matrem juſtitiam attributricem abs ratione juris proprie dicti partem quoſdam feciſſe Juriſconſultos atque Philoſophos, autor opinatur. Quoniam juſtitia propriè dicta verſatur circa propriè dictas obligationes, quæ alicui facultatem tribuunt perſequendi quibuſcunque mediis jus ſuum; ejuſmodi itaque, quæ actionem pariunt, & propter quas quis in judicio conveniri poteſt. Quarum in numero ſunt omnes obligationes mutuæ, quæ ſibi invicem reſpondent; ita ut in eo, cui quid ex obligatione debetur, ſit obligatio, cujus intuitu viciſſim alteri quid præſtare tenetur. Alterius naturæ ſunt obligationes non mutuæ, quando ſcil. unus alteri quidem aliquid præſtare tenetur, ita tamen, ut in illo altero, cui quid debetur, nulla ſit obligatio iſti reſpondens, & ad æquipollens aliquid præſtandum adſtringens: quarum conſequenter executio vel præſtatio jure exigi nequit, cujuſmodi ſunt charitatis, humanitatis, grati animi officia, remuneratio honoris & munerum collatio. Quia vero ex hiſce obligationibus nullæ naſcuntur actiones, utpote quæ tantum ab una parte obligant, commode ad jus illud referri nequeunt, quod ab autore ſtrictè ſumtum continet ejuſmodi obligationes, quæ reciprocæ ſunt, & contrahentes ſibi invicem devinciunt, ad aliquid dandum vel præſtandum, cujuſmodi eſt obligatio, qua tenemur lucrum ex re aliena perceptum reſtituere, damnum culpa datum reparare, promiſſa implere; de qua juris ſignificatione ſermonem habuit autor in antecedentibus paragraphis. Omnes itaque obligationes ſive ex legibus naturalibus, vel civilibus immediate deſcendentes, ſive ex facto hominum, conventione vel pacto, ſtipulatione, venditione, permutatione, alioque id genus contractu proficiſcentes, mutuam continentes obligationem, ideoque producentes vel in ſocietate naturali, vel civili, actionem, ad jus ſtricte dictum, & ſumtum in illa autoris ſignificatione pertinent. Verum nullam video rationem, cur jus illud, quod circa clargienda & diſtribuenda, quæ cœtui vel cuique homini propria ſunt, (propria dicuntur, quia nemo ea jure ſuo vel petere vel vindicare poteſt) verſatur, non poſſet referri ad juris proprie dicti ſignificationem, ſumto juris vocabulo pro eo quod ſemper bonum & æquum eſt, & obligans ad id quod rectum & honeſtum eſt: hæc enim eſt propria juris interpretatio & energia, omnes omnino continens obligationes, omniaque officia, quæ homo homini præſtare tenetur; utpote cujus unicus ſcopus & finis eſt, ut ſuum cuique tribuatur cum rationis judicio, prout cujuſque actus & rei natura fert, & temporis ratio poſtulat: ſuum vero cuique tribui nequit, niſi in omnibus actionibus habeamus rationem honeſtatis & æquitatis; eam enim ſi obſervaremus in vitæ curſu, nihil indecore, nihil vitioſe, nihil injuſte faceremus, ſed ſua cuique debita præſtaremus officia, juris juſtitiæque tam naturalis quam civilis complementum.

11. Et

11. Et hæc quidem quæ jam diximus locum aliquem haberent, etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana: cujus contrarium cum nobis partim ratio, partim traditio perpetua inſeverint, confirment vero & argumenta multa & miracula ab omnibus ſæculis teſtata, ſequitur, jam ipſi Deo, ut opifici & cui nos noſtraque omnia debeamus, ſine exceptione parendum nobis eſſe, præcipue cum is ſe multis modis & optimum & potiſſimum oſtenderit, ita ut ſibi obedientibus præmia reddere maxima, etiam æterna, quippe æternus ipſe, poſſit, & voluiſſe credi debeat, multoque magis ſi id diſertis verbis promiſerit: quod Chriſtiani indubitata teſtimoniorum fide convicti credimus.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum neceſſario, ut ſuperius dicere incepimus, omnes creaturæ omniaque individua a ſummo ideoque primo aliquo principio producta ſunt, ita etiam neceſſe eſt, ut omnia attributa, omneſque facultates atque virtutes, quas in illis perſpicimus, ad idem illud principium referamus: quippe cum non detur progreſſus in infinitum, verum ad primum aliquod ens tandem perveniri neceſſe ſit, quod omnium individuorum cauſa eſt & origo, conſequenter non poteſt alia eſſe cauſa exiſtentiæ & eſſentiæ, alia iterum qualitatum ſive facultatum, virtutumque, quibus ſingula prædita ſunt. Quoniam primum ens debet eſſe ſimpliciſſimum, nulla in eo locum habere poteſt multiplicatio entium, quæ ſingula in creatione individuorum ſeparatas habuiſſent operationes a primo independentes. Ex quibus concludimus, quod vix concipere poſſumus aliquod naturæ jus ſive aliqua virtutum ſemina, honeſti atque decori obſervationem homini innatam, aliaſque facultates & qualitates individuis, quibus ſingula in ſuos fines feruntur, inditas, quin ſimul debeamus concipere primam aliquam cauſam, a qua illas omnes derivare neceſſe habemus, & conſequenter haſce omnes, de quibus nobis ſermo, ſingulis rebus innatas qualitates, abſtractè a prima cauſa concipi non poſſe. Unde enim honeſti & juſti in nobis idea, niſi tale quid exiſteret; unde autem poſſet exiſtere, niſi ejuſmodi eſſet principium aliquod, ex quo dimanat tanquam ex fonte ſuo & perpetua ſcaturigine; adeo enim neceſſaria illa relatio eſt inter primum illud principium & rem exiſtentem, ut ſine illo concipi nequeat ejus exiſtentia. Hinc fruſtra quæri mihi perſuadeo, num jus naturale, omniaque ejus præcepta ſibi locum vindicaſſent, & homini innotuiſſent, etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari non poſſe merito opinatur Author, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana. Idque eo potiſſimum, quia nullum jus, nulla honeſtas vel æquitas, nullæque virtutes vel animi facultates concipi poſſunt, quin ſimul debeat concipi earum cauſa prima, ſine qua exiſtere non potuiſſent, & conſequenter nulla quoque earum exſtitiſſet in nobis idea, vel opinio. Non exiſtente cauſa, non poteſt exiſtere talis effectus, qui neceſſario ab illa cauſa produci debet. Itaque ſi Deus non eſſet, nullum bonum, nullum jus morale exiſtere potuiſſet, quia, ut ſupra diximus, illud ipſum ex divina natura fluit, tanquam ex ſua cauſa, qua ſublata, tollitur quoque effectus, qui ab ea produci debet, & nullam pariter in nobis juſti vel honeſti ideam haberemus: quia enim propter divini luminis communicationem participes ſumus ſummæ rationis, quæ in Deo eſt, ex illa participatione ſequitur, nobis ineſſe quoſdam divini luminis radios, qui nobis tanquam lucerna juſti ideam ex ingenii tenebris in lucem protrahunt, & honeſti atque recti principia innata docent: unde mentis noſtræ ad Deum relatio tam naturalis & neceſſaria eſt, quam neceſſaria eſt juſti & honeſti relatio ad Deum tanquam cauſam, & principium unde dimanat, & nobis communicatur. Hinc legimus *cap.* 17. *vers* 28. *Act. Apoſt.* Quod *in ipſo ſumus, movemur, & vivimus*, id eſt, quemadmodum exiſtentiæ atque eſſentiæ noſtræ, ita motuum ſive inclinationum, & rationis principium & cauſa eſt, quoniam per eum ſumus quod ſumus. Quod exiſtimus nobis cum omnibus rebus creatis commune eſt; quod movemur ſolummodo cum brutis; quod vivimus, tantum hominis proprium. Vivere enim dicitur qui rationis particeps eſt, cujus vi admiranda Dei opera contemplando, creatoris potentiam, ſanctitatem, juſtitiam novit. Quamobrem *Gen. cap.* 2. *vers.* 7. dicitur *Deus inſpiraſſe in nares hominis vitæ ſpiraculum: & homo factus eſt in animam viventem*, id eſt, factus eſt rationalis: *vivere* enim proprie dicitur qui ratione utitur & intellectu. Quare Ebræi contendunt vocem illam originalem, quæ *ſpiraculum vitæ* ſignificat, ad hominem tantum pertinere. Hinc Johan. Evangel. *cap.* 1. *vitam & rationem* ita copulat, quaſi a ſe invicem ſeparari nequirent, *In principio*, inquit, *erat ſermo*,

verbum vivent, λόγ☉ ſive *ratio*, (ut Commentatores illud explicant) *& in ipſo*, ſcil. verbo, *vita erat*. Sic etiam *vivere* & *frui anima* apud Authores plerumque conjunguntur. *Is demum mihi vivere & frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* Omnia autem per hunc ſermonem facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil, quod eſt. Et conſequenter ab illa ratione, quæ erat in principio, noſtræ eſſentiæ ſive vitæ & rationis, in qua eſſentia hominis potiſſimum conſiſtit, cauſam derivamus. Quod vero eſſentiæ noſtræ cauſa eſt, idem illud cauſa eſt eorum, quæ ex eſſentia noſtra immediatè fluunt: cujuſmodi omnia ea ſunt, quæ per divini luminis communicationem menti noſtræ impreſſa ſunt atque innata; omnia vero illi impreſſa ſunt & innata, quæ ex divina imagine, ad quam conditus eſt homo, immediate & neceſſario proficiſcebantur. Omnia immediatè ex ea profluebant, quæ ſanctitati ſummi & ſupremi entis congrua erant, itaque nulla, niſi quæ nobis ſub idea boni & juſti, recti atque honeſti animus repræſentat, cujus nulla cauſa excogitari aut fingi poteſt niſi Deus, quia nullum ens niſi unum, quod omnium rerum cauſa eſt, exiſtere potuiſſe jam ſupra nobis ſatis dilucide demonſtratum ſperamus. Ab illo enim, & per illum, atque in illo ſunt omnia quæ ſunt & exiſtunt. Ex quibus argumentis concludimus, quod poſito primo aliquo ente, ponitur & jus naturale ſive morale, eoque ſublato, tolli quoque id ipſum neceſſe eſſe. Quamobrem ſi demus Deum non eſſe, ſimul quoque negamus aliquod naturæ jus locum ſibi vindicare, vel aliqua virtutum ſemina, vel juſti & honeſti principia homini innata, atqui contrarium in nobismetipſis experimur, concludimus ergo eſſe Deum juſti atque recti, cujus idea animo impreſſa eſt, principium atque cauſam. Cujus exiſtentia jam luce clarius a multis aſſerta eſt, & pro virili a nobis confirmata argumentis ex rectæ rationis dictamine petitis atque deductis. Cui accedit magis ad noſtri Authoris errorem de exiſtentia juris naturalis ſive moralis evincendum, quod cum ſermonem habeat de obligatione, qua homo tenetur operari quod rectum & bonum eſt, & fugere quod malum & injuſtum eſt, ipſe aliquem ſuperiorem præſupponit, qui ejuſmodi habet imperium, quod hominis conſcientiam obligat, eumque ad officium revocat; hoc ipſo itaque quo ponitur talis obligatio, qua homo tenetur juſtum & rectum operari, etiam neceſſe eſt, ut ponatur ſummus aliquis imperans, qui homini ejuſmodi obligationem impoſuit, & conſequenter poſito hoc imperio, non poteſt Author extra Deum, vel ut optime inquit Zeigler. ſub hypotheſi non eſſe Deum, talem obligationem conſiderare. Sunt enim obligatio & obligans relata, quæ a ſe invicem ſeparari nulla ratione poſſunt, ita ut poſita una alter quoque poni neceſſe ſit; poſita autem obligandi potentia, ſcil. ejuſmodi quæ ex legibus deſcendit, ponitur quoque imperium cujus vi ſubjectum, cui obligatio inhæret, ad obedientiam & obligationis executionem cogi poteſt: poſito autem imperio ſive poteſtate illa legiſlativa, qua civibus vel ſubjectis officiorum & actionum dirigendarum regula & norma præſcribitur, ponitur quoque eſſe perſonam aliquam, cui tanquam ſubjecto ſuo imperium illud ſive poteſtas legiſlativa inhæret, atque per neceſſariam hanc relationem, poſita obligatione ſive lege naturæ, ponitur quoque eſſe legiſlatorem, id eſt, eſſe aliquem, qui obligat & obligatur, & conſequenter inde fluere unum ſine altero concipi non poſſe. Hujuſmodi imperium, quo & univerſus regitur, & omnia individua obligantur ad propoſitum finem tendere, & homo rectæ rationis ſuæ dictamini parens, quod juſtum & rectum, id eſt, legibus naturæ, ſive juſti & honeſti innatis principiis conveniens eſt, cogitur operari & facere, a contrario abſtinere, ſoli Deo competit, ut opifici & creatori, ſummoque imperanti, cui, quia ab ejus voluntate pendemus, obligamur parere, atque obedientiam præſtare. Quamobrem ſua obedientibus præmia, inobedientibus ſupplicia decernit, & quidem ejuſmodi, quæ eminenti ſuæ poteſtati & ſummo imperio conveniunt, ideoque maxima, id eſt, æterna. Quippe cum ipſe æternus eſt, vult eadem impertiri hominibus, quæ naturæ ſuæ conſentanea ſunt, imo cum præmiorum & pœnarum diſtributio neceſſario quoque ex divina fluat natura, ea quoque debet eſſe conformis & conveniens divinæ ſanctitati. Cui accedit, quod lex ex eadem origine dimanans, & proinde quoque æterna, obedientibus præmia promittit, & tranſgreſſoribus æternas pœnas comminatur. Pœna enim debet eſſe proportionata delicto, quemadmodum præmia meritis reſpondent. Quoniam itaque tranſgrediendo legem æternam ſive moralem delinquitur & peccatur ergà æternum numen, æterno quoque ſupplicio vindicari debet delictum ſive peccatum, quod contra legem ſive æternum numen admittitur; ita quoque promiſſa æterna legem adimplentibus, & requiſitam præſtantibus Deo obedientiam liberæ æterni numinis voluntati conſentanea præmia, ſcil. æterna: quæ lapſu hominis amiſſa, perfecta obedientia atque omnium capitum quæ lege morali continentur, Chriſti plena adimpletio reſtituit omnibus fidelibus, qui eum tanquam unicum ſuum redemptorem, ſalvatorem, & ſalutis ſuæ unicam ſpem & veluti anchoram amplectuntur. Quare ipſe Chriſtus, præſtitâ legi debitâ obedientiâ, a patre ſuo petit ſibi promiſſa legem adimplenti præmia, id eſt, æternam vitam, cujus participes eſſe voluit, quos effuſione pretioſiſſimi ſanguinis ſui liberavit ab æterna, quam lex comminatur, pœna mortis.

12. Et

12. Et hæc jam alia juris origo eſt præter illam naturalem, veniens ſcilicet ex libera Dei voluntate, cui nos ſubjici debere intellectus ipſe noſter nobis irrefragabiliter dictat. Sed & illud ipſum de quo egimus naturale jus, ſive illud ſociale, ſive quod laxius ita dicitur, quamquam ex principiis homini internis profluit, Deo tamen adſcribi merito poteſt, quia ut talia principia in nobis exiſterent ipſe voluit: quo ſenſu Chryſippus & Stoici dicebant, juris originem non aliunde petendam quam ab ipſo Jove, a quo Jovis nomine jus Latinis dictum probabiliter dici poteſt. *2. Voluntarium. 1. Divinum.*

COMMENTARIUS.

Dicere jam incepimus ex jure creandi dimanare divinum dominium, atque ſupremam & eminentem poteſtatem in res creatas. Quippe quemadmodum quod ex re mea factum eſt, meum eſt, ita etiam omne opus, qua tale, ſui eſt autoris ſive artificis a quo productum eſt, atque ita nos toti ſumus Dei, tanquam ex quadam a ſe vel ex nihilo creata materia producti. Cujuſmodi plenum & a nullo dependens dominium ſive imperium Deo jus confert rebus a ſe creatis utendi pro lubitu, atque tribuit facultatem poteſtatemque ipſis præſcribendi, & exiſtendi regulas, & operandi. Quæ exiſtendi & operandi regulæ nihil aliud complectuntur, quam ut unumquodque individuum tendat, vel motu innato, id eſt, inſtinctu quodam, vel prælucente rationis lumine, ad illum finem, quem Deus & conditor hujus univerſi, ſingula producendo individua, ſibi propoſuit; eo ipſo itaque, quod condidit ad certum finem ſingula individua, etiam obligavit ut decreto & voluntati ſuæ, & conſequenter propoſito fini convenienter operarentur; vi enim iſtius ſummi & independentis imperii, quod Deo tanquam creatori competit, obligamur voluntati imperantis obtemperare, & conſequenter omnia quæ nobis ratio dictat voluntati divinæ conſentanea eſſe exequi, quæque ab ea aliena ſunt, quia a fine, id eſt, æterno Dei decreto deviant, fugere tenemur. Quæ obedientia in divina exequenda voluntate conſiſtens, non ſolum locum ſibi vindicat in iis, quæ juris naturalis ſunt, ſive quæ ex ipſa divina eſſentia profluentia neceſſariam exequendi vel abſtinendi obligationem continent, propter moralem, quam in ſe habent, honeſtatem, vel turpitudinem, id eſt, quæ ſunt debita, & illicita per ſe antecedenter ad divinam voluntatem, verum etiam in iis obtinet, quæ ſunt juris divini voluntarii, quod ex voluntate originem ducit, ſcil. quod juſtum eſt, quia voluit Deus. De quo jure latius infra diſputabimus. Utriuſque juris origo a Deo ter. Opt. Max. derivanda. Quamobrem utrumque divinum, & conſequenter reſpectu hominis, qui obligationis capax eſt, ex æquo obligatorium, ſcil. quoad obedientiam, & voluntatis divinæ executionem; diverſa tamen a ſe invicem, quoad obligationis naturam. Hoc enim ab ipſa voluntate procedit, ideoque mutabile eſt: illud ex ipſa proficiſcitur divina natura, & quidem neceſſario, obligans in omni vitæ parte & perpetuo ad id quod rectum & honeſtum eſt, id eſt, ſupremi legiſlatoris ſanctitati & bonitati conveniens, quæ ſanctitas quia a divina natura inſeparabilis eſt, eique ſemper & perpetuo neceſſarioque inhæret, hinc jus illud ex divina eſſentia ejuſque attributis profluens ejuſdem naturæ eſt, cujus origo unde dimanat, & conſequenter ſemper unum idemque, neceſſario & perpetuo obligans, atque idcirco nullis mutationibus obnoxium. Hinc optime Zeigler. *in Annotation. in Grot. in prolegom. Interim tamen hoc non nego, eſſe in Deo æternam aliquam legem, h. e. rationem divinæ ſapientiæ, directivam omnium actuum & motuum in ſuos fines, & jus aliquod naturale immanens antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, ſecundum quod non poteſt velle, quod juri illi repugnat.* Naturale ac ſociale hoc jus vocamus, quatenus hominis naturæ rationali ac ſociali ejuſmodi principia a Deo inſita ſunt, unde juſti & recti notitia atque ſcientia duce recta ratione homini innoteſceret. Quippe quoniam ea non aliunde profluant, niſi a divina imagine, cujus particeps eſt homo, conſequenter ea merito Deo adſcribenda ſunt, quamvis ex principiis homini internis proveniant. Quamobrem olim Stoicæ diſciplinæ ſectatores juris nomen ab ipſo Jove derivandum cenſuere, quia non aliam juris originem excogitare potuerint, quam omnium rerum autorem, & principium. Vide quæ ſupra de origine juris naturæ, ſive divini neceſſarii annotavimus.

13. Accedit, quod illa quoque ipſa principia Deus datis legibus magis conſpicua fecit, etiam iis quibus imbecillior eſt ad ratiocinandum vis animi; & in diverſa trahentes impetus, qui nobis ipſis, quique aliis conſulunt, vagari vetuit, illos quippe vehementiores addictius regens & fine ac modo coërcens.

COMMENTARIUS.

JUs illud naturale ſive ſociale ex innatis nobis juſti atque honeſti principiis profluens, & per rectæ rationis dictamen nobis innoteſcens, merito juris divini venire nomine vel ex eo patet, quod eadem illa principia Deus, in lapideis tabulis & litteris ſacris deſcripta, hominibus quaſi de novo promulgare voluit; partim, ut magis conſpicua faceret iis, quibus ad ratiocinandum animi vis imbecillior eſt; partim, ut ejuſmodi quaſi renovatione hominem admoneret eorum, quæ lex naturalis ſive rectæ rationis dictamina ab eo exigunt; ne aliquo ignorantiæ velo ſcelera & vitia ſua poſſet obtegere. Quia enim legis naturalis notitia poſt lapſum magis magiſque obſcurata fuit & vitiata, adeo ut contra rectæ rationis dictamina, ſive juſti & honeſti nobis innata principia, varia ſcelera & corrupti pravique mores invenirentur, placuit Deo legem naturæ intactam atque illibatam ab improborum hominum pravis cupiditatibus & nefandis facinoribus conſervare, eique reſtituere debitam reverentiam ac obſervantiam; quamobrem naturales illas nobis inſculptas notitias, lapſu hominis denſiſſimis involutas tenebris, iterum de novo datis legibus illuſtrare atque confirmare voluit, ab una parte addita pœnæ comminatione literis teſtata, ſi quis negligeret ea, quæ moralibus ſive naturalibus, id eſt, divinis legibus continentur; ab altera adjecta præmiorum pollicitatione, ſi quis faceret ea, quæ ipſi lex imponebat facienda. Hiſce enim duobus vinculis totius humanæ ſocietatis contineri ſalus videtur. Metu enim pœnæ efficitur, ne hominis in diverſa trahentes impetus in ſocii perniciem aliquando erumpant. Præmiorum exhortatione ad officia revocatur, & ad ea, quæ leges naturæ exigunt, in omni vitæ parte præſtanda & exequenda impellitur, atque ita ſocietatis humanæ tranquillitas & pax conſervatur, & legibus moralibus præſtatur debita reverentia & obedientia. Rectiſſime dixit Solon, rempub. duabus rebus contineri, præmio nimir. & pœna. Quibus ſublatis diu conſiſtere rempub. non poſſe jam olim prædicavit Demoſthenes. Ac proinde rogatus Antiſthenes, quæ res civitati ſeu hominum ſocietati portendebat exitium, cum in his, reſpondit, non eſt bonorum ac malorum diſcrimen, namque recte factis præmia, maleficiis ac ſceleribus debentur ſupplicia. Quare Paulus Apoſtolus, principes & magiſtratus ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum miſſos, affirmat. Tendunt itaque eo leges tum naturales ſive divinæ, tum civiles, ut juſte & honeſte homines vitam tranſigendo ſocietas humana, a qua noſtra pendet beatitudo temporanea, conſervetur integra, atque ut præſtando obedientiam naturæ dictamini Deo tribuamus quod ipſi debemus, tum etiam quæ ſocio ſive ſecundum juſtitiam expletricem, ſive attributricem debita exhibeamus officia, quoniam permutatio officiorum ſit maximum atque arctiſſimum ſocietatis humanæ vinculum. Ut itaque homo ſeſe erga omnes leges morales gereret, quemadmodum decet, & ſupremus hujus univerſi conditor Deus ab eo exigit, ſecundum ſuam ſanctitatem, juſtitiam, & bonitatem, viva voce, vel per Moyſem, homini quaſi de novo naturæ præcepta dedit, ut ad illorum executionem & præſtationem magis impelleretur, idque ipſum imprimis fecit promulgando decalogo, qui eſt quaſi compendium juris moralis, ſive divini neceſſarii, & a nobis conſiderari merito poteſt tanquam tabella, in qua depicta vel deſcripta ſunt præcipua hominis officia, quæ tum Deo ut creatori, tum proximo ſuo tanquam ejuſdem generationis vinculo ſibi devincto debet.

14. Sed & hiſtoria ſacra, præter id quod in præceptis conſiſtit, affectum illum ſocialem non parum etiam eo excitat, quod nos docet ab iiſdem primis parentibus ortos homines omnes, ita ut eo quoque ſenſu dici recte poſſit quod alio dixit Florentinus, cognationem inter nos a natura conſtitutam; cui conſequens ſit, hominem homini inſidiari nefas eſſe. Inter homines quaſi Dii quidam ſunt parentes, quibus proinde non infinitum, ſed ſui generis obſequium debetur.

L. ut vim. D. de juſt. & jur.

COMMENTARIUS.

VErum præterquam quod naturæ dictamina, quæ merito divina præcepta vocari jam ſatis demonſtratum a nobis putamus, omnia eo collimant, ut homo præſtaret ea, quæ cum rationalis, tum etiam ſocialis natura exigit. Illa magis generalia ſunt, utpote quæ pertinent ad omnes quaſ-

quaſcunque hominis actiones, quæ vel ad Deum, vel ad noſmetipſos, vel ad ſocium ſpectant. Hæc magis ſpecialia, quia tantum ſocietati humanæ inſerviunt, hominemque ad eam colendam ſervandamque impellunt, quo tendunt innati iſti ſtimuli, quibus non ſolum homines, ſed & bruta animalia naturæ quodam impetu ad ſocietatis cuſtodiam feruntur: præter, inquam, hæc præcepta moralia ſive divina, affectum hunc ſocietatis vehementiorem in nobis efficit ſacra hiſtoria, utpote ex qua perſpicimus totum humanum genus unum idemque naſcendi habere principium, id eſt, ab iiſdem primis parentibus ortos omnes homines, cum omnes ab uno patre Adamo proceſſerint, quamobrem nihil unum uni tam ſimile eſt, tamque par, quam omnes inter noſmetipſos ſumus. Hinc inquit Florentinus, naturam, quæ communis eſt omnium parens, neceſſitudinem quandam & cognationem inter nos conſtituiſſe *l. 3. ff. de juſt. & jur.* Cognati enim appellati quaſi ex uno nati, aut quaſi commune naſcendi habuerint initium. *l. 1. §. 1. ff. und. cog. Cognati ab eo dici putantur, quod quaſi una communiterve nati, vel ab eodem orti progenitive ſunt l. 4. §. 1. ff. de grad. affin.* Quamobrem violare alterum prohibemur naturæ lege. Hoc enim, inquit Cicero, natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quod ſit homo, conſultum velit. Cui naturali cognationi accedit illa quæ a naſcendi conditione ſive ſanguinis vinculo originem habet, cujus reſpectu homines ſibi invicem, vel magis, vel minus devinciuntur, atque pro menſura obligationis alter alteri hæc vel illa tenetur præſtare officia. Arctiſſima autem neceſſitudo illa eſt, quæ inter parentes & liberos intercedit, propter arctiſſimum illud generationis vinculum, utpote quod omnia omnino comprehendit officia, quæ homo homini ſecundum diverſam qualitatem, quæ cuique inhæret, debet: quamobrem illud ipſum non ſolum officia neceſſitudinis & cognationis, ſed & obedientiæ atque obſequii continet. Sunt enim inter homines quaſi Dii parentes, utpote qui imitari Deum videantur vitam dando, quemadmodum enim Deo ex jure creandi competit ſupremum atque independens dominium in res a ſe productas, atque ex eo dominio derivatur obſequium, quod debemus creatori noſtro ſine exceptione, ita & parentes ex jure generandi ſupremum quidem, verum dependens dominium habent in liberos ſuos, quia a ſe productos, quibuſque conſequenter reverentiam, honorem, & obſequium debent, non tamen infinitum, ſed limitatum, eatenus ſcil. ut in omnibus eorum juſſis eminentis, ut ita dicam, & independentis Dei imperii habeatur ratio, ita ut nunquam imperium paternum ſive parentum in liberos poſſit aliquid injungere, quod contrarium eſſet imperio divino; magis enim Deo obediendum quam hominibus. Ratione enim imperii divini, ceſſat ille honor, atque reverentia parentibus debita, quia homines ſibi invicem æquales ſunt reſpectu divini imperii.

15. Deinde vero, cum juris naturæ ſit ſtare pactis, (neceſſarius enim erat inter homines aliquis ſe obligandi modus, neque vero alius modus naturalis fingi poteſt,) ab hoc ipſo fonte jura civilia fluxerunt. Nam qui ſe cœtui alicui aggregaverant, aut homini hominibusque ſubjecerant, hi aut expreſſe promiſerant, aut ex negotii natura tacite promiſiſſe debebant intelligi; ſecuturos ſe id quod aut cœtus pars major aut hi quibus delata poteſtas erat conſtituiſſent. *2. Humanum. Civile cujuſque civitatis.*

COMMENTARIUS.

QUoniam vero omnia officia, quæ inter homines mutuo ſunt exercenda, non ejus generis ſunt, ut ea pleno, id eſt, perfecto jure alter ab altero exigere queat, propter mutuam obligationem, qua circa eorum præſtationem leges naturales homines ſibi invicem devinxerunt; verum quædam eorum ejuſmodi ſunt, ut exhiberi nobis eadem niſi precario poſtulare nequeamus, cujus naturæ ſunt humanitatis & charitatis officia; hinc ipſa naturalis ratio alium obligandi modum excogitavit, quo nobis jus acquireremus ad petenda ea, quibus quidem indigemus, verum jure naturæ nullo actu extrinſeco humano interveniente ad eorum præſtationem ſocium interpellare nequimus. Cui accedit quod cum diverſa ſint hominum ingenia, ita ut nonnulli propter nimium propriæ utilitatis ſtudium non adeo proni ſint ad benefaciendum aliis, & aliena commoda promovenda, niſi exinde lucrum aliquod in ſe redundaturum provideant, vel paria beneficia recipiendi ſpem habeant: quidam iterum recuſant officiorum in ſe collationem, niſi alter viciſſim a ſe quædam accipiat, neceſſe eſt, ut ejuſmodi præſtationes a conventione aliqua vel pactione formam accipiant atque determinentur. Præterquam quod videatur cuique arbitrio relictum, qua ratione potiſſimum proprio commodo conſulere velit, & conſequenter quiſque, tanquam propriæ utilitatis & neceſſitatis ſummus arbiter, facultatem habet hujuſmodi media adhibere, quæ huic conſulere ſibi videntur. Eo pertinent itaque pacta & conventiones, quibus homines ſibi procurant ea quæ jure ſuo a ſocio exigere nequeunt,

 queunt,

queunt, & conſequenter obligationes, quæ ex illis oriuntur, eandem habent vim, quam iis tribuere ſolemus, quæ immediate a legibus naturæ deſcendentes mutuam obligationem continent. Quamobrem juris naturæ eſſe dicimus ſtare pactis, ſive adimplere ea quæ pactis & conventionibus contrahentes ſibi invicem debent. Quippe quemadmodum permutatione officiorum, quibus mutuæ indigentiæ & neceſſitati ſuccurritur, humana ſocietas conſervari natura voluit, ita quoque injunxit hominibus neceſſitatem præſtandi ea, quæ ſibi invicem debent, vel ex ſola obligatione naturali, vel ex pacto & conventione obligationi naturali adjecta, tanquam adminiculum, quo ſupplemus quod deficit obligationi naturali ad producendam actionem, qua convenire poſſumus promiſſa adimplere recuſantem: quæ enim fuerunt voluntatis, cujuſmodi ſunt omnia illa officia, quæ pudori & humanitati charitatique hominum relicta ſunt, fiunt neceſſitatis interpoſito pacto, quia hac ratione adverſus alium, cujus ex voluntate pendebat præſtatio ſive executio, mihi paciſcendo novum jus conſenſu ejus acquiro, mutuam obligationem producens, & conſequenter ejuſdem efficaciæ, cujus omnes ſunt obligationes mutuæ per ipſam naturam nobis impoſitæ. Eo itaque ipſo quo nobis ſocietatis cuſtodiam injungit natura, pariter nos obligat ut pactis ſtemus, ſive fidem datam ſervemus, partim quia hac ratione indigentiæ humanæ, quæ ſocietatis finis eſt, mutua ope ſuccurritur, partim quia pax & tranquillitas conſervatur adminiſtrando juſtitiam, id eſt, ſuum cuique tribuendo: nulla diu poteſt ſocietas ſubſiſtere ſublata juſtitia, ea enim eſt arctiſſimum ejus vinculum & coagulum: quo rupto ſtatus belli introducitur; in quo homo homini lupus in mutuam advolat perniciem; quæ enim alia crebrior belli cauſa, quam fidei violatio, atque promiſſorum adimplendorum omiſſio vel recuſatio? ubi itaque exulat juſtitia, ibi pax & tranquillitas demigrarunt, & conſequenter nulla poteſt ſubſiſtere ſocietas; ibi autem juſtitia exulat, ubi violatur fides, fundamentum enim juſtitiæ eſt fides, ſublata itaque fide tollitur quoque juſtitia, tollitur autem fides quoties pactis non ſtatur, id eſt, quoties non ſervatur fides data, ut ſupra diſputavimus. Hinc Cicero, 2. *offic. cap.* 7. *Fundamentum juſtitiæ eſt fides, id eſt, dictorum conventorumque conſtantia & veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt unde verba ſint ducta, credamuſque, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem*, id eſt, cum quæ dicuntur, & promittuntur, atque conveniuntur, præſtantur atque ſervantur, vere & ſincere, ut virum probum & honeſtum decet; jungit enim fides hominem homini, & conſequenter ſocietatem conſervat; e contra ejus violatio parit diffidentiam, unde diſcordiæ, rixæ, iræ, & poſtremo belli ſtatus. Quamobrem fides vita & anima, imo fundamentum ſocietatis humanæ merito dicitur, utpote quæ conjungit animos. Hinc olim in fide danda accipiendaque dextræ conjungebantur. Fidem itaque ſervare, id eſt, præſtare ea quæ promiſimus, ſive pacto, ſive conventione aliqua interpoſita, natura ſive divina juxta & humana jura præcipiunt. Hinc Iſocrates adverſus Callimachum. *In fœderibus & pactis tanta vis eſt, ut pleraque res tum Græcorum tum Barbarorum ex pactis & conventis tranſigantur. His enim freti convenimus, & commercia agitamus. Per hæc inter nos contrahimus, per hæc cum privatas inimicitias, tum communia bella deponimus. Hoc uno tanquam communi bono homines omnes uti non deſiſtimus. Priuſquam promittas*, inquit Seneca, *delibera, & cum promiſeris facies, & malo mihi ſucceſſum deeſſe, quam fidem. Etiam hoſti eſt æquus, qui habet in conſilio fidem. Fidem enim qui perdit, nihil poteſt ultro perdere.* Et *Epiſt.* 88. *Fides*, inquit, *ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt, nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, cæde, occide, non prodam, ſed quo magis ſecreta quærit dolor, eo illa altius condam.* Hinc ait Ulpianus *l.* 1. *ff. de conſt. pecun. Prætorem naturali æquitati, qui conſtituta ex conſenſu facta cuſtodit, quoniam grave eſt fidem fallere.* Quamobrem non audiendum eſſe reſpondit Papinianus *l.* 25. *ff. eod.* qui vult conſtitutæ rei fidem frangere. *Is natura debet quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus. l.* 84. *ff. de Reg. Jur. Natura*, id eſt, jure naturæ ſive gentium, (cum nemo jure gentium debeat, quin & naturæ teneatur, quoniam jus gentium, ut ſupra notavimus, nihil aliud eſt, quam quod naturalis ratio inter gentes conſtituit, a qua & ipſum naturæ jus derivatur) debetur id quod natura æquum eſt ſolvi, ut ibi annotavit Gloſſ. Omne enim debetur natura quod vel pacto, vel conventione, vel nuda promiſſione aliquis petere poteſt, quoniam jus ex conſenſu noſtro in alium tranſiit ad perſequendum illud, quod vel dare, vel facere, vel præſtare fide interpoſita quis promiſit. Sufficit enim per conſenſum voluntatis declaratio ad obligationem naturalem neceſſario producendam, qua vel alteri obligamus, vel qui nobis obligatur. Conſentientes in aliquam rem, inquit Modeſtinus, ex conſenſu obligari ex voluntate noſtra videmur *l.* 52. §. 4. *ff. de oblig. & action.* Sin divina jura conſulamus, non deerunt nobis exempla, quæ comprobant eo jure, non tantum obligare pacta inter diverſos principes & populos inita, verum non impunitos fore, qui ea violare audent, ſancitum, imo ſæpiſſime ejuſmodi violatores pœnas dediſſe. Vid. 2 *Sam. cap.* 21. Ab hoc autem obligandi modo, quo tenemur fidem datam ſervare, ſive ſtare pactis, civilia quoque jura tanquam ex fonte ſuo fluxiſſe ſtatuit Author noſter, ſcil. quatenus illi, qui a naturali ſocietate receſſi ſunt, & in civilem coaliti, tacite vel expreſſe intelliguntur promiſiſſe, ſeſe id ipſum executuros, quod major pars populi, vel illi penes quem ſummum reſidet imperium conſtituiſſe, & conſequenter ſeſe executuros, quicquid imperans ſocietatis ſaluti utile fore judicans, ipſis injungit, vel legibus ſtatuit.

Cum

Cum enim nulla poteſt ſubſiſtere ſocietas, ubi concordia, id eſt, animorum & voluntatum unio exulat, neceſſe eſt ut præſumantur homines ſibi invicem promiſiſſe ſeſe obtemperaturos voluntati vel majoris partis, vel iſtius hominis, quem tuendæ ſocietati præfecerunt; qui enim vult conſequens, etiam antecedens velle intelligendus, ſine quo conſequens obtinere nequit; quare qui in civitatem coaluerunt præſumendi ſunt ea omnia voluiſſe, vel promiſiſſe, quæ ad ejuſmodi ſocietatem colendam atque conſervandam ſunt neceſſaria. Quæ promiſſio ejuſmodi ſive pactum, vel expreſſum, vel tacitum, ex ipſa negotii natura, vel ſocietatis fabrica profinens, cives primo ſibi invicem, deinde etiam ſummo imperanti obligat ad facienda, quæ civitas ſive eam repræſentans ſummus imperans jubet, fugienda vero quæ vetat. Sublata enim ejuſmodi obedientia ſive voluntatum ſubmiſſione, tollitur illa animorum unio, quæ arctiſſimum ſocietatis vinculum atque coagulum eſt. Merito igitur dicitur iſte obligandi modus, quo tenemur ſtare pactis conventis, ejus juris, quod civile appellamus, fons, qnatenus cujuſque civitatis proprium. Ex eo enim deducenda poteſtas leges condendi & promulgandi, quippe cum ea conditione deferri imperium intelligi debet, ut ſummus imperans videat ne quid reſp. aliquid detrimenti capiat, neceſſario huic delationi debet ineſſe ejuſmodi poteſtas, quæ omnia concedit ſummo imperanti ſacienda, quæ ſalùti ſocietatis inſervire judicat, eique adnexum eſt pactum, quo inrelligimus voluiſſe noſtras voluntates unius voluntati ſubmittere, ut prò lubitu & arbitrio de cujuſque voluntate ſummus imperans poſſet diſponere, & ea uti ad procurandam totius ſocietatis ſalutem. Delationi ineſt, jura condendi, leges promulgandi, negotia civibus imponendi, & quicquid e civitate eſt, diligenter ſummaque cum vigilantia & induſtria procurandi poteſtas. Submiſſioni adnexa eſt plena & prompta obedientia, quæ conſiſtit in exequendo quicquid vel legibus, vel principis reſcripto, vel edicto ſancitum, vel alia quacunque declaratione voluntatis ſummi imperantis nobis imponitur faciendum. *Illi enim imperandi, nobis obſequendi gloria relicta eſt*, ut inquit Tacitus. Utrumqne fundatum in illa tacita ſive expreſſa promiſſione, qua cives ſibi invicem obligati ſunt ad amplectenda omnia, quæ ad ſocietatem civilem colendam conſervandamque neceſſaria eſſe ſummus imperans arbitratur.

16. Quod ergo dicitur non Carneadi tantum, ſed aliis,

Utilitas juſti prope mater & æqui,

ſi accurate loquamur, verum non eſt: nam naturalis juris mater eſt ipſa humana natura, quæ nos, etiamſi re nulla indigeremus, ad ſocietatem mutuam appetendam ferret: civilis vero juris mater eſt ipſa ex conſenſu obligatio, quæ cum ex naturali jure vim ſuam habeat, poteſt natura hujus quoque juris quaſi proavia dici. Sed naturali juri utilitas accedit: voluit enim naturæ Auctor nos ſingulos & infirmos eſſe, & multarum rerum ad vitam recte ducendam egentes, quo magis ad colendam ſocietatem raperemur: juri autem civili occaſionem dedit utilitas: nam illa quam diximus conſociatio, aut ſubjectio utilitatis alicujus cauſa cœpit inſtitui. Deinde & qui jura præſcribunt aliis, in eo utilitatem aliquam ſpectare ſolent, aut debent.

COMMENTARIUS.

UTilitatem non poſſe dici juſti & æqui matrem ſatis ea evincunt, quæ ſupra diſputavimus, ſcil. quando ejuſmodi utilitas in deliberationem cadit, quæ ab honeſtate disjuncta omnia ad ſe rapit, nihil in commune defert. Quoniam enim, ut dicere incepimus, nobis non ſolum nati ſumus, ſed etiam ut aliis, id eſt, noſtri ſimillimis prodeſſemus, quamobrem cognationem inter homines naturam conſtituiſſe Florentinus teſtatur, voluit eadem natura permutandis officiis, quæ in ſuo cuique tribuendo maxime conſiſtunt, ut juſtitia & æquitas inter homines tanquam ejuſdem originis participes, & naturalis ſocietatis ex eadem origine promanantis membra exerceretur, quæ juſtitiæ & æquitatis diſtribntionem & exercitationem tollit ntilitas, quoniam nullis niſi propriis conſulat commodis, & conſequenter potius juſtitiæ noverca, quam mater dicenda videtur. Et quid ſi verum eſſet juſtum non natura, ſed ſanctione hominum eſſe propriæ ntilitati inſervientium, tamen perperam ea juſti & æqui mater diceretur; utpote quæ potius occaſionem præbuiſſe videri debet, quamobrem homines ad propriam utilitatem promovendam natura proni, vi rationis, cujus participes eos finxit Deus, quæ ſibi utilia, quæ non eſſent diſcernentes, jura quædam ſanciverunt, ac leges conſtituerunt, quas ſuadebat ntili-

tatis

tatis ratio ſive deliberatio. Quare ipſa ratio, non recta tamen, ſed illa animi vis, per quam conſequentia cernimus, cauſas rerum videmus, earumque progreſſus & anteceſſiones non ignoramus, ſimilitudines comparamus, rebus præſentibus adjungimus atque annectimus futuras, perſpicimuſque ea quæ nobis utilia, quæ nocitura ſunt, atque ſecundum ea totius vitæ curſum dirigimus, ea inquam ratiocinandi facultas juſti & æqui, cujus utilitas menſuras, norma, & regula ſive moderatrix eſt, fons & origo potius ſtatuenda eſt. Feruntur ad utilitates ſuas bruta animalia, verum ratione carentia legibus qnoque carent, quibus ea vel acquiri, & acquiſita conſervari debet, quas vi rationis excogitavit homo. Rationem hic fontem ejus juris, quod ſibi utilitate finxiſſe homines fingit Carneades, ſtatuo, quia mihi res eſt cum Atheo, qui nulla admittens jura niſi ab humano profecta arbitrio, nullum quoque agnoſcat Deum, authorem iſtius juris, quod recte ratiocinantes naturale, ideoque immutabile vocant, quia ab immntabili natura, id eſt, Deo naturæ opifice, immediate profectum & hominibus innatum communicatumque, quia ejuſdem naturæ participes, quatenus ad imaginem primæ originis creati ſunt. Quamobrem ſuperius probare conati ſumus nullum aliud poſſe inveniri vel excogitari juſtitiæ & æquitatis principium vel originem, quam ipſum Deum, & communem naturam, a quo ordiendum, quoties de juſto & æquo, honeſto & utili ſermo habendus eſt. Hinc noſtri Authoris opinionem, ſtatuentis juris naturalis matrem eſſe ipſam humanam naturam, amplecti nequeo, ntpote quæ potius ſubjectum eſt, cui leges naturæ præſcriptæ ſunt, quam cauſa efficiens ac ejuſmodi jura ſive leges producens; cui accedit, quod leges & jura in ſe contineant vim obligandi, quæ aliunde debet proficiſci, quam ab ipſa natura humana, quæ obligatur obtemperare ſuæ rationis dictaminibus. Obligandi poteſtas, & obligationis exequendæ neceſſitas, non in unam eandemque cadere poſſunt perſonam, quia, ſecundum tritum illud, nemo ſibi obligari poteſt, propterea quod obligatus cenſeri non poteſt, qui pro arbitrio ſemetipſum obligationis vinculo poteſt liberare. Quæ obligatio immediatè ex Dei natura ſive imagine nobis communicata procedit, quia ineſt ipſi naturæ juſti & æqui, cujus principia, propter illam participationem divinæ imaginis, naturæ humanæ innata ſunt; ideo, naturalia commode dici poſſunt; quare, ut dicere incepimus, natura humana non tanquam juris naturæ mater & origo, verum tanquam ſubjectum eſt, cui, quia juris capaci, leges naturæ promulgatæ ſunt, quæ & ratione originis & obligationis referri debent ad Deum tanquam primum principium. Ipſa divina natura cauſa originis, imperium vero divinum cauſa obligationis, utriuſque principium ipſe Deus, ſubjectum natura humana, tanquam tabula cui inſcripta eſt lex naturæ, non origo typi impreſſi, ut optime inquit Oſiander. Sed idem minus recte ſtatuit Authorem noſtrum errare, quando juris civilis matrem vocat ex conſenſu obligationem, potiuſque oppoſitum dicendum, & inverſo ordine ſic pronunciandum videri. Jus civile eſſe matrem, ex qua obligatio oritur civilis. Obſervandum enim hominum conſenſum in mutuam ſocietatem conſpirantium, quo voluêre ſummum imperium, quod ſingulis in ſtatu naturæ conceſſum eſt, natura in unum, vel plures conferendo, ſeque voluntati ſummi imperantis ſubjiciendo, ſocietatem civilem excitare, eſſe principium illius imperii, ex quo jura civilia dimanant, quemadmodum leges naturæ profluunt ab imperio divino, & conſequenter quemadmodum iſte conſenſus eſt cauſa iſtius imperii, quod fundamentum eſt, quo ſocietatis civilis fabrica innititur, ita idem ille conſenſus debet dici ejus juris origo, qnod dimanat a poteſtate ſummi imperantis, cujus perſona repræſentat totam civitatem ſingulaque ejus membra, atque ex eodem conſenſu, quo obligantur obtemperare imperio ejus, quem tuendæ & conſervandæ ſocietati præfecerunt, providere ne reſpub. aliquid capiat detrimenti, oritur obligatio, quo exequi tenentur cives ea quæ civitatis princeps juſſit atque ſancivit: cujuſmodi ſanctiones vocantur leges civiles, *quod enim principi placuit legis habet vigorem l. 1. ff. de conſt. prin. utpote*, inquit Juriſconſultus, *cum lege regia, qua de imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. Quodcunque igitur imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat.* Lex eſt quia ita præcepit, præcipit quia ſummum habet imperium, ſummum vero habet imperium, quia in eum illud communi conſenſu contulit populus; conſenſus itaque populi, & imperii, & obligationis civilis, quæ ex ſanctionibus deſcendit, cauſa & origo. Quippe, ut ſæpius diximus, qui conſentit in antecedens, præſumendus eſt qnoqne conſenſiſſe in conſequens, ſine quo antecedens haberi nequit; idcirco merito obligatio ex conſenſu, vel expreſſo, vel tacito, qua cives cum ſummo imperanti tenentur obedientiam debitam præſtare, tum ſibi invicem devincinntur ejus mandata ſive leges habere ratas, juris civilis mater & origo dicitur. Hujus vero juris proaviam jus naturæ eo ſenſu pronunciat Author ex conſenſu obligationem, quo juris civilis eandem matrem nuncupamus, ſcil. quemadmodum jus naturæ præcipit pactis ſtandum, & adimplenda eſſe ea quæ interveniente conſenſu noſtro dare, vel facere, vel exequi promiſimus, ſive expreſſe, ſive tacite; ita etiam jus civile, poſtquam mortales libertatis naturalis jacturam facientes in civitatem coaluerunt; imperium, quo quiſque in ſtatu naturali gaudebat abjicientes, aliquod concilium conſtituerunt, vel unum aliquod elegerunt ex ſeſe membrum, in quod omne contulere imperium, cujus voluntati quiſque ſeſe ita ſubjecit, vel ſubjeciſſe præſumendus eſt, ut ratum habere & exequi voluiſſe omne id quod ſummus

mus imperans, vel decrevit, vel conſtituit, vel reſcripſit, ſancivitque, nullus dubitare queat; ejuſmodi enim obſequium adeo neceſſarium eſt, ut nulla poſſet diu ſubſiſtere civitas eo ſublato, & conſequenter eo momento, quo excitare voluerunt mortales civitates, præſumendi ſunt voluiſſe quoque ſeſe obligare ad exequenda omnia, ſine quibus civitatis ſalus & pax conſervari nequit; quæ autem ejus conſervationi inſerviunt, ſummi imperantis relicta arbitrio & voluntati, cujus placitum nobis agendorum norma eſt & regula, modo ea mente nobis declarare voluiſſe conſtet, ut huic obtemperaremus. Eo enim animo in civitatem mortales coaluiſſe jam dictum, ut unius voluntas eſſet pro voluntate omnium, atque in ea omnia conſenſiſſe, quæ ſummus imperans, prout ſalutem reipub. efflagitare arbitratur, decrevit; qui conſenſus obligationem parit ad exequenda ſummi imperantis placita, & pro lege obſervanda. Submiſſioni enim voluntariæ civium illud pactum annexum credi debet, quo unuſquiſque eorum ſeſe obligavit de oon reſiſtendo voluntati ejus, quem tuendæ ſocietati præfecerunt; cui pacto ſtandum eſſe ipſa dictat recta ratio, & conſequenter merito jus naturæ quaſi proaviam, ſcil. cauſam remotiorem, vocat Author juris ejus, quod in civitate a ſummi imperantis proficiſcitur voluntate: quippe quod plurimum ei adſiſtat in eo ut rata ſint, quæ principi placuerunt, & legis haberent vigorem, quia in civitatem coaleſcendo mortales, neceſſario in illud conſentire voluêre, quoniam ejuſmodi imperii delatio ſocietatis civilis fundamentum ac baſis eſt, & conſequenter obligatio, quæ ex illa voluntaria delatione oritur, quia eſt cauſa proxima ſummi imperii, etiam juris civilis origo commode dici poteſt, a ſanctione principali profluens; cauſa remotior jus naturæ eſt, quod præcipit exequenda eſſe ea quæ pacto vel conventione, ſive expreſſa, ſive tacita, continentur. Verum in eo tamen jus civile a naturali maxime differt, quod huic utilitas accedat, illius autem origini eadem occaſionem dederit. Quam diſtinctionem & Paulus JCtus prohare videtur *in l. penult. ff. de juſt. & jur.* cum inquit, *Jus pluribus modis dicitur. Uno modo, cum id, quod ſemper per æquum ac bonum eſt, jus dicitur, ut eſt jus naturale. Altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaque civitate utile eſt, ut eſt jus civile.* Utilitas vero, quæ ſeſe juri naturæ comitem præbet, ex eodem jure derivari non a ratione alienum mihi videtur. Quippe cum Author naturæ nos infirmos multiſque rebus ad recte & beate vitam degendam egentes produxit, voluit, ut ſibi invicem prodeſſent homines, & mutua ope communi indigentiæ ſubvenirent; cum enim in finem natos homines inquit Cic. ut alii aliis prodeſſe poſſent, & ſinguli ſingulorum utilitati conſulerent, præcipientibus id ipſum naturæ legibus, ut eo ſcil. magis ad ſocietatem colendam cum ſui ſimilibus raperentur mortales. De ejuſmodi itaque utilitate ſermonem hic habet Author, non quæ juſtitiam & æquitatem tollit, verum quæ cum ea conjuncta pari paſſu ambulat, ſcil. quæ cum honeſtate ſemper conjuncta eſt, quæ alterum non lædit, neqoe honeſtati inimica eſt, ſuum cuique tribuens, pro menſura neceſſitudinis, quæ homini cum homine intercedit. Quoniam enim naturæ Opifex nos ita finxit, ut naturæ quodam impetu ad utilitatem feramur, a rationis dictamine alienum eſſe nequit, quando eam promovere, quantum poſſumus, conamur, modo honeſtatis obligationem ab utilitate non ſeparemus. Quoniam vero naturalis illa ſocietas, quæ in ſtatu naturæ obtinet, quamvis legibus naturæ munita, oon omnem tamen ſecuritatem tranquillitatemque præſtabat, propter proclive hominum ad nocendum ingenium, quod multorum periculorum ſæpiſſime cauſa erat, ad quæ depellenda homo ſolus & infirmus non ſatis virium habens, de aliis cœpit mediis cogitare, quibus ſeſe a tot incommodis & malis, quibus in ſtatu naturæ degens expoſitus erat, liberaret; itaque in ſocietatem civilem coaluerunt mortales, cui tuendæ aliquem e multitudine præfecerunt, in quem, reſiſtendi juri ſuo renunciantes, & ejuſdem voluntati & arbitrio ſeſe ſubjicientes, poteſtatem puniendi eos, qui inobedientes ſeſe præberent & civitatis tranquillitatem perturbarent, juſſa & imperia ſive ſanctiones imperantis venerari atque adimplere recuſando, tranſtulerunt. Poſtulabat enim communis & conſequenter ſingulorum membrorum utilitas ejuſmodi conſociationem atque ſubjectionem, quippe quæ aliter haberi non poſſet. E quibus perſpicimus, quia majorem utilitatem in ſingulos redundaturam ex ſocietate ejuſmodi civili prævidebant, merito dixiſſe Authorem utilitatem præbuiſſe occaſionem juri civili, propterea quod ejuſmodi conſociatio ſine legibus ab imperiali ſive principali majeſtate deſcendentibus ſubſiſtere nequit; deinde quia ſummus imperans, cui incumbit providere ne ſocietas aliquid detrimenti capiat, in præſcribendis atque promulgandis legibus maxime ſpectare ſolet utilitatem civitatis, quæ eſt unicus ſcopus vel ſaltem eſſe debet ejus qui ſocietati præeſt *Omnes*, inquit Cic. 2. *Off. qui reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quacunque agant ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus reipub. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio reipub. ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.* Sub ea tamen cautione, ne propriam utilitatem procurando tertium injuria afficiamus, quod fit quoties ab honeſto id quod utile eſt ſejungimus. Optime Scharrock. *de off. cap. 2. n. 10. Laudamus & privatos civitatum legiſlatores, qui communem propriarum civitatum utilitatem habent pro ſcopo ferendarum legum, modo cum legibus naturæ convenientes ſerunt, alias injuſtitiæ recte accuſantur, & juſtum in remp. ſuam bellum accerſunt, in quorum præjudicium hujuſmodi feruntur leges. Eo fit ut in omni rep. honeſtati & utilitati ſuæ ſtudentium ſi qua ex improviſo ſit ſcripta lex, in qua quicquam contra jus naturæ contineretur, quam primum in-*

ſellecta res eſt, qui præſunt reip. ejuſmodi legem ſtatim repudiatam eunt. Eadem relatio, quæ obtinet inter homines & ejuſdem ſocietatis cives qua tales, locum etiam ſibi vindicat inter diverſas nationes & civitates, & conſequenter quemadmodum utilitatem propriam cum incommodo ſui proximi promovere nulla permittunt jura, ita nec civitati permiſſum in læſionem atque perniciem alterius jura ac leges ſancire, quibus propriæ utilitati conſultum velit. Apud omnes enim gentes jus naturæ peræque obtinet, quod quia immutabile eſt, ſcripto ſive civili jure ab humana poteſtate dimanante mutari, multo vero minus tolli non poteſt. In quocunque enim ſtatu mortales vivant, incumbit iis neceſſitas vitam tranſigendi juri naturæ convenienter, qua obligatione ſemetipſum, qualemcunque conditionem aſſumat, ſolvere non poteſt, quia ſemper homo manet, & qua talis ex vi creationis ſubjicitur divino imperio, cujus reſpectu obtemperare obligatus eſt legibus ex divina profluentibus natura, quas naturales nuncupamus, quia, ut diximus, in hominis inſculptæ natura, ita ut ab ejus natura ejuſmodi obligatio, quæ neceſſitatem obediendi & exequendi ea, quæ legibus ſancita ſunt, involvit, ſeparari nequeat. Ex quibus concludimus, quod, quia diſpenſari nequit de jure naturæ, quoniam immutabile eſt, nunquam ab humana poteſtate aliquid ſanciri, vel legibus poſſe conſtitui juri naturæ contrarium, & idcirco jus ab utilitate, exule honeſtate, ſive civile, ſive humanum, quod poſitivum vocamus, deduci non poſſe, quia effici nequit, ne in omnibus actionibus & negotiis humanis leges naturæ locum habeant, quæ præcipiunt utilitatem honeſtate metiendam, quia nihil utile quod non boneſtum.

Gentium, civitatum omnium aut plerarumque.

17. Sed ſicut cujusque civitatis jura utilitatem ſuæ civitatis reſpiciunt, ita inter civitates aut omnes aut pleraſque ex conſenſu jura quædam naſci potuerunt, & nata apparet, quæ utilitatem reſpicerent non cœtuum ſingulorum, ſed magnæ illius univerſitatis. Et hoc jus eſt quod gentium dicitur, quoties id nomen a jure naturali diſtinguimus, quam partem juris omiſit Carneades, jus omne in naturale & civile ſingulorum populorum diſtribuens, cum tamen de eo jure quod inter populos verſatur acturus, (ſubjecit enim orationem de bellis & bello partis) hujus juris mentionem facere omnino debuiſſet.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum homo ſimul atque natus eſt, ſibi ipſi conciliatur, & tenerrimo erga ſe amore afficitur, quo contigit ut natura impellitur ad fugienda quæ ſibi nocitura, appetenda vero quæ ſibi utilia fore ratione dijudicat; ita ejuſdem utilitatis promovendæ ratione in civitatem coaluit, atque ſummo ſeſe ſubjecit imperio, quo poſſet defendi adverſus ea quæ ſibi noxia prævidebat, eaque præſtare quæ utilitati ſuæ inſervirent: ex qua imperii delatione deducimus ſummi imperantis officium conſiſtere in eo, ut quantum poteſt utilitatem civium promoveat, eamque pro ſcopo habeat ferendarum legum, ut modo annotavimus, atque eo ſenſu utilitatem occaſionem juri civili præbuiſſe merito ſtatuimus; eatenus ex conſenſu civium orto, quatenus ſummum aliquod conſtituerunt imperium, quod ejuſmodi leges, quibus utilitati civitatis, quæ quaſi legis anima eſt, conſuli poſſet, ferendi & promulgandi haberet poteſtatem, cui ſimul exequendi, quæ præcipiuntur, ineſt facultas, civibus obediendi relicta gloria, cum hujuſmodi utilitatis conſideratio cauſa fuerit ſocietatis civilis, & idcirco tanquam fons ejus juris, quod civile dicitur, quo ea promovetur, conſiderari poteſt, ortum ex conſenſu civitatem conſtituentium, ſcil. civium; ita & inter civitates, vel omnes, vel pleraſque, jura quædam ex conſenſu, vel expreſſo, vel tacito, oriri potuerunt, & revera orta apparet, quæ non ſingulorum cœtuum, ſed magnæ illius univerſitatis, vel maximæ ejus partis utilitatem reſpicerent. Quemadmodum enim ſingulorum civium utilitas dependet a communi utilitate totius civitatis, & eam ob cauſam huic potiſſimum conſultum velle ſingula civitatis membra præſumenda; ita & ſingularum civitatum ſalus atque utilitas quodammodo dependet ab utilitate quadam communi totius, vel maximæ ſaltem partis, generis bumani, quod venit nomine magnæ illius univerſitatis. Alter enim alterius indiget ope atque auxilio, quia ſinguli, ut diximus, natura infirmi ſumus; itaque, ſi mihi ipſi conſulere velim, oportet ut alienis commodis inſerviam; idem dicendum de ſingulis civitatibus, vel nationibus, quamobrem & jura quædam inter diverſas nationes atque civitates obtinere cernimus, quæ vel ex longa conſuetudine, vel expreſſo conſenſu derivanda arbitramur, quibus communem utilitatem conſervare atque promovere voluiſſe manifeſte declarant. Juri tamen naturæ merito adſcribenda, quoniam mentis diſcurſu in conſilium adbibito introducta fuere: licet aliquando gentium hoc jus dicatur, ſcil. quoties diſtinguitur a jure naturali, ſumpto ſtrictiori ſenſu

juris

juris naturæ vocabulo, quo ſignificat illud jus, quod diſpoſitioni hominis non ſubjacet, utpote profluens immediate ex divina natura, ideoque pertinens ad eos actus, qui per ſe illiciti vel liciti ab hominis voluntate neutiquam pendent, vel aliquam mutationem recipere poſſunt. Quod vero gentes præeunte rectæ rationis lumine ob neceſſitatem communem, vel longa conſuetudine, vel expreſſo aliquo conſenſu introduxerunt jus, illud, quatenus ex conſenſu & diſpoſitione gentium ortum habere videtur, gentium jus nuncupari poteſt; naturale tamen merito quoque vocatur, quatenus ex eodem juris fonte, ſcil. rationis dictamine derivatum eſt. Hinc contractus, conventiones, pacta, fœdera, permutationes, ſtipulationes, aliaque id genus negotia, quæ omnia neceſſitate humana exigente introducta ſunt, & ab hominis diſpoſitione formam accepere: a jure tamen naturæ tanquam ſuo antecedente & cauſa principali profluentia; quippe ut inquit *Gloſſ.* Jure naturæ communicatio hominum inter ſe mandatur: igitur humanæ communicationis modi quærendi ſunt: ejuſmodi vero modi hominum arbitrio relicti, & quatenus ab eodem introducti & inter omnes gentes ſaltem moratiores obtinent, ex jure gentium orti videntur: itaque quoad originem adſcribi poteſt juri naturæ; verum quoad promulgandi & conſtituendi modum, quia eatenus ab hominum inſtituto pendet, ideo gentium jus, ad diſtinctionem juris naturalis neceſſarii, vocatur. Quamvis aliter eodem poſſet venire nomine, ſumpto in latiori ſignificatione juris naturæ vocabulo, ad clariorem tamen juris publici intellectum commode poteſt denominari jus gentium a cauſa proxima, quæ eſt diverſarum gentium conſenſus ſive tacitus ſive expreſſus; quod circa ea verſatur negotia, & contractus qui inter diverſas celebrantur nationes, tam in bello, quam in pace.

18. Male autem a Carneade ſtultitiæ nomine juſtitia traducitur. Nam II.
ſicut ipſo fatente ſtultus non eſt civis qui in civitate jus civile ſequitur, etiamſi ob ejus juris reverentiam quædam ſibi utilia omittere debeat; ita nec ſtultus eſt populus, qui non tanti facit ſuas utilitates, & proprerea communia populorum jura negligat, par enim in utroque eſt ratio: nam ſicut civis qui jus civile perrumpit utilitatis præſentis cauſa, id convellit quo ipſius poſteritatiſque ſuæ perpetuæ utilitates continentur; ſic & populus jura naturæ gentiumque violans, ſuæ quoque tranquillitatis in poſterum reſcindit munimenta. Tum vero etiamſi ex juris obſervatione nulla ſpectaretur utilitas, ſapientiæ, non ſtultitiæ eſſet eo ferri ad quod a natura noſtra nos duci ſentimus.

Objectionum refutatio.

Juſtitia ſtultitia non eſt.

COMMENTARIUS.

SUpra demonſtravimus ejuſmodi de jure naturæ opinionem atque doctrinam, quam Carneades ejuſque diſcipuli publice profeſſi fuerunt, imo & hodie quidam profitentur, humano generi quam maxime pernicioſam eſſe, utpote quæ omnem tollit ſocietatem, fidem, & amicitiæ culturam; quia ſecundum ejuſmodi diſciplinam homo vitam inſtituens, omnem prorſus humanitatem exuere debet, & belluæ naturam induere; ubì enim juſtitia exulat, nulla poteſt coli ſocietas, & conſequenter ſublata juſtitia, ſuccedit belli ſtatus, in quo id æquius quod validius. Atqui illud axioma, quo contenditur nihil juſtum niſi quod utile, & juſtitiæ matrem eſſe utilitatem, nulla habita ratione honeſtatis, omnem prorſus tollit juſtitiam & æquitatem, fundamentum quo ſocietas humana nititur; ſequitur idem illud eſſe cauſam belli, & conſequenter autorem ſuum & inventorem Carneadem ejuſque diſcipulos magna dementia captos evincit, quod opinionem foverint humano generi maxime damnoſam. Quid enim magis utilitati hominis contrarium quam belli ſtatus, in quo omnes facultates atque poſſeſſiones, ſine quibus beatè vivere non poſſumus, pravorum hominum invaſionibus exponuntur: dempto enim metu pœnarum, quas leges ſtatuunt in malevolos & facinoroſos, quid ſanctum, quid intactum & illibatum ab eorum deteſtandis machinationibus conſervari poteſt. Ex quibus perſpicimus humanæ utilitatis promovendæ autorem, ejus potius oppugnatorem nuncupandum. Cum enim natura infirmi ſimus, ita ut alter alterius ope atque auxilio ad beatè vivendum indigeat, quid homini utilius, quam mutatione officiorum ſibi ſocios, id eſt, ſui ſimillimos, devincere atque conciliare, & alienis inſerviendo commodis propriam utilitatem promovere; id ipſum nobis præſtat juris naturæ obſervantia, quod auribus noſtris continuò inſuſurrat nihil utile quod non honeſtum, propriamque utilitatem honeſtate metiendam; quod enim utilitas ad ſe rapit, id honeſtas in commune defert, quo contingit ut honeſtas cum utilitate conjuncta ſocietatis vinculum eſt. Quando vero ab ea ſeparatur, eam diſſolvit & evertit. Temperat enim & moderatur hone-

ſtas nimium illud ſtudium, quo ad utilitatem feruntur homines, eoſque docet atque informat quænam ſibi mutuo præſtare debeant officia, ut cognatio illa, quam natura inter homines conſtituit, quæ ſocietatis omniumque officiorum, quæ leges naturæ præſcribunt, cauſa atque origo eſt, ſubſiſtat. Quando itaque honeſtatem utilitatis menſuram dicimus, juſtitiam ſignificamus inter homines colendam, eamque noſtrarum actionum debere eſſe normam & regulam, & idcirco nihil nobis utile eſſe niſi quod juſtum, æquum, & honeſtum: honeſte enim vivit qui juſtitiæ regulas, id eſt, naturæ leges obſervat. Male itaque a Carneade ſtultitiæ nomine juſtitia traducitur: quoniam juſtitiam colendo propriam utilitatem promovemus, ut ex ante dictis colligimus. Verum ſi civis ſtultus non eſt, qui leges civiles in civitate ſequitur, etiamſi in quibuſdam propriæ utilitati renunciare debeat, ipſo fatente Carneade, quamobrem hominem in ſtatu naturæ degentem, vel populum aliquem, qui propriæ utilitati communia populorum jura anteponit, inſanire diceremus. Quippe ſummo imperio non inter ſe connexæ diverſæ gentes conſiderari debent ratione humanæ ſocietatis tanquam ſinguli cives in civitate, quibus eadem invicem ſuo modo officia præſtanda, quæ ſingulis civibus jus naturæ præſcribit, & conſequenter par eſt in utroque ratio. Quippe quemadmodum qui jus civile utilitatis ſuæ præſentis promovendæ cauſa perrumpit, id convellit, quod ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, & conſequenter quo ipſius poſteritatiſque perpetuæ utilitates continentur; rupto enim ejus vinculo, ſocietatis quoque corruit fabrica, qua ſublata, omne utilitatis tutamen, cujus cauſa in ſocietatem coaluere mortales, tollitur: ita quoque & homo in ſtatu naturæ, vel populus ſive civitas jura naturæ & gentium violans, ſibi hoſtes concitando propriam tranquillitatem ſecuritatemque perturbat, in qua potiſſimum & civitatis, & ſingulotum hominum in ſtatu naturali conſiſtit utilitas. Verum progrediamur ulterius, & examinemus ipſam naturam humanam, ejuſque inclinationem, ſcil. rationalem, qua a brutis, cæteriſque creaturis diſtinguimur, & facile perſpiciemus, etiamſi juris obſervatio nullam hominibus utilitatem præſtaret, attamen juſtitiæ cultum potius ſapientiæ quam ſtultitiæ adſcribendum, quia ſentimus natura noſtra nos eo ferri, quæ, quatenus particeps divinæ auræ, nos ducit ad illud quod ſummæ ſapientiæ conveniens eſt. Quippe cum iſte motus a ſapientiſſimo ente, quo nomine *naturam* ſano ſenſu venire poſſe ſupra demonſtravimus, naturæ noſtræ impreſſus eſt, ſtultitiæ nomine traduci non poſſe ex eo ſatis ipſe Carneades perſpiceret, quod, cum ipſi Athei naturam ad ſui perfectionem maxime tendere tanquam infallibile aliquod axioma credant, concedere neceſſe habent, quatenus noſtram naturam ejuſdem univerſæ naturæ participem ſtatuunt, eam tanquam totius partem laborare non poſſe vitio aliquo, quod in totum cadere nequit; atqui ſtultitia eſt ſumma imperfectio; ergo ad illam nos ferri non poſſe naturâ ipſa evincit ratio; ex quibus concludimus inclinationem humanæ naturæ ad juſtitiam colendam, ſapientiæ potius eſſe quam ſtultitiæ attribuendam, quia a natura proficiſcitur, qua duce nullo pacto errari poteſt, ut inquit Cic. Quippe cum omnis natura ad ſui perfectionem tendat, ſtultitia autem eſt ſumma imperfectio, ergo propenſio naturæ ad juris obſervationem non eſt ſtultitia, quia contra naturam eſt natura ad ſtultitiam duci, quo ſenſu inquit Aug. *malas voluntates a Deo non eſſe, quia contra naturam ſunt, de Civ. Dei lib. 5. cap.* 9. Ejuſmodi vero propenſionem ad juſtum & bonum hominis naturæ innatam, ſatis evincunt quæ ſupra ad Carneadis argumenta refutanda diſputavimus, & infra paulo altius repetemus.

19. Quare nec illud,

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt:

Vis ex metu injuſti: & validioris cauſa ejus non eſt.

quod apud Platonem quidam ita explicat, metu accipiendæ injuriæ repertas leges, ac vi quadam homines ad juſtiriam colendam adigi, univerſaliter verum eſt: id enim ad ea dumtaxat inſtiruta ac leges pertinet, quæ ad faciliorem juris execurionem reperta ſunt; ſicut multi per ſe infirmi, ne àb validioribus opprimerentur, conſpirarunt ad inſtituenda ac communibus viribus tuenda judicia, ut quibus ſinguli pares non erant, his univerſi prævalerent. Et hoc demum ſenſu commode accipi poteſt quod dicitur jus eſſe id quod validiori placuit; ut intelligamus fine ſuo exrerno carere jus, niſi vires miniſtras habeat, ſicut Solon res confecit maximas, ut ipſe prædicabat:

Ὁμοῦ βίην τε καὶ δίκην συναρμόσας.

Vim juſque parilis copulans vinculi jugo.

COMMENTARIUS.

Recte Author ſtatuit illud Horatii non adeo univerſaliter verum eſſe, quippe ſupra annotavimus leges naturæ, quæ cum ipſa natura humana promulgantur, aliunde originem derivare.

re. Verum nobis objici poſſet, hominis naturam vitiis adeo inquinatam atque corruptam eſſe, ut niſi metu pœnarum, quæ legibus tum naturalibus tum civilibus ſanciuntur in facinoroſos, a malo deterrerentur, & ad juſtitiæ obſervantiam impellerentur, verendum eſſet, ne ſingulis momentis in mutuam perniciem advolarent, atque nefandiſſima quotidie admitterent facinora. Quamobrem videtur metus futuri mali tum legibus naturalibus tum etiam civilibus ferendis cauſam præbuiſſe. Quippe ſi non eſſet ad vitia prona hominis natura, non eſſet opus legibus, quæ ſua vitiis atque ſceleribus decernunt ſupplicia, virtutibus præmia. Verum ut huic objectioni reſpondeamus, repetenda ea quæ alio loco de origine juris naturæ diſputavimus. Longe ſane alia cauſa legum moralium quam civilium nuncupanda, illarum mater eſt ipſa juſtitia, ipſa bonitas & rectitudo: harum promulgationi teterrima hominum malitia, & deteſtandis vitiis corrupta natura occaſionem præbuit. Quod naturæ legibus ſanctio adjecta pœnalis, id ex accidenti ſit propter naturæ humanæ depravationem, non vero earum ſcopus principalis: civilium vero legum finis eſt, ut pœnarum metu homines ad juſtitiam colendam adigantur, & revocentur ad officia, quæ ſibi invicem præſtare tenentur. In ſtatu enim integro nullus metus poterat eſſe accipiendæ injuriæ, neque nulla vi opus, qua ad juſtitiam colendam mortales quaſi cogebantur; cum vitæ integri ſceleriſque puri ſponte ſua faciebant quæ juſta & recta erant. Cujuſmodi hominis ſtatum, qui aureus dicitur, & ipſi Gentiles ſibi depinxerunt. Unde canit Virgil. *lib. 7. Æneid.*

— neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte ſua veteriſque Dei ſe more tenentem.

Et Ovid. *lib. 1. Metamorphoſ.*

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant:
Pœna metuſque aberant, nec verba minantia fixo
Ære legebantur; nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui: ſed erant ſine vindice tuti.

Et Tacit. 1. *Annal. Vetuſtiſſimi mortalium*, inquit, *nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ac ſcelere, eoque ſine pœna & coërcitionibus agebant; neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur.* Legis tamen naturalis non expers erat homo, utpote quæ conſiſtebat in ſanctitate & imagine divina, ad quam erat conditus, itaque naturam ſuam integram & inclinationem incorruptam ſequens a lege nunquam aberrabat, quoniam ſemper ſanctitati Dei convenienter operabatur, ideoque quod juſtum & bonum erat, legis moralis ſive naturalis objectum faciebat. Quippe divina ornatus imagine, in mente & voluntate erat ſumma rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obſequium compoſitæ erant, ut inquit Calvin. *Inſt. lib. 1. cap. 15.* Quamobrem quamdiu iſtius imaginis particeps, nil niſi bonum & juſtum cupiebat; & conſequenter nullo pœnarum metu opus erat, quo avocari & deterreri deberet a vitiis; ferebatur enim amore naturali ad colendam juſtitiam, cujuſmodi amor nulla indiget lege pœnam comminante. Oderunt enim peccare boni virtutis amore, mali autem formidine pœnæ. Hinc definitur lex, quod ſit coërcitio delictorum, quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur *l. 1. ff. de ll. Primi mortalium, quique his geniti naturam incorruptam ſequebantur, eandem habebant & ducem & legem,* inquit Senec. *epiſt. 91.* Ita ut in ſumma beatitudine vita tranſigebatur, quippe honeſta ſuopte ingenio petentes, nulla ſibi a ſe invicem mala vel pericula imminebant, & ſua enim quiſque ſorte contentus, ſine cupiditate invadendi & deripiendi aliena, exiguum, quod ipſi fortuna largita erat, colebat, ita ut nullo opus imperio & legum comminatione ad mala & inhoneſta cohibenda deſideria, ne in perniciem alterius erumperent. Verum ubi exciderit homo integritatis ſtatu, ferrea prodiit ætas, omnium ſcelerum vitiorumque mater, quæ quaſi contagio quædam mortalium pectora invaſerunt, atque hominem, alias mitiſſimum animal, in omnium animalium ferociſſimum mutarunt. Ita ut, quamvis rectæ rationis dictamen ipſi repræſentabat creatorem tanquam ſeverum legiſlatorem, & vindicem peccatorum, viſitantem iniquitatem patrum in filios, in nepotes & abnepotes, atque comminantem æternæ mortis pœnam legis divinæ ſive moralis transgreſſoribus; attamen quia ex infinita erga nos homunciones miſericordia atque benignitate lento gradu procedit ad vindictam Deus, ideoque non illicò ſemper pœna excipit peccatores, non adeo videntur deterreri homines ejuſmodi divina quamvis terribili comminatione, quam metu præſentis alicujus ſupplicii in facinoroſos legibus conſtituti: Hinc non adeo abſurdum illud, *jura metu injuſti inventa*, quando legibus civilibus applicatur. Cum enim propter tot multorum hominum compoſita mala deſideria vix præſtent quæ ſibi invicem ſive jure naturæ ſive alio quovis titulo debent, inſtituta ac leges reperta ſunt, quæ ſua ſceleribus ſupplicia, virtutibus præmia decernentes, vel metu præſentis mali, vel ſpe futuri præmii, quemque ad juſtitiæ cultum atque ad debita præſtanda officia adigerent. Quamobrem ad excitandas civitates, & ad inſtituenda & communibus viribus tuenda judicia conſpirarunt mortales, quia ſinguli in ſtatu naturæ infirmi, jus ſuum a validioribus exigere ac conſequi impares erant. Quo ſenſu dicitur jus eſſe, quod validiori placuit, ſcil. quatenus jus ad effectum perduci nequit, niſi vi ſummi alicujus imperii, quod ſuum cuique tribuere valet; hinc enim multi jure ſuo privantur, quod ſatis virium non habent ad tuenda jura ſua contra validiores. Quamobrem juriſdictioni magiſtratus adhæret imperium, quod mixtum vocamus, quo magiſtratus juriſdictionem ſuam poſſet defendere, & exequi valeret, quæ jurisdictionis vi decrevit pronunciavitque, unde in *l. fin. de offic. ejus cui mand.* Inquit Paulus. *Mandata juriſdictione privato, etiam imperium quod non eſt merum, videtur mandari, quia jurisdictio ſine modica coërcitio-*

citione nulla eſt. Et Javolenus in *l. 3. ff. de juriſd. Cui juriſdictio data eſt*, inquit, *ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt.*

JUSTITIA *ſecuritatem affert conſcientiæ.*

20. Neque tamen quamvis a vi deſtitutum jus omni caret effectu: nam juſtitia ſecuritatem affert conſcientiæ, injuſtitia tormenta ac laniatus, quales in tyrannorum pectoribus deſcribit Plato. Juſtitiam probat, injuſtitiam damnat proborum conſenſus: quod vero maximum eſt, hæc Deum inimicum, illa faventem habet, qui judicia ſua ita poſt hanc vitam reſervat, ut ſæpe eorum vim etiam in hac vita repræſentet: quod multis exemplis hiſtoriæ docent.

COMMENTARIUS.

QUamvis jus deſtitutum eſt illo imperio quod juriſdictionem tueatur & contumaces ac inviti adigantur obtemperare decreto atque ſententiæ judicis, ſuumque cuique tribuentis, attamen non omni caret effectu: mille enim cruciatus ac laniatus injuſtorum pectora oblident atque agitant, quoniam conſcientia hominem ſingulis momentis coram ſupremi judicis tribunali citat, eumque dignum æternæ mortis pœna pronunciat: illa enim & accuſator & teſtis & judex adeo perturbat hominis mentem, & inquietum reddit, ut vita ipſi ſupplicium, mors ſolatium videatur.

Eſt canis in molli ſtertens mens conſcia lecto,
Abrupto ſomno, mordet acerba canis.

Nam, ut inquit Saluſt. *Bell. Catil. animus impurus diis hominibuſque infeſtus neque vigiliis neque quietibus ſedari poteſt, ita conſcientia excitatam mentem vaſtat.* Et Cic. 2. *Paradox. Te conſcientia ſtimulat maleficiorum tuorum; te metus exanimant judiciorum atque legum: quocunque adſpexiſti, ut furia, ſic tua tibi injuria occurrunt, qua tibi reſpirare non ſinunt.* Optime hæc tormenta & conſcientiæ laniatus deſcribit Macrobius per fabulam illam, quam apud Virgilium legimus de Tytio gigante, *in lib. de ſomnio Scipionis. Nihil*, inquit, *aliud intelligi voluerunt quam tormenta mala conſcientia flagitio obnoxia viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis, ſemperque curas, ſi requieſcere forte tentaverint excitantis, tanquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec ulla ſibi miſeratione parcentis: lege hac, qua ſe judice nemo nocens abſolvitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare conſcientiam.* Ejuſmodi conſcientiæ ſtimulos deſcribit Plato, *lib. 9. Reip.* in pectoribus tyrannorum, qui vi opprimunt juſtitiam, & id æquius quod validius exiſtimantes, per fas & nefas intentionis aciem obtinere nihil penſi habent. *Mendicus revera eſt*, de tyranno ſermonem habens, inquit, *ſi quis univerſum ipſius animum recte noris inſpicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* Et Tacitus 6. *Annal: Adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientia firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* Atque ad Tiberium hanc habens orationem adjicit, *quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* Quamobrem hiſce ſtimulis agitatum Cæſarem aliquando exclamaſſe teſtantur Hiſtoriæ, *præſtare ſemel oppetere mortem, quam in perpetuo mortis metu angi.* De Tiberio teſtatur idem Tacitus *cap. 6. Annal.* eum ipſum in epiſtola ſua ad Senatum miſerrimum ſuum ſtatum conſcientiæ agitatum ſtimulis querentem ſcripſiſſe. *Quid ſcribam vobis*, inquit, *patres conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me, Deaque pejus perdant, quam quotidie perire ſentio, ſi ſcio.* Contra vero quantam tranquillitatem & ſecuritatem adfert conſcientiæ, quanta jucunditate animum afficit,

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

eleganter Cic. in Catone majore deſcribit *cap. 3. Aptiſſima omnino ſunt, Scipio, & Læli, arma ſenectutis artes exercitationeſque virtutum: quæ in omni ætate culta, cum multum diuque vixeris, mirificos afferunt fructus, non ſolum quia nunquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, (quanquam id maximum eſt) verum quia conſcientia bene actæ vitæ, multorumque beneficiorum recordatio, jucundiſſima eſt.* Præterquam quod maximum eſt; hæc acquieſcit in favore Dei ſupremi judicis, qui intima cordis penetralia perſcrutatur, & coram quo omnes cogitationes noſtræ nudæ ſunt atque apertæ, quem tanquam benignum patrem cum fiducia adire poteſt, ejuſque erga ſe benevolentiam expoſcere, & in præſenti & futura vita. Ubi contra illa Deum fugit tanquam ſeverum judicem & vindicem peccatorum, cujus ſumma ſanctitas ad divina ſubſellia aliquando pertractura peccatorem, ſæpe ipſi eorum vim etiam in hac repræſentat vita, vel ſi differat poſt hanc vitam, tarditatem illam ſupplicii gravitate compenſat.

21. Quod

21. Quod vero multi quam a civibus exigunt juſtitiam, eam in populo aut populi rectore inſuper habeant, ejus erroris cauſa eſt, primum quod in jure nihil ſpectant niſi utilitatem quæ ex jure oritur, quæ evidens eſt in civibus, qui ſinguli ad ſui tutelam invalidi ſunt: at magnæ civitates, cum omnia in ſe complecti videantur quæ ad vitam recte tuendam ſunt neceſſaria, opus habere non videntur ea virtute quæ foras ſpectat & juſtitia appellatur. *Privatis, populo, populique rectoribus æque convenit.*

COMMENTARIUS.

SI juſtitia colenda atque exercenda eſt propterea quod ſine ea nemo ſibi ſufficeret ad comparanda & acquirenda quæ propriæ conſervationi atque tutelæ inſerviunt, quippe cum alter alterius indiget auxilio, ut beate vivere poſſit, quiſque tenetur juvare ſocium, ſi velit ab eo adjuvari. Atqui illa neceſſitas & indigentia ceſſare videtur in populi rectoribus, vel magnis civitatibus, utpote quæ in ſe complecti videantur omnia, quæ ad vitam recte tuendam neceſſaria ſunt, conſequenter non videtur in populum vel ejus rectorem cadere obligationem illam, qua quiſque tenetur alteri facere, quod ſibi fieri velit, quamobrem qui propriæ utilitati, quam ſolus promovere nequit, aliorum ope conſulere velit, oportet ut aliemis quoque commodis inſerviat; quandoquidem homines ſibi invicem prodeſſe & opitulari tenentur jure naturæ propter illam cognationem, quam natura inter eos conſtituit; at vero fruſtra quis a me exigit obligationis hujus naturalis complementum, quam adimplere ipſe recuſat: humanæ igitur indigentiæ juſtitiæ exercitatio ſubvenit.

22. Sed, ut ne repetam quod dixi, jus non ſolius utilitatis cauſa comparatum; nulla eſt tam valida civitas quæ non aliquando aliorum extra ſe ope indigere poſſit, vel ad commercia, vel etiam ad arcendas multarum exterarum gentium junctas in ſe vires; unde etiam a potentiſſimis populis & regibus fœdera appeti videmus, quorum vis omnis tollitur ab his qui jus intra civitatis fines concludunt. Veriſſimum illud, omnia incerta eſſe ſimul à jure receſſum eſt.

COMMENTARIUS.

NOn difficile erit dictæ objectioni reſpondendo craſſiſſimum eorum errorem detegere, qui utilitate tantum jura metiuntur. Quippe, ut ſuperius diximus, eadem relatio, quæ locum ſibi vindicat inter homines in naturæ ſtatu degentes, etiam obtinet inter diverſos reges & civitates quoad jura quæ ex rectæ rationis dictamine profluunt, tum etiam quoad illa quæ ex conſenſu oriuntur, quibus ſtatuendis utilitatis menſuram cauſam præbuiſſe videtur. Singuli enim populi ſive ſingulæ civitates conſiderantur tanquam una perſona, quæ univerſam multitudinem, ex qua civitas conſtat, repræſentat ſub numero ſingulari, quemadmodum paterfamilias repræſentabat univerſam familiam ante excitatas civitates, cujuſmodi familiæ eatenus ſibi obligabantur, quatenus jura naturæ exigunt, quæ cum immutabilia ſint, atque hominum diſpoſitioni non ſubjacent, nemo iis ſolutus eſſe poteſt, ſed ubique & quocunque in ſtatu vim ſuam exercent, adeoque tenentur homines ſibi invicem præſtare, quæ iis cauta ſunt atque ſancita: mutato itaque ſtatu naturæ in ſocietatem civilem, id eſt, coalitis iſtis familiis ſive ſingulis hominibus in ſocietatem aliquam, cui vel plures vel unum præficiebant, qui univerſam multitudinem ex tot capitibus conſtantem tanquam unam perſonam repræſentaret, eodem jure & eodem imperio gaudere, quo ſinguli in naturæ ſtatu, in quo quiſque ſuarum rerum arbiter & ſupremus dominus fruebatur; ejuſdem enim conditionis deberet eſſe multitudo ſive perſona eam repræſentans, cujus fuerant ſingula membra ratione eorum de quibus ipſis nullum competiiſſet jus diſponendi; atqui neceſſario omnes tenentur naturæ jure, ita ut eo nemo ſolutus eſſe poſſit in naturæ ſtatu; ergo eodem quoque jure oportet teneri ſociatam multitudinem, vel qui eam repræſentat, quoniam nemo plus juris in alium transferre poteſt quam ipſe habet. E quibus manifeſtum eſt eodem jure naturæ, quo quædam officia ſibi homines in naturæ ſtatu, vel in civitatem coaliti præſtare tenentur non voluntate, ſed neceſſitate, quæ nullam diſpenſationem admittit, eodem inquam jure ſingulas civitates vel earum rectores ſibi obſtrictos eſſe, obligationeſque, quæ ex legibus natu-

naturæ profluunt, adimplere. Quoniam nulla humana poteſtas queat efficere, ne naturæ jus in quacunque vitæ conditione & ſtatu locum habeat. Præterquam quod nulla ſit tam valida civitas, vel natio, quæ ſine ope exterarum civitatum vel gentium ad utilitatem ſuam tuendam & ad omnia, quæ ſibi ab aliis nationibus imminent, pericula depellenda ſatis valida ſit atque ſufficiens. Si enim in ſe complecterentur omnia quæ ad vitam beate agendam neceſſaria ſunt, quem in finem commercia inſtituta. Si ad ſui tutelam ſatis validi, quamobrem a potentiſſimis populis & regibus fœdera appeti & iniri videmus, ad exterarum gentium vim in ſe unitam arcendam & propulſandam; hæc omnia ad juſtitiam impellunt reges populoſque, atque ad juris obſervationem adigunt, cum naturalis, tum etiam illius quod ex conſenſu oritur & jus gentium vocatur, cui cujuſque gentis utilitas occaſionem præbuiſſe videtur. Juſtitia enim ſublata hæc omnia, quibus vitæ beatitudo utilitatis promovendæ unicus ſcopus & finis continetur, tollutur, utriuſque enim ſalus & utilitas cum ſingularum civitatum & hominum fundatur in ſocietatis cultu, cum hominum tum etiam gentium inter ſeſe; illa autem ſubſiſti nequit, niſi juſtitia tanquam arctiſſimo ejus vinculo muniatur. *Quemadmodum enim*, ut inquit Cic. *in Orat. pro Cæcin. qui jus civile contemnendum putat, is vincula refellit non modo judiciorum, ſed etiam utilitatis, ac vitæ communis.* Ita etiam qui jus gentium tollit, is cujuſque gentis utilitatem oppugnat, quoniam commercia, contractus, fœdera atque pacta disrumpit atque exulare efficit, magnæ illius univerſitatis, qua totum genus humanum continetur, vincula. Eleganter Suarez *lib. 2. de ll. cap.* 19. *Ratio hujus juris eſt*, inquit, *quia humanum genus, quamvis in varios populos & regna diviſum, ſemper habeat aliquam unitatem, non ſolum ſpecificam, ſed etiam quaſi politicam & moralem, quam indicat naturale præceptum mutui amoris & miſericordiæ, quod ad omnes extenditur, etiam extraneos & cujuſcunque nationis. Quapropter licet unaquæque civitas perfecta, reſpublica aut regnum ſit in ſe communitas perfecta, & ſuis membris conſtans, nihilominus qualibet illarum eſt etiam membrum aliquo modo hujus univerſi, prout genus humanum ſpectat. Nunquam enim illæ communitates adeo ſunt ſibi ſufficientes ſigillatim, quin indigeant aliquo mutuo juvamine, & ſocietate ac communicatione, interdum ad melius eſſe, majoremque utilitatem, interdum vero & ob moralem neceſſitatem. Hac ratione ergo indigent aliquo jure, quo dirigantur & recte ordinentur in hoc genere communicationis & ſocietatis. Et quamvis magna ex parte hoc fiat per rationem naturalem, non tamen ſufficienter & immediate quoad omnia: ideoque ſpecialia jura potuerunt uſu earundem introduci, &c.*

23. Si nulla eſt communitas quæ ſine jure conſervari poſſit, quod memorabili latronum exemplo probabat Ariſtoteles, certe & illa quæ genus humanum aut populos complures inter ſe colligat, jure indiget: quod ille vidit qui dixit fœda ne patriæ quidem cauſa facienda eſſe. Graviter eos accuſat Ariſtoteles, qui cum inter ſe neminem velint imperare niſi qui jus habeat, in exteros quid jus, quid injuſtum ſit nihil curant.

COMMENTARIUS.

HOc §. Author pergit probare juris obſervationem in omni hominum communitate vel ſocietate adeo neceſſariam eſſe, ut ne quidem ipſa latronum perditiſſima colluvies ea carere poſſit. Utpote qui quanquam adverſus quoſcunque hoſtili flagrant odio, attamen niſi aliquam inter ſe juris & juſtitiæ ſpeciem conſervarent, in ſemetipſos ſævirent, & alter alterius hoſtis evaderet, & ita miſere inter ſeſe bellis ac præliis conflictarentur, quamobrem videmus eos in dividendis rebus, per ſcelus acquiſitis, juſtitiam ſervare, ſingulis ſuam partem, quæ cuique ex conventione aliqua competit, vel cum omnes æquales ſint æqualem omnibus tribuendo portionem. Hinc Cic. 2. *Off. cap.* 11. *Tantam juſtitiæ eſſe vim*, inquit, *ut nec illi quidem qui ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem, qui archipirata dicitur, niſi æqualiter prædam diſpertiat, aut interficiatur a ſociis, aut relinquatur. Quia etiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quos obſervent.* Quod ſi igitur juſtitia adeo neceſſaria eſt, ut ne quidem latronum deterrima ſocietas ſine ea queat ſubſiſtere, quanto magis ea, quæ humanum genus, vel diverſas nationes populoſque complures inter ſe colligat jungitque, indiget jure & juſtitiæ exercitatione. Quippe, ut ſæpius diximus, ſublata juſtitia omnia incerta ſunt, & expoſita improborum hominum libidini, & ſcelerato habendi amori, quo contingit ut humana ſocietas ſit latronum communitas, & officina omnium ſcelerum & nequitiarum. Quam maxime itaque generis humani intereſt, ut ſanctè cum naturæ, tum etiam gentium jus ſervetur; ita ut ne quidem patriæ cauſa ſuſcipienda ſint quæ juri ſive naturæ ſive gentium repugnant. Patriæ quidem cauſa maxime favorabilis eſt, quamobrem inquit Cicero ejus amorem omnes caritates complecti, attamen quæ natura turpia ſunt, & fidem violant, ac juſtitiam lædunt, non magis ejus intuitu, quam alius cujuſcunque negotii cauſa facienda ſunt: in omnibus enim humanis actionibus illud Papiniani dictum in

l. 15.

l. 15. ff. de cond. inſt. *Quæ facta lædunt pietatem, verecundiam, exiſtimationem noſtram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Perperam itaque Machiavellus tradit *lib. 3. cap. 4. diſp. in Liv.* Boni civis officium eſſe, quando de conſervatione patriæ libertatis agitur, nihil aliud ſpectare, quam illam quoquomodo tueri & conſervare, ideoque eum ab hoc ſcopo non avertere neque juſti vel injuſti, vel crudelitatis aut miſericordiæ notam oportere. Bono quidem civi incumbit patriam oppreſſam liberare, & liberatam conſervare ac tueri; verum ejus libertatem per fas & nefas quærere divina atque humana vetant jura. Semper enim & ubique, in quovis negotio & ſtatu, quod utile eſt cum eo quod honeſtum & juſtum eſt convenire oportet: eſt enim hoc ipſum per ſe illicitum, quærere quod utile eſt, nulla honeſtatis habita ratione, ideoque naturæ jure prohibitum, & conſequenter nullo in caſu diſpenſationem patitur.

24. Is ipſe quem nominavimus modo in partem alteram Pompejus, quod Spartanus quidam rex dixerat, beatiſſimam eſſe rempublicam cujus fines haſta & gladio terminarentur, correxit, dicens eam vere beatam eſſe quæ juſtitiam pro finibus haberet: quam ad rem alterius itidem Spartani regis uti potuit auctoritate, qui militari fortitudini juſtitiam antepoſuit, hoc argumento, quod fortitudo juſtitia quadam regi deberet: at ſi juſti eſſent homines omnes, fortitudine illa non indigerent. Ipſam fortitudinem Stoici definiebant virtutem propugnantem pro æquitate. Themiſtius orationē ad Valentem facunde diſſerit, reges, quales exigit ſapientiæ regula, non unius ſibi creditæ gentis habere rationem, ſed totius humani generis; & eſſe, ut ipſe loquitur, non φιλομακέδονας tantum, aut φιλορωμαίους, ſed φιλανθρώπους. Minois inviſum apud poſteros nomen non aliud fecit, quam quod æquitatem imperii ſui finibus terminaret. *Regis pacem.*

COMMENTARIUS.

UBi fines reipub. haſta & gladio terminantur, ibi oportet juſtam aliena invadendi cupidinem dominari, qua conditione nulla reſpub. pejor excogitari poſſe mihi videtur! quoniam aſſiduis conflictetur bellis, atque nihil quam armorum audiatur ſtrepitus. Oportet tutari fines imperii gladio, non propagari, niſi juſta ſubſit cauſa: gladius & haſta juſtitiæ tutamina ſunt, non vero ejus menſura. Teſtatur Juſtinus principio rerum gentium nationumque, cum Aſtræa virgo nondum terras reliquerat, morem fuiſſe imperii fines tueri magis quam proferre, ita ut intra ſuam cuique patriam regna finirentur. *Quem veterem*, inquit, *& quaſi avitum gentibus morem, primus omnium Ninus, rex Aſſyriorum, nova imperii cupiditate mutavit.* Hic enim fines imperii gladium & haſtam exiſtimans, primus intulit bella *finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, terminos uſque Libyæ, perdomuit.* Beatiſſima contra ea reſpub. quæ juſtitiam pro finibus habet, in ea floret pax & tranquillitas, a qua civium beatitudo pendet: nulla enim ſalus bello: utitur quidem gladio, ſed ad ſui defenſionem; bella gerit, ſed juſta laceſſita injuria; propagat fines imperii damno alterius, ſed hoſtis, adverſus quem jus ſuum perſequendi habet infinitam facultatem, donec adverſarius ipſi ſatisfecerit vel reparando injuriam quam paſſus eſt, vel reſtituendo quod abſtulit, vel a vi abſtinendo in pacem per concordiam redire cupiat. Nunquam ad eam perveniſſet Romana reſp. magnitudinem, quam ſub regibus habuiſſe teſtantur annales, niſi quod vi & injuria occupatum erat imperium, religione & juſtitia gubernaſſet Numa Pompilius. Merito itaque Ageſilaus rex Spartanus militari fortitudine juſtitiam potiorem exiſtimavit, propterea quod fortitudo cum juſtitia conjuncta eſſe debeat, ita tamen ut juſtitia ſemper eſſe debeat fortitudinis menſura. Fortitudo eſt animi virtus, quæ cum cæteris virtutibus, ut temperantia, juſtitia, pari paſſu ambulat, ita ut virum fortem dicamus, qui fortitudinem temperat juſtitiâ. *Fortes enim & magnanimi habendi ſunt, non qui faciunt injuriam, ſed qui propulſant*, ut inquit Cic. 1. *off. cap.* 19. Et *cap.* 69. *Itaque viros fortes & magnanimos eos bonos, ſimplices, veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe volumus, quæ ſunt ex media laude juſtitiæ.* Verum utinam homines ita ad juſtitiam & æquitatem proni eſſent! ejuſmodi fortitudine, quam Stoici definiunt *virtutem propugnantem pro æquitate*, non indigerent, ut de Scythis teſtatur Juſtinus *lib. 2. cap. 2.* qui nihil alienum concupiſcentes (alieni enim cupido creberrima bellorum cauſa) juſtitiam magis naturæ impetu, quam militari fortitudine tuebantur. *Atque utinam*, inquit, *reliquis mortalibus ſimilis moderatio, & abſtinentia alieni foret! profecto non tantum bellorum per omnia ſecula*

terris omnibus continuaretur; neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Quod ſi reges populorumque rectores ad animum revocarent, ſeſe membrum eſſe univerſæ humanæ ſocietatis, quia homines, & conſequenter ipſis incumbere non tantum conſervationem civium, qui ſub imperio ſuo vivunt, ſed & totius humani generis, non tanta aliena invadendi agitarentur cupiditate, neque toties injuſto bello opprimerent invalidos ac innocentes, verum ſemetipſos natos perpendentes ut non ſolum ſibi & civibus ſuis, ſed & exteris prodeſſent, propter illud arctiſſimum cognationis & ejuſdem originis vinculum, quo natura ſibi invicem devinxit homines, tam in præſtandis mutui amoris officiis, & in obſervanda juſtitia & æquitate erga exteros, quam civibus ſuis magis prompti eſſent ſuam præſtare operam, ut per totum terrarum orbem æque florerent leges, utpote cujus cauſa ſeſe conſtitutos meminerint. *Juſtitiæ enim fruendæ cauſa olim bene morati reges conſtituti*, inquit Cic. 1. *off.* non particularis juſtitiæ, ſed univerſalis, quæ omnes omnino complectitur virtutes & officia, cum quæ ſibi homines tum quæ aliis qui ſunt ſui generis debent, tam amicis, vicinis, civibus, patriæ, quam exteris nationibus populiſque. Quemadmodum enim cives mutua ope & auxilio civitatis ſalutem & utilitatem conſervare ac promovere tenentur, ſi boni civis officium præſtare velint, ita ſingulis regibus populique rectoribus tanquam univerſæ humanæ ſocietatis membris ac civibus incumbit, providere ne quid detrimenti totum capiat. Hinc Minois nomen inviſum apud poſteros, quod erga Cretenſes, quibus leges dederat, juſtus quidem eſſet, in exteros vero parum juſtus exiſteret, quod experti Athenienſes, quibus devictis a belli jure alienas conditiones praſcripſit.

Bellumque; inde belli jura. 25. Tantum vero abeſt ut admittendum ſit quod quidam fingunt, in bello omnia jura ceſſare, ut nec ſuſcipi bellum debeat niſi ad juris conſecutionem, nec ſuſceptum geri niſi intra juris ac fidei modum. Bene Demoſthenes bellum eſſe in eos dixit qui judiciis coerceri nequeunt: judicia enim vigent adverſus eos qui invalidiores ſe ſentiunt: in eos qui pares ſe faciunt aut putant, bella ſumuntur, ſed nimirum, ut recta ſint, non minori religione exercenda quam judicia exerceri ſolent.

COMMENTARIUS.

PErgit hic Author probare, juſtitiam ubique ſibi locum vindicare, in quocunque ſtatu & quocunque tempore, ſive in pacis, ſive in belli ſtatu degimus, quamvis non uno eodemque modo exercenda. Ob læſam enim juſtitiam ſuſcipi bella debent, quoniam non tantum cum civibus, ſed & exteris jus commune quoddam nobis ſervandum; itaque belli illati finis eſt, ut jus noſtrum conſequamur, quamobrem juſtitiæ adminiſtratio & ſuſcipiendi belli cauſa, & ſuſcepti menſura ac modus eſſe debet: ſunt enim ſicuti pacis ita & belli jura, quæ ſancte obſervari incumbit illis, cujus auctoritate bellum geritur. Quemadmodum judiciorum excercendorum norma & regula juſtitia eſt, ita & belli moderatrix eſt. Utriuſque finis juris conſecutio, perſequendi tamen modi diverſi, alter vi, alter diſceptatione fit: hic inter eos, qui ſuperiorem judicem habent, cujus imperio ſuum cuique tribuitur, obtinet; alter inter eos, qui ſui juris ſunt ſive nemini parent, locum habet, hi quando ſponte facere, quæ præſtare debent, recuſant nullo remedio niſi vi ad officium adigi poſſunt. Hinc apud veteres duelli origo, quod inter æquales contendentes de jure aliquo tanquam judex de plano litem dirimebat; ubi itaque nullus judex, coram quo de jure diſceptatur, ſuccedit belli ſtatus, qui dictur duorum per vim certantium conditio, in quo quis ſui judex propria auctoritate & vi jus ſuum perſequitur, quemadmodum in naturæ ſtatu, in quo ſibi invicem æquales homines, inviti ad præſtanda debita officia & jura, violenta manu ſunt cogendi: verum ut ejuſmodi vis juſta ſit, non minori religione exercenda eſt quam judicia exerceri ſolent: non enim contumax ſtatim armis invadendus eſt, & vi oppugnandus; oportet cuncta prius tentare pacis conſervandæ remedia, antequam vis adhibeamus, neque in victos ultra modum ſævire, neque fidem iis datam fallere, neque iniquas conditinnes imponere oportet, verum in omnibus caſibus humanitatis & juſtitiæ maxime habenda ratio eſt, ſed de his latius infra.

26. Sileant ergo leges inter arma, ſed civiles illæ & judiciariæ & pacis propriæ, non aliæ perpetuæ & omnibus temporibus accommodatæ. Optime enim dictum eſt a Dione Pruſæenſi, inter hoſtes ſcripta quidem jura, id eſt civilia, non valere, at valere non ſcripta, id eſt, ea quæ natura dictat aut gentium conſenſus conſtituit. Docet hoc vetus illa Romanorum

norum formula: *eas res puro pioque duello quærendas cenſeo.* Iidem veteres Romani, ut Varro notabat, bella tarde & nulla licentia ſuſcipiebant, quod bellum nullum niſi pium putabant geri oportere. Camillus juſte non minus quam fortiter bella gerenda dicebat: Africanus, populum Romanum & ſuſcipere juſte & bella finire: Apud alium legas, *Sunt & belli ſicut & pacis jura*: Alius Fabricium miratur ingentem virum, & quod difficillimum eſt in bello innocentem, & qui aliquid eſſe crederet & in hoſtem nefas.

COMMENTARIUS.

OPtime inquit Juſtinianus imperator in *Proœm. Inſt. Oportere imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus armatam eſſe, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſit gubernare rempub.* Non enim idem armorum ac legum tempus eſt; ubi per vim certatur, legibus non eſt locus, ſcil. civilibus illis & judiciariis, pacis propriis; illæ enim præ armorum ſtrepitu exaudiri nequeunt. Sic ait Juſtin. *lib.* 8. *cap.* 1. poſt arma & bellum locum legibus non relinqui. His principes omnes ſe ſuamque remp. tutatos, inquit Saluſtius, audacia & fortitudine in bello, ubi pax evenerat, æquitate. Quando armis jus perſequitur, civilia ceſſant jura, & Marte judice lites dirimuntur: attamen ea jura valent, quæ perpetuam habent cauſam, id eſt, ejuſmodi quæ ab hominis voluntate non pendent, verum ex naturæ dictamine & gentium conſenſu originem habent. Hæc quia immutabilia ſunt, utpote ab æterno & immutabili ſupremi legiſlatoris decreto profluentia, quocunque tempore & loco hominem obligant exequi quæ præcipiunt, ac fugere & omittere quæ vetant in quocunque vitæ ſtatu. Itaque jus non ſcriptum nobis eſt agendorum norma omnibus temporibus accommodata, indiſſolubili nos ligans vinculo, ad ejuſmodi executionem & obſequium præſtandum, quale nobis recta dictat ratio. Hoc jure bella moderantur & geruntur, ad illud ipſum tanquam ad Lydium lapidem examinari oportet quæcunque in bello geruntur, num legitime & juſte fiant. Hoc jure metiuntur & imperatoris & militum officia: hoc jus oportet eſſe bello præſidem, ac regulam eorum, quæ fieri vel non fieri debent, quemadmodum jus civile regula eſt ſecundum quam cives actiones ſuas dirigere neceſſe habent. Quamobrem Romani non omni duello res quærendas cenſuere, ſed puro tantum pioque, ut apud Livium legimus, id eſt, ejuſmodi duello, quod naturæ & gentium juri non repugnabat, cujus cauſa juſta erat, quia rectæ rationis dictamini conſentanea. Cujus generis rei injuſte ablatæ, ab adverſario eam domino reſtituere declinante, per vim vindicatio, vel adverſus vim intentatam defenſio. Cui accedit, quod non temere ad arma convolare debeamus, verum deliberare antequam ſuſcipiamus bellum, an juſta ſuſcipiendi ſubſit belli cauſa: nullum enim bellum niſi pium geri oportere veteres Romani putabant, quamobrem lento pede ad vindictam procedebant, nulla intempeſtiva ſeſe vindicandi ira & cupidine agitati, unde natum illud proverbium, *Dum deliberant Romani, capitur Saguntbus.* Optime Chremes ille Terentianus in *Eunuch. Mane, omnia experiri prius conſilio, quam armis, ſapientem decet. Delibera tarde*, Iſocratis dictum eſt. Ad pœnitendum enim properat, cito qui deliberat. Hinc Camillus apud Livium *lib.* 5. *cap.* 27. *Sunt belli ſicuti & pacis jura. Juſteque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus*, inquit, *non adverſum eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur:* (utpote qui inferendæ injuriæ incapaces ſunt) *ſed adverſus armatos, & ipſos, qui nec læſi, nec laceſſiti a nobis*, & conſequenter nullam belli inferendi juſtam cauſam habentes, *caſtra Romana ad Vejos oppugnarunt*: fuit enim inter cæteras hæc lex militaris, *ne dolo malo, neve aliena iniquitate, ſed jure & propria virtute bellum gereretur.* Admiratur Seneca ingentem virum Fabricium, quem non regem, non contra regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem: quod difficillimum eſt in bello innocentem, qui aliquid eſſe crederet in hoſtem nefas. Imo tantum apud eos valuit juſta belli cauſa, ut Romanis cum Cato ſuaderet, Guluſſa, Maſiniſſæ filio, denuntiante Carthagine delectus agi, claſſem comparari, & haud dubie bellum ſtrui, ut iis bellum indiceretur. P. Cornelio Naſica dicente nihil temere faciendum, nondum ſibi juſtam belli cauſam videri, placuerit ut bello deſiſteretur. Liv. *epitom.* 48. Quamvis & ipſi legati Romanorum exploratum miſſi, ex Africa, cum Guluſſa Maſiniſſæ filio, domum reverſi, nunciarent, & claſſem & exercitum ſe deprehendiſſe: adeo tarde bella ſuſcipienda judicantes, ſi pie juſteque gerenda ſunt.

27. Quantam vim habeat in bellis juſtitiæ conſcientia paſſim oſtendunt hiſtoriarum ſcriptores, qui victoriam ſæpe huic cauſæ præcipue adſcribunt:

Juſta cauſa conſcientia, quæ vis ejus.

bunt: Inde proverbia illa, frangi & attolli vires in milite a cauſa: raro eum ſoſpitem redire qui injuſta arma ſumſerit: bonæ cauſæ ſpem adeſſe comitem; & alia in eum ſenſum. Nec movere quenquam debent proſperi ſucceſſus iniquarum molitionum. Satis enim eſt quod cauſæ æquitas ſuam quandam eamque magnam habet vim ad agendum, quamquam ea vis, ut in rebus humanis accidit, ſæpe aliarum cauſarum oppoſitu ab effectu impeditur. Etiam ad amicitias conciliandas, quibus ut ſinguli, ita & populi ad multas res opus habent, multum valet opinio de bello non temere nec injuſte ſuſcepto, pieque geſto. Nemo enim iis ſe facile adjungit quibus jus, fas, fidem vilia putat.

COMMENTARIUS.

A Dei liberrima voluntate quemadmodum omnium rerum quæ ab hominibus ſuſcipiuntur, ita & belli eventus, proſperoſque ejus ſucceſſus dependere ipſi etiam Gentiles crediderunt; quamobrem bellum ſuſcepturi ante bellicas actiones Deos placabant, eoſque in partes vocabant. Sic apud Livium legimus, relatione a Pub. Sulpicio conſule de bello cum Philippo Macedonum rege ineundo facta, Senatum decreviſſe, uti conſules majoribus hoſtiis rem divinam facerent cum precatione. *Quam rem S. P. Q. R. de rep. deque ineundo novo bello in animo haberet, ea res uti populo Romano ſociiſque ac nomini Latino bene ac feliciter eveniret. lib.* 31. *cap.* 6. 7. 8. Sic etiam patres bellum contra Antiochum decreturi, *novos conſules, priuſquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hoſtiis juſſerunt, precarique, quod Senatus de novo bello in animo haberet, ut Senatui Populoſque R. bene ac feliciter eveniret.* Liv. *lib.* 36. *cap.* 1. Elegans admodum eſt illa Divorum Divarumque invocatio Scipionis e Sicilia in Africam trajicientis, quam apud eundem authorem legimus *lib.* 29. *cap.* 27. *Divi Divaque,* (inquit) *qui maria terraſque colitis, vos precor quæſoque; uti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, ſociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam ſectam, imperium auſpiciumque terra, mari, omnibuſque ſequuntur, bene averruncent: eaque vos omnia bene jubeatis: bonis auctibus augeatis: ſalvos incolumeſque victis perduellibus victores, ſpoliis decoratos, præda onuſtes triumphanteſque, mecum domos reduces ſiſtatis; inimicorum hoſtiumque ulciſcendorum copiam faxitis, quæque populus Carthaginienſis in civitatem noſtram facere molitus eſt, ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginienſium exempla edendi facultatem detis.* Scribit Porphyrius in *ratione naturali Deorum*, Jovem fingi ſolitum, ſceptrum tenentem læva, dextra vero modo aquilam, modo victoriam; illud, quoniam cæterorum Deorum dominus, ut avium aquila; victoriam autem, quoniam ei univerſa ſubjecta ſunt. Quoniam itaque in divino auxilio victoria conſiſtit, ita ut ſi ab altero exercitu receſſerit, de victoria plane deſperandum, in ſuſcipiendo bello juſtitiæ cauſæ ratio potiſſimum habenda. Adeo enim amat Deus juſtitiam, ut nulla poſſit apud eum commorari iniquitas, atque odio habeat omnes navantes operam iniquitati. *Nec facta impia*, inquit Catullus, *fallacium hominum cælicolis placent.* Quamobrem vix bonum exitum ſperare poſſunt ii qui injuſto bello juſtos perſequuntur. Verum cum quibus juſtitia, cum illis etiam Deus, & conſequenter nil deſperandum auſpice Deo; quæ fiducia magnum militibus animum addere oportet, cogitantibus ſeſe juſta gerentes bella Deum habere protectorem, cujus a benigna voluntate, non vero multitudine militum ac viribus hoſtium, quibuſcum confligendum, belli proſperi dependent ſucceſſus. Sic cum ab Hamilcare & Haſdrubale fratribus bellum Afris illatum eſſet, atque hi ſuperiores evaſiſſent, victoriam cauſæ juſtitiæ adſcribit Juſtinus. *Sed Afrorum*, inquit, *ſicuti cauſa juſtior, ita & fortuna ſuperior fuit. lib.* 19. *cap.* 1. Sic quoque Phocenſes adverſus Thebanos Theſſaloſque belligerantes, quum Philippus Macedoniæ rex, quem Thebani ducem elegerant, quaſi ſacrilegii, non Thebanorum ultor eſſet, omnes milites coronas laureas ſumere juſſiſſet, ut ita veluti Deo duce in prælium pergeret, inſignibus Dei conſpectis, conſcientia delictorum territi, abjectis armis fugam capeſſentes, pœnas violatæ religionis ſanguine & cædibus ſuis pendunt. Juſtin. *lib.* 8. *cap.* 2. Nunquam Romani tot egiſſent de hoſtibus devictis triumphos, neque imperii fines tam late propagaſſent, niſi iniquos hoſtes habuiſſent, qui ipſi occaſiones dederunt toties belli juſti iis inferendi. Nulla enim niſi juſta bella geri oportere cenſebant. *Sed ubi labore atque juſtitia reſpub. crevit: reges magni bello domiti, nationes feræ, & populi ingentes vi ſubacti.* Saluſt. *Bel. Catilin.* Suetonius eo Auguſtum laudat, quod nulli genti niſi juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulerit. *in Auguſto cap.* 21. Semper enim bona cauſa triumphat, & licet quandoque id ipſum ſecus accidat propter fortunæ in res humanas dominantis luſum, quæ innocuos aliquando

quando cladibus afficit: ex eventu enim in moralibus non eſt judicandum; multa divina providentia in rebus humanis accidunt, quæ longe alium ſucceſſum habent, quam nobiſmetipſis perſuadere potuerimus: in divina enim voluntate ſemper acquieſcendum; juſtitiæ tamen conſcientia magnum ad agendum calcar eſt, quod ea confiſi milites alacriori animo bellum gerant & prælia committant. Præterquam quod & multum valet ad ſibi aliarum gentium nationumque conciliandam amicitiam atque opem. Non enim facile ſeſe adjungunt iis, qui fidem atque juſtitiam pedibus conculcant, metuentes ne ejuſdem iniquitatis participes, in eaſdem quoque incidant calamitates, quæ injuſtum bellum ſæpiſſime excipiunt. Hinc ſolebant Romani, antequam auxilium ſociis ferebant, deliberare num juſtam belli ſuſcipiendi cauſam habuiſſet, quicunque ſociorum opem ab ipſis implorabat.

28. Ego cum ob eas quas jam dixi rationes compertiſſimum haberem, eſſe aliquod inter populos jus commune, quod & ad bella & in bellis valeret, cur de eo inſtituerem ſcriptionem cauſas habui multas ac graves. Videbam per Chriſtianum orbem vel barbaris gentibus pudendam bellandi licentiam: levibus aut nullis de cauſis ad arma procurri, quibus ſemel ſumtis nullam jam divini, nullam humani juris reverentiam, plane quaſi uno edicto ad omnia ſcelera emiſſo furore.

III. Cauſa Authori operis ſcribendi.

Bellandi licentia moderanda.

COMMENTARIUS.

INcipit hic Author enarrare cauſas, quæ eum impulerunt ad ſcribendum de eo jure, quod ex hiſce, quas allegavit & adduxit, rationibus ſatis aperte perſpicimus eſſe commune inter homines & gentes, atque in quocunque ſtatu ſive pacis ſive belli locum ſibi vindicare, cujus fons & origo eſt ipſa ratio, & gentium conſenſus, ſive expreſſus, ſive tacitus. Et primum quidem, quia non ſolum barbaros, ſed & ipſos Chriſtianos in bellis gerendis pudenda quadam, id eſt, nullo jure & juſtitiæ regulis circumſcripta, belli licentia uti animadvertebat, atque eoſdem temere nulliſque de cauſis in bellum ruere & ad arma convolare, iiſque ſumptis omnia divina & humana jura violare, nullamque ejus reverentiam habere, omniaque ſcelera & deteſtanda facinora admittere videbat. Dolendum ſane quod homines rationis participes, cujus vi percipiunt quid in dictis factiſque decorum atque honeſtum eſt, qui mentis acumine juſtum ab injuſto ſecernere valent, & quid faciendum, quid omittendum ſibi incumbit ex rationis diſcurſu perſpiciunt, feritate atque immanitate ipſa etiam ferociſſima animalia ſuperent. An illud eſt cognationem, quam inter nos natura conſtituit, ſervare, in ſocium ejuſdem originis ejuſdemque conditionis vinculo mihi devinctum quid crudelius conſulere? An illud eſt proximum diligere ut ſemetipſum, effrænata quadam licentia in ſocium ſævire. An illud eſt juſta & Dei bella gerere, nullam divini vel humani juris reverentiam habere? An illud eſt ſocietatis humanæ conſervationem tueri, quæ cuique homini, qui dignum ſeſe ejus membrum profitetur, incumbit, eam bellis & armis diſtrahere? Quid hoc aliud eſt quam in propria viſcera ſævire? quoniam ab interitu totius pendet cujuſque partis ruina. Merito itaque Author noſter, ſibi hominum, & quidem eorum qui Chriſtianorum ſacris initiati ſunt, ad arma ſuſcipienda etiam leviſſimas ob cauſas eaſque minime juſtas pronam naturam videns, atque etiam in juſtis gerendis bellis nimiam licentiam cum in vaſtandis agris, tum in deripiendis bonis, eoſque etiam nullum ſæviendi in hoſtem habere modum, verum omnia divina juxta humanaque jura polluere, ſuſcepit ejus juris, cujus & in pace & in bello habenda ratio eſt, tractationem, ut homines perſpicerent, quibus de cauſis bellum ſuſcipi debeat, & quibus limitibus jurisque cancellis circumſcribitur bellandi licentia & poteſtas. Quænam duci, quænam militi incumbunt erga hoſtem obſervanda atque exercenda officia.

29. Cujus immanitatis conſpectu multi homines minime mali eo venerunt, ut Chriſtiano, cujus diſciplina in omnibus hominibus diligendis præcipue conſiſtit, omnia arma interdicerent: ad quos accedere interdum videntur & Joannes Ferus & Eraſmus noſtras, viri pacis & eccleſiaſticæ & civilis amantiſſimi, ſed eo, ut arbitror, conſilio, quo ſolemus, quæ in unam partem exierunt in alteram reflectere ut in verum modum redeant. Verum hic ipſe nimium contradicendi conatus ſæpe adeo non proficit, ut obſit etiam, quia deprehenſum facile quod in his nimium eſt, etiam aliis di-

ɛ̃tis intra verum ſtantibus auctoritatem detrahit. Medicina ergo utrisque adhibenda fuit, tum ne nihil, tum ne omnia crederentur licere.

COMMENTARIUS.

IMmoderata illa bellandi licentia, atque ſæviendi in hoſtes belluina feritas, illa fidei violatio, atque divini humanique juris irreverentia adeo nonnullos a bello deterruerunt, ut Chriſtiano, cujus officium eſt diligere proximum ut ſemetipſum, omnem plane armorum uſum ad perſequendum jus ſuum interdixerunt. Cujus in numero ſunt Anabaptiſtæ, & Photiani. Verum quemadmodum non ſunt veræ eccleſiæ membra, ita latet error non tantum in ipſa prohibitione, ſed & in ejus cauſa: quippe non majorem illi, qui Chriſtianorum ſacris nondum initiati ſunt, bellandi licentiam habent, quam qui Chriſtianam religionem profitentur. Non enim perfectior neque arctior eſt obligatio quæ ex lege Euangelica deſcendit, quam ea quæ ex naturæ legibus originem ducit, quæ omnes obligat homines ſemper & ubique. Chriſtus non perfectiores condidit leges legibus divinis moralibus ſive naturalibus, verum perfectiſſime implevit, ideoque dicendo diliges proximum ut temetipſum, non perfectiorem legem promulgavit, quam eſt illa naturæ lex ſive divina moralis, qua tenemur prodeſſe ſocio, & ejus commodis inſervire, nec alteri facere, quod nobis fieri non volumus. Ipſe enim Chriſtus ſententiam, qua legis naturæ ſumma continetur, his verbis effert. *Omnia, quæ volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.* Quæ & decalogi ſententia eſt, quam idem Chriſtus profert. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & proximum tuum ut te ipſum.* Itaque repetit quidem Chriſtus naturæ ſive moralia præcepta, non vero eis vel addendo vel detrahendo perfectiora reddit, vel de novo promulgat. Ipſe enim dicit apicem de lege non tranſiturum, ſeque non ad ſolvendam, ſed implendam legem veniſſe; perfectiorem quidem & pleniorem legum explicationem dedit Chriſtus, verum eandem tanquam in ſe imperfectam non correxit nec ſupplevit, niſi eatenus correctionem & additionem aliquam admiſcuiſſe dicamus, quatenus legi ſecundum novum fœdus ſervandæ per fidem in nomine Chriſti conveniens erat. *Lex enim moralis ſive naturalis plane immutabilis eſt; unde lex æterna appellatur: eademque de cauſa augeri ac perfectior reddi non poteſt; non magis quam imago & ſanctitas Dei, aut ipſa denique ejus natura, augmentum pati poteſt.* Clariſſ. Burman. *Synopſ. lib. 4. cap. 3.* Omnem itaque vim bellicam non ſolum diſciplina Chriſtiana Chriſtianis, verum omnibus hominibus leges interdicunt, quoties jus ſuum vel judicio vel alia quacunque civili ratione tueri atque perſequi valent. *Duo enim decertandi genera eſſe*, inquit Cicero; *unum per diſceptationem, alterum per vim; cumque illud ſit, proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Proximi enim dilectio, ejuſdemque conſervatio, non ſolum a Chriſtiano, ſed ab omnibus hominibus requiritur, dictante ratione homines hominum cauſa generatos, & conſequenter ſeſe mutuo amore complecti obſtrictos eſſe naturæ jure. Optime Cic. 1. *de ll. cap.* 12. *Recteque Socrates exſecrari eum ſolebat, qui primus utilitatem a natura ſejunxiſſet, id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium: unde eſt illa Pythagorica vox*, ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΟΙΝΑ, καὶ ΦΙΛΩΝ ΙΣΟΤΗΤΑ, *ex quo perſpicitur, cum hanc benevolentiam tam late longeque diffuſam vir ſapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud offici, quod quibuſdam incredibile videatur, ſit autem neceſſarium, ut* NIHILO SESE PLUSQUAM ALTERUM DILIGAT. *Quid enim eſt, quod differat, cum ſint cuncta paria, quod ſi intereſſe quippiam tantulum modo potuerit, jam amicitiæ nomen exciderit: cujus eſt ea vis, ut, ſimulatque ſibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla ſit:* ejuſmodi itaque dilectionem, quam præcipit Chriſtus, docuit & ipſa natura ſive recta ratio Gentibus, Cicerone teſte. Quæ mutua dilectio omnem vim prohibet, donec neceſſitate adducti eam adhibere cogamur: judiciis enim ceſſantibus iſtiuſmodi vis eſt inſtrumentum juſtitiæ, quo jus ſuum cuique tribuitur, & conſequenter non magis dilectioni ſocii repugnat, quam in civitate juſtitiæ cum criminalis tum etiam civilis exercitatio, qua utitur ſumma poteſtas, ſua ſceleribus decernendo ſupplicia, pugnat cum dilectione omnium hominum. Itaque in decidenda hac quæſtione, medium tenuêre viri docti, dicendo non omnem vim bellicam illicitam neque prohibitam, verum injuſtam & pudendam belli licentiam non ſolum Chriſtiano, ſed omnibus hominibus interdictam: de qua latius diſputandi infra nobis erit occaſio.

Juriſprudentiam juvandi ſtudium, exemplo methodi.

30. Simul & juriſprudentiam, quam antehac in muneribus publicis quanta potui integritate exercui, nunc quod mihi indigne e patria tot meis laboribus ornata ejecto reſtabat, privatæ diligentiæ ſtudio adjuvare volui. Artis formam ei imponere multi antehac deſtinarunt: perfecit nemo: neque vero fieri poteſt, niſi, quod non ſatis curatum eſt hactenus,

ea quæ ex conſtituto veniunt a naturalibus recte ſeparentur: nam naturalia, cum ſemper eadem ſint, facile poſſunt in artem colligi: illa autem quæ ex conſtituto veniunt, cum & mutentur ſæpe, & alibi alia ſint, extra artem poſita ſunt, ut aliæ rerum ſingularium perceptiones.

COMMENTARIUS.

SUpra annotavimus quantum momentum, quantamque lucem civilis juris ſcientiæ juris publici cognitio, quæ ex naturæ gentiumque præceptis ac principiis intellectis acquiritur, adfert. Adeo ut aliquos in jurisprudentia Romana addiſcenda progreſſus cum fructu facere quis queat, niſi publici juris ſtudium cum ea conjungat. Cum quia jus civile collectum eſt ex juris naturæ & gentium principiis, tum etiam quia civiles leges ad naturalem æquitatem bonitatemque examinari debeant: definimus enim jus civile, quæ legibus civilibus continetur, artem æqui & boni, cujus juriſperiti ſacerdotes vocantur, id eſt, ejuſmodi qui boni & æqui artem, id eſt, juris civilis notitiam, profitentur. Quid enim illud bonum & æquum aliud eſt, quam rectæ rationis dictamen, æquum ab iniquo, juſtum ab injuſto diſcernens, & ſingulis rerum circumſtantiis obſervatis, legiſlatorem aut judicem informans, quid fieri vel non fieri oportet. Quamobrem merito quis per æquum & bonum intelligit rectam illam rationis normam, & perfectam bonitatem, ex lege naturæ dextre collectam: qua autem ratione eam ex lege naturæ quis colliget, cujus animus juris naturæ notitia atque ſcientia non eſt imbutus. Fateor equidem omnium cordibus leges naturæ inſcriptas eſſe atque infixas, ideoque eas facile naturæ lumine homini innoteſcere, & conſequenter ad earum cognitionem acquirendam non multo labore ac ſtudio opus eſſe. Verum etiamſi juſti & injuſti, honeſti & decori homini innata ſint principia, quæ duce recta ratione ipſi innoteſcunt, attamen ſtudio & labore atque doctrina opus eſt, ut adhibito mentis diſcurſu, ex convenientia vel diſconvenientia alicujus actus cum iſtis decori & honeſti, æqui & boni nobis innatis principiis, ei ineſſe neceſſitatem vel faciendi vel non faciendi, propter moralem, quæ ei ineſt, vel honeſtatem vel turpitudinem, & conſequenter a Deo illum actum præcipi, hunc vetari judicemus, atque rationis dictamen factis applicemus, conſequentias inde eliciamus, atque ita nobis normam agendorum præſcribamus. Merito itaque Author magnum hujus juris naturæ vel gentium notitia civilis jurisprudentiæ addiſcendæ atque applicandæ adjumentum & adminiculum eſſe judicat, quamobrem huic ſtudio enixe navavit operam, cujus quoque fructus non in publicis tantum gerendis rebus ac muneribus abunde percepit, verum etiam tanquam manuductione uſus eſt ad perficiendum elegantiſſimum hoc opus, quo nihil unquam eruditius vidit orbis literarius, nec fortaſſe viſura eſt poſterior ætas. Verum quanquam juris publici ſtudium multum adjuvat juris Romani prudentiam, attamen huic juri artis formam imponere, quanquam definiatur ars æqui & boni, quemadmodum nemo perfecit, ita illud ipſum nunquam poſſe fieri prædicat Author, propterea quod multa dependeant ex voluntate legiſlatoris, & conſequenter mutabilia, prout reipub. neceſſitas, & civitatis conſtitutio flagitat, certis ſuis regulis & præceptis circumſcribi atque includi nequit. Hinc Cic. *ad Herennium* dicit, *artem eſſe præceptionem, quæ dat certam viam rationemque faciendi.* Ars, Diomedes inquit, eſt rei cujuſque ſcientia uſu vel ratione percepta, tendens ad aliquem actum vitæ neceſſarium. Quare apud Lucianum legimus, artem eſſe præceptionum exercitarum conſtructionem, ad unum vitæ exitum pertinentium. Qua autem ratione jus ars dicitur, docet nos Cic. 1. *orat.* cum inquit. *Si ars definitur ex rebus penitus perſpectis, planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio ſejunctis, ſcientiaque comprehenſis, non mihi videtur ars juriſconſulti eſſe ulla. Sunt enim varia & ad vulgarem popularemque ſenſum accommodata omnia genera hujus forenſis eruditionis. Si autem ea quæ obſervata ſunt in uſu ac ratione juris adminiſtrandi, hæc ab hominibus callidis & peritis animadverſa ac notata, verbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt, id quod fieri potuiſſe video, non intelligo, quamobrem, ſi minus illa ſubtili definitione, at hac vulgari opinione, ars eſſe videatur.* Itaque hac diſtinctione adhibita Grotio reſpondere poſſimus, quatenus juri civili multa admiſceantur quæ ex voluntate pendent, ideoque mutationi obnoxia ſunt, catenus ei artis formam vix poſſe imponi, propterea quia certis nequeat regulis includi, quemadmodum naturæ jura, quæ perpetuam habentia cauſam & conſequenter immutabilia ſuis præceptis deſcribuntur. Attamen quatenus jus civile conſideratur tanquam compendioſa præceptorum boni & æqui collectione conſtans diſciplina, a juriſconſultis noſtris in artem redacta, ſuis poteſt regulis includi. Quamvis enim conſtitutiones civiles, pro rerum ac temporum varietate mutentur, ſemper tamen neceſſe eſt eas rationem habere cum bono publico & artis regulis. Illud autem bonum publicum conſtans eſt & certum atque immutabile, licet pro temporum moribus & utilitate varie tractetur. Coraſ. *ad Tit. de juſt. & jur.*

31. Quod ſi qui veræ juſtitiæ ſacerdotes naturalis & perpetuæ juriſprudentiæ partes tractandas ſuſciperent, ſemotis iis quæ ex voluntate libera ortum habent, alius quidem de legibus, alius de tributis, alius de judicum officio, alius de voluntatum conjectura, alius de factorum facienda fide, poſſet deinde ex omnibus partibus collectis corpus confici.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum ex variis partibus & diverſorum juriſconſultorum reſponſis integrum juris civilis corpus conflatum atque collectum eſt, ita & commode poſſet juris naturæ & gentium corpus confici, ſi veræ & non ſimulatæ Philoſophiæ ſacerdotes ſingulas perpetuæ & immutabilis juriſprudentiæ partes ex profeſſo tractandas ſuſciperent, quod facile effici poteſt, ſeparatis, quæ ex jure naturali deſcendunt, ab iis quæ ex conſtituto veniunt.

IV. *Operis contenta & ordo.* 32. Nos certe quam viam ineundam cenſeremus reipſa potius quam verbis oſtendimus in hoc opere, quod partem juriſprudentiæ longe nobiliſſimam continet.

COMMENTARIUS.

DOcet Author qua ratione & via in juris publici tradenda diſciplina uſus eſt, quam ex ſingulis perſpicimus libris. Nobiliſſimam merito juriſprudentiæ partem vocat Author, quam in hoc opere tractat atque explicat, utpote quæ in publicis verſatur negotiis, atque in humana ſocietate conſervanda tuendaque magni momenti eſt.

Lib. I. 33. Primo enim libro præfati de juris origine generalem examinavimus quæſtionem, ſitne bellum aliquod juſtum: deinde ad noſcenda publici privatique belli diſcrimina explicandam habuimus vim ipſam ſummi imperii, qui eam populi, qui reges ſolidam, qui ex parte, qui cum alienandi jure, qui aliter habeant: deinde & de ſubditorum in ſuperiores officio dicendum fuit.

COMMENTARIUS.

DE belli jure Author diſputaturus, oportuit primo examinari an aliquod bellum juſtum dici poſſet, quoniam inter arma omnes leges ac omnia jura ſilere videantur: ſi nulla enim belli jura, omnis vis bellica, omne per vim certandi genus prohibitum atque injuſtum eſt. Rectam itaque diſputandi rationem Author obſervaturus, primum probat bellum aliquod eſſe juſtum, quo poſito fundamento & principio ad cætera belli jura tum publica cum privata deſcribenda deſcendit. Cujuſque rei potiſſima pars principium eſt, quæ enim male inchoata ſunt, malo etiam fine excipiuntur. *Ut enim mala poſuimus initia, ſic cætera conſequentur*, inquit Cic. *ad Attic.* Et Polyb. *Hiſt. lib.* 5. *cap.* 31. *Enimvero cum veteres dicebant, principium eſſe dimidium totius, hoc nimirum docere nos voluerint, in quacunque re, quam ſuſcipias, plurimum opera eſſe ponendum, ut illam recte inchoes, merito ſiquidem non vereatur aliquis confirmare, principium non eſſe totius dimidium, ſed ad ipſum quoque operis finem pertinere.*

Lib. II. 34. Liber ſecundus cum omnes cauſas ex quibus bellum oriri poteſt exponendas ſumſerit, quæ res communes ſint, quæ propriæ, quod jus perſonis in perſonas, quæ ex dominio naſcatur obligatio, quæ ſucceſſionum regiarum norma, quod jus veniat ex pacto aut contractu, quæ fœderum, quæ jurisjurandi tum privati tum publici vis atque interpre-

tatio,

tatio, quid ex damno dato debeatur, quæ legatorum ſanctimonia, quale jus humandi mortuos, quæ pœnarum natura, late exſequitur.

COMMENTARIUS.

Quoniam nullum bellum juſte ſuſcipitur, niſi juſta bellandi cauſa præcedat, hinc Author noſter, poſtquam bellum aliquod juſtum eſſe probavit, rectum diſputandi tramitem ſequens, libro ſecundo exponendas ſumit cauſas, ex quibus bella poſſunt oriri. Quemadmodum bella non temere gerenda ſunt, ita cauſa belli non quævis arripienda eſt. Maxime enim in deliberationem cadit jus quod ex dominio, tum etiam quod ex pacto, obligationibus, contractu, fœderibus deſcendit; cum etiam illud quod perſonis in perſonas competit, aliaque id genus juris vincula: quippe cum juris violatio belli cauſa eſt, examinanda ſunt cujuſmodi jura inter homines intercedunt.

35. Tertius liber primum ſubjectam ſibi habens materiam id quod in bello licet, cum id quod impune fit aut etiam apud populos exteros pro jure defenditur ab eo quod vitio caret diſtinxiſſet, deſcendit ad pacis genera & omnes bellicas conventiones. *Lib. III.*

COMMENTARIUS.

Belli cauſis deſcriptis, ipſa jura belli examinanda veniunt: quippe bellum non tantum juſte ſuſcipiendum, ſed & juſte gerendum eſt: habet ſuos terminos bellandi licentia, quos tranſiliendo peccatur. Sæpius enim diximus, ſicuti pacis ita quoque belli jura ſunt, quæ belli ſuſcipiendi & gerendi ſummis imperantibus leges præſcribunt. Quoniam vero bellum ſuſcipitur, ut tranquille in pace vivere liceat (belli enim finis pax eſt) hiſce omnibus explicatis, ad pacis jura ejuſque genera, & bellicas conventiones, quæ aliquo tempore armorum ſtrepitum ceſſare efficiunt, cujus generis ſunt pactiones, induciæ, de quibus ſingulis juris publici partibus ſuo loco dicturi ſumus, Author deſcendit.

36. Eo autem majus viſum eſt pretium operæ, quod ut dixi totum hoc argumentum tractavit nemo, & qui tractarunt partes, ita tractarunt ut multum reliquerint alienæ induſtriæ. Veterum Philoſophorum nihil exſtat hujus generis, neque Græcorum, quos inter Ariſtoteles librum fecerat, cui nomen δικαιώματα πολέμων, neque eorum qui Chriſtianiſmo recenti nomen dederunt, quod valde optandum fuerat: etiam Romanorum veterum libri de jure feciali nihil ad nos ſui præter nomen tranſmiſerunt. Hi qui ſummas fecerunt caſuum quos vocant conſcientiæ, ut de aliis rebus, ita & de bello, de promiſſis, de juramento, de repreſſaliis capita fecerunt.

V. Scriptionis neceſſitas.

Scriptorum veterum hac in re inopia.

COMMENTARIUS.

Quoniam vero publici juris ſcientia ſocietatis humanæ utilitati & conſervationi maxime inſervit, ejus maxime intereſt ut iſtius juris partes prudentum interpretatione aut ſtudio e tenebris in lucem protractæ magis elucidentur & in artem colligantur, quod quum ætate Authoris noſtri nemo perſecerat, atque illi qui ad quaſdam hujus ſcientiæ partes interpretandas explicandaſve animum applicuerant, multa ſilentio quæ notatu digniſſima atque utiliſſima ſunt, prætericrant, eo majus fuit Authori operæ pretium, ut egregiam hanc diſciplinam illuſtrandam & eo quo oportet ordine & methodo tractandam aggrederetur, eamque tanquam omnibus partibus ſuis abſolutum fœtum in illuſtri hoc mundi theatro poſitum aliis intuendum daret, quod adeo feliciter perfecit, ut quicunque hoc opus evolvit, in eo profundam eruditionem, & mirabilem doctrinam, & ſi vis pluſquam humani ingenii & judicii acumen reperiri fateri neceſſe habeat. Quod lectoris judicio libenter relinquo.

Recentiorum defectus.

37. Vidi & ſpeciales libros de belli jure partim a Theologis ſcriptos, ut a Franciſco Victoria, Henrico Gorichemo, Wilhelmo Matthæi; partim a Doctoribus juris, ut Joanne Lupo, Franciſco Ario, Joanne de Lignano, Martino Laudenſi: ſed hi omnes de uberrimo argumento pauciſſima dixerunt, & ita plerique, ut ſine ordine quæ naturalis ſunt juris, quæ gentium, quæ civilis, quæ ex canonibus veniunt, permiſcerent atque confunderent.

COMMENTARIUS.

MUlti Scriptores hoc laborant vitio, quod in tractanda materia nullum plane ordinem ſervant, ſed omnia confuſe, prout in buccam venit, deſcribunt, quo contigit ut tam informatum aliquando ingenii fœtum in lucem propellunt, ut miretur ejus deformitatem lector, & juxta dolet ejuſmodi abortivis orbem litterarium obrui. Cui accedit quod nonnulli animum ad ſcribendum applicant, ut in librorum officinis multis libris præfixum nomen proſtans, poſſet authorem ſuum monſtrare, & dici, ecce doctum illud cerebrum quod tot evomuit volumina, tot edidit librorum millia. Cujus generis ſunt qui tantum leviter ſubjectam materiam quam tractandam ſuſceperunt, ejuſque non omnes attingunt partes, nec ſingula ejus capita deſcribunt, nec intimam ejus medullam eruunt.

38. Quod his omnibus maxime defuit, hiſtoriarum lucem, ſupplere aggreſſi ſunt eruditiſſimus Faber in Semeſtrium capitibus nonnullis, ſed pro inſtituti ſui modo & teſtimoniis tantum allatis, diffuſus; & ut ad definitiones aliquas exemplorum congeriem referrent, Balthazar Ayala, & plus eo Albericus Gentilis: cujus diligentia ſicut alios adjuvari poſſe ſcio & me adjutum profiteor; ita quid in docendi genere, quid in ordine, quid in diſtinguendis quæſtionibus, jurisque diverſi generibus deſiderari in eo poſſit, lectoribus judicium relinquo. Illud tantum dicam, ſolere eum ſæpe in controverſiis definiendis ſequi aut exempla pauca non ſemper probanda, aut etiam auctoritatem novorum Juriſconſultorum in Reſponſis, quorum non pauca ad gratiam conſulentium, non ad æqui bonique naturam ſunt compoſita. Cauſas unde bellum juſtum aut injuſtum dicitur Ayala non attigit: Gentilis ſumma quædam genera quo ipſi viſum eſt modo delineavit: multos vero & nobilium & frequentium controverſiarum locos ne attigit quidem.

COMMENTARIUS.

MUlta ſane in hiſce Authoribus, qui hic enumerantur, & nobis etiam ad manum ſunt, deficiunt, quæ ad perficiendum hoc opus, cujus commentationem fortaſſe nimia arrogantia ſuſcepi, admodum neceſſaria ſunt: quæ omnia mirabili diligentia atque indefeſſo labore ſupplevit Author. Quanquam ſummopere & eorum laudanda eſt diligentia, qui ad hoc argumenti genus tractandum ſuam operam atque induſtriam contulere, licet non eo quo debuit ordine omnia diſpoſita, neque quæ ad materiam pertinent ab illis obſervata videantur, non omnia enim omnes ſapiunt. Quamobrem & Author noſter, quamvis & eruditione & doctrina non ſolum ſeculi ſui, ſed & anterioris & poſterioris ætatis facile princeps, in omni quippe diſciplinarum genere verſatus, ſeſe adjutum eorum diligentia, & alios quoque adjuvari poſſe ingenuè profitetur. Facilius enim eſt inventis aliquid addere, quam primum authorem & inventorem exiſtere. Quod itaque alii omiſerunt in tractando hoc argumento, Authoris noſtri præſtitit profunda eruditio & doctrina, cujus omnes capti magnitudine obſtupeſcimus. Itaque perfectum hoc opus, id eſt, ex omnibus ſuis partibus conſtans, cum quoad docendi genus, tum etiam quoad ordinem in tractandis quæſtionibus obſervatum, juriſque diverſa genera explicata dicere merito poſſumus.

39. Nos

39. Nos, ne quid tale indictum abiret, operam dedimus, judicatis etiam dijudicationum fontibus, unde facile eſſet, etiamſi quid omiſſum a nobis eſſet, definire. Supereſt ut quibus ego auxiliis & qua cura hanc rem aggreſſus ſim breviter exponam. Primum mihi cura hæc fuit, ut eorum quæ ad jus naturæ pertinent probationes referrem ad notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare poſſit, niſi ſibi vim inferat. Principia enim ejus juris, ſi modo animum recte advertas, per ſe patent atque evidentia ſunt, ferme ad modum eorum quæ ſenſibus externis percipimus; qui & ipſi bene conformatis ſentiendi inſtrumentis, & ſi cætera neceſſaria adſint, non fallunt. Ideo in Phœniſſis Euripides ſic loquentem facit Polynicen, jus aperte juſtam vult fuiſſe cauſam:

VI. *1. Cura Authoris.* *2. Jura probandi naturale.*

Hæc ſum profatus, mater, ambagibus
Implicita; ſed quæ regulis æqui & boni
Suffulta rudibus pariter & doctis patent.

Statimque addit chori (conſtat is autem ex fœminis iisque barbaris) judicium, dicta approbantis.

COMMENTARIUS.

Cognitis atque perſpectis dijudicationum fontibus, ex quibus deduxit Author quæ de ſingularibus prædicavit quæſtionibus atque rerum argumentis, facile lectori eas examinanti conſtabit, quid in controverſiis cæteriſque ad hoc opus rebus pertinentibus decidendis tractandiſque ab Authore omiſſum eſt. Ut autem ſibi, quantum humana fert natura, ab errore caveret, primum ipſi cura fuit, ut eorum quæ juris naturæ ſunt probationes referret ad certas quaſdam notiones quas Cicero vocat inchoatas intelligentias, in animis hominum impreſſas. Sunt enim nobis innata principia juris naturæ certa quædam & falli neſcia, quæ vi rationis nobis innoteſcunt, & nos informant quid præcipiunt, quid vetant naturæ leges. Quemadmodum autem ejuſmodi principia certa ſunt & infallibilia, ita certiſſimæ quoque ſunt iſtæ probationes, quæ ex hiſce principiis, per ſe notis & evidentiſſimis, ideoque & rudibus pariter atque doctis manifeſtis, deducuntur. Quodcunque itaque recta ratio dictat hiſce notionibus ſive primis juſti & decori innatis principiis conveniens, id ipſum juris naturæ eſſe certiſſimum argumentum eſt.

40. Uſus ſum etiam ad juris hujus probationem teſtimoniis Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poetarum, poſtremo & Oratorum: non quod illis indiſcrete credendum ſit; ſolent enim ſectæ argumento cauſæ ſervire: ſed quod ubi multi diverſis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad cauſam univerſalem referri debeat: quæ in noſtris quæſtionibus alia eſſe non poteſt, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis conſenſus: illa jus naturæ indicat, hic jus gentium: quorum diſcrimen non quidem ex ipſis teſtimoniis, (paſſim enim ſcriptores voces juris naturæ & gentium permiſcent) ſed ex materiæ qualitate intelligendum eſt. Quod enim ex certis principiis certa argumentatione deduci non poteſt, & tamen ubique obſervatum apparet, ſequitur ut ex voluntate libera ortum habeat.

Gentium. *2. Diſcriminandi utriumque, &*

COMMENTARIUS.

Non ergo a prætoris edicto, neque a XII. tabb. ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam juris diſciplinam recte Cicero exiſtimat 1. *de Leg. cap.* 5. Quamobrem Philoſophorum teſtimonio ad probationem juris hujus, quod omnibus hominibus innatum eſt, merito Au-

 thor

thor noſter uſus eſt. Quid enim aliud quicquam eſt Philoſophia quam ſtudium ſapientiæ, quo virtutis, officii, & recte vivendi diſciplina continetur: *ſapientia* autem rerum divinarum & humanarum ſcientia, conſequenter divini ſive perpetui juris naturæ, quod virtutis præcepta & naturæ officia comprehendit, cognitio. Quoniam itaque hæc ſcientia potiſſima Philoſophiæ pars eſt, merito teſtimoniis eorum, qui eam profitentur, ad juris naturæ præcepta & leges explicandas & probandas, utimur. Quemadmodum nec Hiſtoricorum, nec Poëtarum, nec Oratorum rejicienda plane hac in re authoritas, verum iis cautè, non temerè aſſentiendum recte monet Author, quia ſæpe nimis addicti diſciplinæ, quam ex ore magiſtri acceperunt, vel argumento, & cauſæ ſervientes, non vera ſemper, ſed quæ utilia ſibi fore arbitrabantur, locuti ſunt. Quod autem uno ore omnes pro certo affirmant, id ad cauſam univerſalem recte referri putat Author; quod verius exiſtimo, ſi idem non ſolum apud Romanos, vel Græcos, verum apud omnes, imo ferociores gentes obſervatum fuiſſe referant. *Potentiſſima probatio eſt, ſi in id, quod dicimus, omnes conſentiunt*, inquit Ariſtoteles. *Argumentum veritatis eſt aliquid omnibus videri*, Seneca. Et Quintilianus, *pro certis habemus ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt*. Quod autem Author noſter in hujus operis quæſtionibus tractandis & definiendis aliam ſtatuit eſſe cauſam juris naturæ, aliam juris gentium, arridere mihi nequit; fateor illationes ex principiis humanæ naturæ deductas ipſum jus naturæ indicare: jus vero gentium ex communi aliquo conſenſu, ut aliâ cauſâ derivandum non video; quid enim aliud eſt jus gentium ſtricte dictum, quam quædam illationes & concluſiones ex iiſdem naturæ principiis deductæ & humanæ ſocietati applicatæ. Quare non videntur mihi culpandi qui jus naturæ & gentium permiſcent, quaſi ex uno eodemque fonte provenient. Jus enim gentium dicitur, quod naturalis ratio inter homines conſtituit: quod idem naturale ab Ariſtotele nuncupatur, cujus vis apud omnes valet. 5. *Ethic.* Quatenus autem jus gentium differt a naturali & proprio nomine ita appellatur, quia ex libera voluntate ortum habet, diximus ad §. 15. & infra de eo latius diſputandi nobis erit occaſio.

Civile. 41. Itaque hæc duo non minus inter ſe quam a jure civili diſcernere ſemper unice laboravi: imo & in gentium jure diſcrevi id quod vere & ex
Species cujuſque. omni parte jus eſt; & id quod duntaxat effectum quendam externum ad inſtar illius primitivi juris parit; nempe ne vi reſiſtere liceat, aut etiam ut ubique vi publica, utilitatis alicujus cauſa, vel ut incommoda gravia vitentur, deſcendi debeat: quæ obſervatio quam ſit neceſſaria ad res multas, in ipſo operis contextu apparebit. Non minus ſollicitè ſeparavimus ea
II. Auxilia ſcripti. quæ juris ſunt ſtricte ac proprie dicti, unde reſtitutionis obligatio oritur, & ea quæ juris eſſe dicuntur, quia aliter agere cum alio aliquo rectæ rationis dictato pugnat: de qua juris diverſitate aliquid jam & ſupra diximus.

COMMENTARIUS.

POſtulat hujus operis perficiendi atque definiendarum quæſtionum recta ratio, ut ea quæ ſunt neceſſitatis perpetuæ, id eſt, hominis diſpoſitioni non obnoxia, & conſequenter immutabilia, cujuſmodi ſunt omnia quæ ex jure naturæ derivantur præcepta atque officia, diſtinguantur ab ejuſmodi, quæ ex conſenſu ortum habent, & diſpenſationem admittunt, cujus generis ſunt jura, quæ vel civitas ſibi propria conſtituit, vel diverſi populi & gentes ob aliquas commoditates mutuo conſenſu conſtituerunt, vel uſu & neceſſitate humana exigente ſanciviſſe præſumendæ ſunt, & quo ſenſu jus gentium a naturali jure quodammodo diſcerni poſſe videtur. Imo diſcrevit Author in ipſo gentium jure id quod vere & ex omni parte jus eſt, ſcil. quod ubique & in omni vitæ parte neceſſario obſervari debet, quod ipſa dictat & definit naturalis ratio, ab eo quod duntaxat parit effectum externum, quod eodem modo obſervatur ac ipſum jus gentium naturali ratione introductum, & neceſſitate exigente conſtitutum. Cujus generis ſunt ea quæ adeo ſollicite non definivit jus gentium, verum hominum arbitrio relinquere videtur, cujus exempla multa nobis occurrunt *lib.* 3. *cap.* 4. 5. 6. Non omnes enim caſus qui quandoque inciderint legibus poſſunt comprehendi: homo enim, qui rationis particeps eſt, per quam conſequentia cernit & cauſas rerum videt, ſimilitudines comparat, facile ſeſe expedit, quando ſimiles exiſtunt caſus legibus non definiti.

42. Inter Philoſophos merito principem obtinet locum Ariſtoteles, ſive
I. Philoſophi. Ariſto- tractandi ordinem, ſive diſtinguendi acumen, ſive rationum pondera conſideres. Utinam tantum principatus ille ab aliquot hinc ſæculis non in ty-

rannidem

rannidem abiiſſet, ita ut veritas, cui Ariſtoteles fidelem navavit operam, *teles,*
nulla jam re magis opprimatur quam Ariſtotelis nomine. Ego & hic & ali- *ejus laus.*
bi veterum Chriſtianorum ſequor libertatem, qui in nullius Philoſophorum ſectam juraverant, non quod eis aſſentirentur qui nihil percipi poſſe dicebant, quo nihil eſt ſtultius; ſed quod nullam eſſe ſectam putarunt quæ omne verum vidiſſet, & nullam quæ non aliquid ex vero. Itaque veritatem ſparſam per ſingulos per ſectaſque diffuſam in corpus colligere, id vero exiſtimabant nihil eſſe aliud quam vere Chriſtianam tradere diſciplinam.

COMMENTARIUS.

NOn ſolum Peripateticorum, ſed & omnium Philoſophorum principem Ariſtotelem Author noſter prædicat; verum & teſtatur Tullius: Ita enim *de Fin. lib.* 5. *cap.* 3. *Non ſolum ii numerantur, qui Academici vocantur, etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Ariſtoteles, quem, excepto Platone, haud ſcio an recte dixerim principem Philoſophorum*; & idem *neminem Ariſtotele doctiorem, neminem in rebus inveniendis acriorem* ſcribit. Cui judicio ſuſcribit Quintil. *lib.* 10. cum inquit. *Quid Ariſtotelem quem dubito, ſcientia rerum an ſcriptorum copia, an eloquendi ſua vitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem.* Arnobius cum dicit *virum ingenio præpotentem atque doctrina præcipuum.* Et Plin. *lib.* 8. *cap.* 46. *ſummum in omni doctrina virum* pronunciat; *virum excellentis ingenii, multos ſuperantem* dicit eum Aug. *de Civ. Dei. lib.* 8. *cap.* 12. Verum quamvis ſumma ejus debet eſſe authoritas, cum propter judicii ingeniique acumen, tum etiam propter ſingularem, qua floruit, eruditionem atque doctrinam, attamen non ad opprimendam, verum tuendam veritatem magni hujus viri authoritate uti debemus. Ideoque non tanquam oracula falli neſcia ejus ſcripta a nobis amplectenda, verum tanquam ad inveſtigandam veritatem idonea iis inhærendum. Quæritur merito Author tantum principatum in tyrannidem abiiſſe, quia nonnulli veritatem olim ab Ariſtotele traditam cæco quodam impetu ſequebantur, illius ſerio inquirendæ non amplius ſolliciti. Ita ut cum ſuſciperent antceeſſorem Ariſtotelem, ut Deum quendam e cœlo delapſum, a quo fuiſſet veritas oſtenſa, non ſunt auſi vel latum unguem ab ipſo deflectere, ut inquit Gaſſendus *Exercit.* 2. *adverſus Ariſtotelem.* Eo enim dementiæ proceſſerat quorundam cæca de Ariſtotele præconcepta opinio, ut celebrem quendam Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſorem ſeſe noviſſe tradit idem Gaſſendus, *qui aſſeruerit, ſe exiſtimare magnum iri Deo reſtitum obſequium, ſi proprio ſanguine obſignaſſet confirmaſſetque veriſſima eſſe quæcunque Ariſtotelis operibus continentur*; *legerat ſorte*, inquit, *commentatorem, qui tam aperte pronunciavit, nullum per mille & quingentos annos animadverſum fuiſſe Ariſtotelis errorem in textu Ariſtotelis.* Ex hac, pergit, *præconcepta opinione efficitur, ut quaſi clypeo ſeptemplici authoritate illius utantur: & quidpiam forte citatum ex illius officina prodeat, quod negotium facere videatur; illud explicare ſibi quidem conceſſum arbitrentur: at refellere aut inficiari piaculum ac religio ſit.* O cæca mortalium pectora, & pernicioſam credulitatem, quæ errantium numerum auget, veritatem opprimendo! Quamvis enim quis doctrina atque ingenio ſit ætatis ſuæ florentiſſimus, tamen non deſinit eſſe homo, id eſt, cum ceteris hominibus ejuſdem naturæ particeps, & conſequenter multis erroribus obnoxius, multarumque rerum ignarus. Optime itaque Author noſter, ne aliorum errores imbiberet, & tanquam infallibilem veritatem amplecteretur, veram Chriſtianorum libertatem ſecutus eſt, qui nullius in ſectam juraverant, verum propria utentes ratiocinandi facultate, eam pro regula & norma habuere, ſecundum quam de veritate judicabant: itaque non doctoris authoritatem, ſed ſententiæ veritatem rectæ rationi conſentaneam ſequebantur, putantes, ut inquit Author, nullam eſſe ſectam quæ omne verum vidiſſet, & nullam quæ non aliquid ex vero. Itaque ſparſam veritatem per ſingulos, & in diverſæ ſectæ Philoſophorum reconditam libris in unum corpus colligere, id ipſum exiſtimabant nihil aliud eſſe quam vere Chriſtianam diſciplinam tradere, quatenus ſcil. illas virtutes morales, quæ partim in veterum Philoſophorum libris elegantiſſime depinguntur, differre nequeunt ab illis, quas Chriſtiana docet diſciplina. Quippe cum illæ perpetuam habeant cauſam, idcirco ab homine in quacumque vitæ conditione exerceri atque præſtari debent. Verum cum optima quæcunque opera & ſpecioſiſſimæ virtutes multis adhuc vitiis ſint inquinatæ & contaminatæ, ideoque Deo placere nequeant; præter harum virtutum & bonorum operum exercitationem, diſciplina Chriſtiana fidem requirit, quæ nobis divinam conciliat gratiam atque benevolentiam, efficitque ut placeamus Deo. Non enim operibus, ſed fide juſtificamur & æternam beatitudinem acquirimus. *Diis immortalibus ſola virtus & beata vita contigit, nobis umbra quædam illorum bonorum & ſimilitudo; accedimus ad illa, non pervenimus. Ra-*

tio vera diis hominibuſque communis: hæc in illis conſummata eſt, in nobis divina ope conſummabilis: ſed ad deſperationem nos vitia noſtra perducunt. Senec. *Epiſt.* 93. Verum fides, quâ Chriſtum amplectimur, tanquam ſalutis noſtræ anchoram, recreat nos atque erigit ad ſpem æternæ vitæ, quam morte ſua omnibus fidelibus acquiſivit ſalvator noſter, ne fruſtra eſſet mortuus.

Reprehenſio. 43. Inter cætera, ut hoc obiter a noſtro inſtituto non alienum dicam, non ſine cauſa videntur mihi ab Ariſtotele diſcedere & Platonici nonnulli & Chriſtiani veteres in eo quod ille naturam ipſam virtutis in mediocritate affectuum actionumque poſuerit: quod ſemel poſitum eo ipſum abduxit ut & virtutes diverſas, puta liberalitatem & parſimoniam, in unam compingeret, & veritati daret oppoſita minime ex æquo reſpondentia, jactantiam & diſſimulationem; & quibusdam rebus vitii nomen imponeret, quæ aut non exiſtunt, aut vitia per ſe non ſunt, ut contemtum voluptatis & honorum, & iræ adverſus homines vacuitatem.

COMMENTARIUS.

RESpondet Author argumentis, quibus Ariſtoteles, & qui eum ſequuntur, probare voluere ipſam naturam virtutis in mediocritate affectuum actionumque poſitam, deſcribit Ariſtot. *cap.* 5. *lib.* 2. *Ethic.* *Virtutem eſſe habitum hominis ſive animi, quo homo & bonus & ſuo munere bene fungitur.* Quonam autem modo id ipſum futurum eſt, ex ipſa virtutis natura deducit, poſito ejuſmodi ratiocinandi fundamento, ſcil. *licere in omni re continente & dividua & plus & minus & æquale ſumere, illud æquabile vel ex ipſa re judicatur vel ad nos refertur. Æquale autem quiddam medium eſt inter nimium & parum. Rei medium appello, quod æqualiter abeſt ab utroque extremo. Medium porro ad nos, id quod nec ſuperat nec deſerit id quod oportet adeſſe.* Rejecto autem medio ſecundum *rem*, quod Arithmeticum eſt, de ea mediocritate ſermonem habet, quæ ad nos pertinet, & dicitur ſecundum *rationem*, obſervata proportione Geometrica; quæ in perturbationibus atque actionibus verſatur, in quibus eſt *nimium*, & *parum* & *mediocritas*. Ut *timere*, *fidere*, *concupiſcere*, *odiſſe*, atque *adſpernari*, *iraſci*, *gaudere* & *dolere* poteſt quiſque nimium, atque utrumque non recte. Atque in omnibus hiſce ſive animi perturbationibus ſive humanis actionibus nimium & parum & mediocritatem eſſe demonſtrat, eamque omnibus in rebus laudandam; extrema contra, neque recta, neque laudanda, imo vituperanda potius cenſet. Virtutem igitur, quæ moralis appellatur, concludit eſſe medium ſive mediocritatem. Verum magni negotii eſt in unaquaque re medium conſequi, niſi in deliberationem cadant quæ Græci *ὑπάρχοντα*, nos vulgo *circumſtantias* vocare ſolemus, ut, quemadmodum in dando & erogando conſideranda veniunt, cui, & quantum, quo tempore, & cujus rei cauſa fit, ita in cæteris pariter ſervanda ea omnia, quid, quantum, quando, cum quibus, quomodo, qua de cauſa agitur. Quamvis nonnulli cum Authore noſtro, cujus commentationem ſuſceperunt, probare voluere, Ariſtotelis, & eorum qui eum ſequuntur, de virtute in mediocritate poſita opinionem a vero maxime alienam eſſe, pace tantorum virorum dixerim & ipſos errare, dum Ariſtotelem erroris arguant. Non fruſtra in proverbium abiit, *medium tenuiſſe beatos*, illi autem vere beati dicuntur qui nullis animi perturbationibus agitati recte vivunt: recte autem vivunt qui illud medium, id eſt, virtutem ſectando, tranquilla mente fruuntur. Hinc canit Horatius *lib.* 1. *epiſt.* 6.

— vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una poteſt dare, fortis omiſſis
Hoc age deliciis.

Hinc veteres virtutem definierunt *artem bene recteque vivendi.* Modum ſive medium ſervando honeſtas & decus conſervari legimus apud Cic. 1. *de Off.* quippe,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

ut canit Horatius *lib.* 1. *Satyr.* 1. Virtus itaque media eſt inter duo vitia, nempe inter defectum honeſti, & exſuperationem.

Virtus eſt medium vitiorum, utrinque reductum.

idem Horat. *lib.* 1. *epiſt.* 18. Quod clarius conſtabit, ſi conſideremus omnem exceſſum eſſe rei defectum, ſive ipſe exceſſus conſideretur quoad nimium vel quoad parum; ratione illius defectus conſideratur tanquam aliquid poſitivum, reſpectu hujus tanquam aliquid privativum. Quoniam vero virtus debeat eſſe perfecta, (quippe quod rei alicui deficit, id ejus vitium eſt, vitium vero virtutis privatio eſt) contradictorium eſſet ergo virtutem defectu aliquo laborare: atqui nihil perfectum dici poteſt, quam quod omnibus ſuis partibus abſolutum eſt, illud autem partibus abſolutum dici poteſt, quod neque plus neque minus habet, id eſt, juſtam proportionem non excedit, quæ ſecundum cujuſque rei naturam & qualitatem ſtatuenda. Ex quibus perſpicimus, quod exceſſu aliquo laborat, virtutem nuncupari non poſſe, quia hac

ratione

tione virtus mutaretur in vitium, quoniam omnis exceſſus, ſive plus ſive minus ſit, defectus, id eſt, rei vitium eſt, & conſequenter virtus non eſſet perfecta, quæ tamen perfectio adeo de ejus eſſentia eſt, ut ſine illa virtus non ſit virtus. Quippe ſecundum illud Phocylidis πάντων μετςοναεςων ὑπεςβασιαι δ' αλεγμαι, *omnium modus optimus, exceſſus vero mali.* Hinc natum illud proverbium, *omne nimium vertitur in vitium.* Quoniam itaque quod *medium* in actionibus dicitur, juſtam proportionis regulam non excedit, ideoque huic non plus adeſt neque minus abeſt quam oportet, & conſequenter nobis tanquam in ſuo genere perfectum adeoque bonum & rectum repræſentatur, virtutis nomine venit. Quemadmodum enim linea a duobus extremis æqualiter remota, neque magis vel minus ad hoc vel illud latus excurrit, recta vocatur, ita in hominum actionibus rectum, bonum, atque honeſtum & virtuoſum dicimus, quod æqualiter ab utroque exceſſu vel nimio vel paro diſtans inter duo extrema medium ſervat & æqualitatem, quæ eſt juſta ab utroque latere diſtantia. Quare populo Iſraelitico, ut facerent quod juſtum & rectum eſſet, atque præſtarent virtutes illas morales, quæ divinis præceptis continentur, præcepit Moyſes ne recederent dextrorſum aut ſiniſtrorſum, id eſt, ut Interpretes eum locum explicant, ne declinarent ad dextram vel ſiniſtram nimis vel minus agendo, id eſt, ut medium ſervarent. Eſt igitur mediocritas nihil aliud quam illa temperantia, quæ in omnibus actionibus atque animi perturbationibus modum ſervat, ne extra limites tranſiliant, adeoque omnem continet virtutem, & propterea ornatus vitæ a Cicerone dicitur. Audiamus hac de re Patres. Ita enim Ambroſius *de offic. lib. 1. cap. 46. Eſt igitur decorum quod præeminet, cujus diviſio gemina eſt. Nam eſt decorum quaſi generale, quod per univerſitatem funditur honeſtatis, & quaſi toto ſpectatur corpore: eſt etiam ſpeciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita eſt, ac ſi æquabilem formam, atque univerſitatem honeſtatis in omni actu ſuo habet concinentem, cum omnis ſibi ejus vita conſentit, nec in ulla aliqua re diſcrepat.* Et *capite ſeq. Si quis igitur æquabilitatem univerſæ vitæ & actionum modos ſervet, ordinem quoque & conſtantiam dictorum moderationemque cuſtodiat, in hujus vita decorum illud excellit, & quaſi in quodam ſpeculo elucet.* Id eſt, qui temperantiam ſive mediocritatem ſervat, ille omnem virtutem ſequitur; quippe quæ omnem virtutem continet, ſive id quod in omni virtute decorum eſt. Hinc æquitas virtus appellatur, quia rigorem juris humanitate atque benignitate temperat, & æqua interpretatione jus ipſum ita moderatur, ne unquam ab eo quod æquum & bonum eſt recedat. Quamobrem Salic. & Jaſon *ad l. 8. Cod. de jud.* definiunt æquitatem eſſe juſtitiam dulcedine miſericordiæ temperatam: quam definitionem videtur probare Modeſtinus in *l. 25. ff. de ll. Nulla*, inquit, *juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducta ſunt, ea duriore interpretatione contra eorum commodum producamus ad ſeveritatem.* Ita Iſidorus *2. ſent. cap. 54. Omnis qui recte judicat, ſtateram in manu geſtat, & in utroque penſo juſtitiam & miſericordiam portat, ſed per juſtitiam reddit peccati ſententiam, per miſericordiam peccantis temperat pœnam: ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per miſerationem indulgeat.* Et *cap. 33. Item quædam virtutes, dum diſcretionem non ſervant, in vitia tranſeunt. Nam ſæpe juſtitia, dum ſuum modum excedit, crudelitatis ſævitiam gignit, & nimia pietas diſſolutionem parturit, & zeli ſtudium, dum plus eſt quam oportet, in iracundiæ vitium tranſit, & multa manſuetudo corporis ſegnitiem gignit.* Hanc ipſam æquitatem tanquam virtutem in medio poſitam commendat Salomon *Eccleſ. 7. 16.* ubi inquit, *Noli eſſe juſtus multum.* Noli plus juſtus eſſe quam juſtum ſit, ad ſeveritatem vel crudelitatem deflectendo. Sæpe enim dum ſumma juſtitia prætenditur, fit ſumma injuria. Virtus in medio poſita eſt, omne nimium reputatur in vitio. Facile reſponderi poteſt illis, qui malunt virtutem definire *habitum eligendi quæ bona ſunt*; bonum autem eſſe illud tantum, quod rectæ rationi & lumini naturæ ac honeſtati congruit, adeoque conſiſtentem in rectitudine legi morali ſive juri divino neceſſario conſentaneâ. Diximus enim ſtatim, Moyſem præcepiſſe populo ut medium tenendo obſervarent Dei præcepta, ſcil. moralia. Pertinet enim vox *præceptum* ad mores, & moralem legem obſervaturum pronunciat, quando neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflecteret. Mediocritatem itaque obſervare eſt rectæ rationi & legi morali convenienter agere atque operari, atque eo modo virtutis formale eſt medium tenere; mediocritas convenientia cum recta ratione: recta enim ratio eſt actionum moderatrix, eas ita temperare valens, ne a recto tramite vel in ſiniſtrum vel in dextrum deflectendo recedat, atqui omnis in aliquam partem deflexus eſt rectitudinis privatio, conſequenter, ſi recta dicatur ratio, medium ut ſemper eligat neceſſe eſt: quippe quod medium dicitur id rectum, quod rectum id honeſtum & virtuoſum legibuſque naturæ ſive moralibus conſentaneum. Ex quibus evidens, quando virtutem in mediocritate affectuum conſiſtere dicimus, definimus eam eſſe habitum eligendi quæ bona & recta ſunt, id eſt, trectæ rationi & lumini naturæ ac honeſtati congrua, quamobrem medium *rationis* vocat Ariſtoteles, in quo virtutem conſiſtere affirmat. Quamobrem Clemens Alex. *Pædag. lib. 1. cap. 13.* definit virtutem, *animæ concinnam & congruam affectionem, quæ rationibus ſubjicitur per totam vitam.* Et ita Nyſſenius de *hominis offic. cap. 18. Denique perturbationes animi, univerſæ & ſingulæ a brutis ortæ, prava mentis uſurpatione, vitiorum origo extiterunt. E contrario ſi imperium in hos animi motus in ſe transferat ratio, ſinguli virtutis formam induunt.* Quia ſcil. ab eo ita temperantur, ne terminos tranſiliendo in exceſſu peccent. Verum pergit Author noſter demonſtrare, non recte virtutem ab Ariſtotele definiri in mediocritate affectuum poſi-

poſitam, propterea quod ejuſmodi opinio illum eo abduxit, ut virtutes diverſas, puta *liberalitatem* & *parſimoniam*, in unam compingeret: & veritati daret oppoſita minime ex æquo reſpondentia, *jactantiam* & *diſſimulationem*: & quibuſdam rebus vitii nomen imponeret, quæ aut non exiſtunt, aut per ſe vitia non ſunt, ut *contemptum voluptatis* & *honorum*, & *ira adverſus homines vacuitatem*. Quod ad primum attinet, *parſimonia* potius medium eſt *prodigalitatis* atque *avaritiæ*, quam diſtincta a liberalitate virtus: nam & liberalitas idem illud medium dici poteſt. Ita enim liberalitas ab Ariſtotele definitur, mediocritas quæ in diſtribuenda & clargienda pecunia obſervari debet. Omnis largitio & liberalitas ad facultates accommodanda eſt, & mediocritate moderanda eſt, ut inquit Cic. 2. *Off.* liberalitas itaque exercenda eſt, ne, dum aliis prodeſſe volumus, nobiſmetipſis noceamus; *Habenda enim eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt*, ut inquit Cic. *Offic.* 2. *cap.* 18. *Videndum enim ne major ſit benignitas quam facultates.* Quamobrem Senec. 2. *de Benef. cap.* 15. *Nunquam in turpitudinem noſtram reditura tribuamus. Cum ſumma amicitia ſit amicum ſibi æquare, utrique ſimul conſulendum eſt. Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam. Succurram perituro, ſed ut ipſe non peream. Liberalitati itaque ineſt parſimonia & frugalitas*, eaque eſt medium inter prodigalitatem & avaritiam, quæ ſunt duo extrema. Liberalis enim dicitur non qui inconſulto aut immodicè largitur, verum qui recte dat, id eſt, diligenter & habita ratione facultatum quas poſſidet, & perſonæ cui dat, aliiſque conſideratis circumſtantiis; qui immodice bona diſtribuendo atque largiendo iis ſemetipſum exuit prodigum appellamus; avarum vocamus qui neutrum facit, qui nihil omnino largitur, vel erga neminem benignus eſt; qui vero non dat tantum, quantum dare poteſt & debet, ejus tenacitas non eſt frugalitas vel parſimonia, ſed pars avaritiæ. Quando autem Philoſophus noſter veritatem tanquam medium ponit inter *jactantiam* & *diſſimulationem*, veritatem conſiderat tanquam habitum, quo qnis candide ea, quæ habet in ſe, confitetur, neque ea verbis auget neque extenuat. Veritas enim eſt ratio ſive oratio cum ipſa re congruens. In exceſſu vero peccat arrogans, ſibi plus tribuens quam par eſt. In defectu diſſimulator, negans ea quæ vel inſunt rei, vel minora fingens atque extenuans. Quod ad voluptatis & honorum contemptum attinet, ſane non omnis ſpernenda voluptas, ſed immodica, honeſtati contraria & exitu fœda, quæ ſemper declinanda, ut cetera naturæ vitia. De ejuſmodi enim voluptate noſter Philoſophus ſermonem habet, quæ ſalva honeſtate licita eſt. Hanc interdum licitis ex rebus capere ipſa ſuadet recta ratio, ſed prohibet ne nimium ei indulgendo in exceſſu peccemus, ſuadet uſum, vetat abuſum; nimia vertitur in vitium, temperata ab ipſo Deo comparata videtur in vitæ ſolatium, ut optime ad hunc locum annotavit doctiſſimus GRONOVIUS. Uſus itaque licitus, ſed vitandus abuſus. Exceſſus enim ſemper mali & vitioſi, ut ſtatim annotavimus. Optime Horat. *Od.* 3. *lib.* 2.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus ac bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli.

Ad ejuſmodi animi æquabilitatem hortatur Apoſtolus Paul. Corinthios *Epiſt.* 1. *cap.* 7. cum inquit. *Ut qui flent, ſint tanquam non flentes; & qui gaudent, ſint tanquam minime gaudentes.* Ejuſmodi voluptas in corporis & animæ recreationem ſumitur. Honorum vero contemptus videtur eſſe abjecti atque ſervilis animi, ideoque infra hominis dignitatem; præterquam quod contra boni civis officium plerumque peccat, qui ſpernendo honores ſeſe reipub. eripit. Virgilius.

—— tentanda via eſt, qua me quoque poſſum
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Verum ad eos rectis ſtudiis pervenire debemus. *Quorum autem prima ætas propter humilitatem in hominum ignoratione verſatur, hi ſimulac juvenes eſſe cœperunt, ad magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere.* ut inquit Cic. 2. *Offic. Magna* hic appellat gloriam quæ in reipub. adminiſtratione, ſive belli ſive pacis tempore, conſiſtebat, ſola fere Romæ ea magna habebatur. Huic gloriæ, cujus fundamentum virtus eſt, juvenes ſtudioſos eſſe debere ſuadet Cicero, imo in virtute ponit hoc ſtudium, quamobrem ejus contemptus quia huic contrarius in vitiis videtur habendus: eo potiſſimum quod ejuſmodi ingenia prolabuntur ſæpiſſime ad vituperandum vitæ genus, pudorem & famam, qua bono & honeſto viro nihil in vita debet eſſe carius, nihili facientes. Merito quoque iræ vacuitatem, ſcil. juſtæ & temperatæ, vitiis annumerat Philoſophus. Eſt enim ira naturalis, quam qui criminatur, impius eſt in Deum, qui hunc ſtimulum naturalem animis hominum impreſſit, ut inquit Rachel *in comment. in offic.* Cic. *cap.* 1. Sed repudianda iracundia, utpote quæ modum ſuperat, quamobrem & ipſe Ariſtoteles eam in vitio ponit *lib.* 2. *Ethic. cap.* 7. neque enim iracundus eſt quiſquis iraſcitur, ſed quibus non oportet, & de quibus non oportet, & magis quam oportet. Hinc injuſtè reprehenduntur a Cicerone Peripatetici quaſi laudaſſent iracundiam. *Iraſcemini*, inquit David *Pſal.* 4. *& nolite peccare.* Cujus ſenſus eſt, ſi quid mali vel impium vel injurioſum fieri videritis, iraſcemini juſtoque zelo permovemini hominum filii. Interim vero dum aliis infenſi eſtis, curate ne peccetis in exceſſu, ne quid nimis commoveamini. Multæ enim poſſunt cauſæ exiſtere juſtæ iræ, ut famæ & exiſtimationis læſio, injuſta invaſoris aggreſſio, vitiorum ac ſcelerum admiſſio. Famæ enim & exiſtimationi vi illata non commoveri, & ira accendi inſenſi eſt potius atque ſtupidi hominis, quam viri honeſti & gravis, imo in ſemetipſum injurius eſt, qui injuriam ſibi illatam non repellit & conſequenter peccat contra legem illam naturæ, quæ cæterarum omnium fundamentum & baſis eſt, qua nobis injungitur noſtri conſervatio, cujuſmodi conſervatio

non

non tantum ad vitam, corpus, ejuſque membra pertinet, ſed comprehendit quoque famæ illæſæ atque integræ conſervandæ nobis impoſitam neceſſitatem; imo, quod magis eſt, qui ob læſam exiſtimationem vel aliam gravem injuriam ſibi illatam juſta non commovetur ira, non adeo differre ab eo videtur qui ſibi ipſi mortem invenit, criminis qualitate, quam nomine, vitæ enim æquiparatur fama, cumque eadem pari paſſu ambulat, ut videre eſt in *l. 8. §. 2. ff. quod met. cauſ.* Quamobrem quoque ratione iſtius æqualitatis ob ejus non ſecus quam ob vitæ defenſionem invaſorum licitam cædem recta permittit ratio. Ex quibus argumentis ſpero facile lectori manifeſtum fore, nimiam tolerantiam cujuſvis injuriæ atque contumeliæ, id eſt, cujuſvis iræ vacuitatem, tam in vitio ponendam, quam immodicam & intempeſtivam iracundiam. Diſtinguendum itaque inter iram rationalem, id eſt, cujus juſta ſubeſt cauſa, lenitudine & moderatione temperatam, & irrationalem, quæ modum excedit & juſta cauſa deſtituta eſt. Hæc in vitio ponenda, & idcirco repudianda. Illa laudanda & annumeranda virtutibus. Quia enim temperata ideo rationalis, quia rationalis in virtute habetur; eſt enim virtus, ut ſupra diximus, mediocritas affectuum rationi conveniens. Ipſe enim Chriſtus non omnem iræ vacuitatem cupit, ſed eam reprehendit atque vetat iram, quæ ſine cauſa eſt, id eſt, quâ temere aliquis erga proximum ſuum commovetur. Ita enim inquit *Matth. cap. 5. v. 22. Ego dico vobis; Quicunque iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur judicio.* Quibus verbis non omnis ira damnatur, ſed quæ vel injuſta eſt vel immoderata, ut ad hunc locum annotarunt Commentatores. Significat enim illud εἰκῆ modo *fruſtra*, & *ſine effectu*, ut *cap. 3. v. 4. & cap. 4. v. 11. Epiſt. ad Galat.* modo *temere*, ſine cauſa antecedente, ut h. l. & *Col. c. 2. v. 18.* Ita ad dictum locum Matth. Comment. *Sed in humanis rebus honeſta* (ſcil. *recta rationi & conſequenter virtuti congrua*) *ira eſſe poteſt, ſed oportet nos modum tenere. In modo autem comprehenditur, tum ne plus æquo iraſcamur, tum ne æquo diutius.* Chryſoſtomus ad dictum Matthæi locum inquit, *quare qui iraſcitur ſine cauſa nonne erit reus, alioquin inutiliter ea adderetur conditio, ſine cauſâ, nec doctrina prodeſt, nec judicia fiunt, nec crimina compeſcuntur.*

44. Non recte autem univerſaliter poſitum hoc fundamentum vel ex *Virtus* juſtitia apparet, cui oppoſitum nimium & parum; cum in affectibus & *non omnis vitium habet* ſequentibus eos actionibus invenire non poſſet, in rebus ipſis circa quas *in exceſſu.* juſtitia verſatur utrumque quæſivit: quod ipſum primum eſt deſilire de genere in genus alterum, quod in aliis merito culpat: deinde minus ſuo. accipere, poteſt quidem adventitium habere vitium, ex eo quod quis pro rerum circumſtantiis ſibi ac ſuis debeat; at certe cum juſtitia pugnare non poteſt, quæ tota in alieni abſtinentia poſita eſt. Cui hallucinationi ſimilis illa eſt, quod adulterium ex libidine, cædem ex ira proprie ad injuſtitiam pertinere non vult; cum tamen injuſtitia non aliam naturam habeat, quam alieni uſurpationem; nec referat, ex avaritia illa, an ex libidine, an ex ira, an ex imprudente miſericordia proveniat, an ex cupiditate excellendi, unde maximæ injuriæ naſci ſolent. Nam qualiacunque incitamenta contemnere hac tantum de cauſa, ne ſocietas humana violetur, hoc vero juſtitiæ proprium eſt.

COMMENTARIUS.

UT Author ulterius oſtenderet non recte univerſaliter naturam virtutis in mediocritate affectuum & actionum poſitam ab Ariſtotele, ſermonem convertit ad illum habitum animi, quo ad res juſtas gerendas homines efficiuntur idonei, & quo res juſtas agunt atque volunt, cujuſmodi animi habitus juſtitia dicitur. Quoniam vero, ut ſupra diximus, virtus eſt medium inter nimium & parum, ſive in affectuum mediocritate & temperantia poſita, a ratione omnes ponderante circumſtantias, ut loqui amant, definitam, cohibente noſtras affectiones ne in exceſſu vel defectu peccent, non videtur ex tarum virtutum numero juſtitiam eſſe. Primo illa ad juſtitiam colendam inclinatio & amor juſtum modum nunquam excedit; qui enim parum juſtus eſt, ille injuſtus potius quam juſtus dicendus; qui vero ad ſummum juſtitiæ gradum pervenire contendit, ille non injuſtus, ſed merito juſtus appellatur; imo quo magis naturæ quadam vi rapitur ad juſtitiam, eo virtuti propior, ita ut ipſe exceſſus, ſi ita appellari queat, id eſt, vehemens ac ſummum juſtitiæ deſiderium & affectus videatur virtus. Si ergo juſtitia, quæ non tantum virtus ſimpliciter eſt, ſed ceterarum virtutum quaſi regina, non admittit nimium vel parum, ergo ſequitur, vel juſtitiam non eſſe virtutem, quod abſurdiſſimum, vel perperam ab Ariſtotele uni-

verſaliter ſtatui naturam virtutis in mediocritate affectuum actionumque poſitam. Atqui pergit Author, *cum in affectibus & ſequentibus eos actionibus invenire non poſſet, in rebus ipſis circa quas juſtitia verſatur utrumque quæſivit.* E quibus verbis aliud adhuc argumentum deducimus, ſcil. ſi juſtitia eſt virtus moralis, & quidem earum omnium regina, quia ſeſe per illas omnes diffundit, oportet ejuſdem idem illud eſſe medium, quod eſt aliarum. Si autem hujus virtutis eſt aliud medium, ſequitur, vel juſtitiam male in numero virtutum moralium collocari, vel non recte ab Ariſtotele univerſaliter naturam virtutis in mediocritate affectuum actionumque poni. Atqui medium juſtitiæ diverſum eſt a medio aliarum virtutum moralium, ergo non recte univerſaliter ponitur a Philoſopho dictum doctrinæ ſuæ fundamentum. Ipſe enim Philoſophus diſtinguit inter medium rei, & medium rationis pertinens ad illam virtutem quæ mores concernit: circa illud verſatur juſtitia, circa hoc ceteræ virtutes morales. Illius objectum eſt res & actiones; harum objecta ſunt varii animi motus. Inter hoſce vero animi motus medium virtutis non conſtituitur ex ipſa natura rerum, ſed rationis judicio, prout in ordine ad nos ratio definierit, Geometricam ſervans proportionem. *Quemadmodum*, ut inquit Sotus *de juſt. & jur. temperantia conſiſtit in mediocritate paſſionum: nempe ut non plus minuſve ſumas quam oportet: hoc autem plus & minus non perpenditur ex natura rerum, ut ſcil. libram omnes ſumant, aut tali certa hora, ſed prout expedit cujuſque valetudini pro loco, tempore, &c. Quare quod parciſſimo Diogeni multum erat, voraci Miloni, qui, ut eſt in fabulis, integrum edebat bovem, erat parum. Medium autem juſtitiæ, quia conſiſtit in rerum æqualitate ad alterum, non ex illo rationis perpendiculo & arbitramento, ſed ex ipſa natura rerum ſumitur. Emis domum verbi gratia, aut conducis alienas operas: debet pretium ipſis rebus æquari. Sicut duæ quantitates natura ſua ſunt æquales*, proportione ſcil. Arithmetica. Optime Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 1. dubit. 2. Hinc colligi poteſt*, inquit, *quomodo juſtitia dicatur attingere medium rei: reliquæ virtutes medium rationis. Juſtitia enim non ſpectat quidnam ſit commenſuratum ſuo ſubjecto, ſecundum rectæ rationis regulam; ſed quid ſit commenſum rei, vel juri alterius, ut nec minus nec amplius præſtetur, ſed æquale: temperantia autem & fortitudo ſpectant medium rationis; id eſt, quidnam juxta rationis dictamen ſit commenſum ſubjecto, non excedens aut deficiens medium ſubjecti. Unde medium in his variabile eſt pro varietate ſubjectorum*; (ut patet in exemplis ſtatim adductis) *quod enim reſpectu unius eſt medium & æquale; ad alterum eſt nimium, ad tertium eſt parum. Itaque rationis examine inveſtigandum & ex conſenſu cum rationis dictamine judicandum. In juſtitia ſemper eſt idem medium, qualecunque tandem ſit ſubjectum, quod ipſa afficit, quod medium conſiſtit in æqualitate rei ad rem, ut pretii ad rem venditam, vel proportionis ad proportionem: nempe ut talis ſit proportio inter munera & onera communia, qualis inter perſonas quibus hæc diſtribuuntur. Unde medium rei non excedens, non deficiens ad jus alterius.* Hinc Ariſtoteles rei medium dicit quod ſemper unum & idem eſt omnibus, quodque æqualiter abeſt ab utroque extremo. Medium vero rationis id, quod nec ſuperans nec deſerens id quod oportet adeſſe, nec unum omnibus eſt, nec idem. Ita quoque Molin. *de juſt. & jur. tract. 1. diſp. 2. n. 5. Supereſt*, inquit, *admoneamus illud diſcrimen, inter juſtitiam & reliquas morales virtutes. Videlicet juſtitiam differre a reliquis moralibus virtutibus, quod in reliquis medium ſumitur per comparationem ad agentem. In virtute namque temperantia aliqua quantitas cibi & potus eſt medium per comparationem ad eum qui unam habet complexionem, robur & vires, & alia per comparationem ad alium, qui habet longe diverſam complexionem. In virtute vero juſtitiæ medium non ſumitur per comparationem ad agentem, ſed ex natura rei collatione facta cum altero. Ut ſi mutuo accepi centum aut furatus ſum, medium eſt, ut exceſſum, quem exiſtente eo contractu, aut furto, habeo ultra id quod meum eſt, aut ad me pertinere debet & defectum, quem proximus infra id, quod ſuum eſt patitur reducam ad æqualitatem, reſtituendo illi centum.* Verum ex hiſce nondum perſpicio Philoſophi noſtri errorem virtutis naturam in medio poſitam aſſerentis. Univerſaliter quidem ſtatuit, in omnibus rebus, quæ mediocritatem recipiunt, virtutem eſſe, quæ medium invenit & ſequitur; verum, quantum ex ejuſdem ratiocinatione poſſum perſpicere, non idem medium omnibus virtutibus conveniens ponit; aliud enim medium rationis eſt, quod nec ſuperat, nec deſerit id quod oportet adeſſe, pertinens ad virtutes, quæ mores ſpectant hominum, adeoque quod conſiſtit in moderatione & temperantia animi perturbationum &, quæ has ſequuntur, actionum, eas cohibens ne in exceſſu vel defectu peccemus, in quorum menſura obſervatur proportio Geometrica. Juſtitia vero ab hiſce differt, ut dicere incepimus, non eo quod tanquam ceteræ virtutes morales in medium non conſiſtat, verum quod ejus medium magis ad rem quam perſonam ejuſque mores refertur, ideoque medium rei dicitur, in eo a rationis medio diverſum, quod æqualiter abeſt ab utroque extremo, ideoque unum & idem eſt omnibus, proportionem habens Arithmeticam. Medium vero rationis non unum & idem eſt omnibus, neque a duobus extremis æqualiter diſtat, verum aliquando alteri extremorum vicinius, ab altero remotius, & tamen medium ratione loci, temporis, ponderis, & perſonæ, ut annotavit eruditione florentiſſimus Joann. Frid. GRONOVIUS ad *h. l.* Quibus addi poſſunt, quod ipſa juſtitia etiam quodam reſpectu in medio rationis poſita videatur; primo, quia medium rei etiam eſt rationi conſentaneum; ſecundo, quia vel in pœnis irrogandis, vel præmiis diſtribuendis, aliiſque quibuſdam in rebus qualitates perſonæ reſpicit, earumque habet rationem. Quamobrem in quibuſdam caſibus proportionem Geometricam, in quibuſdam aliis proportionem Arithmeticam ſervat, & ſic

jus

jus poteſt dici virtus moralis, cujus medium partim rei eſt, partim rationis. *Juſtitia*, inquit Soto *de juſt. & jur. lib. 3. quæſt. 2. art.* VII. *non dicitur conſtituere medium rei, ut res diſtinguatur contra rationem, eo quod tale medium non ſit rationi conſonum, imo eſt maxime. Nihil enim magis docet ratio, quam ut debito æquale creditori reddas: ſed quia ratio pendet a rerum natura, propterea inquam quod conſtituitur æquale in rebus, illud ſit rationi conforme. Neque vero medium aliarum virtutum ideo dicitur medium rationis, quod non conſtituatur in rebus: imo conſtituit inter appetitum ſumendi multum, & appetitum ſumendi parum: ſed quia vice verſa tale medium a ratione dependet tanquam a cauſa. Non enim*, inquit, *libram panis comedere eſt mihi medium, niſi quia ratio prudentiæ, penſata natura & conditione mea, hoc mihi congruere judicat.* Magis itaque videntur a ſe diverſa ratione objecti, a quo tanquam a potiori parte denominationem habent, quam ratione medii, in quo utriuſque natura atque eſſentia conſiſtit, ſcil. in convenientia cum recta ratione, quæ utriuſque medii eſt tanquam communis mater. Diximus enim ſupra ipſam mediocritatem nihil aliud eſſe quam convenientiam cum recta ratione, propterea quod ea nullo laborans vitio cum ratione neceſſariam habet convenientiam. Nullo autem defectu vel vitio ſive quoad nimium ſive parum laborare poteſt, quia ex rectitudine vitium naſci contra naturam eſt, quoniam ab ipſa ratione recta producitur: recta itaque ratio, ſive in actionibus & perturbationibus animi, ſive in aliis rebus & negotiis, commerciis, diſtributionibus bonorum, præmiorum, ac pœnarum, ponderatis omnibus cum temporis, perſonæ, loci, tum etiam rerum qualitatibus, contractuum & negotiorum, quæ geſta ſunt, circumſtantiis, dictat medium, quod in ſingulis ſervandum eſt, atque viam, qua ad virtutem graſſamur, nobis monſtrat. Ex quibus perſpicimus, quando juſtitiæ eſſentiam in medio a reliquis virtutibus paulo diverſo poſitam ſtatuimus, nos non deſilire de genere in genus. Quippe propterea non aliud virtutum moralium genus juſtitiam eſſe volumus, ſed ejus naturam in quibuſdam a cæterarum virtutum eſſentia, quatenus circa diverſa verſatur objecta, paulo differre; in quibuſdam vero plane cæteris conſentaneam demonſtrare volumus. Cujuſmodi differentia non aliud virtutum genus, ſed ſpecierum, quæ ſub uno genere continentur, differentiam atque diſtinctionem conſtituit, manente tamen medio omnium virtutum moralium fundamento. Sed pergit Author probare juſtitiam non eſſe medium inter nimium aut parum, quemadmodum de cæteris virtutibus moralibus ſtatuimus. Quippe inquit, *minus ſuo accipere, poteſt quidem vitium habere adventitium, ex eo quod quis pro rerum circumſtantiis ſibi ac ſuis debeat; ac certe eum juſtitia pugnare non poteſt, quæ tota in alieni abſtinentia poſita eſt.* Juſtitia potiſſimum mihi conſiſtere videtur in tribuendo ſuum cuique, qui actus juſtitiæ partim ad me ipſum, partim ad ſocium pertinet, ejuſque objectum eſt medium in rebus conſtituere, ut inter homines æqualitas conſervetur. Quando autem mihi neque minus neque plus tribuo quam alteri, æqualitatem conſervo, tribuendo mihi quod meum, alteri quod ſuum eſt. Si vero minus in bonis diſtribuendis mihi quam alteri tribuo, non contra eam juſtitiæ partem, quæ reſpicit ſocium, pecco, verum quodammodo videor erga me ipſum injuſtus, quia recta ratio, quæ juſtitiæ regula eſt & norma, conſervationem mei ipſius mihi injungens, vult ut propriæ utilitati & propriis commodis, quatenus jura & leges permittunt, inſerviam. Qui itaque minus accipit quam ſibi competit, abſtinet quidem ab alienis, ſed non ſuum cuique tribuit, & conſequenter æqualitatem non ſervat, quæ juſtitiæ objectum eſt. Quod in oneribus diſtribuendis contrarium, in quibus ſi quis minus ſibi tribuit, plus alteri, æqualitatem non ſervat, & conſequenter juſtitiam negligit. Obſervandum itaque, cum juſtitia non ſolum in commutatione rerum & contractibus verſetur, verum etiam in diſtribuendis præmiis, oneribus, aliiſque rebus atque negotiis, quæ ab hominibus peraguntur, ſemper rationem hujus præcepti habendam, ut jus ſuum cuique tribuendo æqualitas conſervetur, prout ratio judicaverit. Quæ æqualitas illud medium eſt inter plus & minus, in quo juſtitiæ conſiſtat natura & ratio. Ita enim Ariſtot. *Ethic. lib. 5. cap. 9.* inquit. *Juſtitia virtus eſt, qua homo juſtus, aptus dicitur, tum ad agendum conſulto id quod juſtum eſt, tum ad jus tribuendum, & ſibi, ſi cum altero contrahat, & alteri cum altero contrahenti, non ita ut ſibi plus ejus quod optabile eſt, minus alteri, & contra ſibi minus damni, plus alteri, ſed ſibi & aliis id quod æquum eſt proportione tribuat.* Cujus contrarium eſt injuſtitia, quam idem Philoſophus vitium dicit, *quo ad id, quod injuſtum eſt, conſulto agendum, nobiſque & aliis tribuendum, apti ſumus. Hoc autem*, inquit, *eſt nimium & parum commodi & incommodi, a proportione alienum ac disjunctum.* Si itaque juſtitia virtus eſt in æquali diſtributione ſive præmiorum, ſive onerum, & aliarum rerum, quæ cuique debetur, conſiſtens, non adeo hallucinari videtur Philoſophus, quod adulterium ex libidine admiſſum, vel cædem ex nimia ira factam, proprie ad juſtitiam, ſcil. particularem, non vult pertinere. Qui ejuſmodi perpetrat facinora, injuſte quidem agit, & peccat contra juſtitiam univerſalem, utpote quæ omnes continet omnino virtutes morales, prohibetque omnia vitia quæ hiſce contraria ſunt.

Juſtitia enim una alias virtutes continet omnes.

ut ex Teognid. refert Philoſophus. Attamen quia qui intempeſtiva libidine inflammatus adulterium committit, non plus ſibi boni ſumit quam tribuit alteri, & conſequenter quia ille intemperans potius eſt, quam ſibi plus ſumens aut vindicans, contra particularem juſtitiam non peccare videtur. Contra vero qui quæſtus cauſa mœchatur mercedemque etiam fert, ille potius injuſtus quam intemperans dicitur, quia quæſtum faciendo plus ſibi ſumit & vindicat quam oportet. Ipſum itaque adulterium maximum

quidem vitium eſt, & contra juſtitiam, verum non ſemper refertur ad eam, quæ tanquam pars virtutis dicitur juſtitia particularis. Sic ſi quis aliquem ira percitus pulſaverit, ad iracundiam refertur. Si quis vero pecuniam acceperit ut alicui colaphum infligeret, quia hac ratione quæſtum & lucrum fecit, ad injuſtitiam pertinet, ſibi enim plus lucri ſumſit quam oportet, quod juſtitiæ particulari contrarium eſt. Ita enim Philoſophus, in ceteris quidem omnibus injuſte factis, ſi quid peccetur, id ſemper ad aliquod genus improbitatis refertur: verbi cauſa, ſi quis adulterium commiſit, ad intemperantiam: ſi is, qui in acie proximus locatus erat, deſeruit, ad timiditatem: ſi quem pulſavit, ad iracundiam; ſed ſi quæſtum fecit, ad nullum aliud vitium niſi ad injuſtitiam refertur, ſcil. eam quæ in partibus vitii numeratur, quemadmodum juſtitia pars virtutis dicitur, conſequenter recte injuſtitia particularis quoque nuncupatur: non tota conſiſtens in alieni uſurpatione, quemadmodum juſtitia non tota conſiſtit in alieni abſtinentia; eſt quidem omnis uſurpatio alieni injuſtitia, ſi non contra juſtitiam particularem, ſaltem contra univerſalem peccatur, verum omnis injuſtitia non eſt alieni uſurpatio. Quod in diſtribuendis oneribus perſpicuum, qui enim ſibi minus oneris tribuit quam alteri, injuſtus eſt, quia peccat contra juſtitiam particularem, quæ æqualitatem ſervare jubet, & tamen non uſurpat aliena. Sic & multis modis injuſte agere quis dici poteſt, & non aliena cupere vel uſurpare; ut qui ſtationem deſerit, & clypeum abjicit, qua ignavus eſt, injuſte agit, & tamen aliena non capit neque uſurpat; ergo eſt & alia injuſtitiæ pars, ad quam pertinet alieni uſurpatio, alia quæ ſpectat cæteras actiones injuſtas, & conſequenter videtur Authorem perperam injuſtitiæ naturam in uſurpatione alieni, & juſtitiæ eſſentiam totam in abſtinentia ejus, quod ad alium pertinet, poſitam affirmare.

45. Ut redeam unde veneram, verum quidem eſt virtutibus nonnullis accidere ut affectus moderentur, ſed hoc non ideo quod id ſit virtuti omni proprium atque perpetuum; ſed quia recta ratio, quam virtus ubique ſequitur, in quibuſdam modum ſequendum dictat, in quibuſdam ad ſumma incitat: nam Deum nimium colere non poſſumus: ſuperſtitio enim non eo peccat quod Deum nimium colat, ſed quod perverſe: neque æterna bona nimium poſſumus appetere, neque æterna mala nimium formidare: neque peccata nimium odiſſe. Vere igitur a Gellio dictum, eſſe quædam quorum amplitudines nullis finibus cohibeantur, & quæ quanto majora auctioraque ſint, etiam tanto laudatiora ſint. Lactantius, cum multum de affectibus diſſeruiſſet, *Non in his moderandis*, inquit, *ſapientiæ ratio verſatur, ſed in cauſis eorum; quoniam extrinſecus commoventur: nec ipſis potiſſimum frenos imponi oportuit, quoniam & exigui poſſunt in maximo crimine, & maximi poſſunt eſſe ſine crimine.* Nobis propoſitum eſt Ariſtotelem magni facere, ſed cum ea libertate quam ipſe ſibi in ſuos magiſtros veri ſtudio indulſit.

In ſummis ſæpe conſiſtit.

Lib. 4. cap. 9.

COMMENTARIUS.

PAuca adhuc delibare hic placet de virtutis vitiique natura. Diximus eam poſitam in mediocritate, quia nullam aliam poſſumus formare virtutis ideam, niſi quod ſit oppoſita vitio, id eſt, quod nullo exceſſu neque defectu laboret, & conſequenter cui adeſt quantum requiritur, id eſt, non plus neque minus quam adeſſe oportet: illud ipſum autem quod nec ſuperat nec deſerit id quod oportet adeſſe, medium dicimus; quippe quod vitium vocatur, id ipſum vel in exceſſu vel defectu conſiſtit, atque ſub ea repræſentatur nobis idea; atqui illud quod medium vocamus nobis repræſentatur tanquam ad neutrum vitium deflectens, ideoque medium appellatum. Hinc ex contrariorum oppoſitione nimii & pari vitia vocamus, virtutes medium dicimus. Verum opponit Author illud medium omnes affectus non admittere, & conſequenter omnibus virtutibus non convenire, *quippe recta ratio*, inquit, *quam ubique virtus ſequitur, in quibuſdam affectibus modum ſequendum dictat, in quibuſdam ad ſumma inſtigat.* Ergo in mediocritate affectuum perperam virtutis naturam poſitam affirmat Philoſophus. Sed reſpondeo, perperam, vel recte lectoris relinquo judicio. Conſideramus virtutem tanquam rem omnibus numeris abſolutam, id eſt, perfectam, cui nihil addi, nihil detrahi poſſit, quin deflecteret ad id quod vel nimium eſſet vel parum, & conſequenter vitii naturam induceret. Sub hujus perfectionis idea nobis, ut diximus, repræſentatur id, quod medium vocamus, quamobrem in eo virtutis naturam conſiſtere

ſtere

ſtere affirmamus. Sin autem quidam animi motus moderatione non egeant, quia in ſummis eorum conſiſtat virtus, ex eo evinci nequit, medium omni virtuti nec proprium nec perpetuum eſſe: quippe cum ejuſmodi motuum objecta ſint in ſe perfecta, quibus addi nihil poteſt nec detrahi, ſequitur quo magis ad illa conſequenda incitamur, eo perfectior eſt affectus quo in ejuſmodi objecta ferimur; imo ejuſmodi inclinatio ipſa virtus eſt ſive medium quod conſiſtit in ſummo; itaque ſummum medium; medium, quia illud aſſequi conantes neque ſuperamus neque deſerimus id quod adeſſe oportet. Non datur enim medii medium, quia una virtus alia perfectior vel major eſſe nequit: iſte enim gradus defectus eſſet ideoque vitium; quod ubi virtus eſt abeſſe debet, quia virtus omnem defectum & conſequenter quod vitioſum eſt, ſive quoad nimium ſive quoad parum, tollit. Optime Cicero *Paradox.* 3. *Una virtus eſt*, inquit, *conſentiens cum ratione & perpetua conſtantia: nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur.* Sic quoque Seneca *Epiſt.* 66. *Nihil invenies recto rectius: non magis quam vero verius, temperato temperatius. Omnis in modo eſt virtus: modus certa menſura eſt. Conſtantia non habet quo procedat: non magis quam fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere profecto poteſt? nihil.* Quemadmodum modus amandi Deum eſt ipſum ſine modo deamare, quia amatur tanquam finis. Id quod & de ſanitate dicendum, quæ non ut medicina præſcripto modo ſanitati commenſurato, ſed abſolute eſt amanda. Cui addi poteſt, quod ejuſmodi virtutes, quibus ratio nos ad ſumma incitat, revera in mediocritate conſiſtant, & quidem *rei*; convenit enim quorundam objectorum præſtantiæ atque dignitati ſumma ſive amoris, ſive honoris, ſive alius cultus præſtatio, ita ut quando eam exhibere negligimus, objecto non tribuatur quod debetur, & conſequenter peccetur contra juſtitiam particularem, quæ eſt virtus poſita in medio, illud enim ſummum eſt ipſa mediocritas. Hinc niſi Deum ſummo amore proſequamur, tam in vitio ſumus & adverſus juſtitiam peccamus, quam ille qui non tribuit ſuum cuique. Summum & infinitum Deo debemus amorem & honorem; quo igitur magis Deum honoramus & diligimus, eo magis virtutem ſectamur, quam juſtitiam particularem vocamus, conſiſtentem in medio rei, id eſt, ſuum cuique tribuendo. Itaque quomodocunque conſideremus virtutem, ſemper in medio conſiſtit, ſive quidam affectus moderationem & temperantiam admittant, ſive ad ſumma nos incitent, illud enim ſummum pro ratione objecti vel eſt medium *rationis* vel *rei*. Itaque quo magis Deum colimus, eo magis tribuimus Deo quod ipſi debemus, imo ſine menſura, id eſt, ſumme colendus, atque illud ſumme eſt medium in quo juſtitiæ virtus conſiſtit, idcirco iſte affectus ad Deum ſumme colendum nunquam nimium eſſe poteſt, quia ipſa dictat ratio Deum toto animo, toto corde, totis denique viribus colendum. Ita ut illud ſummum ſit quoque medium rationis in quo virtus poſita, modo fiat cultu recto, id eſt, a Deo præſcripto. Sed ulterius placet inquirere, num & in illis affectionibus, quibus ad virtutis exercitationem & ad id quod rectum & bonum eſt incitamur, exceſſus vel defectus admitti non poſſit: & conſequenter eorum moderatio non ſit virtus in mediocritate poſita, quemadmodum in cæteris; quo probato concidere mihi videntur omnia argumenta, quæ Author adduxit ad evertendum a Philoſopho virtutis poſitum fundamentum. Certiſſimum eſt, augmentum ipſius habitus vel affectus, quo ad faciendum quod bonum & rectum eſt, ac virtuti congruum, nunquam ſuperfluum eſſe, & quouſque ejuſmodi deſiderium extenditur, modum non excedit, quia dum verſatur circa id quod per ſe bonum & rectum eſt, ſemper manet in medio, ut diximus. Verum cum virtutes non tantum conſiſtant in ſolis affectionibus, & animi habitu, quo Stoici contenti eſſe videntur, ſed & in actione, *In qua omnis ejus laus conſiſtit*, ut inquit Cic. 1. *Off. cap.* 6. Cui non diſſimile illud ejuſdem Authoris. *Fructum ingenii & virtutis tum maxime perſpici, cum in proximum quoque conferatur.* Sic Chriſtus ex fructibus arborem, ex operibus fidem ſe judicaturum denunciat, ſuorumque paſſim mandatorum obſervationem exigit atque poſtulat. Sic Paulus Apoſtolus eam fidem probat, quæ per charitatem eſt efficax. Hinc oportet actuoſam eſſe virtutem; actiones autem illæ, per quas virtus in praxin deducitur, id eſt, applicatur rebus factiſque, videntur aliquando temperantia & moderatione indigere. Quanquam enim ipſa virtus quia per ſe bona nunquam excedat medium, (dum virtus eſt ſemper medium, & conſequenter quouſque virtutem ſectamur, medium tenemus ac ſequimur) virtutis tamen exercitatio, quæ includit actionem humanam, nimium & parum admittit: præterquam quod in objecto, circa quod verſatur virtus, ſuperfluum & diminutum contingere poteſt. Sic liberalitas virtus in ſe bona eſt, nec minor virtus ad eam exercendam voluntas & animi propoſitum, verum ejus exercitatio poteſt eſſe nimia, ita ut danti ſit damnoſa; pauperibus ſubvenire laudabile eſt, iis prodeſſe noſtro cum damno exceſſus eſt. Sic Deum colere ſumma virtus eſt, divino cultui inſerviendo propria negotia negligere, eſt excedere modum, & abuti cultu divino. Ipſe Deus enim externum illum nimium cultum faſtidire teſtatur *Eſai. cap.* 1. *vers.* 11. cum inquit. *Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum tuorum? ſatur ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium: & ſanguine juvencorum agnorumque & hircorum non delector.* Quod ſi autem ad Gentilium deorum cultum reſpiciamus, eo magis Philoſophi noſtri opinio ſtabit firma. Cum enim iſte conſiſtebat in externa quadam magnificentia, tum donorum quæ in templis ſuſpendebantur diiſque dicabantur, tum etiam conſtructionibus templorum, atque inſtituendis ludis, ſacrificiiſque faciendis, ſæpiſſime in hiſce modus excedebatur: quoniam in ejuſmodi ſumptibus faciendis non ſolum ratio operis, ſed & facultatum & per-

ſonæ habenda eſt. In omnibus enim, in quibus magnificentia locum habet, & ejus habenda ratio eſt qui facit, & quæ ſint ejus facultates. *Sumptus enim digni facultatibus eſſe debent, neque opus ſolum, ſed etiam eum qui facit decere* Ariſt. *lib.* 4. *cap.* 5. *Ethic.* Cum autem Romani in hoc cultus genere ſæpiſſime modum excedebant, quoniam ſibi perſuadebant, quo ſplendidius Deos ſuos colebant, eo magis ſibi eorum conciliare gratiam & benevolentiam poſſent. Hinc adeo largi & liberales in ſuppliciis Diis exhibendis erant. Credentes, quemadmodum homines, ita etiam Deos donis muneribuſque ferendis capi; hinc ſtatuæ Deorum deauratæ, vel etiam ex ſolido auro effictæ, hinc crateræ argenteæ, & vaſa aurea. Hinc donaria ex craſſo auro excuſa. Hæc omnia Perſ. *Satyr.* 2.

Si tibi crateras argenti, incuſa pingui
Auro dona feram, ſudes & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, auro ſacras quod ovato
Perductis facies: nam fratres inter ahenos
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt
Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.
Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra.
Veſtaleſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.

Si itaque religionem & ſuperſtitionem Gentilium intueamur, qua multis ad extremam paupertatem redigebantur, merito Dei cultum in numero earum virtutum moralium poſuiſſet Philoſophus, quæ in mediocritate poſitæ ſunt. Æternorum bonorum ſumma cupido laude digna. Verum ea adeo vehementer appetere, ut terrena ad agendam honeſte vitam neceſſaria plane negligamus, eſt nimia eorum acquirendorum adhibita cura. Et ſic in cæteris exercendis, virtutibus actiones humanæ moderandæ, ne in exceſſu vel defectu peccent. Quomodocunque itaque virtutes conſideremus, per ſe tanquam habitum ad recte agendum, vel tanquam per humanas actiones in actum deductas ac rebus factiſque applicandas medium, ubique virtutum fundamentum manet.

Hiſtoria. 46. Hiſtoriæ duplicem habent uſum qui noſtri ſit argumenti: nam & exempla ſuppeditant & judicia. Exempla quo meliorum ſunt temporum ac populorum eo plus habent auctoritatis: ideo Græca & Romana vetera cæteris prætulimus. Nec ſpernenda judicia, præſertim conſentientia: jus enim naturæ, ut diximus, aliquomodo inde probatur: jus vero gentium non eſt ut aliter probetur.

COMMENTARIUS.

HIſtoria eſt memoria rerum veterum, & monumentum temporum, locorum, hominum, rerum geſtarum, atque commemoratio rituum, legum, conſuetudinum, cæterarumque antiquitatum, quæ apud diverſas gentes obtinuere. Multum ſane hæc omnia adjuvant juris publici ſcientiam. Multa enim nobis ſuppeditat hiſtoria exempla, quibus hanc vel illam legem, morem ſeu conſuetudinem apud plurimas gentes obtinuiſſe probamus. Cujuſmodi probationes multum ponderis habent ad ſtatuendum aliquid juris gentium eſſe: ſcil. iſtius juris, quod eatenus a jure naturæ diſtinguimus, & proprio nomine gentium vocamus, quatenus quædam jura ex conſenſu gentium ſive expreſſo ſive tacito dimanaſſe videntur, quorum plerumque diverſus ſtatus & conditio humanæ vitæ fuit cauſa procatarctica, cum jure naturæ quidem, ex eodem fonte, nimir ratione recta deſcendens, verum quemadmodum illud immediate a naturali ratione profluit, ita hoc mediante gentium conſenſu, ideoque actu humano interveniente introductum: idcirco a Juſtiniano definitum, quod uſu & humana neceſſitate exigente ſibi gentes conſtituerunt. §. 2. *Inſt. de jur. nat.* Quo autem meliorum ſunt temporum ac populorum teſtimonia, eo plus auctoritatis habent. Quod vero ad populos attinet, merito Græci atque Romani cæteris gentibus tum quoad leges & conſuetudines, cum etiam quoad reipub. adminiſtrationem præſtant. Ita enim de Græcia Cic. *pro Flacco. Atque hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio & bellica laude floruit, parvum quendam locum, ut ſcitis, Europæ tenet ſemperque tenuit.* Imo nonne ipſi Romani olim ſacra & leges ab ipſis petiêre, aliaſque multas diſciplinas & artes atque ritus ab illis mutuati ſunt. De Rom. reſp. multa dicenda. Nullam enim unquam reſpublicam nec majorem, nec ſanctiorem, nec bonis exemplis ditiorem fuiſſe teſtatur Livius *in Præfat. At noſtra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum terrarum orbem implevit.* Verum non ſemper civitatum ac Rerump. eadem facies, neque idem imperii ratio & ſtatus: ſunt enim illæ quemadmodum ceteræ res humanæ multis obnoxiæ viciſſitudinibus. Unde populum Romanum tanquam hominem conſiderans Florus, ejus quatuor ætatis gradus proceſſuſque recenſet, qui ſunt tot ejus mutationes & varii ſtatus. Verum quo adoleſcentiæ & juventæ propior fuit, eo virtutibus boniſque exemplis ac diſciplinis ditiorem fuiſſe invenimus, & conſequenter plus auctoritatis habent exempla & teſtimonia quæ a primis ejus initiis, & quæ deinde ſequuntur, aliquot ſæculis deducimus, id eſt, quo magis ad vetuſtiora tempora, ſcil. initium & primordium reip. tum Græcæ tum etiam Romanæ, recurrimus, quam ea quæ poſterioris ætatis; cum labente paulatim diſciplina a virtute deſcitus ad vitia lapſus magis eſt populus Romanus. Sic

optimus

optimus vetus Græciæ ſtatus a poſteriori, qui pejori fuit, conditione, a Cic. *pro Flacco* diſtinguitur. *Itaque*, inquit, *hanc Græciam, quæ jam diu ſuis conſiliis perculſa & afflicta eſt, omitto. Illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum, cum in theatro imperiti homines rerum omnium rudes ignarique conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant, tum ſeditioſos homines reipub. præficiebant, tum optime meritos cives e civitate ejiciebant.* Quomodo bona vigerent exempla, & virtutes locum haberent in ejuſmodi deperdito reipub. ſtatu. Præter exempla, judicia quoque nobis ſuppeditant Hiſtoriæ. Quo autem ſibi magis conſentiunt Scriptorum teſtimonia, eo plus authoritatis habent, & veritati conjunctiora videntur. Verum & iis tamen non temere aſſentiendum, ſæpe enim gliſcente adulatione tempori & affectibus inſervientes quandoque a veritate deflexerunt. Ita enim Tacit. *Sed veteris populi Romani proſpera vel adverſa claris ſcriptoribus memorata ſunt, temporibus Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerentur*: & *lib.* 1. *Hiſt.* 1. ita ſcribit. *Poſtquam bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta; primum inſcitia reipub. ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis, inter infenſos vel obnoxios. Sed ambitionem ſcriptoris facile adverſeris. Obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi crimen fœdum ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti. Dignitatem noſtram a Veſpaſiano inchoatam, &c. Incorruptam fidem profeſſis, nec amore quiſquam & ſine odio dicendus eſt.*

47. Poëtarum & Oratorum ſententiæ non tantum habent pondus: & *Poetæ.*
nos ſæpe iis utimur non tam ut inde adſtruamus fidem, quam ut his quæ *Oratores.*
dicere volumus ab ipſorum dictis aliquid ornamenti accedat.

COMMENTARIUS.

Imo in moralibus, id eſt, juris naturæ præceptis explicandis atque interpretandis, multum quandoque Poëtæ nos adjuvare poſſunt: eximia enim doctrinæ moralis & bene vivendi præcepta ex eorum monumentis colligimus. Non opus hic multis teſtimoniis, ſufficit ex tot Poëtarum elegantiſſimis monumentis unius Horatii adducere elegantiſſima poëmata, quæ ſtudioſe & ſedulo legenda. In iis invenimus pleraque omnia quæ ad recte, ſanctè, beatèque vivendum ab homine Gentili proficiſci poſſunt admiranda præcepta, atque omnis fere moralis doctrinæ vim atque medullam.

48. Librorum, quos a Deo afflati homines aut ſcripſerunt aut probarunt, *11. Libri*
auctoritate ſæpe utor, cum diſcrimine antiquæ & novæ legis. Antiquam *Sacri.*
legem ſunt qui urgent pro ipſo jure naturæ: haud dubie mendoſe, multa *1. Teſtam.*
enim ejus veniunt ex Dei voluntate libera, quæ tamen cum vero jure na- *Vetus.*
turæ nuuquam pugnat: & eatenus argumentum inde recte ducitur, dummodo diſtinguamus accurate jus Dei quod Deus per homines interdum exſequitur, & jus hominum inter ſe. Vitavimus ergo quantum potuimus & hunc errorem, & alterum ei contrarium qui poſt novi fœderis tempora nullum antiqui fœderis uſum eſſe putat. Nos contra cenſemus, tum ob id quod jam diximus, tum quia novi fœderis ea eſt natura, ut quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri fœdere, eadem & ipſum aut majora præcipiat: & hunc in modum uſos teſtimoniis antiqui fœderis videmus antiquos Chriſtianorum Scriptores.

COMMENTARIUS.

IN eo potiſſimum ſacræ Scripturæ auctoritas quoad nos conſiſtit, quod a Spiritu ſancto illuminati atque inſpirati fuêre, quicunque nobis reliquerunt divina oracula conſignata monumentis. Quippe cum ea ab hominibus multis obnoxiis erroribus fuerint conſcripta atque collecta, non majorem illis, quam aliis quibuſcunque profanis Scriptorum narratiunculis atque ſæpiſſime fabulis fidem haberemus, niſi divina accederet authoritas. Quod a Deo afflati fuêre cum Prophetæ, tum etiam Euangeliſtæ, Apoſtoli, aliique viri ſancti, quorum nomina ſacris libris inſcri-

ſcribuntur, ex multis divinæ Scripturæ characteribus perſpicimus, quos a Theologis paſſim collectos, hic omnes examinare noſtri non eſſe fori ducimus. Prætermittere tamen non poſſum quorundam errorem annotare, qui noſtro judicio perperam ad divinæ Scripturæ auctoritatem probandam ex eadem argumenta & illationes deducunt, quæ nullius ponderis atque momenti ſunt, nondum probata prius ejuſdem Scripturæ divinitate. Inter alia autem hujus divinitatis criteria, ſive argumentum & doctrinam conſideres; ſive ſcribendi ſtylum & dictionis characterem examines; ſive ſcriptorum ac compilatorum, quorum opera Deus uſus eſt, ſive aliarum cauſarum & circumſtantiarum rationem habeas: nullum meo judicio omni exceptione majus teſtimonium adduci poteſt, quam admiranda illa myſteriorum ſublimitas, utpote quæ nulla rationis ſagacitate inveſtigari potuerint. Quorum in numero ſunt *trinitas*, *incarnatio*, *ſatisfactio Chriſti*, *reſurrectio mortuorum*. Cujuſmodi myſteria quamvis humano concipi nequeant ingenio, & conſequenter multo minus excogitari ab homine potuerint, attamen quoniam ex ipſa divina œconomia & ipſo rerum eventu, imo ipſa natura divina, eorum veritatem, perſpicimus, aliunde ſcriptoribus innotuiſſe neceſſe eſt. Cui accedit, quod hæc omnia continere videntur omnes illas virtutes, omniaque attributa, ſine quibus perfectam divinæ eſſentiæ ideam concipere vel formare non poſſumus. Unde ſequitur, quoniam hæc myſteria, quæ ſunt certæ & neceſſariæ veritates, neque vi rationis, neque innato naturali lumine aſſequi potuerunt, & tamen ab hominibus ſcriptis fuerint conſignata, neceſſario aliunde ea ipſis revelata fuiſſe. Quippe quam multa ſecula ante eos fuêre elapſa, quibus floruêre ſubtiliſſima ingenia, quæ licet alia multa naturæ arcana vi rationis & mentis ſagacitate e tenebris in lucem protraxerint, imo & multa præclara & admiranda de Deo ejuſque natura diſputarint, quanquam veræ religionis notitia deſtituti Philoſophi; attamen horum myſteriorum nullam plane mentionem faciunt, quia nullam eorum habuerunt ſcientiam. Cui accedit, quod eadem nobis tradantur atque explicentur ab ejuſmodi hominibus, qui omnium bonarum artium rudes, eo minus ad talia excogitanda atque fingenda idonei fuiſſe videntur. Verum quid ſi ratio omnibus exculta bonarum artium diſciplinis, vel humani ingenii acumen, & longo rerum uſu hominis conſummatum judicium, ad tale quid excogitandum valeret. Quare & nos ejuſdem rationis participes, ad quos inſuper tot veterum egregia monumenta pervenerunt, atque eo ſeculo vivimus, quo omnes bonæ diſciplinæ vigent, nec deſunt ſubtiliſſima ingenia, ſimilia quædam fingere non poſſemus, quæ omnes, qui vel ea legerent, vel intelligerent tanquam humanum captum ſuperantia, in ſummam non ſolum admirationem raperent, verum etiam quanquam impoſſibilia & ideo ficta atque excogitata ipſis viderentur, attamen iſtis ineſſe vim aliquam ſentirent, quæ & invitis extorquent aſſenſum. Verum quoniam ea, quorum nos naturam, & cauſam, atque exiſtendi vel agendi modum concipere non poſſumus, fingi ab homine nequeant, ſequitur nihil etiam de iis dici poſſe, quæ propter aliquam veroſimilitudinem noſtrum judicium ſuſpenſum teneret. Omnia enim, quæ vel excogitamus, vel fingimus, prius ratione concipi oportet, concipi autem ratione nihil nequit niſi prius exiſtat aliquid cujus idea vel menti innata eſt, vel ſecundum ipſam rei, quæ nobis repræſentatur, naturam atque eſſentiam ſive figuram formatur, de nihilo enim nihil fit nec dicitur. Atqui nihil tale quid de illis myſteriis, neque quoad agendi, neque quoad exiſtendi modum, rationi innatum eſt, vel externè menti offertur. Ergo a nemine ea concipi potuerunt. Verumtamen, licet ex poſteriori eventu perſpiciamus, hæc omnia ita evenire ab æterno & exiſtere debuiſſe, ſecundum æternam & profundam Dei ſapientiam, quæ myſteriis illis divinis continetur; ſequitur viros illos, qui nobis ea tradiderunt, Spiritu ſancto actos atque illuminatos fuiſſe. Quippe cum vi rationis non potuerint eorum ſcientiam ſibi acquirere, & tamen eam habuiſſe conſtet, neceſſe eſt eam aliunde ipſis revelatam, ſcil. ab eo in quo ſumus, vivimus, & movemur: qui hominem in ſuam finxit imaginem, ejuſque naribus inſpiravit animam ratione præditam, ideoque qui eſt hujus univerſi conditor & gubernator ac conſervator Deus. Ex quibus omnibus concludimus, quoniam hæc myſteria animadvertimus divina ſumma ſapientia æternoque divini numinis conſilio ſive decreto, ut certo alicui fini inſervirent deſtinata, (quamobrem ſacra Scriptura cuique perſonæ in trinitate ſua attribuit munera) illos vero qui ea poſteris reliquerunt litteris mandata, neque eorum naturam, neque finem, vel exiſtendi vel agendi modum humana ratione percipi potuiſſe, neceſſario a Deo fuiſſe afflatos, & conſequenter divinitatem ſacræ Scripturæ maxime in hiſce myſteriis, quæ a divina inſpiratione actis authoribus nobis revelantur, fundari. Ita ut quicunque cui mens eſt ſana, non amplius de veritate ejuſdem Scripturæ dubitet, ſed obſtupeſcat, & profundam in hiſce myſteriis revelandis Dei ter. opt. max. ſapientiam perſpiciens, exclamare neceſſe habeat cum Paulo *cap.* XI. *verſ.* 33. 34. *ad Rom.* *O profundas divitias, tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! quis enim cogitavit mentem domini, aut quis ei fuit a conſilio.* Aſſerta divinitate ſacræ Scripturæ, ejus ultro ſequitur authoritas, ut inquit vir eruditione celeberrimus Franciſ. Burman. *Synopſ. lib.* I. *cap.* 5. conſiſtens potiſſimum in Sp. S. inſpiratione, qua acti viri ſancti eam nobis tradiderunt probaruntque. Perperam vero hiſce adjungit Author, quod horum librorum, quos a Deo afflati conſcripſerunt viri ſancti, authoritate utitur *cum diſcrimine novæ & antiquæ legis*, cujuſmodi doctrina Socianiſmum redolens craſſis admodum involuta eſt erroribus. Superius dicere incepimus legem moralem, quam ex ipſo ore divino acceperat Moyſes, eamque populo promulgaverat, tanquam

quam ſupremi legiſlatoris Jehovæ miniſter atque internuncius, adeo omnibus ſuis partibus conſtare atque abſolutam eſſe, ut neque detractionem neque augmentum pati poſſit. Quippe cum ex æterna eaque perfectiſſima derivetur natura divina, ſive ex ea immediate profluat, ei nihil addi vel detrahi poteſt, quoniam augmentum vel detractio teſtatur, non eſſe perfectum illud, cui aliquid additur vel detrahitur. Unde Franciſ. Turretin. *Inſt. Theolog. de Lege Dei. Lex*, inquit, ſcil. moralis, *non poteſt ſuppleri vel corrigi, quin imperfectionis vel vitii arguatur, atque adeo vitium ipſum in Deum Legis Authorem refundatur, quod vel cogitare impium.* Hinc *Pſal. 19. vers.* 8. *Lex domini pura eſt*, ſcil. integra & perfecta omnibus partibus, in qua non datur defectus rei adeſſe debitæ, nec vitium ſeu præſentia rei debitæ abeſſe, complectens omnes virtutes omniaque honeſtatis præcepta, hominemque erudiens quid officii ſui ſit, cum erga Deum, tum etiam erga proximum atque ſemetipſum. Quamobrem legem moralem pleniſſimam omnium officiorum normam, cum erga Deum tum erga homines, denique hominis erga ſeipſum prædicat ſtatim laudatus Franciſ. Burm. Cui accedit quod ipſe Chriſtus teſtatur *ſeſe non veniſſe ad deſtruendam legem, ſed complendam*, id eſt, ad exequenda & obſervanda quæ lege præcepta erant, & conſequenter docet ſe nihil legi vel detracturum vel adjecturum, quoniam additio vel detractio novæ legis potius promulgatio, quam antiquæ adimpletio videatur. Hinc inquit Ulpianus, quod addendo vel detrahendo juri communi proprium jus efficitur, id eſt, jus aliquod diſtinctum ab illo jure communi, jus aliquod novum & ejus proprium, qui juris condendi poteſtatem habet, introducitur, veteri ſcil. juri vel addendo vel detrahendo. Legis doctor atque interpres quidem eximius Chriſtus fuit, legiſlatorem vero nunquam egit. Explicavit legem moralem, novam non promulgavit, vindicavit eam a corruptelis Phariſæorum & Scribarum, ſed non correxit tanquam imperfectam, ut videre eſt *Matth. cap.* 5. ubi non novi legiſlatoris partes ſuſtinet, ſed tantum agit interpretem & vindicem legis per Moyſem datæ, & opponit dicta ſua, non dictis aut ſcriptis Moyſis, ſed Scribarum & Phariſæorum, prout ſe illa ab antiquis doctoribus accepiſſe jactabant. Turretin. *dict. loc.* Quibus addi poteſt, quod ſibi contradicunt qui ſtatuunt ab una parte legem naturalem ſive moralem, quam antiquam proculdubio Author nuncupat, eſſe immutabilem, ut ipſe ubique apertis verbis teſtatur, & ab altera illam legem detractionem vel correctionem, vel augmentum admittere affirmant. Immutabilis enim eſt, quia ab ipſa divina profluit natura, atqui nulla in eam poteſt cadere mutatio, quia perfecta nullum augmentum vel correctionem patitur, ergo idem de lege morali dicendum, quoniam omnis correctio, ſive omne augmentum, quædam mutatio eſt, quia vel additur quod abeſt, vel tollitur quod adeſt. Videtur hic Author errorem errore cumulare, antiquam legem, id eſt, moralem, a jure naturæ diverſam ſtatuens. Propterea quod multa ejus, ſcil. antiquæ legis ſive moralis, ex libera Dei voluntate veniunt. Niſi antiquam legem vocare velit Author omnium tum moralium tum forenſium & ceremonialium complexum. Fateor in ea ſignificatione ſumptum legis vocabulum a jure naturæ eatenus differre, quatenus ea quæ ſunt juris divini voluntarii, ut jura forenſia & ceremonialia, abrogari, corrigi, augeri, & pro temporum diverſitate mutari poſſunt, cujus naturæ quoque iſtiusmodi ſunt leges, quæ ex pleno & liberrimo, &, ut ita dicam, eminenti Dei in res a ſe creatas dominio proficiſcuntur. Quod ſecus in iis quæ ſunt juris moralis ſive divini neceſſarii. In hac ſignificatione ſumpto antiquæ legis vocabulo latius patet, quam jus illud quod morale ſive naturale dicimus, homini in prima creatione inditum cum divina imagine, omnis virtutis, honeſtatiſque, omniumque officiorum, cum quæ Deo, tum quæ proximo & nobis ipſis debemus, compendium, ſanctitatis & imaginis divinæ verus typus, ideoque perfectum, & immutabile, & conſequenter neceſſariam & perpetuam continens prohibitionem eorum quæ cum illa ſanctitate & divina imagine repugnant, præceptionem vero illorum, quæ cum ea conveniunt conſentiuntque. Cujuſmodi prohibitio, & præceptio concernit ea quæ per ſe ſunt illicita atque licita antecedenter ad voluntatem divinam, & conſequenter ea quæ in ſe habent neceſſitatem moralem faciendi & omittendi, quemadmodum jus morale ſive naturale in ſe habet neceſſitatem profluendi ex ipſa divina eſſentia, a jure itaque divino voluntario longe diverſum; ex quo jure quanquam multa derivantur, quæ cum jure naturæ ſive morali conſentiunt, ſemper tamen ratione diſpoſitionis ab eo ſeparata atque diverſa ſunt. Ita Clariſſimus Witſius *de Oeconom. Fæder. lib. 1. cap. 3. Id denique de hac lege natura obſervandum, quod, prima ſaltem & univerſaliſſima illius pracepta, non in mero & indifferenti Dei beneplacito, ſed in ipſa ſanctiſſima numinis natura fundata ſint. Etenim ſi Deum ideo homini legem ferre neceſſum eſt, quia eſt prima ſanctitas, non minus neceſſum eſt legem ferre, quæ iſtius Archetypa ſanctitatis Ectypa ſit. Adeo quod diſcrimen inter bonum & malum intercedit, non ex aliquo poſitivo jure, & indifferenti voluntatis divina conſtitutione, ſed ex ipſa ſanctiſſima Dei natura arceſſi debeat.* Quoniam vero Author per antiquam legem intelligit tantum legem moralem, quam revera & legem naturæ dicendam putamus, ex hiſce & ante dictis facile perſpici queat, merito eum erroris nos arguere, quod taxat eos qui antiquam legem urgent pro ipſo jure naturæ, id eſt, divino neceſſario. *Tres omnino*, inquit ſtatim allegatus Theologus, *recenſentur Theologis leges.* MORALIS ſive DECALOGICA, CEREMONIALIS, & POLITICA ſive FORENSIS. *Scilicet tripliciter conſiderari Iſraeliticus populus potuit. 1. ut creatura rationales, a Deo, uti ſuprema ratione, tam moraliter, quam naturaliter dependentes. Et ſic data fuit ipſi lex decalogi-*

ca, quæ, quoad ſubſtantiam ſuam, cum lege naturæ, homines qua tales obligante, una eademque eſt. Quo contigit ut Author, dum voluit hunc errorem vitare, in alterum inciderit, & in eundem lapidem bis impingere videatur, exiſtimans eam novi fœderis eſſe naturam, ut quæ ad virtutes morum pertinentia præcipiuntur in veteri fœdere, eadem & majora præcipiat. Quaſi fœdus novum, quod fœdus gratiæ nuncupamus, admitteret quædam adhuc opera meliora, & conſequenter mixtura quædam eſſet gratiæ ac operum, qui Socinianorum aliorumque extra eccleſiam error eſt. Transgreſſo enim antiquo fœdere, quod eſt fœdus operum, lapſu hominis, cujus adimpletionem excepiſſet vita æterna, tanquam merces homini obedienti & mandata legis facienti a Deo legiſlatore promiſſa, non amplius juſtificamur operibus, ſed ſola fide in Chriſtum, cujus perfecta legis obedientia antiqui fœderis promiſſionis, ſcil. nos æternæ vitæ participes effecit, quæ omnia omnino opera excludit, tanquam medium, quo juſtificatio obtineri debet, ita ut novi fœderis natura non conſiſtat in præcipiendis, quæ ad virtutes morum pertinentia præcepta erant in antiquo fœdere, verum in gratuita conventione inter Deum & peccatorem, in qua Deus ex libero ſuo beneplacito, per mandatum fidei ac reſipiſcentiæ, fœderatis promittit ſalutem & vitam æternam in Chriſto mediatore, & hominis promiſſionis & mandati adſtipulatione per fidem. Solam itaque fidem exigit novum fœdus, quo Chriſtum amplectentes jus nobis acquirimus ad cœleſtem hæreditatem, olim in antiquo Dei cum homine fœdere facto promiſſam. Teſtatur illud ipſum claris verbis Paul. *Gal. cap. 2. verſ. 16. Scientes non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem J. C. etiam nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propterea quod non juſtificatur ex operibus legis ulla caro.* Præcipit fœdus novum quæ ad morum virtutes pertinent, quatenus nulla fides pro vera & viva habetur, niſi bonis operibus munita; non poſſunt enim ea a vera fide ſeparari, utpote quæ ex ea immediate profluunt, tanquam ejus certiſſima documenta, quamobrem eatenus antiquum fœdus ſibi locum adhuc vindicare Authori noſtro facile concedimus, quatenus obligati ſumus ad præſtanda ea officia, quæ lex moralis homini imponit, licet inobedientiæ pœna fidelibus remiſſa eſt, obediendi tamen obligatio ipſis incumbit, utpote quæ ex ipſa Dei ſanctitate deſcendens nullam diſpenſationem pati poteſt. Sed quæ plura de hac materia dicenda ſunt Theologis relinquimus examinanda, nos tantum obiter eam attingere voluerimus, quatenus Author quædam ad Theologiam pertinentia morali doctrinæ admiſcens, ſine aliqua animadverſione prætereire non poſſumus.

Hebræi Scriptores. 49. Ad percipiendam autem librorum ad antiquum fœdus pertinentium ſententiam, non parum conferre nobis poſſunt Hebræi Scriptores, ii maxime qui & ſermones & mores patrios habuerunt percognita.

COMMENTARIUS.

UBi de lingua Hebraica agitur, vel de vocis alicujus ſignificatione vel proprietate ſermo eſt, ſive de quorundam rituum & conſuetudinum, quæ in repub. Hebræorum obtinuere, expoſitione tractatur, multum uſum habere Rabbinos veriſſimum eſt. Verum cavendum, ne & illis temere aſſentiamur, nam & in hiſce, in quibus nobis uſui ſunt, etiam nos maxime fallunt atque decipiunt, quando Authoris noſtri exemplar ſequentes eorum ſcriptis, quibus ſæpiſſime multas ex Thalmude deſcriptas fabuloſas narratiunculas admiſcent, tanquam oraculis falli neſciis, fidem habemus.

2. Teſtam. Nov. 50. Novo fœdere in hoc utor, ut doceam, quod non aliunde diſci poteſt, quid Chiſtianis liceat: quod ipſum tamen, contra quam plerique faciunt, a jure naturæ diſtinxi: pro certo habens in illa ſanctiſſima lege majorem nobis ſanctimoniam præcipi, quam ſolum per ſe jus naturæ exigat. Neque tamen omiſi notare, ſi qua ſunt quæ nobis commendantur magis quam præcipiuntur, ut a præceptis declinare ſciamus nefas & pœnæ obnoxium, ad ſumma quæque contendere generoſi eſſe conſilii, & ſua non cariturі mercede.

COMMENTARIUS.

QUid licitum, quid illicitum Chriſtianis ex V. T. diſci poteſt. Eadem enim, quæ lex moralis ſive antiquum fœdus exigit debita a populo Iſraelitico, exiguntur quoque a Chriſtianis: nulla enim datur virtus, nullum opus morale bonum, quod lege morali non contineatur,

quoniam eſt regula abſolutiſſima omnis rectitudinis atque perfectionis, cui conſequenter nihil addi vel detrahi poteſt, ut ſtatim diximus. Quemadmodum una eademque Dei eſt ſanctitas, cujus lex illa moralis verus typus eſt, ita una tantum eademque lex, quæ ex illa ſanctitate originem ſuam habens, hominem docet quæ facienda, vel vitanda ipſi incumbunt. Si quis mihi velit objicere, multa Judæis licita fuiſſe, quæ Chriſtianis illicita ſunt, ut conſtat de libello repudii, polygamia, & ſimilibus; huic reſpondeo, primo hæc natura ſua non repugnare juri divino neceſſario, ideoque non adeo prohibita eſſe lege morali, quam jure divino voluntario, quod probat ipſa Dei diſpenſatio, quæ ſibi locum vindicare non poteſt in iis quæ ſunt legis moralis ſive naturæ, propterea quod immutabilia ſunt, ideoque ne quidem ipſius Dei, (quod ſalva divinæ majeſtati debita reverentia dictum) multo minus hominis diſpoſitionem admittunt. Quoniam vero conſtat Deum quædam Judæis olim permiſiſſe, quæ poſtea Chriſti adventu abrogata ſunt, & Chriſtianis interdicta atque prohibita, argumentum eſt, in ſe, id eſt, moraliter, neque turpia neque inhoneſta fuiſſe, ideoque prout hujus univerſi conditori & rectori ſummo viſum fuerit humano generi, vel populo ſibi fœdere conjuncto conſultum fore, licita vel illicita vetando, vel permittendo, vel jubendo effeciſſe. Quorum in numero quoque ponimus fratrum & ſororum conjugium mundi primordio permiſſum, humani generis propagandi cauſa, poſtea vero interdictum atque prohibitum. Cujuſmodi voluntatis divinæ mutatio nihil derogat legis moralis perfectioni vel authoritati, quaſi non contineret omnia, quæ a Chriſtianis exigit a Chriſto tradita vitæ inſtituendæ atque degendæ diſciplina, ſed tantum aliam nobis præſcribit regulam & agendi normam circa ea quæ ſunt divini juris voluntarii, quæque pro diverſa rerum humanarum facie ſæpius mutantur. Quemadmodum ſtante repub. Hebræorum multa fuere permiſſa & introducta, quæ poſt ejus everſionem abrogavit & vetavit ſummus rerum arbiter & gubernator Deus. Sic ipſe Chriſtus teſtatur quædam populo Iſraelitico permiſſa, addens cauſam permiſſionis, ſcil. propter duritiem cordis iſtius populi, a quibus revocat ſuos diſcipulos ſuamque doctrinam amplectentes. Sed cavendum ne perſuadeamus nobis, eadem illa vetita eſſe, quia turpia & illicita eſſent ſua natura, hoc enim eſſet Dei ſanctitatem ejuſque immutabilem naturam & eſſentiam negare. Sed dicendum a Deo poſtmodum abrogata atque prohibita eſſe, quia placuit ſummo Jehovæ populo ſibi novo fœdere juncto potius vivendi & agendi normam præſcribere, a Ebræorum ſtatutis & legibus tum ceremonialibus tum forenſibus diverſam. Attamen nihil veteri populo permiſſum, quin ſalva ſanctitate divina Chriſtianis licitum fuiſſet, ſi ita placuiſſet Deo. Verum quoniam in ea poſterior ætas incidit tempora, quibus Sol ipſe juſtitiæ nobis illuxit, non mirum Deum voluiſſe quo magis illuminati ſumus, eo magis in omnibus perfectiſſimum illud morum exemplar, ſalvatorem noſtrum Chriſtum, imitaremur: qui perfecta ſua obedientia & juſtitia effecit, ut jus legis impleretur in nobis, ſcil. nobis acquireret legis mercedem, quæ eſt vita æterna, veteris fœderis promiſſio & finis. Et eo ſenſu concedo Authori majorem a nobis ſanctimoniam exigi, quatenus liberior vivendi regula & agendi norma veteri populo olim conceſſa anguſtioribus eſt circumſcripta cancellis. Non eo quod ſanctiora quædam præcepta ſub novo fœdere, quam quæ lex moralis ſive naturæ continet, forent a Chriſto promulgata. Id ipſum enim a Chriſtianis voluit Chriſtus, *ut eſſent perfecti, ſicut pater noſter eſt perfectus.* Et 1 *Pet. cap.* 1. *verſ.* 15. 16. *Sed ſicut is qui vos vocavit ſanctus eſt, ipſi quoque in omni converſatione ſancti reddamini: propterea quod ſcriptum eſt, ſancti eſtote, nam ego ſum ſanctus.* Cujuſmodi ſanctitas eſt divinæ puritatis imitatio & expreſſio, quæ in omnibus noſtris inclinationibus & actionibus locum ſibi vindicat. Deus enim eſt exemplar creaturæ rationalis, ad quod ſeſe componere obligatur. Ad illud autem ſe componit, quoties legi morali, quam pedibus ſuis lucernam nuncupat David, obtemperando ad ſanctitatem divinam magis magiſque ſe transfigurare conatur. Quæ Author dicit, ſeſe in hiſce omnibus quæ vel ad antiquum vel novum fœdus pertinent non omiſiſſe notare, ſi qua ſunt quæ nobis commendantur magis quam præcipiuntur, ut a præceptis declinare ſcimus nefas & pœnæ obnoxium, ad ſumma quæque contendere generoſi eſſe conſilii, & ſui non carituri mercede, id ipſum Pontificiorum doctrinam redolet, qui *conſilia vocant bona opera a Chriſto nobis non imperata, ſed demonſtrata, non mandata, ſed commendata.* Qualia conſilia locum habere non negant Reformati in operibus quibuſdam adiaphoris, quæ cujuſque arbitrio relinquntur, & ea ratione recte diſtinguntur a præceptis quæ habent in ſe neceſſitatem faciendi vel abſtinendi & omittendi. Cujus generis conſilium Pauli de uſu vini, quem Timotheo commendat 1 *Tim. cap.* 5. *vers.* 14. aliaque id genus 1 *Corinth. cap.* 7. Verum negant ejuſmodi conſilia dari circa bona opera, qualia nulla ſunt quin lege morali contineantur, in ſe habentia neceſſitatem faciendi vel omittendi, ideoque cadunt ſub præceptum proprie dictum, non ſub conſilium. Unde concludimus nihil in Euangelio ſive a Chriſto ſive Euangeliſtis vel Apoſtolis, circa moralia per modum conſilii dari ad perfectiorem quendam obtinendum ſtatum, ſua non cariturum mercede. Sed per modum præcepti nobis impoſitam neceſſitatem, qua legis moralis omnia præcepta implere tenemur, hoc enim eſt ad ſumma contendere, legem implere conari. Quippe, ut ſtatim diximus, eſt illa regula abſolutiſſima omnis perfectionis & rectitudinis, ita ut qui vitam legi morali conſentaneam inſtituit, ejus vivendi rationem perfectam merito dicimus. Sed proh dolor! *ſepties cadit juſtus uno die.* Tendere itaque ad ſummum perfectionis gradum optabile quidem, ſed quid præſtant nobis ejuſmodi deſideria, quid lucri nobis adferunt. Quorſum præ-

ceptorum obſervantia, niſi omnia impleamus legis præcepta. Hiſce impletis videamus an quid ultra ſperandum vel faciendum reſtat, quod novum fœdus a nobis poſtulat.

3. Synodorum canones.

51. Synodici canones qui recti ſunt collectiones ſunt ex generalibus legis divinæ pronuntiatis, ad ea quæ occurrunt aptatæ. hi quoque aut monſtrant quod divina lex præcipit, aut ad id quod Deus ſuadet hortantur. Et hoc veræ Eccleſiæ Chriſtianæ eſt officium, ea quæ ſibi a Deo tradita ſunt tradere & eo quo tradita ſunt modo.

4. Chriſtianorum primorum uſus & mores.

Sed & mores apud Chriſtianos illos veteres, & qui tanti nominis menſuram implebant, recepti, aut laudati, merito pro canonibus valent. Secunda poſt hos auctoritas eſt eorum qui ſuis quique temporibus pietatis de doctrinæ fama inter Chriſtianos floruerunt, neque gravis cujusquam erroris notati ſunt.

5. Patrum & ſcripta & conſenſus.

nam & hi quæ dicunt magna cum aſſeveratione, & quaſi comperta, momentum non exiguum habere debent, ad interpretanda quæ obſcura videntur in ſacris literis, eoque majus quo & plurium apparet conſenſus, & propius acceditur ad primæ puritatis tempora, cum nec dominatus adhuc nec coitio ulla primitivam veritatem adulterare potuit.

COMMENTARIUS.

QUatenus ejuſmodi Synodici canones atque veterum Chriſtianorum mores cum ſacra Scriptura conſentiunt, iis fidem habemus. Admodum enim falluntur Pontificii, qui authoritatem falli neſciam attribuunt Conciliis a ſummo Romanæ Eccleſiæ Pontifice coactis. Quaſi ab eodem ſpiritu acto Romano Pontifice & ſanctis Patribus, quo olim Apoſtoli Hieroſolymis congregati, eadem quoque authoritate Concilia poſt tempora Apoſtolorum celebrata eſſent, ideoque eodem modo veneranda quo fuit olim Synodus Hieroſolymitana. Quod enim, inquiunt, tunc erant Apoſtoli & Seniores, poſtea fuerunt Epiſcopi & Presbyteri in locum illorum ſuccedentes, & conſequenter non minus obſervanda & ſequenda eorum dogmata & decreta, quam quæ olim ab Apoſtolis & Senioribus Eccleſiæ tradita fuere. Ex quibus concludunt, neminem Catholicorum poſſe juſte contemnere, quæ in ſacris Conciliis a ſanctis Patribus inſtituta ſunt, vel hodie poſſent inſtitui. Si enim una eſt Eccleſia Chriſti, una quoque & eadem ejus eſt auctoritas in omnibus legitime celebratis Conciliis. Facile hæc omnia concederemus Romanæ Eccleſiæ antiſtitibus, ſi nobis probarent, iiſdem donis Epiſcopos donatos eſſe, quibus ipſi Apoſtoli, atque extra ordinem cœlitus ipſis miſſum Spiritum Sanctum, quo illuminata fuere olim Apoſtoli. Hinc legimus *Act. cap.* 15. *v.* 28. indicto Concilio Hieroſolymis habito, edictum: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, ad probandum ejuſdem Concilii auctoritatem non ab humana poteſtate, ſed divina dependere, & conſequenter ejus ſacros canones obſervandos, tanquam divina decreta, cujus fideles erant miniſtri & internuncii Apoſtoli & Seniores Hieroſolymis congregati. Idem dicendum de veterum Chriſtianorum moribus, atque de Patrum auctoritate, quia fuere homines, & conſequenter multis erroribus multiſque humanæ naturæ imbecillitatibus obnoxii, tantum ipſis auctoritatis tribuendum, quantum eorum mores atque doctrina habent conſenſus cum ſacra Scriptura, quidquid in materia religionis & fidei ab ea alienum, tanquam humani cerebri falſum commentum rejiciendum.

6. Scholaſtici DD.

52. Qui his ſucceſſerunt Scholaſtici quantum ingenio valeant ſæpe oſtendunt: ſed in infelicia & artium bonarum ignara ſæcula inciderunt: quominus mirum ſi inter multa laudanda, aliqua & condonanda ſunt. Tamen ubi in re morum conſentiunt, vix eſt ut errent, quippe perſpicaces admodum ad ea videnda quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt: in quo ipſo tamen diverſa tuendi ſtudio laudabile præbent modeſtiæ exemplum, rationibus inter ſe certantes, non, qui mos nuper adeo literas inquinare cœpit, convitiis, turpi fœtu impotentis animi.

COMMENTARIUS.

VOx *Scholaſtici* admodum antiqua eſt, utpote, quæ memoratur apud Tacitum aliosque Scriptores. Scholaſtici dicebantur, qui Grammaticæ & Rhetoricæ dabant operam & ſtudebant, ita

ita nominati, quia in ſchola privatim ſemper docebant, non publice, ne plebs unquam de ea ſciret, & hac ratione Theologiæ incapax redderetur. Volebant enim clavem ſcientiæ penes ſe ſolos ſervari. Dividitur autem Theologia in *poſitivam* & *ſcholaſticam*; quarum illa verſatur in analyſi ſacræ Scripturæ ejuſque interpretatione; hæc in ſyntheſi locorum communium, per quos ea, quæ in ſacra Scriptura paſſim ſparguntur, in certum ordinem rediguntur. Burman. *Synopſ. lib.* 1. *cap.* 2. Debet autem ea natales ſuos Philoſophiæ, poſtquam enim Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, aliique Philoſophi Gentiles, ex Gentiliſmo in Chriſtiana caſtra tranſiverunt, & ſapientia ſecularis in ſcholis Chriſtianorum locum invenit, nec non Ariſtotelis Philoſophia Theologiæ permiſta fuit, *ſcholaſtica* nominari cœpit, multis diſtinctionibus definitionibuſque involuta, ſpinoſiſque quibuſdam ſubtilitatibus admodum corrupta. Ita ſtatim allegatus Theologus, *Laudatur in hac ſcholaſtica Theologia,* 1. *ſimplex ac breve orationis genus,* 2. *methodus accurata & dialectica,* 3. *uſus, ſive ſubſidium Philoſophiæ & diſciplinarum naturalium. Improbantur autem ab ipſis illius cæteroquin defenſoribus.* 1. *doctrina tyrannidi Pontificis obnoxia, adeoque in multis falſa.* 2. *rerum Philoſophicarum multitudo.* 3. *vanarum quæſtionum curioſitas.* 4. *ex ignorantia linguarum profecta ipſa rerum conturbatio.* 5. *obſcuritas & barbaries. Unde patet, Theologiæ hujus architectorum hunc fuiſſe ſcopum, ut per ſpinas illas & difficultates non plebem modo, verum etiam liberaliora quæque ingenia a Theologiæ ſuæ aſpectu arcerent, ſibique ſolis clavem ſcientiæ reſervarent.*

53. Juris Romani ſcientiam profitentium tria ſunt genera. Primum eorum eſt quorum opera in Pandecte, Codicibus Theodoſiano & Juſtinianeo, & in Novellis conſtitutionibus apparent. *III. Jureconſulti.* Secundum eos habet qui Irnerio ſucceſſerunt, Accurſium, Bartolum, & tot alia nomina, quos penes diu fori regnum fuit. Tertium eos complectitur, qui humaniores literas cum legum ſtudio conjunxerunt. Primis multum defero: *I. Antiqui.* nam & rationes ſæpe optimas ſuppeditant, ad demonſtrandum id, quod juris eſt naturæ: & eidem juri neque minus gentium juri teſtimonium ſæpe præbent, ſic tamen ut ipſi non minus quam alii nomina hæc ſæpe miſceant, imo & jus gentium ſæpe vocent, id quod quorundam duntaxat populorum eſt, nec tanquam ex condicto, ſed quod alii aliorum imitatione, aut fortuito receperunt. Sed & quæ vere juris ſunt gentium ſæpe tractant promiſcue & indiſcrete cum his quæ juris ſunt Romani, ut ex titulo de Captivis & Poſtliminio apparet. Hæc ergo ut diſcernerentur, laboravimus.

COMMENTARIUS.

QUoniam juris Romani ſcientia ſemper in ſummo honore & æſtimatione habita fuerit, non defuere apud Romanos decora hominum ingenia, qui ad hanc excolendam Spartam animum applicuêre, ex quorum doctis reſponſis, interpretationibus, & fori diſputationibus, nec non Principum conſtitutionibus atque reſcriptis collectum & quaſi compoſitum eſt jus illud Romanum, quod ubique terrarum viget, propter ſummam, quam continet, æquitatem, quapropter etiam & nos eo utimur, ubi patriæ leges & conſuetudines ſilent. *Ita enim juſtum & æquum viſum eſt omnibus jus Romanum, ut, qui Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanquam æquitati naturali maxime conſentaneum libenter ſequantur, & ſuas leges per has interpretentur,* inquit Damhoud. *Prax. rer. civ.* propter illam, ſcil. naturalem & civilem æquitatem, qua ante omnes pollet. Neque illud mirum, utpote quod ex puriſſimo illo rectæ rationis fonte, id eſt, juris naturalis ſive moralis vel divini neceſſarii, & illo omnium legum naturalium compendio, decalogo, Moyſi in monte Sinai tradito, originem derivat. Fertur enim Ægyptiorum legiſlatorem Mercurium Triſmegiſtum ad divinæ legis exemplar ſuas leges condidiſſe, atque civibus ſuis tanquam perfectiſſimam vivendi & agendi regulam obſervandas dediſſe. Ab hiſce vero jus ſuum & leges olim Græci quaſi de manu in manum acceperunt. A Græcis autem interjecto tempore Romani petierunt leges ſuas, miſſis in Atticam legatis, qui jura ejus populi deſcriberent, & Romam deferrent; e quibus primo decem tabulæ, & hiſce poſtea duobus adhuc additis leg. XII tabb. compoſuerunt, quas *fontem omnis publici privatique juris* Livius, *finem æqui juris* Tacitus vocat. Ex quibus perſpicimus quam parva fuerunt ſanctiſſimæ civilis hujus ſapientiæ initia. Verum cum tot clariſſimi & maximi viri huic cœlitus miſſæ juris civilis diſciplinæ ſuam navare cœ-

perunt operam, atque ad eam ſuis commentariis, diſputationibus, & reſponſis illuſtrandam adjecerunt animum, ad tantam crevit magnitudinem, ut tandem mole laboraret ſua; ad duo quippe librorum, & ter centena uſque verſuum millia tempore feliciſſimi Imperatoris Juſtiniani excreverat. Quoniam autem verendum erat, neminem fore hominem, qui ad hanc excolendam diſciplinam tanquam opus deſperatum, utpote quæ oullis librorum finibus concluderetur, animum applicaret, tandem ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus, bellis feliciter peractis, & hoſtibus ſuis devictis, faciliorem jurisprudentiæ addiſceodæ viam nobis pandete voluit. Itaque inutilibus rejectis, & adjectis oeceſſariis, tam vaſtum & immenſum juris oceanum anguſtioribus clauſit limitibus, tot leges, tot librorum ac verſuum millia, cura & ſtudio viri magni & excelſi Triboniani, Magiſtri & Exquæſtoris ſacri palatii, collecta, in quatuor libros, Pandectas, Codicem, Inſtitutiones, & Novellas ipſius conſtitutiones congeſſit, e quibus libtis unum confecit corpus, qoo continetur omne jus antiquum vel novum. Verum cum in res humanas fortuna maxime dominetur, quamobrem multis ſunt obnoxiæ mutationibus, contigit, ut ejuſmodi rerum viciſſitudioem qooque ipſa juris Romani ſcientia expetiri debuerit. Poſtquam enim ſub Juſtiniani imperio, quod annis fere quadraginta geſſit, floruerat; vix interjectis 40. annis cœpit iterum in obſcuro latere ſub vecordi & ignavo Principe Phoca. Eaque tandem Viſigothis, Vandalis, Gothis, Hunnis, Francis, aliiſque populis barbaris, tanquam diluvio quodam, totum Orientem invadentibus, penitus in illo orbis tractu extincta eſt: utpote qui nullas niſi leges a ſe conditas patiebantur, atque ita diu ſepulta tacuit omnis juris interpretatio atque fori diſputatio, donec tandem ſub Lothario Saxone Imperatore Occidentis iterum quaſi poſtliminio reſtituta eſt, & publice doceri cœpit authore & ſuaſore Irnerio, cujus hic mentionem facit Author, Juriſconſulto ſummo ideoque magna apud Imperatorem Lotharium authoritate pollente. Ipſe Irnerius Bononiæ jus civile publice profeſſus eſt circa annum 1200. & poſt eum multi alii ad hanc ſcientiam publice docendam operas ſuas contulerunt, ut AZO, PLACENTINUS, ODOFREDUS, aliique plurimi, quos omnes ſecundi generis dicit Author, qui publice jus civile docuerunt. Quibus magiſtris uſus eſt ACCURSIUS in addiſcenda juris civilis ſcientia, cum jam provectioris erat ætatis, annum agens quadrageſimum, indefeſſo tamen labore & aſſidua diligentia tantos in eo fecit ptogreſſus, ut merito anteponendus magiſtris. Hoic ſucceſſerunt BARTOLUS & BALDUS, qoorum ille Piſis, hic Bonooiæ juris artem profeſſi fuerunt. Hos ſecuti & multi alii, quorum doctiſſima quotidie ſcripta de jure civili eruditorum hominum in manibus verſantur. Tertium vero genus jus civile profitentium eos complectitur, qui humaniores literas cum legum ſtudio conjunxeruot, ut CUJACIUS, HOTTOMANNUS, BUDÆUS, BALDUINUS, aliique plurimi magni nominis Juriſconſulti, quorum memoriam non minus veneramur, quam admiramur in omni diſciplinarum genere conſummatam eruditionem atque ſcientiam, ita ut facile eorum omnium quos enumeravimus principes exiſtimandi ſint. Sed voluit fortuna, ut in illa ſæcula incideriot, quibus literarum humaniorum cognitio magis magiſque effloreſcere cœpit; maximum ſane juris civilis ornamentum & decus, quo deſtituti vetuſtiores Juriſconſulti, utpote qui ea ætate vixerint, qua Saracenorum aliorumque barbarorum tabies omnem plane humaniorum literarum cognitiooem oblitteraverat atque extinxerat, conſequenter hanc juris artem non eo quo debuit modo exotnare atque perpolire potuerunt. Merito inquit Author ſe plurimum deferre primis juris civilis Authoribus, nam & in jure naturali & gentium verſatiſſimos fuiſſe teſtaotur tot doctiſſima eorum reſponſa, atque monumenta, quæ in juris corpore nobis de jure publico reliquerunt. Cui accedit, quod plerique Principis Conſiliarii, & ad intima quandoque Imperatorum arcana admiſſi, facile cum juris privati, tum etiam publici ſcientiam ſibi comparare potuerunt. In utroque adeo verſatus Papinianus, ut a ſummis Imperatoribus Caro, Carino, Decio, Juſtiniano, *prudentiſſimus, conſultiſſimus, maximus, & ſplendidiſſimus*, nec non, *vir acutiſſimi ingenii & merito ſuper alios excellens*, appelletut. Quin etiam *juris aſylum ac doctrinæ legalis theſaurus* vocatur a Spartiano *in vita Caracal.* Ex cujus ludo, tanquam ex equo Trojano, innumerabiles civilis ſcientiæ Proceres exierant, ut inquit Rotilius *in vita* hujus Juriſconſulti. Reveretur Franciſ. Balduinus certam Dei providentiam, qui excitavit *Joſephum Principem in Ægypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Romæ Papinianum, & ſimilia politicarum virtutum lumina.*

2. Medii. 54. Secunda claſſis juris divini & hiſtoriæ veteris incurioſa, omnes regum populorumque conttoverſias definire voluit ex legibus Romanis, aſſumtis interdum canonibus. Sed his quoque temporum ſuorum infelicitas impedimento ſæpe fuit, quo minus recte leges illas intelligerent, ſatis ſollertes alioqui ad indagandam æqui boniquenaturam: quo factum ut ſæpe optimi ſint condendi juris auctores, etiam tunc cum conditi juris mali ſunt interptetes. Audiendi vero tum maxime, cum

tali

tali conſuetudini quæ noſtrorum temporum jus gentium facit teſtimonium perhibent.

COMMENTARIUS.

GRaves aliquando errores admittunt Accurſius, Bartolus, aliique anterioris ſeculi Juriſconſulti, dum ignari juris divini ſive neceſſarii ſive voluntarii, & in hiſtoriis plane hoſpites, ex Romanorum legibus omnium populorum regumque controverſias definire voluerunt. Quemadmodum ad §. 1. diximus. Oportet eum, qui juri publico, id eſt, naturæ ſive gentium, operam dare velit, atque id ipſum applicare factis, in omni diſciplinarum genere verſatum eſſe, potiſſimum vero in hiſtoriis, utpote quæ nobis ſuppeditant multa teſtimonia, e quibus perſpicimus quæ diverſorum gentium jura, qui mores & conſuetudines fuēre, quid juris in bello ſive in pace inter eos obtinet. Quamquam multa jus civile vel Romanum habeat juris publici ſpecioſa exempla, attamen non poteſt omnes, quæ quandoque incidere poſſunt inter gentes, controverſias comprehendere. Præterquam quod jus Romanum magis ſpectare videtur ad ea quæ ad iſtius reipub. ſtatum pertinent, quam quæ ad univerſæ ſocietatis humanæ conſervationem pertinent. Non obſtat quod a multis juris interpretibus vocatur *jus commune*, quia propter ſummam, ut diximus, æquitatem, & cum recta ratione conſonantiam, plurimarum præcipue Chriſtianarum gentium uſu & approbatione receptum eſt, & quaſi commune effectum. Quippe quatenus fundatum eſt in ratione naturali, omnium gentium ſaltem moratiorum, quæ rectæ rationis uſum admittunt, aſſenſum & approbationem ex illa convenientia cum dictamine rectæ rationis quam intus ſentiebant, propria quadam vi ſibi conciliavit, & hoc ſenſu jus commune dici poteſt. Et eatenus in decidendis regum populorumque controverſiis multum habet & auctoritatis & uſus: verum cum in quibuſdam gentes a jure Romano receſſerint, oportet eum qui publica tractat negotia, quibus, ut ita dicam, dat formam jus publicum, quod inter diverſas gentes obtinet, eorumque vel expreſſo vel tacito conſenſu introductum atque approbatum eſt, antiqua perluſtraſſe rerum monumenta, atque juris divini ſive moralis ſibi comparaſſe cognitionem, illud enim debet eſſe in omnibus publicis negotiis agendorum norma, a quo Principi Chriſtiano nunquam recedere licet: propterea quod ei neceſſitas moralis perpetua ineſt, quæ nullam diſpenſationem admittens, nullo vel Principis alicujus vel gentium conſenſu contrario abrogari vel tolli poteſt.

55. Tertii ordinis magiſtri, qui Romani juris finibus ſe includunt, & in jus illud commune aut nunquam aut non niſi leviter exſpatiantur, vix ullum habent uſum qui noſtri ſit argumenti: Scholaſticam ſubtilitatem cum legum & canonum cognitione conjunxerunt, ita ut a controverſiis etiam populorum ac regum non abſtinerent Hiſpani duo Covarruvias & Vaſquius: hic magna libertate, modeſtius alter, nec ſine exacto quodam judicio. Hiſtorias magis eidem legum ſtudio inſerere aggreſſi ſunt Galli: quos inter magnum obtinent nomen Bodinus & Hottomanus, ille perpetuo opere hic ſparſis quæſtionibus, quorum & pronuntiata & rationes ſæpe nobis inquirendi veri ſuppeditabunt materiam. *3. Recentiores.* *Hiſpani.* *Galli.*

COMMENTARIUS.

QUi juris Romani cancellis ſe includunt magiſtri, neglecta omni juris communis doctrina atque notitia, in jure publico tractando nullum habent uſum, quippe cum jus gentium longe diverſam ſæpius a jure civili præſcribat agendi normam, circa ea quæ regum & gentium inter ſe commercia, fœdera, pactiones, aliaque id genus negotia concernunt, vix hujus juris ignari magiſtri, licet in jure Romano maxime verſati, aliquam præſtant utilitatem.

56. In toto opere tria maxime mihi propoſui, ut definiendi rationes redderem quam maxime evidentes, & ut quæ erant tractanda, ordine certo diſponerem, & ut quæ eadem inter ſe videri poterant nec erant, perſpicue diſtinguerem. *VII. Inſtituti & ordinis in univerſum conſilium & ratio explicata.*

COMMENTARIUS.

OPtima hæc diſputandi ratio eſt, quam ſibi Author propoſuit. A definitione enim ſumens initium ad cæteras operis partes tractandas deſcendit, quibus cognitis nihil obſcuritatis le-

ctori relinqui poteſt. *Omnis quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit de quo diſputatur*, inquit Cic. *Off. cap.* 2.

57. Temperavi me ab his quæ alterius ſunt tractationis, ut quæ docent quid ex uſu ſit facere, quia iſta ſuam habent artem ſpecialem politicam, quam recte ita ſolam tractat Ariſtoteles ut alieni nihil admiſceat, contra quam fecit Bodinus, apud quem hæc ars cum juris noſtri arte confunditur. Nonnullis tamen locis ejus quod utile eſt feci mentionem, ſed obiter, & ut id ipſum a juſti quæſtione apertius diſtinguerem.

COMMENTARIUS.

NOn debemus hic perperam interpretari Authoris mentem, quaſi politicam ſcientiam ad juris diſciplinam omnino non pertinere affirmare vellet, & conſequenter ſeſe tanquam juris ſacerdotem temperaſſe ab his, quæ docent quid ex uſu ſit facere & ſuam artem ſpecialem politicam habent. Quatenus enim Jurisconſulti partes conſiſtunt in legibus ſcriptis dextre interpretandis, ſupplendis, & ad caſus ſingulares accommodandis, eatenus juris civilis ſcientia a politica prudentia concernente ea, quæ utilitatem & ſalutem reipub. ſpectant, diſtincta eſt. Quippe cum omnia quæ reipub. utilia fore videntur non ſemper juſta ſint, ſcil. ejus naturæ, ut juſtitiæ omnino & ſtricte dictæ conveniant, & viciſſim quædam juſta quæ non utilia ſint, contigit, ut diverſo reſpectu diverſum quoque munus gerunt JCti & Politici, quia quiſque ſuum habet ſcopum, ad quem in gerendis publicis negotiis collimant. Illi juſtitiam habent ſibi propoſitam, atque nihil aliud examinant, quam rei geſtæ vel gerendæ cum ea convenientiam vel diſconvenientiam, atque ſecundum eam decernunt, vel juſtam, vel injuſtam eſſe. Politici reipub. vel civitatis ſalutem & bonum publicum promovere ſpectantes, magis id quod ei utile aliquando, quam quod ſtricte juſtum eſt intendunt, itaque ſecundum intentionis aciem diverſam ſuſtinent perſonam. Quod non ita debet intelligi, quaſi Jurisconſultum nihil aliud curare oporteat quam juſtitiæ adminiſtrationem, Politicum vero nihil aliud quam utilitatem reipub. ab omni juſtitia ſejunctam; utrumque enim ad reipub. ſalutem & bonum commune pertinet. Superius enim diximus ſocietatem humanam non-poſſe diu conſervari ſine juſtitia, utilitatem vero ab honeſtate ſejunctam omnem pervertere juſtitiam, & conſequenter utilitatem & juſtitiam ſive honeſtatem pari paſſu ambulare oportet, ſcil. ita juſtitia honeſtate dirigenda eſt, ut una temperet alteram. E quibus perſpicimus Jurisconſulti & Politici munera eatenus a ſe invicem diſcrepare, quatenus Politicus juſtitiam in publicis gerendis negotiis determinans, eo ipſo agit, quod proprie pertinet ad Jurisperitum, quando viciſſim Jurisconſultus definit illud quod reipub. utile fore videtur, Politicum agit, ejuſque munere fungitur; una itaque & eadem perſona hæc duo obire poteſt munera, quia a ſe invicem quidem diſtincta ratione intentionis, verum ſibi non adeo contraria, ut conjungi nequeant, ideoque ab eo denominatur quod potiſſimum & principaliter intendunt utrique, & muneris exercitatione ille JCtus, hic Politicus vocatur, verum ambo ad reipub. ſalutem promovendam concurrere debent. Quemadmodum enim, ut diximus, honeſtate utilitas ita dirigenda eſt, ut hæc duo verbis inter ſe diſcrepare, re tamen unum ſonare videantur, ut inquit Cic. 3. *Off. cap.* 23. Ita a Jurisconſulto Politicus nomine quidem diſcrepare, tamen juſtitiæ obſervatione & adminiſtratione in tuenda ſalute reipub. quantum poteſt, cum eo convenit, ſi boni civis vel magiſtratus officium implere velit. Aliter enim utilitatis ſpecie in reipub. ſæpiſſime peccatur, mutua itaque ope & JCtus & Politicus reipub. ſalutem procurare incumbunt, quia utrius auxilio indiget, ſine juſtitia ad tyrannidem degenerat omnium malorum peſſimum, ſine utilitatis procuratione vergit ad interitum & ruinam.

58. Injuriam mihi faciet ſi quis me ad ullas noſtri ſeculi controverſias, aut natas, aut quæ naſcituræ prævideri poſſunt, reſpexiſſe arbitratur. Vere enim profiteor, ſicut Mathematici figuras a corporibus ſemotas conſiderant, ita me in jure tractando ab omni ſingulari facto abduxiſſe animum.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum res humanæ multis mutationibus obnoxiæ ſunt, ita & civitates atque reſpub. ſua habent fata ſuaſque mutationes patiuntur: quippe cum ex hominibus conſtat atque ab

iis

iis gubernari neceſſe eſt, qui, tanquam navis maris fluctibus, ita ſuis animi motibus agitati huc illuc curſum dirigunt, vix contingere queat, ut omnibus civibus æque reipub. adminiſtratio, vel eorum, qui ad ejus clavum ſedent, io publicis gerendis negotiis moderatio arrideat; propter diverſa enim homioum ingeoia diverſæ quoque intentiooes & metæ ad quas decurrunt & collimant. Hinc tot rerumpub. formæ ex diverſis hominum ingeniis conſtitutæ. Hinc ſæpiſſime unius formæ in aliam mutatio. Unam altera perfectiorem & a vitiis magis immunem quiſque pro ingeoii ſui capacitate exiſtimans ioclinat ad ſtatus & imperii mutationem, quam ſæpiſſime totius reipub. excipit interitus. Hinc internecinæ inter eoſdem cives ſimultates, lites, controverſiæ, unde bella inteſtina, ſeditiones, factiooes, & tandem in propria viſcera crudelitas atque ſævitia; quemadmodum enim concordia ſervatur, ita diſcordia dilaceratur miſere & peſſumdatur reſpub. Olim & Authoris noſtri ætate ejuſmodi moverunt controverſias homines tranquillitatis impatientes, ac novarum rerum cupidi, cum quoad religionis, quam reformatam dicimus, recepta quædam dogmata; tum etiam quoad regiminis formam, quæ cives in diverſas trahebant partes, & reipub. portendebant ruinam, niſi tanquam in cunabulis fuiſſent oppreſſa, & quod dolendum, non ſine quorundam civium damno, quorum obſederant animos nova quædam religionis dogmata, quibus & Author noſter addictus, ut patet ex hoc opere, cujus commentationem ſuſcepi, eiſque perſeveranter adhærens, e longinquo imminentem ſibi tempeſtatem proſpiciens, effugere non potuit: fortaſſe quia perſuaſus de veritate eorum quæ amplexus fuerat, ſive in rebus ſacris, ſive reipub. negotiis tractandis, quicquid potius mali perferendum, quam rejicere quæ vero conſentanea judicabat, exiſtimaverit. Quicquid autem de eo ſit, me ipſum temperare malo ab immaturo & intempeſtivo de tanto viro judicio ferendo, quam ut nimis in judicando præceps, ad pœnitendum properarem. Attameo quod ad cultum divinum pertinet, ſemper mihi perſuaſi, qooniam ſocietatis civilis ſive reipub. ſalus maxime a tranquillitate dependet, tranquillitas vero haberi nequit, niſi cultus aliquis divinus ſit uſu receptus, & publica authoritate confirmatus, cuique relicta libertate introductum a ſummo imperante ejuſmodi divinum amplectendi cultum vel non, nemini civium licet cultum iſtum vel receptam & confirmatam religionem perturbare, contraria in vulgus diſſemioando dogmata. Quippe neceſſe eſt, ſi cuique liceat ſuo arbitrio nova fidei dogmata divulgare, ut ſumma oriatur confuſio, unde ſæpiſſime bella inteſtina, quibus ut diximus non ſolum miſere jactatur atque concutitur reſpub. ſed ſæpiſſime funditus evertitur, propterea quod ad hominum animos incitandos & commovendos nullum validius remediom quam religioois opinio, oeque ad eos iterum ſedandos atque quietes reddendos. Poſtulat itaque & civitatis ſalus, quæ, ut diximus, a pace & concordia civium potiſſimum pendet, ut una tantum vigeat religio, cujus uſus publicus, qoia a ſummo vel ſummis imperantibus introductus & approbatus, cujus profeſſionem publice facere poſſunt quicunque per externum cultum intus ſe religionis receptæ & confirmatæ dogmata probare demonſtrare volunt; cæteri autem qui ea improbant, propterea quod conſcientiæ & internæ fidei repugnant, ad publicam per externum cultum ſive ſacrorum uſum profeſſionem faciendam cogi non debent. Hinc apud Euſebium legimus Conſtantini Imperatoris effatum, *omnes quidem ſubjectos ſuos Chriſtianos optaſſe, cogiſſe autem neminem.* Verum hanc libertatem, quam concedimus cuique conſcientiæ conſentaneam amplectendi fidem, vel religionem, hiſce cancellis circumſcribimus, ſcil. ne quis innovare ſtudeat, vel publice vel clandeſtine diſſeminando nova dogmata, regiam, ut ita dicam, religionem & ejus uſum atque exercitium odioſum reddere, quoniam hac ratione communem pacem perturbat, tandemque totam remp. evertit. Eadem ſentio de politico regimine, quod etiamſi non ab omni parte perfectum ſit, ideoque non omnibus civibus æque placeat, nemini tamen licet cootra illud conſpirare vel ſubjectis odioſum reddere; fingi eoim potius quam haberi poteſt ejuſmodi ſtatus, qui ab omni parte beatus eſt. Præterquam quemadmodum propter diverſa hominum ingenia Jupiter neque ſerenus neque pluvius omnibus arrideat, ſic propter multorum male compoſita deſideria & ingenii humani inconſtantiam fieri non poteſt, ut reipub. adminiſtratio omnibus æque placeat, unde ſæpiſſime multa ſummorum imperantium facta pro injuriis traducuntur, quæ nullam præ ſe ferunt injuriæ ſpeciem, niſi ea tanquam malefacta damnanda, quæ cum civium quorundam judicio non conſentiunt. Cui accedit, quod ſumma majeſtas oon præſtat immunes a vitiis atque erroribus, quicunque ea ornati ſont. Sunt enim homines ut cæteri cives, adeoque nihil humani ab ipſis alienum; nemo eoim ſine vitiis naſcitur, optimus ille qui minimis urgetur. Præterquam quod boni civis officium eſt præſentem reipub. ſtatum tueri & confirmatum reddere: omnis enim regiminis mutatio maxime periculoſa; vix enim ea cootigit ſine ſummo reipub. & ſingulorum civium detrimento; propterea quod omni penitus ſublato imperio ad Anarchiam delabitur reſpub. id eſt, ſummam rerum omnium confuſionem; & primævus iterum introducitur belli ſtatus, in quo homo homini hoſtis exiſtit, alter alterius bona diripit, poſſeſſiones iovadit, quo ſtatu nullum pejus imperium fingi poteſt vel excogitari. Optime itaque Tacitus. *Ferenda regum ingenia, neque uſui crebras mutationes.* Et idem *cap. 4. Hiſt. 8. Bonus civis meminit temporum quibus natus eſt, quam civitatis formam patres avique inſtituerunt: ulteriora miratur, præſentia ſequitur, bonos principes voto expetit, qualeſcunque tolerat.*

Dicendi genus conciſum. 59. Dicendi genus quod attinet, nolui ad rerum tractandarum multitudinem adjungendo verborum copiam faſtidium parere lectori, cujus utilitatibus conſulebam. Itaque ſecutus ſum quantum potui conciſum & docenti conveniens loquendi genus: ut tanquam in uno conſpectu habeant qui negotia publica tractant, & quæ incidere ſolent controverſiarum genera, & principia unde adjudicari poſſunt: quibus cognitis facile erit ad rem ſubjectam accommodare orationem & quantum lubet extendere.

COMMENTARIUS.

Miramur ubique Authoris aptum, diſtinctum, & conciſum dicendi genus. Non enim inani verborum copia, vel ornatu, ſed rationis acumine omnia tractat in hoc opere rerum argumenta, poſitis certis principiis, unde varia controverſiarum genera dijudicari & definiri poſſunt, quod genus demonſtrandi & definiendi quæſtiones tanquam accuratiſſimum & certiſſimum etiam Mathematicis probatum.

Scriptorum verba ipſa. 60. Scriptorum veterum ipſa verba adduxi interdum, ubi talia erant, ut aut cum auctoritate, aut cum venuſtate ſingulari dicta viderentur: quod & in Græcis feci nonnunquam, ſed maxime ubi aut brevis erat ſententia, aut cujus gratiam ſperare non audebam Latino ſermone me poſſe aſſequi: quem tamen ubique adjunxi in eorum commodum qui Græca non didicerunt.

COMMENTARIUS.

Si quis auctoritate & teſtimonio alicujus Scriptoris de re aliqua opinionem ſuam probare velit, oportet ipſa adducere Authoris verba, ut perſpiciat lector, num ex iis deduci poſſent iſtiuſmodi argumenta vel exempla, quæ ad probandam allegantis mentem aliquid ponderis adferunt, eaque integra, non mutilata deſcribenda ſunt: detractio enim vel additio unius vel plurium verborum ſæpiſſime totum ſenſum mutat & in allegantis favorem detorquet, quam artem optime hodie intelligunt nonnulli umbratici magiſtri, qui diſputando oſtendunt omnem eorum doctrinam & ſubtilitatem in eo conſiſtere, ut ſubtiliter impoſtorem agere ſciant.

Libertas judicii lectori relicta. 61. Quam vero ego in aliorum ſententiis ac ſcriptis dijudicandis mihi ſumſi libertatem, eandem ſibi in me ſumant, omnes eos oro atque obteſtor quorum in manus iſta venient. Non illi promtius me monebunt errantem, quam ego monentes ſequar. Et jam nunc adeo, ſi quid hic pietati, ſi quid bonis moribus, ſi quid ſacris literis, ſi quid Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui, ſi quid ulli veritati diſſentaneum a me dictum eſt, id nec dictum eſto.

COMMENTARIUS.

Æquiſſimum Authoris dictum, quo aliis eodem utendi in ſe jure concedit, quod ipſe in alios ſumſit. Habet enim hoc ſummam æquitatem, *ut quod ipſe quis in alterius perſona æquum eſſe credidiſſet, id in ipſius quoque perſona valere patiatur*, ut inquit Ulpianus *l.* 1 §. 1. *ff. quod quiſque juris in alterum ſtatuerit ut ipſe eodem jure utatur. Patere legem quam ipſe tuleris. Quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Eandem itaque libertatem cum Authore noſtro & in me ipſum lectori facile concedo. Et ſi in quibuſdam fortaſſe erraverim, quod humanum, ideoque a me alienum non puto, obteſtor atque oro omnes, quorum fortaſſe in manus hæ meæ lucubrationes, quamvis exigui momenti, venient, ut me velint admonere, non promptius me monebunt, quam ad exemplar noſtri Authoris ego monentes ſequar. Et ſi quid pietati, ſi quid bonis moribus, ſi quid ſacris literis, (in quibus fortaſſe, quia non Theologus ſum, quibuſdam nimis evagari videor) ſi quid Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui, ſi quid ulli veritati diſſentaneum a me dictum eſt, id nec dictum eſto



HUGONIS GROTII
DE JURE BELLI AC PACIS
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.
Quid Bellum, quid Jus?

I. *ORdo operis.*
II. *Belli definitio, & origo nominis.*
III. *Jus pro attributo actionis deſcribitur, & dividitur in rectorium & æquatorium.*
IV. *Jus pro qualitate dividitur in facultatem & aptitudinem.*
V. *Facultatis ſive juris ſtricte dicti diviſio in poteſtatem, dominium, creditum.*
VI. *Facultatis alia diviſio, in vulgarem & eminentem.*
VII. *Aptitudo quid?*
VIII. *De juſtitia expletrice & attributrice: eaſque proprie non diſtingui per proportionem Geometricam & Arithmeticam: nec quod hæc circa res communes, illa circa res ſingulorum verſetur.*
IX. *Jus pro regula definitur, & dividitur in naturale & voluntarium.*
X. *Juris naturalis definitio, diviſio, & diſtinctio ab his quæ non proprie ſic dicuntur.*
XI. *Inſtinctum cum aliis animantibus communem, aut proprium hominibus, non facere aliam juris ſpeciem.*
XII. *Quomodo probetur jus naturale.*
XIII. *Juris voluntarii diviſio in humanum & divinum.*
XIV. *Jus humanum dividitur in civile, civili arctius, & civili latius, quod eſt jus gentium: ejus explicatio, & quomodo probetur.*
XV. *Jus divinum dividitur in univerſale & unius populi proprium.*
XVI. *Jure Hebræorum nunquam obligatos fuiſſe alienigenas.*
XVII. *Quæ argumenta Chriſtiani petere poſſint ex lege Hebræa, & quomodo.*

I. CONTROVERSIÆ eorum, quos nulla juris civilis tenet communio, quales ſunt & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter ſe diverſarum ſunt gentium, tum privati, tum reges ipſi, quique par regibus jus obtinent, ſive illi optimates ſunt, ſive populi liberi, aut ad belli, aut ad pacis tempora pertinent. Sed quia bellum pacis cauſa ſuſcipitur, & nulla eſt controverſia unde non bellum oriri poſſit, occaſione bellici juris, quæcunque tales incidere ſolent controverſiæ, recte tracta-

 bun-

buntur : ipſum deinde nos bellum ad pacem, ut finem ſuum, deducet.

COMMENTARIUS.

JUs civile in genere eſt quod quiſque populus vel civitas ſibi proprium fecit, addendo vel detraheodo juri communi : nt diximus *ad* §. 1. *Prolegom.* Itaque ejus denominatio. præſupponit civitatem , id eſt plurimorum hominum vel familiarum io ſtatu naturali ſegreges viventium in eandem ſocietatem conſpirantium multitudinem & unionem, qui ad communem tranquillitatem, unde civitatis & coofequenter ſingulorum quoque ſalus pendet, conſervandam propria ſibi jura condiderunt, quæ civitatis conſervationi & civium ingeoiis maxime congruas & conſentaneas fore arbitrabantur. Itaque præter obligationem, qua ſibi invicem in ſtatu naturali devincti erant, ex legibus naturalibus profluentem , acceſſit & altera, quam ejuſdem ſocietatis membris & civibus imponunt jura & leges civitatis , quas communi voto & cónſenſu vel ipſi cives tulerunt , vel earum condendarum poteſtatem ei quem tuendæ ſocietatis ſaluti præfecerunt, demandarunt. Ex quibus perſpicimus ejuſmodi jura & leges ſibi locum tantum intra civitatis limites vindicare, eaſque iis tantum eſſe agendi normam atque regulam, quos tanquam ejuſdem civitatis membra ejuſdem juris tenet communio. Ad exteras ſive gentes ſive reges , vel tam privatos neutiquam pertinet, utpote qui ſui juris ſuo quoque arbitrio ſibi legum condendarum poteſtatem habent, manente tamen inter eos communione juris naturæ , quoniam id ipſum nulla hominum diſpoſitione abrogari vel tolli poteſt. Quemadmodum enim jus naturæ cum ipſo homine quaſi natum eſt, eique tam firmiter cohæret , ut nulla ratione ab humana natura ſeparari queat; ita io quocumque ſtatu vel vitæ conditione eum conſideramus, nunquam legibus naturæ poteſt eſſe ſolutus, neque in ſtatu civili, neque naturali. Quamvis in primævo id eſt naturali ſtatu conſideretur tanquam ſuarum rerum arbiter & moderator , nullius imperio ſubjectus, ſui plane juris, ad inſtar ſummi imperantis in ſocietate civili , attamen efficere nequit, ne leges naturæ in omnibus ſuis negotiis locum habeant. Hinc quando principem legibus ſolutum ſtatuimus, de legibus civilibus, quarum condendarum poteſtatem ipſi cives conceſſerunt, neutiquam vero de naturalibus ſermonem habemus. Leges enim naturales non ſolum æternam habent cauſam unde dimanarunt, ſed & perpetuam atque immutabilem & conſequenter hominem in omoi vitæ genere obligandi vim, ſive alieno imperio ſubjectus ſit, ſive ſui juris in ſtatu naturali vivat ; cujuſmodi ſtatus obtinuit antequam in gentes coierunt mortales, inter ſingulos homines vel familias ſegreges viventes, vel poſtquam in gentem & ſocietatem civilem coaluerunt, inter diverſas gentes vel civitates , vel, quod idem eſt, earum reges ſive principes vel optimates, locum habet.

Sciendum enim eſt, antequam principio ſocietates vel gentes eſſe cœperunt , in familias diviſum fuiſſe mortale genus, cujus familiæ erat princeps paterfamilias, ceteri, ut uxor & liberi, membra & quaſi cives erant parvæ hujus civitatis , a nutu & arbitrio patrisfamilias dependentes. Itaque penes eum ſolum reſidebat ſummum imperium , atque poteſtas leges & jura præſcribendi, quæ ejuſdem familiæ membris erant regula & norma agendorum, & quaſi vinculum quo tota familia & ſingula ejus membra ſibi invicem devinciebantur. Itaque principi familiæ ſoli incumbebat cura, ne quid ea aliquid detrimenti caperet ; uxori & liberis obſequendi ſola relicta gloria. Hanc fuiſſe humani generis conditiooem, antequam in civitatem coaluerunt mortales, neminem ſugere poteſt, qui ejus primævam conditionem diligenter examinaverit : teſtantur enim ſacræ paginæ Deum creaſſe hominem , marem & fœminam , ad propagandum humanum genus, primum vero e pulvere terræ finxiſſe marem, ex ejus vero coſtis ædificaſſe fœminam , ex præexiſtente igitur materia oſſibus & carne condita fuit fœmina. Quamobrem primo loco creatus mas? niſi ut ſecundum tritum illud proverbium , qua prior tempore & ideo quoque jure potior, ſibi imperium vindicare poſſet , cum in mulierem, tum etiam in liberos tanquam membra ſive ſubjectos, ex quibus familia conſtabat, atque etiam in cæteras creaturas , quas ipſi in uſum Deus conceſſerat. Nam cum de natura humani imperii ſit , ut dividi nequeat, quia omnis conſortis impatiens , rationi conſententaneum erat , illud in unum conferri. Cui accedit quod videatur ex coſta viri extructa, ut perſpiciens ſe nihil a ſe ipſa habere , quoad corpus, ſed ex corpore viri deſumptam, concluderet Deum voluiſſe, ut ei ſubjiceretur, cujus materia fuerat , ex qua erat ædificata : nihil enim rectæ rationi & æquitati magis convenit, quam meum eſſe, quod ex re mea factum eſt atque procedit, unde profluit humanum illud imperium maris cum in mulierem, tum etiam in liberos, ex uxore tanquam re ſua natos, quod apud patremfamilias reſidere diximus; itaque ut neque mulier, neque liberi inſtar ſervorum apud Romanos habebant caput in ſtatu naturali , id eſt non repræſentabant ſingularem aliquam perſonam , verum

ſub

ſub perſona patrisfamilias omnes comprehendebantur quicunque tanquam ejuſdem familiæ cives erant. Quemadmodum reges vel optimates, ſive quicunque rerum ſummæ præſunt, repræſentant univerſam civitatem ex tot civium millibus conſtantem. Ita paterfamilias totam repræſentabat familiam tanquam unus homo; quare tot homines in ſtatu naturali conſideramus quot familiæ, ut modo diximus. Uſquedum filii e poteſtate patris dimiſſi diverſam conſtituebant familiam, manentibus filiabus in perpetua tutela, ut olim quoque apud Romanos obtinuiſſe legimus apud Cic. orat. *pro Muren.* Si non in patris, ſaltem in mariti, vel ſanguine proximi juncti, vel extraneì alicujus poteſtate conſtituebantur. Cujuſmodi tutela ab ipſa natura introducta videtur, quia fœmina natura ita comparata eſt, ut, neque ratione juris neque virium vel cœterarum animi facultatum æqualis viro, ſemper alieno indigeat auxilio conſilioque, & conſequenter ad parendum potius quam imperandum nata videatur. E quibus perſpicimus quando ſermonem habemus de ſtatu hominis naturali, in quo quiſque ſine legibus, ſine imperio, ſolutus atque liber, ſibi imperans, & habens pro ratione actionum ſuarum propriam voluntatem & arbitrium, cum recta ratione & æquitate naturali conſentiens, vitam agit, ejuſmodi ſtatus intelligendus, in quo homines in familias diſperſi ſegreges viventes, quot familiæ, tot homines erant, quia ſolius tantum patrisfam. tanquam innixa perſona totam familiam & ſingula ejus membra repræſentans, conſiderabatur. Verum quia ejuſmodi ſtatus expoſitus erat multis incommodis & periculis, quæ homini ab homine imminebant propter multorum ad nocendum & quæcunque patranda ſcelera & flagitia pronam naturam, cogitare cœperunt de mediis, quæ ipſis ejuſmodi præſtarent ſecuritatem, ut exiguam facinoroſorum hominum manum facile repellere poſſent. Quippe cum conſpiratio vel acceſſio duorum vel trium ſive plurium hominum aut familiarum ſæpiſſime impellebat adverſarium ad opprimendum ſocium, cujus imbecillitas certam ipſi videbatur polliceri victoriam, ſi hoc malum declinare vellet, nullum efficacius remedium adhiberi potuit, quam ut ſibi ſocios quæreret, quorum ope & auxilio munitus adeo potens evaderet, ut niſi cum ſummo invaloris periculo opprimi poſſe videretur. Quoniam nemo propter innatum erga ſe ipſum amorem & ſtudium ſe conſervandi ita facile oppugnaturus illum eſt, quem non ſine morte dubia debellari poſſe prævidit. Ut igitur numero ſociorum ad mutuam defenſionem conſpirantium ſeſe in ſecuritatem aſſererent mortales, in gentes vel ſocietates civiles coaluerunt, inde regna, reſpublicæ, aliaque id genus in unam eandemque ſocietatem coeuntium multitudo. Manente, ut diximus ſupra, inter eas communione ejus juris, quod antea obtinuerat inter ſingulas familias, tanquam norma & regula, quam in celebrandis contractibus, omnibusque decidendis, ſi quæ ortæ eſſent, conttoverſiis, atque omnibus deuique gerendis negotiis, obſervare voluerunt. Quippe cum receſſi quidem eſſent a ſtatu primævo, non vero ab illa ſocietate, quam natura inter homines conſtituit, nullum inter eos commercium haberi vel ſocietas coli potuiſſet, niſi certum & commune aliquod jus intercederet, quod agendorum inter eos eſſet norma; cujuſmodi eſt jus illud quod ſummus legiſlator Deus omnium cordibus inſculpſit, & neceſſitate humana exigente atque dictante recta ratione gentes ſibi conſtituerunt, ad omnia negotia, & ad omnes controverſias, quæ quandoque incidere poſſunt, pertinens. Quoniam vero inter homines duplex ſtatus intercedit, vel belli, vel pacis, recte Autor omnes controverſias ad alterutrum ſpectare dicit.

Præſtat quidem ſocietas civilis majorem ſecuritatem, verum efficere nequit ut in perpetua quiete & tranquillitate vivatur. Propterea quod ejuſmodi ſtatus mutatio conditionem, non vero naturam hominis mutans, humanæ naturæ vitia atque imbecillitates, quibus ſinguli homines obnoxii, ſæpe officiis deſunt, quæ ſibi invicem debent: quæ officiorum negligentia tot controverſiarum & litium, quæ inter mortales oriuntur, revera mater eſt. Cujuſmodi controverſiæ ſi diſceptatione dirimi nequeant, Martem ſæpiſſime arbitrum habent, ut alibi diximus. Quippe cum diverſæ gentes vel populi liberi, ſuperiorem non habentes, tanquam in ſtatu naturæ viventes conſiderari debeant, & conſequenter nullum arbitrum vel judicem, qui litem dirimat, agnoſcere, quam propriam rationem & arbitrium, cogi poſſint, nulla finiendæ controverſiæ & litis alia ſupereſt ratio, quam belli alea, quamobrem recte quæ ad pacem civilem conſervandam atque conſtituendam pertinent controverſiæ occaſione bellici juris tractantur. Quoniam nulla ſit controverſia unde bellum non poſſit oriri. Nullum vero oriatur bellum quin ejus finis ſit controverſiis dirimendis pacem quærere. Unde Saluſtius: *Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant. Cic. 1. off. Suſcipienda bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur.* Quamobrem Auguſtinus *de civ. Dei, lib.* 19. *cap.* 12. *Quod enim mecum, quiſquis res humanas naturamque communem utcunque intuetur, agnoſcit, ſicut nemo eſt, qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid aliud eſt victoria, niſi ſubjectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab iis etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando atque pugnando. Unde pacem conſtat belli eſſe optabilem finem. Omnis enim homo belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi, qui pacem, in qua ſunt, perturbare volunt, non eam oderunt, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari. Non ergo ut ſit pax nolunt, ſed ut*

A 2 *ea*

ea ſit quam volunt. Et paulo poſt: *Ipſa enim ſæviſſimæ feræ genus proprium quadam pace cuſtodiunt ineundo, gignendo, pariendo, fœtus fovendo atque enutriendo, cum ſint pleraque inſociabiles & ſolivaga. Quanto magis homo fertur naturæ ſuæ legibus ad ineundam ſocietatem pacemque cum hominibus, quantum in ipſo eſt, omnibus obtinendam. Cum etiam mali pro pace ſuorum belligerent, omnesque, ſi poſſent, ſuos facere velint, ut uni cunctis & cuncta deſerviant.*

II. 1. De belli ergo jure acturi, videndum habemus, quid bellum ſit de quo quæritur, quid jus quod quæritur. Cicero dixit bellum certationem per vim. Sed uſus obtinuit, ut non actio, ſed ſtatus eo nomine indicetur, ita ut ſit bellum ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt: quæ generalitas omnia illa bellorum genera comprehendit, de quibus agendum deinceps erit: neque enim privatum hic excludo, & quod reipſa prius ſit publico, & haud dubie cum publico communem habeat naturam, quæ propterea eoque proprio nomine ſignanda eſt.

COMMENTARIUS.

OPtime Autor rectam diſputandi rationem ſequens, antequam ipſam belli tractationem ſuſcipiat, atque controverſias, quæ cum occaſione belli gerendi, tum etiam in ipſo belli ſtatu & tempore incidere poſſunt, explicandas atque definiendas aggrediatur, ipſam belli, de quo diſputatio omnis futura eſt, definitionem, vel, ſi velis, brevem atque compendioſam deſcriptionem præmittendam ſtatuit, ut conſtaret lectori quid ſit de quo diſputamus. Verum quoniam non tantum de bello, ſed ejus jure quoque in hoc opere tractatur, ut ex inſcriptione perſpicitur, hinc poſt traditam belli definitionem, de ejus jure poſtea ſe quæſiturum Autor pollicetur. In bello autem definiendo paululum a Cicerone recedere videtur, dicens bellum non eſſe *certationem per vim*, verum potius *ſtatum per vim certantium*, *qua tales ſunt*, propterea quod *certatio* ſignificare videtur ipſam actionem, quaſi bellum conſiſteret in continuis præliis & pugnis. Verum vehementer dubito an ejuſmodi interpretationem admittant Ciceronis verba. Quippe quemadmodum alterum decertandi genus, quod per *diſceptationem* deſcribit, non ſignificat continuam & ſine ulla temporis intercapedine cauſæ vel litis coram judice actionem ſive perorationem: nam & illi etiam litigare dicuntur, quorum cauſa non peroratur, ſed præparatur, vel poſt perorationem a judice examinatur, hinc omnino tempore a lite conteſtata uſque ad definitionem *pendere lis* dicitur, quæ verba potius ſtatum aliquem, quam actionem denotant. Sic etiam bellum dicitur *per vim certatio*, non ideo quaſi in continuis præliis & certaminibus conſiſteret: nam & bellum eſt poſtquam indictum, antequam nulla hoſtilitas admiſſa eſt; verum quia potiſſima belligerantium intentio eſt vi & armis, ſcil. Martis auſpiciis, controverſiam determinare, a potiori parte fit denominatio, & dicitur *per vim certatio*, quamquam non ſemper ipſo actu congrediantur ad certamina & prælia committant. Sic Gellius lib. 1. *cap.* 25. ſcribit induciarum tempore bellum manere, pugnam vero ceſſare. Nam & dum de belli gerendi ratione, de urbis obſidione, de acie inſtruenda, imo de induciis agatur inter belligerantes, manent tamen in ſtatu belli, donec vel vi, vel diſceptatione, id eſt vel victoria, vel colloquio controverſia definita eſt, & abjectis armis bellum læta ac optabili finiatur pace. Sic homines olim antequam in civitatem coaluerunt ſegreges viventes, quanquam non continuo ipſo actu ſibi invicem vim inferrent, attamen quia nihil meditabantur quam qua ratione alter noceret alteri, ſtatus ejuſmodi primævus, id eſt naturalis, belli ſtatus dicitur. Omne itaque illud temporis intervallum ab indicto bello uſque ad definitam controverſiam & belligerantium reconciliationem, *certatio per vim* recte mihi a Cicerone, vel *ſtatus per vim certantium* ab Autore noſtro dici videtur; de hoc ſtatu ita Hobbes *Leviathan. cap.* 13. *Conſiſtit*, inquit, *natura belli non in pugna, ſed in tractu aliquo temporis, quo durante, voluntas armis decertandi manifeſta eſt. Itaque in natura belli, ſicut in natura tempeſtatum, conſiderandum eſt tempus. Nam ut unus imber non denominat tempeſtatem humidam, ita neque pugna qualibet denominat bellum. Tempus autem bello vacuum pax eſt.* Addit Autor *qua tales*, id eſt qua belligerantes atque certantes, qua hoſtes, qui nihil aliud meditantur quam vel oppugnare vel repellere adverſarium. Obſervato tamen jure belli, quod inter hoſtes vel belligerantes qua tales obtinet. Una generali definitione omnia bellorum genera continentur, id eſt ejuſmodi congreſſiones atque certamina, in quibus vi & armis res peragitur: omnis enim pacis interruptio belli initium eſt, nullum datur tempus medium tanquam tertius

aliquis

aliquis hominum ſtatus, verum neceſſe eſt ut omnibus ſublatis controverſiis pax obtineat, & amicitia atque commercium inter ſocios & naturalis cognationis vinculo ſibi invicem devinctos mortales vel diverſas gentes & nationes ſive etiam ſingulos homines floreat, vel ut ob nonnullas controverſias, quæ niſi vi vel diſceptatione dirimi nequeunt, ſublato amicitiæ ſocietatis firmiſſimo fundamento, pacem belli ſtatus excipiat. In quo Marte arbitro definiuntur controverſiæ. De ejuſmodi bellorum generibus ſermonem Autor habet, quæ vi & armis geruntur, vel inter diverſas gentes ſive nationes, earumque loco reges, ſive optimates, vel qui pro diverſa ſocietatum & rerumpublicarum forma populum repræſentant, qui ſummo imperio ornati jus belli ſolennis gerendi habent, vel quæ inter cives oriuntur, ut inteſtina & civilia bella, vel quando ſinguli homines ferro & armis in mutuam perniciem advolant, aliaque ejuſmodi per vim certandi genera, quæ tanquam diverſæ ſpecies generali belli definitione & nomine veniunt, Autori noſtro ſubjectam ſcribendi atque diſputandi in hoc opere dabunt materiam. In quorum bellorum numero privatum bellum merito habetur, utpote quod re ipſa prius publico bello fuit, quoniam in ſtatu naturali, antequam in gentem vel ſocietatem aliquam coaliti fuerant mortales, obtinuit; privatum dictum, quatenus homines libertatis naturalis & ſummi imperii, quod penes quemque patremfamilias reſidebat, jacturam facientes, ſeſe alieno imperio ſubjecerunt, & conſequenter reſpectus ceteræ multitudinis quiſque civis tanquam privata perſona conſideratur; idque omne privatim fieri dicitur, quod ab unoquoque membro geritur ſuo nomine; publicum vero, quod civitatis ſive univerſæ ſocietatis vel ejus qui ſummæ rerum præeſt nomine agitur. Nam quod jam privatum bellum vocamus, in ſtatu naturæ publicum quodammodo dici potuit, ſi quamlibet familiam, cujus paterfam. caput & princeps erat, conſideramus parvam fuiſſe civitatem, quæ ſegreges familiæ eandem relationem habuerunt inter ſe, quæ in diverſis civitatibus & nationibus, & multis coadunatis familiis, in unam eandemque gentem vel civilem ſocietatem coalitis locum obtinet. Non mirum itaque hujuſmodi bellum, quod privatum dicitur, communem habere naturam cum publico, quoniam potius ratione ſolennitatum quarundam & conditionis ſive ſtatus, qui poſt excitatam civilem ſocietatem ad homines pervenit, quam naturæ a ſe invicem differre videntur. Vim enim vi repellere, & ſocietatis humanæ hoſtes, id eſt publicæ tranquillitatis perturbatores, coërcere, ut ſine injuria in pace vivere liceat, divina juxta & humana jura permittunt cuique homini, quocunque in ſtatu degat, niſi quod & poteſtas coërcendi ſacinoroſos & vim vi repellendi, poſtquam in civitatem coaluere mortales, non omnibus vel ſingulis ejus membris niſi quibuſdam in caſibus competat, verum ei incumbit, cui cura commiſſa ne quid ſocietas detrimenti capiat; de qua facultate inferius latius diſputaturi ſumus.

2. Neque hujus nominis origo repugnat; eſt enim bellum ex voce veteri duellum, ut duonus quod fuerat factum eſt bonus, & duis bis. Duellum autem a duobus dictum ſimili ſenſu, quo pacem unitatem dicimus. Sic Græcis ex multitudinis ſignificatione πόλεμος, veteribus etiam λύη a diſſolutione, quomodo & corporis diſſolutio δύη.

C O M M E N T A R I U S.

PRivatum bellum prius publico fuiſſe ipſa confirmare videtur nominis origo, pax ex voce veteri *duellum* conflata, ut *duonum* bonum dictum, & *duis* bis. Priſcianus aliique Grammatici dictum putant bellum ex eo, quod minime bellum, id eſt bonum ſit, cum innumerabilia pericula & incommoda bellum excipiant. Nonnulli belli nomen ex eo dimanaſſe ſtatuunt, quod ſit bellum, id eſt bonum. Cum, ut ſupra diximus, belli finis ſit pax & vitæ tranquillitas. Geritur enim bellum ut in pace ſine injuria vivere liceat, & coërceantur mali, & boni tueantur adverſus improborum hominum impetus & pravas machinationes. Bonum itaque bellum quatenus ejus finis bonus eſt, qui eſt humanæ ſocietatis ſalus, in pace & tranquillitate poſita; ea autem haberi nequit, niſi vi & armis coërceantur qui eam perturbant. Feſtus & qui eum ſequuntur belli vocem a bellua derivatam volunt, quod belluarum ſit, non hominum, in mutuam perniciem advolare, & ſibi invicem mortem ferro properare, quamobrem Cic. 1. *off. cap.* 11. certationem per diſceptationem hominis, per vim autem belluarum propriam eſſe dicit. Alii iterum belli nomen a Græcis derivatum volunt, quibus *Βέλος telum* ſignificat. Telum enim eſt nomen generale, quo omnis armorum ſpecies continetur, quibus bellum geritur. Verum libenter amplector Autoris noſtri de belli nomine derivationem, bellum ſcil. a voce veteri *duellum* deductum: duellum autem a duobus dictum ſenſu ſimili, quo pacem unitatem dicimus. Si enim ad belli primordium

recurrimus, inter duos tantum fuiſſe geſtum & ſacræ & prophanæ teſtantur Hiſtoriæ. Et vix unquam plures in bellis gerendis partes adverſæ conſiderantur quam duæ: ceteri qui alterutri parti in auxilium veniunt ſocii conſtituendi, tanquam aliquod acceſſorium eorum, qui primum ſuſceperunt bellum. Niſi commodius a *δύη*, quod eſt *λύη*, a *diſſolutione* duellum derivemus. Quemadmodum pax animorum concordiam & unitatem ſignificat, ita duellum ſive bellum diſtractionem vel diſſolutionem animorum, id eſt hominum a ſe invicem alienationem, denotat; illa ſingulari numero contenta, hoc pluralem requirit; itaque ad minimum duo qui a ſe invicem disjuncti in duellum ſive bellum ruunt. Sic olim Deus, quamvis matrimonium ſit viri & uxoris, id eſt duorum hominum, copulatio, ut hominem doceret arctiſſimam eſſe hanc conſuetudinem & neceſſitudinem ac animorum unionem, quæ inſtar nodi Gordii ac nullis diſcordiis, nullis diſſidiis & domeſticis bellis, vel pugnis diſtrahi atque diſſolvi oportet, dixit, ut, *cum duo ſint, fierent unum. Idcirco*, inquit, *Jehova Deus, relicturus eſt vir patrem ſuum, & adhærebit uxori ſuæ, eruntque in carnem unam.* Geneſ. *cap.* 2. *v.* 24. *In carnem unam*, eſt, *in unum corpus ſunto*, interprete Paulo 1. *Cor. cap.* 6. *v.* 16. *An ignoratis eum qui agglutinatur ſcorto, unum eſſe corpus cum ſcorto? Erunt enim, inquit, qui duo erant, caro una.* Et Matth. *cap.* 19. *v.* 6. *Itaque non amplius ſunt duo, ſed una caro.* Quare & in ſocietate civili habentur tanquam una perſona. Sic etiam dicimus idem nolle & idem velle, id eſt, duorum tanquam unius de eadem re eandem voluntatem & animorum conſpirationem ac unionem firmam eſſe amicitiam, & idcirco pacis cuſtodiam. Contra vero diverſa diſſentientium voluntas, quia eſt unitatis, in qua pax & amicitia conſiſtit, diſſolutio & interruptio, diſcordiarum & duellorum ſive bellorum cauſa atque mater eſt.

3. Neque uſus vocis laxiorem hanc notionem repudiat. Quod ſi quando belli nomen publico tantum tribuitur, nihil id nobis obſtat, cum certiſſimum ſit, nomen generis ſæpe ſpeciei, præſertim excellentiori peculiariter adhæreſcere. Juſtitiam in definitione non includo, quia hoc ipſum in hac diſputatione quærimus, ſitne aliquod bellum juſtum, & quod bellum juſtum ſit. Diſtingui autem debet id quod quæritur, ab eo de quo quæritur.

COMMENTARIUS.

QUod belli nomen hodie publico potiſſimum tribuatur, id ipſum duplici fit ratione. Prima ratio eſt, quod poſtquam homines in civitatem ſive ſocietatem civilem coaluere, renunciaverunt libertati, qua quiſque propriis viribus proprioque Marte ſibi jus dicendi facultatem tribuebat, propterea quod ſalva eſſe ſocietas & idcirco neque ſinguli tuti eſſe poſſent, ſi cuique proprio arbitrio ſibi jus diceret; ſummam enim id ipſum confuſionem parere, imo totam ſocietatem funditus evertere neceſſe foret; quamobrem inter ſeſe convenerunt cives, ut, ſi quæ controverſiæ orirentur, eas dirimeret in quem ſummum contuliſſent imperium, vel qui ab eo dati judices eſſent, quod genus certandi per diſceptationem ſupra deſcripſimus. Inter eos locum habens qui ſuperiorem habent judicem & magiſtratum. Qua ratione tollitur belli ſtatus, cujuſmodi erat naturalis, hoc ſenſu, quatenus ſinguli homines propriis viribus exequebantur jus ſuum, & proprio arbitrio debita perſequebantur. Cujuſmodi juris perſecutio & vindicatio, quoniam propter multorum male compoſita deſideria, plerique jura ſæpe utilitate, non honeſtate & æquitate metiebantur, ſæpiſſime cum læſione & damno ſocii inſtituebatur. Vel ſiquidem actor ſecundum æquitatem atque rectæ rationis dictamen perſequebatur quod jure exercere & petere poſſet a ſocio, declinante tamen reo vel poſſeſſore tribuere actori aut petitori quod vel ex conventione, vel ſtipulatione, vel pacto, aut alio id genus contractu debebat, ſive ex malitia aut nimio propriæ utilitatis ſtudio, ſtatim belli ſtatus oriebatur, atque vi & armis vindicare & jus ſuum perſequi neceſſe habebat actor: quippe cum quiſque in ſtatu naturæ ſui juris ſibique æquales homines, conſequenter nullum habentes ſuperiorem judicem vel magiſtratum, qui inter partes litigantes intercedere poterat, & ſua auctoritate controverſias dirimendi facultatem habebat, ſuum cuique tribuendo juxta naturalem æquitatem, Martem arbitrum & judicem conſtituebant. Quam propria auctoritate jus ſuum perſequendi & exequendi facultatem in ſocietatem civilem coaleſcentes abdicarunt, & ſeſe alieno ſubmittentes imperio & arbitrio ſive poteſtati, in privatis controverſiis dirimendis alienam juriſdictionem admittere neceſſe habuere. Et ſi quædam in cuique jure tribuendo vis adhibenda eſt, oportet publica autoritate, id eſt ejus nomine fieri, qui ſummæ rerum præeſt. Quamobrem Paulus JCtus *in l.* 176. *ff. R. I. Non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratus publice poſſit fieri, ne ſit occaſio majoris tumultus faciendi.*

Unde

Unde judici incumbit providere ne ad rixam & arma procedant, quos ſua juriſdictione poteſt componere arg. *l.* 13. §. 3. *ff. de uſufr.* Reſpectu itaque hujus delationis, qua in unum vel plures ejuſdem ſocietatis membra ſummum contulerunt imperium, eoſque tanquam judices conſtituerunt, qui, ſi quædam inter ſeſe de re aliqua orirentur controverſiæ, de iis cognoſcerent, & jus dicerent, belli nomen tantum publico merito tribuitur, quoniam ejuſmodi ſubmiſſio tollit omnem belli privati cauſam, quia illicitam efficit omnem vim privatam eamque armatam, niſi judicis copia deficiat, tum enim quiſque quaſi jure poſtliminii recuperat idem jus, quod in ſtatu naturali habuit, quoniam conſideratur eo reſpectu tanquam in primævo ſtatu collocatus. Altera ratio, ob quam belli nomine plerumque publicum intelligimus, ea videtur eſſe, quod præter publicam autoritatem, qua omnia hodie geruntur bella, quæ legitima & juſta ſunt, ſua peculiaria quoque habet jura & ſolennitates, quæ vel uſu & conſuetudine vel conſenſu ſive expreſſo ſive tacito introductæ vel receptæ ſunt, a diverſis nationibus & gentibus, tum gerendi tum indicendi. Itaque cum de bello ſermonem habeamus, intelligimus plerumque & fere ſemper bellum quod publica autoritate geritur, omniaque ſua habet requiſita, tum quoad gerendum, tum quoad indicendum. Si quæ ſingularia inter cives vel privatos homines oriantur de controverſiis certamina & prælia, eatenus quidem belli nomine veniunt, quatenus per vim certatur, verum quoniam id ipſum fit ex accidenti & caſu quodam, qui neque prævideri aliquando vel præveniri poteſt, neque adeo crebro quoque accidit, ut quemadmodum ſæpiſſime omnibus ſolemnitatibus, ita quoque omni careat juſtitia, quæ maxime in bellis ſpectari debet, hinc belli nomen, poſtquam omnis vis privata & armata & jus ſibi dicendi facultas cuique privato erepta, coalitis in civitatem & gentem hominibus, ad publicum tranſlatum eſt. Quoniam non ſinguli homines jam amplius in ſtatu naturæ vivere, verum diverſæ & ſingulæ gentes, vel ipſorum reges ſive optimates, qui univerſam hominum multitudinem, ex qua ſocietas civilis conſtat, repræſentant, mutuo reſpectu in eodem ſtatu degere intelliguntur, quia ſingula ſocietatis membra in eum omne contulerunt imperium, quod quiſque eorum habuit, & conſequenter ſui belli gerendi & controverſiarum inter eos dirimendarum facultatem, quas proprio nomine vel colloquio vel armis decidebant. Verum quamvis jus belli gerendi poſt excitatas ſocietates nemini privato competat, idcirco, quando de bello diſputatio futura eſt, publicum plerumque intelligimus. Attamen quoniam ejuſmodi tempora incidere poſſunt, quibus priſtinum jus ſibi dicendi & propriis viribus vindicandi atque exequendi vel ſingulare civitatis membrum, vel diſcordia & inteſtinis malis in diverſas partes diſtracta ſocietate omnes cives recuperent, ita ut ſublata pace atque concordia ſtatus per vim certandum inducatur, hinc merito idem nomen aliquando tribuitur ejuſmodi bellis, quæ licet neque auctoritate publica, neque ſolennitatibus gerantur, juſta tamen & legitima ſunt naturali jure & æquitate. Belli enim nomen generale eſt, comprehendens omnia omnino bellorum genera, quæ ſtatum per vim certantium inducunt. Quod vero id nomen publico tantum tribuatur, id ipſum præter adductam rationem eo fieri veriſſime Autor ſtatuit, quod cum ſit excellentior ſpecies, nomen generis ei potiſſimum adhæreſcat, ut actio in perſonam, petitio vero in rem dicitur *l.* 28. *ff. de oblig. & act.* Quamvis actionis nomen generale ſit, ita ut etiam in rem petitionem comprehendat, ſpecialiter tamen actio in perſonam inferri, in rem petitio dicitur. Sic etiam nomen cognationis quanquam per ſe generale eſt, ſiquidem cognati dicuntur omnes, qui jure ſanguinis vel adoptionis nobis devincti ſunt, & conſequenter quoque agnatos complectitur, ſcil. eos qui per patrem cognati ſunt. Attamen idem nomen oppoſitum agnationi ad eam cognationis ſpeciem refertur, quæ per fœminas copulatur. Quamobrem Jctus *l.* 10. §. 2. *ff. de grad. & affin. Cognati*, inquit, *ſunt & quos adgnatos lex duodecim tabularum appellat hi ſunt per patrem, cognati ex eadem familia. Qui autem per fœminas conjunguntur cognati tantum dicuntur.* Nam cum altera ſpecies certo nomine careat, mutatur nomen ſui generis, ut in adoptione quoque vidimus, duæ enim ſunt adoptionis ſpecies, quarum altera dicitur adrogatio, quæ eſt adoptio eorum qui ſunt ſui juris, altera eſt adoptio in ſpecie dicta, quia enim proprio caret nomine generis appellatur. Non novum itaque eſt, ut nomen generis ſpeciei alicui tribuatur. Quamobrem, quamvis belli nomen publico tanquam excellentiori ſpeciei tribuatur, id ipſum quoque ad alios peculiares per vim certantium ſtatus jure tranſfertur tanquam ejuſdem generis ſpecies, ut & communis naturæ, quatenus vi & armis certatur, participes. Quod in bello definiendo juſtitiæ non meminit Autor, ſuadere recta diſputandi ratio videtur, quoniam hoc ipſum quæritur num ſit bellum aliquod juſtum, & quod bellum juſtum ſit, ſimpliciter aliquid affirmare quod in dubium revocari poteſt, & probationibus ſi non omni exceptione majoribus, ſaltem veroſimilibus, deſtituitur, id ipſum aliquam vix inveniet fidem, & conſequenter tota de re aliqua diſputatio tanquam nullo fundamento innixa corruit. Itaque antequam Autor ſtatuat bellum eſſe juſtam per vim certationem, inquirendum ipſi incumbit, ſitne aliquod bellum juſtum, & quænam tum in gerendo tum indicendo bello obſervanda ſunt, ut juſtum dicatur. Diſtingui enim debet id quod quæritur ab eo de quo quæritur, ne inverſo ordine diſputatio ſuſcipiatur. Malum enim initium malo quoque excipitur fine.

III. I. De jure belli cum inſcribimus hanc tractationem, primum hoc ipſum intelligimus, quod dictum jam eſt, ſitne bellum aliquod juſtum, & deinde quid in bello juſtum ſit? Nam jus hic nihil aliud quam quod juſtum eſt ſignificat, idque negante magis ſenſu quam ajente, ut jus quod injuſtum non eſt. Eſt autem injuſtum, quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat. Sic al-
De officiis teri detrahere ſui commodi cauſa, contra naturam eſſe dicit Cice-
II. I. ro, atque ita probat, quaſi id fiat, ſocietas hominum & commu-
L. ut vim nitas evertatur neceſſe ſit. Hominem homini inſidiari nefas eſſe
D. de juſt. evincit Florentinus, quia cognationem quandam inter nos conſti-
& jur.
De ira l. tuerit natura. Seneca: *Ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula*
II. c. 31. *ſervari totius intereſt; ita homines ſingulis parcunt, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva enim eſſe ſocietas niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.*

COMMENTARIUS.

QUoniam ipſum opus de *jure belli* inſcribitur, & conſequenter ſtatuit Autor eſſe belli ſicuti pacis jura, ne videatur operi adjeciſſe titulum, qui in dubium revocari nequit, quaſi eſſet veritas per ſe nota, admonet Lectorem ſe ejuſmodi in frontiſpicio operis inſcriptionem ei ob oculos ponere non eo voluiſſe, quaſi propria autoritate & ingenii ac doctrinæ forte nimia fiducia eo proceſſiſſet arrogantiæ, ut quicquid in proprio cerebro excogitaverit id ipſum alios tanquam divina oracula falli neſcia amplecti oporteat: cujuſmodi dementia hodie certum quoddam hominum genus cepit, quos vulgari nomine (verba enim uſu valent) *Pedantes*, ſcil. erectis auribus natos vocamus. Qui quamvis ſiot ejuſdem conditionis cum ſui generis ſimilibus participes, id eſt homines nati, & idcirco iiſdem erroribus obnoxii, quibus laborat humanum genus, attamen forte ſibi perſuadentes in Deorum numerum ſeſe relatos, ideoque falli neſcios, ſuam de re aliqua erroneam opinionem pro veritate aliis obtrudere volunt, a qua nemini recedere fas eſſe putant. Imo ſi quis propria ratione utens multam operam in veri inveſtigationem conferat, atque ab ea, quæ longa conſuetudine inveterata vulgi communis quædam opinio dicitur, quam cæco quodam aſſenſu amplectendam arbitrantur, divortium facit, ille tanquam novarum rerum cupidum, & hæreticum, ſi de Theologia agatur, vel reipub. perniciosum civem, ſi de civilibus negotiis diſpotandum eſt, e civitate ejiciendum, imo furore quidam correpti aqua & igne interdicendum rectam dictare rationem ſentiunt. Quid hoc aliud eſt quam veritatem opprimere, & innocentem plebem erroribus obſtrictam tenere. Quod eccleſiæ Romanæ ſummum arcanum, & unicus ſcopus, a Reformatis merito tanquam legi & doctrinæ a Chriſto traditæ plane contrarium reprehenditur & deteſtatur. Sed utinam quod in aliis culpamus, non idem in nobis vitium circumſerremus. Verum videntur hæc incommoda perferenda eſſe, ut alia homanæ naturæ vitia; interim cui mens ſana eſt ſuum ſequatur judicium, propria ratiocinandi & judicandi facultate utatur, ſi innumeros velit fugere errores. Modo meminerit ſeſe in ſocietate vivere, & conſequenter tanquam ejus membro ſibi curam incumbere providere, ne communis pax & tranquillitas, a qua ſocietatis ſalus pendet, perturbetur. Hinc cuique civi non licitum eſt facere vel dicere quæ ſibi placent, ſed ea tantum quæ ſaluti communi inſerviunt, aut ſaltem ei nocitura non videntur. Cum vero maxime ad pacem conſervandam pertineat receptus Dei cultus ſeu regia introducta religio, quæ jam ab immemoriali tempore obtinuit, (oportet enim in bene conſtituta repub. aliquam religionem publicam & quaſi univerſalem eſſe, ne ſumma oriatur confuſio, ſingulis civibus ſuo arbitrio Deum colentibus) idcirco nemini receptæ religionis, quæ publice conſenſu ſummorum imperantium exercetur, dogmata oppugnare, vel alia excogitare & diſſeminare in vulgus, quibus ejus fundamenta everterentur, & conſequenter publica quoque tranquillitas perturbaretur, libertas eſt atque facultas: quippe cum iſtiuſmodi agendi libertas perturbaret civitatis tranquillitatem, ei renunciaſſe præſumendus eſt eo ipſo quo quis civis factus eſt, ſub iſta tamen cautione vel expreſſa vel tacita, ne ſummus imperans cum quoque cogeret ad amplectendam regiam ſive publica autoritate receptam religionem, repugnante conſcientiæ dictamine. Non omnem enim abjecit libertatem, verum tantum de ea detraxit, quantum vel detrahere potuit, vel ſua conditio & ſtatus poſtulabat. Sed a diverticulo in viam redeamus. Ne ſua commenta igitur Autor

tor nobis pro infallibili veritate obtruderet, ſimpliciter affirmando, quod omnibus pene rationibus & probationibus deſtitutum eſt, cum de jure belli hanc tractationem inſcriberet, ſe hoc ipſum intellexiſſe, quod dictum jam eſt, ſit ne aliquod bellum juſtum, & deinde quid in bello juſtum ſit; hoc probato ſolidis argumentis, ex rectæ rationis fonte deductis, cuivis conſtet, inſcriptionem non Autoris figmentum eſſe, neque ſua tantum niti autoritate, ſed rectæ rationi, qua duce a vero aberrari nequit, conjunctiſſimam & maxime conſentaneam eſſe. Per *juris* autem vocabulum Autor nihil aliud intelligit, quam quid juſtum eſt; negante magis quam ajente ſenſu, id eſt quod legibus prohibitum non eſt neque improbatum, ideoque licitum & permiſſum potius quam præceptum. Nam alio ſenſu juſtum dicitur, quia legibus præceptum hominibus imponit neceſſitatem faciendi & exequendi quod legis præcepto continetur. Ita ut omitti nequeat quin peccetur contra juſtitiam, & quod injuſtum eſt facere dicitur quicunque illud ipſum exequi negligit. Contra, quod juſtum eſt operari dicitur qui legi obtemperans ejus præcepta obſervat, unde ille injuſtus, hic juſtus appellatur. Varias juris vocabulum admittit ſignificationes, quas cum veteres tum recentiores Juriſconſulti annotarunt, ita ut nonnulli ſex & triginta recenſeant, quarum plurimas noſtri juris interpretes excogitarunt atque finxerunt. Quippe ſi recenſeamus varias illius vocabuli ſignificationes, quas veteres juris antiſtites tradiderunt, eas quaternarium numerum excedere haud inveniemus, ſi ſano ſenſu eorum mentem interpretemur. Quarum duas enumerat Paulus *l. penult. ff. de juſt. & jur.* Totidem Ulpianus & Marcianus *in l.* 1. *& ult. eod.* recenſent. Quamvis alii ſtatuant juris interpretes Paulum in dicta lege quatuor *juris* ſignificationes adferre, utpote qui nomen illud ad *jus naturale*, quod ſemper bonum & æquum eſt, *civile*, atque *prætorium*, tum etiam ad *locum*, in quo jus redditur, referat. Quibus adjectis duobus alteris augetur numerus. Verum erudite huic objectioni mihi videtur reſpondere Albertus Bolognetus *de leg. jur. & æquit. cap.* 15. Statuens non eo diverſas eſſe ſignificationes, quod juris nomen ad tres dictas ſpecies referat JCtus, quippe *una eademque*, inquit, *ſignificatio eſt, ſecundum quam demonſtramus, jus pluribus modis, hoc eſt (ut poſtea oſtendit) in plures ſpecies dividi, quibus tamen omnibus ſpeciebus eadem ſignificatio convenire poteſt: neque enim*, pergit, *animal ideo diverſe accipitur, quia de pluribus ſpeciebus prædicetur.* Atque hanc Pauli mentem eſſe ex verbis, quæ ſequuntur, ſatis evidenter Lectori conſtare poteſt. *Cum*, inquit, *alia ſignificatione jus dicitur locus, in quo jus redditur.* Quæ evincunt Paulum uſque ad hunc verſum unam tantum juris ſignificationem attuliſſe. Ulpianus juris nomen ad artem transfert, definiens jus artem boni & æqui *dict. l.* 1. Quoniam enim legis præcepta Juriſconſulti certo quodam ordine collegerunt, ac ſuis illuſtrarunt commentariis, & quaſi in artem redegerunt, factum eſt ut ipſum jus ars dicatur. Marcianus quartam adjicit, cum inquit, *ult. ff. eod. Nonnunquam etiam jus pro neceſſitudine dicimus, veluti eſt mihi jus cognationis vel affinitatis.* Ea vero juris maxime propria ſignificatio, ſumpto juris vocabulo eo ſenſu, quo ſignificat legis præceptum, id eſt conſtitutionem jubentem pro imperio quæ recta ſunt. Quomodo intelligitur jure eſſe conſtitutum, jure quid fieri. Sic a Paulo dicitur jus naturale, civile, & prætorium. Ab hac ſignificatione natæ ſunt & aliæ ab Ulpiano, & Marciano, & Paulo JCto in eadem lege allegatæ; verum hæ magis impropriæ ſignificationes non ipſi juri, verum rebus ad jus pertinentibus tribuuntur. Ut cum dicatur jus ars æqui & boni, & pro loco in quo jus redditur ſumatur, tum etiam pro eo quod cuique jure tribuitur, quomodo verbum juris accipiendum *in l. ult. ff. de juſt. & jur.* Recte putat Donellus, cum Marcianus inquit, *Nonnunquam jus etiam pro neceſſitudine dici, veluti eſt mihi jus cognationis, vel adfinitatis*, non tantum verbum neceſſitudinis ſimpliciter pro ſanguinis & ejuſdem originis vinculo ſumi, verum intelligi neceſſitudinem, quæ jure conſtituta eſt ad exigenda illa jura, quæ legibus comprehenſa neceſſitudine ſibi invicem devinctis tribuuntur. Cujuſmodi jura varia legibus paſſim ſancita inveniuntur in juris corpore, ut legitima agnatorum tutela, ſic etiam ſuitatis jura, ut ita dicam, pro bis quæ jure hæredibus tribuuntur, aliaque id genus pro neceſſitudine introducta peculiaria jura. Hiſce juris ſignificationibus merito additur illa, quando jus accipitur pro facultate & poteſtate legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quaſi functionem, cujus violatio eſt injuria. Ut cum dicimus alicui acquiſitum jus utendi ac fruendi rebus alienis, jus eundi per fundum alienum, adverſarium in jure conveniendi, rem ſuam vindicandi & perſequendi: eo autem ſenſu, quo Autor juris vocabulo utitur, idem eſt quod juſtum dicitur in genere; quippe jus, ut inquit Iſidorus, eſt dictum, quia juſtum eſt. Non tantum juſtum quia lege ſancitum vel præceptum, ſed etiam juſtum quia nullo jure prohibitum vel vetitum. Sunt enim quædam, quæ leges nec jubent nec vetant facere, ut inquit Seneca *de benef. lib.* 3. *cap.* 21. cujuſmodi adiaphora pertinent ad legis virtutem, quæ in permittendo conſiſtit. Omnia vero permiſſa intelligi debent, quæ jure tum naturali, tum etiam gentium & civili non vetantur, quæ itaque ſine injuria & violatione alterius ſuſcipi atque peragi poſſunt. Quippe quæcunque jure naturæ & gentium ſive civili non prohibita, permiſſa, quæcunque autem permiſſa, licita, quæcunque licita, juſta, non quia præcepta, verum quia non vetita, ideoque non injuſta, omnia autem tacite permiſſa quæ non expreſſe prohibita arg. *l.* 4. §. 1. *ff. de procurat.* Quod enim licitum & permiſſum, id juſtum, quatenus non injuſtum, quia prohibitum. Hæc ſunt duo extre-

extrema, quorum non datur medium, quod nec juſtum, nec injuſtum eſt, ſed adiaphoron, neutro venit juris nomine; non fugit me ea quæ nec jubeantur vel vetentur, quatenus omitti poſſunt vel in actum deduci ſine alicujus legis tranſgreſſione, videri in eorum numero habenda, quæ adiaphora vocamus; quod libenter concedo, quatenus lex nihil diſponens vel præcipiendo vel vetando, id ipſum indifferens habuit, cujus faciendi vel omittendi facultatem hominis arbitrio reliquit, attamen oportet illud quod agitur vel juſtum vel injuſtum eſſe, eo autem ipſo quo quid dicitur non prohibitum vel præceptum neque naturali neque civili jure, affirmatur eſſe juſtum, nam ſi injuſtum eſſet prohibitum; juſtum vero (ut optime inquit Autor) negante magis quam ajente ſenſu, id eſt juſtum, quia permiſſum, licitum, ideoque non injuſtum. Ita ut jus ſit quod injuſtum non eſt. Eſt autem injuſtum, quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat. Scil. quatenus jus verſatur circa ea quæ ad ſocietatis conſervationem tanquam ſingulare ejus objectum pertinent, & conſequenter quædam jura peculiaria homini quia ejuſdem ſocietatis membro præſcripſit, quæ ſervare & exequi tenetur, ita ut quoties ea negligat atque exequi omittat faciendo quod ſocietatis naturæ contrarium eſt, dicitur admittere quod injuſtum eſt, quippe cum naſcatur animal ſociabile, ab ipſo nativitatis momento ipſi imponitur neceſſitas iſtius ſocietatis conſervationi atque ſaluti promovendæ ac tuendæ incumbere, & idcirco tenetur præſtare unumquodque membrum pro menſura cujuſque facultatis ea officia, quæ naturam ſocietatis ab eo efflagitare recta ſibi dictat ratio, cujuſmodi dictamen ipſi lex eſt, ipſum indiſſolubili vinculo ligans. Sic detrahere alteri commodi ſui cauſa contra naturam eſſe Cicero inquit, ſcil. contra naturam rationalem & ſociabilem, contra naturæ jus & rationis dictamen. Ita enim Tullius: *Neque vero hoc ſolum natura, id eſt, gentium jure, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis reſpub. continetur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt; incolumem eſſe civium conjunctionem; quam qui dirimunt, eos morte, exſilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex divina & humana.* Ad quæ ultima verba cum Litterarum & Hiſtoriarum ſcientia, tum etiam dicendi copia ætatis noſtræ facile princeps Joannes Georgius Grævius, Trajectinæ Academiæ magnum decus & ornamentum, ornate atque erudite, ut in ceteris ſolet, annotavit. *Natura nimirum humana ſeu ſocialis ratio, quæ oſtendit & præcipit, nihil committendum eſſe, quod iſtam ſocietatem lædat ac violet. Lædit autem qui inſonti nocet, ut ſibi proſit, ut ſuis ſerviat commodis. Hanc naturam omnibus inſevit Deus, qui eſt naturæ parens & auctor, ideo lex ex hac natura humana profluens, nulli nocendum eſſe, eſt divina. Sed præterea præcipiunt hoc ipſum quoque, quod ex natura hauſimus & didicimus, leges humanæ, cum civiles, tum gentium.* Quippe, ut hic inquit, *ſi ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem.* Quamobrem jure civili cautum. *Non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri*, vel *neminem ex alterius damno lucrum quærere l. 74. & l. 17. §. 4. ff. de inſt. act.* Hinc illud Terent. *Andr. act. 9. ſc. 1.*

Hoccin' eſt credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius ſua comparent ut commoda? ah
Id ne eſt verum? imo id eſt genus hominum
peſſimum.

Peſſimum merito dicitur id hominum genus, quia ſocietatem, a qua generis humani ſalus & conſervatio pendet, non ſolum diſtrahit, ſed penitus evertit. Quippe *ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt? Sic, ſi unuſquiſque noſtrum rapiat ad ſe aliorum commoda, detrahatque quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & communitas evertatur neceſſe eſt.* Cic. 3. *off.*

.2. Sicut autem ſocietas alia eſt ſine inæqualitate, ut inter fratres, cives, amicos, fœderatos: alia inæqualis, καθ' ὑπεροχὴν Ariſtoteli, ut inter patrem & liberos, dominum & ſervum, regem & ſubditos, Deum & homines: ita juſtum aliud eſt ex æquo inter ſe viventium, aliud ejus qui regit & qui regitur, qua tales ſunt: quorum hoc jus Rectorium, illud Æquatorium recte, ni fallor, vocabimus.

COMMENTARIUS.

VIdetur mihi ſocietas poſſe dividi, in illam quæ a natura conſtituta eſt, & eam quæ a facto hominis interveniente habet originem. Illa dicitur naturalis, hæc civilis. Naturalis iterum vel univerſalis eſt, omnis inæqualitatis expers, obtinens inter omnes homines qua homines, unum idemque naſcendi habentes principium. Alia iterum magis particularis eſt, eaque vel inæqualis, vel æqualis, ſecundum diverſam naſcendi conditionem, quæ ab ipſo nativitatis momen-

momento homini inhæret & quaſi innaſcitur. Æqualis hominis conditioni cohærens ſocietas eſt vel extra illam neceſſitudinem inter amicos, vicinos, familiares, quæ a collaterali venit linea & ſanguinis conjunctione. Qualis eſt fratrum, & filiorum fratrum, aliorumque ab eodem latere venientium ſocietas, eadem ſanguinis conjunctione intercedente. Inæqualis a linea aſcendenti & deſcendenti introducitur, ut inter patrem & liberos, avum & nepotem; vel etiam extra eam inter dominum & ſervum. Civilis æqualis ſocietas inter cives & fœderatos locum habet: inæqualis inter regem & ſubditos, magiſtratum & cives, dominum & ſervum. Illa autem ſocietas, quæ inter dominum & ſervum intercedit, aliquatenus utriuſque ſocietatis cum naturalis, quæ vel ab ipſa natura immediate, ſcil. naturali quodam impetu homines ad illam impellente, profecta, vel ratione duce humana neceſſitate exigente conſtituta eſt, tum etiam civilis naturam participare videtur. Quamvis poſſet objici homines natura naſci liberos, & idcirco iſta herilis ſocietas naturali non videatur adſcribenda, ſed potius civili ex conſenſu cujuſque gentis, poſtquam mortales in gentes vel civitates coiverunt, originem ducenti attribuenda, quamobrem huic jura quædam cohærent peculiaria, quæ in foro civili effectum ſuum producunt ſingularem. Sed reſponderi mihi poſſe videtur. Inæqualem illam ſocietatem inter dominum & ſervum non quidem immediate ex ipſa hominis naſcendi conditione proficiſci, ſed adventitium quendam eſſe ſtatum, neceſſitate inductum & uſu confirmatum atque approbatum quippe, ut inqnit Ulpianus *in l. 4. ff. de juſt. & jur.* *Jure naturali*, id eſt, in naturæ ſtatu omnes liberi naſcuntur, itaque nulla ſervitus eo jure cognita, & conſequenter nulla quoque ejuſmodi ſocietas introducta dici poteſt. Vetum quando recurrimus ad naturam rationalem, quæ exigente humana neceſſitate ejuſmodi ſocietates conſtituit, ratione originis non perperam naturalis dicitur. Reſpectu vero variarum gentium vel civitatum, quæ ſive tacito ſive expreſſo conſenſu eam ſocietatem receperunt & in uſu eſſe atque ſingularem ſuum effectum habituram voluere, civilis quoque recte dicitur. Sppoſita enim hominum malitia, quæ cognationem illam a natura inter homines conſtitutam violavit, ratio naturalis, quæ bellotum neceſſitatem induxit, eadem quoque cauſa fuit captivitatis & ſervitutis, ne occidere neceſſe eſſet eum, qui alioquin & hoſtis & liber a victore tuto haberi non poſſit. Cetetum poſt inductam jure gentium ſive naturali ſervitutem ex captivitate, cœpit etiam jus civile quoſdam modos inducere irrogandæ ſervitutis. Faber *in rational. de juſt. & jure.* Ita ut apud diverſas nationes olim & etiam hodie, ſed barbaras pleraſque homines naſcantur ſervi, naturali naſcendi libera conditione in ſervilem mutata. Hinc qui ex ancilla naſcitur, in dominio eſt ejus cujus eſt ancilla. Cujuſmodi naſcendi conditio ſocietatem illam inter dominum & ſervum quodammodo naturalem efficit. Et idcirco a nobis ei quæ a natura conſtituta eſt hoc ſenſu non abs ratione adſcribi videtur. Nec etiam ad civilem pertinere ſtatui, quatenus naturali rationi hominum conſenſus quædam addidit vel detraxit, prout civitatis vel humanæ ſocietatis ſalus & conſervatio efflagitavit. Verum dubium hic poſſet moveri, an recte ſtatuat Autor noſter ſocietatem aliquam inter Deum & homines. Quippe cum ipſa illa ſocietas, quæ inter homines intercedit, licet maxime ſit inæqnalis, ſive naturalis, ſive civilis, ut inter regem & ſubditos, patrem & liberos, attamen aliquam æqualitatem continet, quæ ſocietatis fundamentum eſt, & cauſa unde derivatur. Quemadmodum homines, licet quodam vel civilis vel naturalis dignitatis & præeminentiæ titulo ſibi invicem inæquales ſint, attamen naſcendi conditione omnes ſibi æquales qua homines, ideoque & naturæ quodam vinculo, ut ſupra diximus, ſibi invicem ſocii & cognati, propterea quod omnes ab uno eodemque principio originem, eſſentiam & exiſtentiam habeant, omneſque ejuſdem naturæ, rationis & orationis participes, ita ut quamvis vel ordine naſcendi, vel civili quadam adventitia, ut ita dicam, conditione, qui ſibi qua homines æquales ſunt, fiant ſibi inæquales, vel dignitate & poteſtate ſive imperio, vel alio quodam eminentiori titulo, attamen illa inæqualitas ſemper moderanda & temperanda naturali æqualitate humanæ ſocietatis. Quamobrem ſi peculiaria quædam jura inæqualis ſocietas cuidam tribuat ea tamen ſemper debent referri ad illa officia, quæ naturalis dictat ratio, ſocium ſocio præſtari obligatum eſſe. Quippe cum naturalis inter homines ſocietas æqualis & inæqualis ab eodem Autore derivatur, altera alteri ſubordinata quidem eſſe poteſt, verum non contraria. Quia quod eſt ens ſimpliciſſimum & perfectiſſimum, ideoque ſemper unum & idem, contraria velle nequit, quoniam contraria velle mutabilitatem, mutabilitas imperfectionem, imperfectio primi entis negationem involvit. Atqui inter Deum & hominem nulla videtur excogitari poſſe æqualitatem ſive originis, ſive adventitiæ & extrinſecæ alius cujuſdam conditionis & ſtatus. Homines creantur hominibus, & hinc inter fratrem & liberos, regem & ſubditos, dominum & ſervum æqualis quædam ſocietas. Verum cujuſmodi æqualitatem & conſequenter qualem ſocietatem fingemus inter Deum & hominem, qui totum hoc univerſum una cum omnibus ceteris creaturis, quæ vel exiſtunt tantum, vel ſeſe movendi facultatem habent, ex nihilo produxit, quarum omnium exiſtendi continuatio dependet a liberrima divina voluntate. Quippe quemadmodum creavit omnia libera voluntate, ita & liberrime diſponit de cujuſque individui exiſtendi tempore. Itaque nulla creatoris & hominis communio ſive ſocietas ratione originis vel generationis & exiſtentiæ. Neque etiam reſpectu eſſentiæ, propter in-

finitam, immenſam, & ſpirltualem Dei naturam, cui pares nullæ poſſunt eſſe creaturæ. Seu propter conditionem aliquam extrinſecam, id eſt nobis adventitiam, quædam cum Deo homini ſocietas intercederet, quæſo unde ejuſmodi poſſet nobis conditio advenire, quæ aliquo modo nos efficeret Deo æquales? Qualis enim æqualitas excogitari poſſet inter creatorem & creaturam, adeo ab ejus voluntate dependentem, ut ne quidem uno momento queat ſubſiſtere, niſi a creatore ſuo ſuſtentetur & conſervetur. Qualis fœderis, qualis ſocietatis, qualis juris communio inter eos intercedit, quorum alter omnia tribuit & ad ſuſtentandam & tuendam vitam neceſſaria, alter nihil habeat a ſe quod retribuat, niſi Deus ipſi largiatur. Concedo hæc omnia, ſi ſtatuamus nullam poſſe ſocietatem obtinere inter eos, qui ſibi nullo modo æquales vel generis, ſive juris, ſive in alio quodam tertio conveniunt. Verum videamus an Deus ex infinita quadam benevolentia & ſingulari erga hominem amore non voluerit aliquo modo ſocietatem cum eo contrahere, & quarundam rerum inducendo communionem, ſibi eum ſocium adjungere, non generis, neque generationis, neque imperii, neque aliarum rerum humanarum, ne tum rationis & juris ejuſdem. Voluit enim hominem divinæ mentis participem eſſe, largiendo ipſi divinæ illam auræ particulam, ſcil. animam ratiocinandi facultate præditam, voluit ſui eſſe ſimilem ipſum ad ſuam creando imaginem, ideoque aliquatenus ejusdem conditionis participem, in mentibus noſtris ſe ſanctitate divina effigiente. Audiamus Ciceron. de ejuſmodi ſocietate, quam DEO cum homine intercedere ſtatuimus, diſputantem 1. *de ll.* *Eſt igitur*, inquit, *quoniam nihil eſt ratione melius, eaque in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt, quæ cum ſit lex, lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſunt. Quibus autem hæc ſunt inter ſe communia, & civitatis ejuſdem habendi ſunt.* Hinc Plutarch. *in Numa.* *Et ſane non mirum eſt, quum non equorum vel avium Deus, ſed hominum amore teneatur, cum iis, qui virtutibus excellunt, cupit eum una eſſe, neque reſpuere hominis divini & ſapientis familiaritatem.* Quamobrem finxerunt Numæ cum Dea Egeria conſuetudinem & conſociationem fabulis inhærentes Gentiles. Vel dicemus ejuſmodi communionem nos quidem aliquo modo Deo ſimiles efficere, quatenus propter incredibilem erga hominem amorem & benevolentiam dignatus eſt ſua imagine ornare, & animal rationale fingendo divinæ mentis quodammodo facere participem. Verum non eo dici poſſe Deorum cum hominibus ſocietatem intercedere. Quippe cujuſcunque generis ſocietatem deſcribimus, ſemper ei cohæret obligationis vinculum, quo ſibi viciſſim ſocii obligantur, vel dare vel præſtare quæ vel recta dictat ratio humanæ ſocietati inſervire, vel rei natura, cujus reſpectu ſocietas aliqua contracta eſt, poſtulat. Fateor eſſe rationis communionem, & idcirco quoque juris ſocietatem, ſcil. ejus juris, quod ex ipſa divina profluit eſſentia, ideoque quod in ſe antecedenter ad voluntatem divinam juſtum & injuſtum, honeſtum & turpe eſt. Verum nego juris hanc communionem inducere obligationem mutuam & reciprocam, qua Deus obligatur creaturæ, ſecundum ejus juris normam Deo tribuenti quod ei tanquam creatori debet, viciſſim retribuere quæ moralis hæc divina efflagitat juſtitia. Infinite enim ſuperior hujus univerſi Autor, quam ut nos miſeri homunciones ab ipſo quædam tanquam jure noſtro poſtularemus debita præſtanda; quid enim exigere poſſumus ab illo, qui ex infinita quadam liberalitate & incredibili amore nos rationales, id eſt ſui ſimiles, creavit, atque omnes ceteras animi facultates, quæ noſtri generis præ ceteris creaturis præſtantiam docent, ut ſermo & oratio, aliaque id genus humani generis ornamenta, nobis largitus eſt ad ſui tantum gloriam, ut in hiſce omnibus eluceret cum divina ſapientia, tum etiam benevolentia, ut eo magis homo impelleretur ex toto corde & omnibus viribus amare creatorem ſuum, & ipſi debitam reverentiam & obedientiam præſtare, aliaque exequi officia, quæ naturalis dictaret ratio ipſi obſervanda in eo ſtatu, in quo quemque collocare divinæ Majeſtati placuit. Verum fortaſſe quiſquam nobis objiciet, fœdera illa cum operum tum etiam gratiæ, quæ Deus cum ipſo homine ante lapſum, poſtea in Chriſto mediatore noſtro pepigit, ſatis indicare Deum hominem ſibi vi iſtius fœderis ſociare voluiſſe. Nam & inter fœderatos ſocietatem aliquam obtinere luce clarius eſt. Unde ſocii Pop. Rom. dicebantur, ita cum his fœdere conjuncti, ut pacis & belli participes eſſent. Hinc *fœdus ſociale* apud Liv. *lib.* 39. *cap.* 56. Ubi Menippus regis Antiochi legatus tria fœderum genera enumerat, quibus inter ſe paciſcerentur amicitiam civitates regesque. *Unum, cum bello victis dicerentur leges. Alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent. Tertium eſſe genus, cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coeant.* Fœderati itaque recte ſocii dicuntur, quaſi ejuſdem fœderis vinculo conjuncti. *Socii & fœderati populi* Cic. pro Balb. Verum reſpondemus longe aliter de fœderibus illis, quæ cum homine tum in integræ naturæ ſtatu, tum poſtea interveniente Chriſto mediatore, Deus iniit, quam de iis, quæ homines inter ſe feriunt, ſentiendum. Quippe cum fœdus inter. homines ſit *mutua pactio & conventio duarum pluriumve perſonarum, de certis bonis certiſque præſtandis viciſſim officiis, communis utilitatis ergo.* Cujuſmodi fœdera tria potiſſimum requiſita habent: Primo, ut perſonæ ſibi ſint æquales, ſi non in omnibus, ſaltem in quibuſdam, vel certo quodam ordine. Secundo, ut in poteſtate habeant bona & officia, quæ ſibi mutuo præſtare promittunt. Tertio, ut nullo juris alicujus vinculo obſtricti ſint, niſi

pactio-

pactione interpoſita, ad illa officia præſtanda. Cujuſmodi fœderis faciendi inter homines conditiones neutiquam naturæ illorum fœderum, quæ cum homine pangere voluit ſummus Jehova, applicari poſſunt. Propterea quod nulla inter Deum & hominem æqualitas ſive proportio, neque etiam inter bona, quæ Deus promittit homini fœdere ſuo, & officia, quæ viciſſim homini præſtanda incumbunt, ex quibus nihil utilitatis Deus ſibi acquirit. Quippe cum ſibi ſufficiat, & omnem beatitatem ac omnium rerum poſſideat affluentiam, cui nihil deeſſe poſſit, propterea quod omnipotens, ſibi omnia tribuendi facultatem habet quæ deſiderat, nihil autem deſiderat, quia eſt perfectus & ab omni parte beatus, & conſequenter nihil ipſi a nobis conferri magis poteſt, minora itaque noſtra bona quam ut iis juvaretur Deus, qui nobis ea ipſa ex ſumma ſua liberalitate largitur. Hinc inquit David *Pſalm.* 16. *Dixi Domino, Deus meus es tu, bonorum meorum non eges.* Nihil tibi confert, quia non eges. Quamobrem canit Lucret. *lib.* 1.

Ipſa ſuis pollens opibus, non indiga noſtri.

Et Socrat. *Grata*, inquit, *atque jucunda, non vero fructuoſa Diis pietas.* Deinde etiam quia homo naturali debito atque ullo pacto interveniente tenetur non ſolum ad obſequium præſtandum, verum ad illa quæ naturalis dictat ratio exhibenda officia, non opus conventione vel fœdere aliquo, quo ſibi Deus quaſi jus aliquod novum in creaturas requireret. Optime Clariſſimus Witſius *de Oeconom. fœder. lib.* 1. *cap.* 1. *Neque poteſtas neque jus Dei in creaturas, e re aliqua, quæ extra Deum eſt, derivari vel augeri poteſt.* Poſtremo denique quia homo cum quoad bonum promiſſum, tum etiam quoad officium præceptum nihil ex ſe poteſt conferre, ſed totum a Deo ſuo creatore pendet, qui ipſi tribuit vires ad præſtandum quod leges naturæ, id eſt morales exigunt; cui accedit, quod etiamſi nullum fœdus intercederet, attamen eſſet ad eadem omnia præſtanda obligatus, ad quæ ſeſe videtur fœdere interveniente obſtrinxiſſe. Quoniam homo cum Dei imagine creatus non poteſt non Deo ſubordinari, & in omnibus ſubjici; Deuſque ipſo uti, deque eo, ut creatura ſua & opere ſuis manibus confecto, & in ejuſmodi effigiem, qualem præ ſe fert, formato, facere quicquid placet, & pro lubitu diſponere, iſti leges ponere, eique regulam ac normam agendorum præſcribere ſanctitati & æterno ſuo decreto conſentaneam. Abſolutum enim, & nullis vel conventionis, vel pactorum, vel fœderis alicujus conditionibus, vel aliis ejuſmodi juris cancellis circumſcriptum in hominem obtinet imperium, quod nulla ratione vel minui vel augeri poteſt. Ex quibus perſpicimus Deum ſanciendo cum homine in ſtatu naturæ integræ fœdus operum, non eum ſibi quaſi ſocium adjungere, vel aliquo modo æqualem facere voluiſſe, multo vero minus in ſtatu gratiæ niſi per Chriſtum mediatorem. *Verum voluit Deus abſolutum ſua voluntatis imperium, in creaturam ſibi ultro ſubditam, & ex naturali obligatione omnia debentem, ſua ſapientia ac benignitate temperare, quamobrem ipſi placuit inito fœdere ad propiorem ſui communionem invitare, ac imperium ſuum plane deſpoticum iſta amoris & mutua obligationis οἰκονομίᾳ moderari voluit. Ut jam homo, certiſſimo aditu ad beatitudinem facto, eam non ex mera ſolum Dei bonitate, & naturali in creaturas amore, ſibi quoquo modo polliceri, verum etiam & pacto, adeoque propter veritatem & fidelitatem Dei certo expectari poſſit*, ut inquit Celeberrimus Theologus Franciſcus Burman. *Synopſ. lib.* 2. *cap.* 2. Et ſi quis ſcire velit, quid hæc conventio fœderis inferat, reſpondet Vir Clariſſimus. *Remunerationem ac liberalitatem quandam majorem & abundantiorem, quam homo ſibi ex jure Dei per naturam cognito promittere potuiſſet.* Non autem hominis cum Deo ſocietatem, cujus, ut diximus, æqualitas quædam fundamentum eſt, inducit.

Itaque ſi dicam quod ſentio, non videtur mihi, ſalva reverentia, quam Deo debemus, ſtatui poſſe aliquam nobis cum divina eſſentia ſocietatem intercedere, ſumpto ſocietatis vocabulo eo ſenſu, quo ſignificat communionem vel generis, vel generationis, vel eſſentiæ, ſive extrinſecæ alicujus alterius conditionis, ex facto divino & humano interveniente profluentem, & eo reſpectu ejuſdem conditionis ſocios juris alicujus vinculo, quod cujuſcunque generis ſocietati tanquam aſſidua comes adhæret, ſibi mutuo devincientem, ad aliquid vel dandum, vel faciendum, vel officium præſtandum & exequendum, ſocietati vel a natura inductæ vel conventione & facto humano interveniente contractæ conſentaneum. Quodque idcirco jure ſocietatis alter ab altero exigendi habet facultatem. Ex illa autem ſocietatis humanæ diviſione, quod quædam æqualis ſit, quædam inæqualis, profluit quoque diverſa juſti natura & ratio atque denominatio. Quatenus enim refertur jus ad homines ſibi invicem æquales, & idcirco æquo jure utentes, dicitur *æquatorium.* Natura quidem omnes homines, qua tales, ſibi æquales ſunt, verum quoniam & in ſtatu naturæ quoad naſcendi ordinem & generationem alia quædam homini adhæret conditio inſeparabilis ab eo qua talis, ita ut alter ſit pater, alter filius, ſibi quidem æquales, quia ambo ſunt homines, verum inæquales, quatenus pater filio prior naſcendi ordine & potior jure generandi. Ita ut ei in filium competat & imperium ſummum, & ſuprema poteſtas, eaque independens, cum legiſlatoria, tum etiam diſpoſitiva, ut ita dicam, ei non ſolum tribuens præſcribendi filio ſive liberis leges, quæ ipſis erunt agendorum regula & norma, verum etiam de eorum perſona diſponendi quibuſdam in caſibus facultatem, filio ſola obediendi relicta gloria. Cujuſmodi jus propter inæqualitatem inter perſonas ſocietatem conſtituentes vocatur jus *rectorium* ab Autore noſtro. Obtinens in ſtatu naturali inter patrem & liberos,

dominum & ſervum : in civili inter regem & ſubditos, dominum & ſervum, duplici ratione, DEUM & homines, ſcil. quoad imperandi & parendi conditionem ex ſummo & deſpotico divino imperio procedentem, quod ex jure creationis & potentiæ in creaturas proprio jure habet DEUS, non ex communione quadam juris, vel fœderis alicujus ſocietate, vel alio quodam ſociali, ut ita dicam, titulo ſibi acquiſivit. Duplex hoc jus ex duplici ſocietatis natura fluens imponit diverſa quoque officia diverſæ ſocietatis membris, ita ut diverſo juris vinculo ſibi invicem obligentur. Ita ut aliud juſtum ſit ex æquo inter ſe viventium, aliud ejus qui regit & qui regitur, qua tales, pro diverſa cujuſque conditione & ſtatu, cum naturali, tum etiam civili. Ita ut quæ liceant ex æquo inter ſe viventibus, eadem non liceant ſuperiorem habentibus magiſtratum, vel in ſeſe invicem, vel in magiſtratus ſive ſummos imperantes. Et e contrario plurima licent magiſtratui, quæ non licent civibus & ſubjectis. Plurima licent patri in liberos, quæ non licent liberis in patrem, vel in ſe invicem tanquam ſibi pares: & ſic de ceteris dicendum.

IV. Ab hac juris ſignificatione diverſa eſt altera, ſed ab hac ipſa veniens, quæ ad perſonam refertur : quo ſenſu jus eſt, Qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum. Perſonæ competit hoc jus, etiamſi rem interdum ſequatur, ut ſervitutes prædiorum, quæ jura realia dicuntur, comparatione facta ad alia mere perſonalia : non quia non ipſa quoque perſonæ competant, ſed quia non alii competunt, quam qui rem certam habeat. Qualitas autem moralis perfecta facultas nobis dicitur ; minus perfecta, aptitudo ; quibus reſpondent in naturalibus, illi quidem actus, huic autem potentia.

COMMENTARIUS.

IN præcedente paragrapho juris nomen magis refertur ad actionem, quam perſonam. Hic autem præcipue perſona hominis conſideratur in ſe, quatenus eſt ſubjectum, cujus, ut ita dicam, oſſibus jus aliquod inhæret, ad aliquid vel agendum juſte vel habendum, ſive in naturæ ſtatu conſtitutus, ſive civilis ſocietatis membrum eſt, legibus naturalibus vel civilibus convenienter. Atque hoc ſenſu jus ab Autore definitur, *Qualitas moralis perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum.* Eſt autem qualitas ſecundum quam quales dicimur. Sic paternitas, procuratio, advocatio ſunt qualitates, ſecundum quas patres, advocati, procuratores eſſe dicimus. Quibus qualitatibus diſtinguuntur a ſe invicem homines conditione & ſtatu, & diverſa pro conditionis & ſtatu qualitate jura nanciſcuntur. Græcis ποιότης. *Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητας Græci vocant.* Cic. 1. *Acad.* 37. Ita quoque differentiam ſubſtantiarum *qualitatem* vocat Ariſtoteles *lib.* 5. *cap.* 14. *Metaphyſ. Quale dicitur*, inquit, *uno modo ſubſtantiarum differentia. Ut puta quale animal homo, quoniam bipes : equus vero, quadrupes : & circulus qualis quædam figura : quoniam abſque angulis eſt, tanquam differentia, quæ ſecundum ſubſtantiam qualitas eſt.* Quia vero ejuſmodi jura, quæ homini vel ex aliqua Dei vel hominum conſtitutione, vel ordinatione, vel deputatione aut conceſſione competunt, diverſam quoque conditionem & magnam inter homines differentiam inducit, ut eſſe magiſtrum, regem, militem, doctorem, proprietarium, bonorum adminiſtratorem, uſufructuarium, aliaque id genus juris ſtatus & conditio, hinc appellatur hoc ſenſu jus qualitas perſonæ competens, ad hoc vel illud agendum, habendum, fungendum, utendum hac vel illa re, quam vel tanquam hæres, vel uſufructuarius, vel donatarius, vel venditor, vel bonæfidei poſſeſſor, aliiſque juris titulis & qualitatibus munitus poſſidet. Hinc dicitur moralis qualitas, quia ex legis diſpoſitione vel naturalis vel civilis, vel uſu & conſuetudine deſcendit. Ita ut meo judicio ejuſmodi qualitas, a legibus vel jure tributa, eſt quaſi alter hominis ſtatus, ſcil. juris, quod homo ſit rationalis & ſocialis, quod ore recto cœlum intueatur, quod propagandi, loquendi, ambulandi facultatem habeat, quod appetat quæ ſibi utilia fore arbitratur, abhorreat autem ab iis quæ nocitura ſibi videntur, quod ad vitam tuendam præparat res neceſſarias, eſt quaſi naturalis ejus conditio & ſtatus : quatenus autem hæc omnia ſibi occupare, retinere, tueri, alteri cedere, vendere, donare poteſt, eſt vero ſtatus juris, quatenus leges vel civiles vel naturales ipſi qualitatem tribuunt qua vel ſibi acquirere vel retinere & poſſidere, tueri, vel acquiſita in alium transferre, & alteri cedere, vendere poteſt, & alio quocunque modo alienare, cujuſmodi acquirendi & alienandi multos introduxit jus civile titulos & modos. Quemadmodum quod fundus fertilis ſit, quod umbroſus vel apricus, naturalis ſtatus eſt : quod vero in dotem datus fuerit,

fuerit, & ſuſtentandis matrimonii oneribus deſtinatus, quod alienari nequit, quod denique poſt ſolutum matrimonium ſit reſtituendus certo tempore, hic eſt ſtatus juris & altera quaſi natura, quæ illi fundo, non quidem uti fundo, ſed uti fundo dotali, a jure data fuit. Bologn. *de leg. & æquit. cap.* 5. Sic etiam quod eo, ambulo, re aliqua utor & fruor, verum quod per fundum alienum eundi, ambulandi, re aliena utendi fruendi facultas ſit, quam non a natura quis habet, ſed a jure, tanquam uſufructuarius, vel habens ſervitutem, juris ſtatus eſt. unde apud Cic. paſſim obvium, *optimo jure eſſe, optimo jure haberi*, id eſt optimo juris ſtatu & conditione eſſe vel haberi. *Quare*, inquit ſtatim allegatus Autor, *quoties lex alicui pœnam imponit, vel ejus conditionem deteriorem quocunque modo facit, quoniam hoc ipſo talem juris ſtatum in eo introducit, & hunc ſtatum nos jus appellamus, propterea hoc illius hominis jus, ſive, ſi vis, qualitatem eſſe recte dicemus.*

Sic etiam quod aliquis pater eſt & filius jure generationis, eſt ſtatus naturalis generantis, & generati; quod vero pater ſummum in filium obtineat imperium, quod jus vitæ & necis in eum habeat, quod in caſu neceſſitatis poſſit eum vendere, quod filius obediendi incumbat neceſſitas, quod patrem alere teneatur, eſt ſtatus juris utriuſque, id eſt qualitas patri competens, ad hæc omnia vel agenda vel habenda, & inhærens filio ut patiatur patrem jure ſuo uti, frui. Aliaque id genus plurima exempla allegari poſſent. Dicit Autor ejuſmodi qualitatem moralem competere perſonæ, ſcil. immediate, qua perſona eſt, in ſe abſtracte ſine alio aliquo extrinſeco interveniente juris titulo, quo ſibi quis acquirit jus aliquod vel in re, cujus intuitu certa quædam jura iſti rei annexa & cohærentia, vel ejus cauſa competunt. Tale jus eſt quod quis ſibi acquirit per emptionem, & alios contractus, rei traditione ſecuta: per beneficii collationem, ſecuta acceptatione: per ultimam alicujus voluntatem vel naturalem, id eſt, ab inteſtato ſucceſſionem. Eodem quoque nomine venit, rei dominium, uſus & uſufructus, id eſt jus utendi fruendi re aliena, habita ratione rei, tanquam juris hujus objecti principalis: ceteraque jura quæ ſervitutes dicuntur. Jus quoque hypothecæ & pignoris. Denique omne jus, quod rem aliquam, ſive corporalem ſive incorporalem, ita nobis obſtrictam teneat, ut ex ea poſſimus fructus percipere, vel emolumenta, vel ſecuritatem creditorum, vel honorem. In re dictum, quia, ut diximus, rem ejuſmodi juris vinculo nobis obligatam perſequi & vindicare poſſumus, quocunque modo, & tempore, a quibuſvis, quia omnis res tranſit cum ſuo onere & jure quo eſt affecta, *l. ff. de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 3. Unde illa diſtinctio in jura mere realia & perſonalia; hæc perſonæ competunt immediate: illa mediante re aliqua tanquam ipſius dominis vel poſſeſſoribus tribuuntur. Ita ut non alii quam rem habenti vel jus in re competant. Unde & actio ejus intuitu realis dicitur. Quippe, ut inquit Imperator, *perſonæ cauſa jus conſtitutum eſt*, ita jura omnia ad hominem referuntur, & conſequenter ei competunt quoque realia, verum a potiori parte utriuſque juris fit denominatio. Sic quilibet jus aliquod ſibi competens tanquam rei alicujus domino vel poſſeſſori vel aliquod jus in re habenti id ipſum amittit rei interitu vel alienatione, quia rei ſeruitur ideoque reale dicitur ita firmiter inhærens rei, ut cum ipſa transferri neceſſe ſit, ut perſpicimus *ex l.* 23. §. 2. *ff. de ſervitut. præd. ruſt.* *Si fundus*, inquit Juriſconſultus, *ſerviens, vel is, cui ſervitus debetur, publicaretur, utroque caſu durant ſervitutes; quia cum ſua conditione quiſque fundus publicaretur.* Hanc qualitatem moralem, perſonæ ad aliquid agendum vel habendum competentem, dividit Autor in *perfectam* & *minus perfectam*. Illam *facultatem*, hanc *aptitudinem* vocat. Qualitas moralis, quam perfectam vocamus, perfectum nobis jus, vel ſi velis facultatem tribuit ad aliquid agendum vel retinendum, id eſt ad aliquid exigendum & perſequendum quod mihi debetur, & idcirco jure meo petere & vindicare poſſum, cujuſmodi qualitas vel poteſtas ratione minus perfectæ, quæ aptitudo vocatur, dicitur *activa*. Minus enim perfecta ad paſſivas qualitates refertur, qualis eſt *aptitudo*, ſecundum quam habiles ſumus ad aliquid recipiendum ab altero. Verum illud ipſum jure perfecto exigere ab alio invito vel extorquere non poſſumus, niſi forte exigente neceſſitate, ſed ita tamen, ut alter idem ex virtute aliqua morali præſtare teneatur, ut inquit juris publici ſcientia hujus ſeculi princeps Samuel Puffendorf, *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 1. Ubi moralium qualitatum, quæ dicuntur paſſivæ, tres ſpecies dari ſtatuens, in eorum numero illam quoque ponit, quæ Grotio vocatur *aptitudo*. Vocat autem qualitates paſſivas, per quas aliquis recte quid habere, pati, admittere, vel recipere poteſt. Ut ali, cuſtodiri, ſerviri, aliaque id genus officia admittere & pati. *Aptitudini* itaque & altera adjungitur ſpecies paſſivæ qualitatis, ſecundum quam quid recte admittimus, ſed ita tamen ut nulla nobis ſit poteſtas idem exigendi, nec alteri obligatio tribuendi idem, qualis eſt habilitas accipiendi donum. Tertia, ſecundum quam nos alterum vel invitum ad quid exhibendum poſſumus adigere, & ipſe ad idem plene eſt obligatus ex lege aliqua pœnam definitam dictante.

V. Facul-

V. Facultatem Juriſconſulti nomine ſui appellant, nos poſthac jus proprie aut ſtricte dictum appellabimus: ſub quo continentur poteſtas, tum in ſe, quæ libertas dicitur, tum in alios, ut patria, dominica: Dominium, plenum ſive minus pleno, ut uſufructus, jus pignoris: & credentium, cui ex adverſo reſpondet debitum.

COMMENTARIUS.

FAcultatem, quam quiſque habet circa rem ſuam vel ſibi debitam, *ſui* nomine appellant Juriſconſulti, quia verſatur circa illud quod cuique ſecundum juſtitiam vel commutativam vel diſtributivam debetur, ſive titulo dominii & proprietatis, ſive uſus & uſufructus, ſive poſſeſſionis, ſive quod alteri debetur ex contractu vel quaſi, vel delicto vel quaſi. Qua facultate quis utens, dicitur uti *jure ſuo*. Molin. *de juſt. & jur. tract.* 1. *diſp.* 2. Ita ut quoties ei ſine legitima cauſa contraveniatur, injuria fiat eam habenti, quia non tribuitur ipſi jus ſuum. Suum itaque omne id dicitur, quod quis vel facere, vel obtinere, vel exigere atque habere poteſt ſecundum juſtitiæ leges, ſive in ſtatu naturæ ſive civili, ita ut nemini liceat ipſi eſſe impedimento, ne quis habeat, vel obtineat, aut agat, vel exigat, quod ſibi jure naturæ vel civili debetur, quin juſtitia violetur, & injuria illi fit, cui ejuſmodi facultas ſive jus acquiſitum eſt, itaque & jus pro facultate ſumptum menſura injuriæ vel injuſtitiæ, ita ut quantum ei ſine legitima cauſa contravenitur & præjudicatur, tantum fit injuriæ. Quamobrem ſuperius diximus jus aliquando accipi pro facultate ſive poteſtate aliquid habendi, vel agendi, ſeu obtinendi, & functionis vel quaſi recipiendæ, cujus violatio eſt injuria. Injuria enim dicitur quod non jure fit, quemadmodum jure fiunt omnia quæ legibus permittuntur, præcipiuntur, & jubentur, ita non jure fieri dicuntur quæ legibus vetantur. Quæ autem jubentur & præcipiuntur, ſimul etiam vetantur, quia præcepto aliquid faciendi ineſt neceſſitas & obligatio ne ejus impediatur executio. Sic etiam quæ jure permittuntur, continent obligationem, qua tenemur pati ut quis jure ſuo utatur. Itaque jure fieri, haberi, agi, obtineri dicuntur quæ leges permittunt, concedunt, vel jubent, totum genus humanum, vel ſingulos quoſdam homines in naturali vel civili ſtatu, atque quod quis hac ratione obtinet jure ſuo habere dicitur vel agere, quia leges ipſi hanc facultatem tribuunt; iniuria vero affici quoties alter eum hac facultate privare conatur vel impedimento eſt, quo minus jure ſuo legibus conſentaneo fruatur. Ita ſuum cuique tribui dicitur, quando alicui præſtatur id, quod ipſi ſecundum juſtitiæ leges eſt debitum. Omnia vero alicui debentur, quæ habere vel agere, & obtinere leges ſive naturæ ſive civiles alicui concedunt, jubent & tribuunt. Sic conſervatio mei ipſius mihi impoſita a lege naturæ, ergo quoque facultatem habeo ea mihi acquirendi juſto & legitimo modo, quæ ad eam pertinent. Cognationem naturalem inter homines conſtituit natura, ergo præcipiunt naturæ leges quorundam officiorum præſtationem, atque hominibus, qua tales, concedunt facultatem exigendi a ſe invicem ejuſmodi officia, quæ jure cognationis vel mutuæ ſocietatis alter alteri præſtare obſtrictus eſt. Sic quoque jure civili domino competit facultas vindicandi quod ſuum eſt, ſuum autem dicitur quod juſto titulo legibus civilibus comprobato ſibi acquiſitum vel retinere poteſt, vel petere, vel vindicare. Quod itaque perfecto jure ultro citroque continente & habente, obligandi vim, alicui competit, vel debetur, proprie atque ſtricte juris ſive facultatis, ut Autor inquit, vocabulo venit, cujus violatio dicitur injuria, in ſtatu civili actionem, in naturali bellum pariens. Cujuſmodi ſub jure continetur poteſtas tum in ſe, quæ libertas dicitur, tum in alios, ut patria & dominica. Poteſtatem in ſe quis habet diverſo reſpectu, vel in naturæ ſtatu, vel civili. In ſtatu naturali, quia nullius imperio ſubjectus eſt homo, ſed ſui juris, id eſt ſuarum rerum arbiter & moderator, habens pro actionum ſuarum normam & regulam propriam voluntatem & inclinationem, legibus tamen naturæ convenientem. Cujuſmodi poteſtati conſequenter ineſt libertas vivendi ut velis. Sive, ut ea a Juſtiniano Imperat. definitur, *facultas naturalis, quod cuique facere libet.* Ita ut mea voluntas non alterius voluntati ſubſit, quæ mihi impedimento eſſe queat, ne exequar animi deſideria atque decreta. Aliter ſeſe habet in civili ſocietate, in qua cujuſque voluntas ſummi imperantis arbitrio & voluntati ſubeſt, ita ut non quæ volumus, exequi vel facere poſſumus, ſed ea tantum quæ principi placent, & leges civiles permittunt atque concedunt. Itaque non propria voluntas, ſed ſummi imperantis juſſa, quæ proprie leges civiles dicuntur, agendorum civibus norma eſt & regula. Quare definitur a Juſtiniano libertas facultas naturalis, quod cuique facere libet, *niſi quis vi aut lege prohibeatur.* Vis enim illa ſupponit ſummam aliquam poteſtatem civilem, quæ libertatem hanc naturalem quibuſdam juris veluti cancellis coërcet, ne forte in immoderatam & civitati pernicioſam licentiam erumperet. Hinc Perſius:

Cur

Cur mihi non liceat , juſſit quodcunque voluntas ,

Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notavit:

In eo itaque maxime differt ſtatus naturalis a civili, quod in eo homini competat libera & plena poteſtas tum in ſe tum in res ſuas & familiam, nullis aliunde impedimentis interturbata, ita ut quod libet liceat. In hoc vero cum ſolius imperantis eſt civium actiones dirigere , iiſque regulam & modum præſcribere, ea tantum licita, & idcirco facere atque exequi licet quæ leges civiles , id eſt ſummi imperantis placita præcipiunt, vel permittunt, tum circa propriam perſonam, cum etiam circa res atque bona. Itaque alio ſenſu dicitur quis ſui juris & liber eſſe in ſocietate civili, quam naturæ ſtatu ; in hoc enim liber, quia nullius imperio ſubjectus , in illo autem ſui juris , quia nullius ſub tutela & cura vel dominicæ vel patriæ poteſtati alieno imperio ſemper tanquam civis ſubeſt, quod in ſe & res ſuas eminentem habet facultatem. Atque hoc ſenſu JCti vocant hominem liberum, qui alienæ poteſtati vel juri non ſubeſt , ideoque ſui juris eſſe dicitur. Verum Euripides in Hecuba eum liberum eſſe negat , qui quoquo modo prohibetur facere quod libet, ideoque neminem liberum vocari poſſe , quia vel pecunia , vel fortuna, vel jure aut lege ſcripta, vel civium multitudo vetat nos vivere noſtro arbitrio , & conſequenter utroque in ſtatu nemo revera liber dici poteſt. Cui facile reſponderi poteſt, quod de ejuſmodi poteſtate vel libertate ſermo eſt , quæ conditioni & humanæ naturæ conveniens eſt, ideoque legibus vel naturalibus vel civilibus circumſcripta. Quippe quemadmodum homo non dependet a ſe ipſo, verum a creatore ſuo, & idcirco exlex eſſe nequit , ita libertas atque facultas, quam habet in ſe & res ſuas, conditioni ſuæ debet eſſe proportionata , id eſt iiſdem legibus , quibus vel ipſe ſecundum diverſum ſtatum ſubjectus eſt , limitata eſſe debet. Quamobrem vir bonus & honeſtus non exiſtimabit , ſuæ naturali facultati offici, ſi quid jure facere prohibeatur, quia iſtiuſmodi facultatem vel poteſtatem non ultra terminos liciti vel illiciti extendendam arbitrabitur. Licita autem quæ leges permittunt , illicita quæ vetant , quia autem vetita, nec facere nos poſſe credendum, nam quod honeſte fieri nequit , nullo modo fieri judicabit honeſtati deditus, honeſte autem fieri nequit quod legibus ſive divinis ſive humanis vetitum eſt, & conſequenter nulla nobis ad ea facienda competente facultate & libertate, recte facultas, quam habemus ad facienda quæ licita ſunt & legibus permiſſa , libertas vocatur. Quamvis poteſtas in ſe videatur etiam continere facultatem in res, quæ cuique pro conditione ſua & ſtatu competunt, propter moralem illam quarundam rerum cum perſona neceſſariam relationem & connexionem , ſive qualitatem oſſibus ejus inhærentem , ad ea obtinenda & facienda, vel retinenda, habendaque, quæ cuique jura tribuunt conceduntque. Quorum in numero poteſtas patria & dominica in liberos & ſervos, qui in aliena poteſtate naſcentes adeo neceſſariam cum patre & domino relationem habent , ut quaſi una eademque videantur perſona. Itaque ut eamdem poteſtatem, quam pater & dominus in ſe habent, videantur etiam habere in liberos a ſe procreatos & ſervos ex ancilla quaſi re ſua natos. Attamen recte Author noſter poteſtatem in ſe diſtinguit a poteſtate in alios, ut patria & dominica ; eo ſenſu quo ſignificat libertatem perſonalem ſive facultatem naturalem, quam in ſuam ſive propriam perſonam habet , quatenus nullius eſt ſubjectus imperio vel dominio, ut in naturæ ſtatu, vel quatenus in civili ſtatu ab omni tutela & cura & herili poteſtate liber ſui juris eſt ; cujus conditionis eſt, cum quis in *ſuam tutelam , ſuamve poteſtatem pervenerit ,* ut inquit Ulpianus *in l. 50. ff. de leg.* 3. id eſt cum ſui juris quis factus fuerit. Poſſet mihi objici, neque in naturæ ſtatu neque civili liberos vel ſervos perſonam habere , in illo enim diximus ſub perſona patrisfamilias omnia familiæ membra contineri, eaque per eum tanquam caput & principem repræſentari, ideoque liberos diverſam non videri a patre perſonam conſtituere, quemadmodum in civitate ſervi nullam dicuntur habere perſonam vel caput; & patrem ac filium pro una eademque haberi perſona. Fateor quoad jura quædam in utroque ſtatu neque liberos neque ſervos perſonam habere , verum quatenus poteſtas vel patria vel dominica relationem habet ad ſubjectum aliquod ab eo, cui ejuſmodi competit poteſtas vel naturalis facultas, diſtinctum, utriuſque quoque diverſæ perſonæ. Quemadmodum ratione quorundam officiorum , quæ homo homini debet lege naturæ, diverſam liberi & ſervi qua homines conſtituunt perſonam. Quippe iis, quæ ipſis naturæ jus concedit, quia ejuſdem humanæ naturæ ſunt participes, nulla ratione privari poſſunt. De utroque autem jure infra ad *cap.* 5. *lib.* 2. diſputandi nobis erit occaſio , quemadmodum etiam de dominii variis juribus & commodis. Recte autem ſub illa facultate, quam nomine ſui appellant Juriſconſulti, dominium contineri affirmat Author , quippe illud revera *ſuum* dicitur , quod alicui jure dominii competit. Quippe poteſtas in res proprias *dominium* dicitur. Quid autem aptius ſuum vocari poteſt, quam quod cujuſque proprium eſt. Ita enim Neratius in *l.* 13. *ff. de acquir. rer. domin. Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique ſit tradita meo nomine , dominium mihi , id eſt , proprietas adquiritur , etiam ignoranti.* Vide *l. 66. ff. de jur. dot.* Vide & *l.* 4. *ff. de aliment. leg.* Quamobrem dominum rei dicimus eum , cui res ita quæſita eſt atque hoc modo ejus facta , ut eſt propria. Ita quoque Cujac. *lib.* 10. *obſerv.* 16. Dominus autem is eſt , qui proprietatem rei jure gentium aut jure civili ſuam fecit. Et dominium proprie nihil aliud eſt , quam

proprietas rei. Atque adeo dominationem ſuam interponere dicitur, non qui pro uſufructuario aut poſſeſſore, aut patrefamilias ſe gerit, ſed qui ſe pro proprietario gerit. Eſt itaque dominium jus domini in re ſua, & quidem corporali; & dominus is, cui res quæſita eſt ita ut de ea pro lubitu habeat diſponendi facultatem, niſi ſi quid jure vel conventione prohibeatur. Unuſquiſque quidem rei ſuæ moderator & arbiter eſt, verum ex eo non fluit abſoluta nulliſque legum cancellis circumſcripta poteſtas. Leges enim civiles iſtam poteſtatem ſæpe minuunt. Cujuſmodi imminutione & juris detractione dominus non proprietate privatur, verum tantum limitatur diſponendi de re ſua poteſtas. Non fugit me nonnullos juris antiſtites proprietatem vocare jus ab uſufructu ſeparatum; dominium vero, ſi ei uſusfructus conjunctus ſit. Ita enim §. 1. *inſt. de uſufr.* legimus proprietatem eſſe ab uſufructu ſeparatam, & quoties uſufructu conſtituto nominatur proprietas, intelligitur proprietas ab uſufructu disjuncta & ſeparata; quæ & nuda dicitur; hinc *nuda proprietatis dominus* §. *ult. inſt de uſufr.* aliiſque in locis plurimis. Verum hanc diſtinctionem tanquam nullo in jure fundatam rejiciendam plane arbitror. Quippe proprietatis vocabulum in propria ſignificatione ſumptum, abſolute integrum & plenum ſignificat rei & quidem corporalis dominium, ut apparet ex textibus jam allegatis; nec obſtat quod aliquando dominii verbum referatur ad jus in re alicui competens, ſive hæreditatis, ſervitutis, poſſeſſionis, pignoris, uſusfructus. Ut videre eſt in *l. 9. ff. de caſtrenſ. pecul. l. 8. de reb. auct. jud. poſſ. l. 3. ſi uſufr. pet. l. 48. de ſolut. l. 70. de verb. ſign.* Verum notandum, quod eo ſenſu dominium latiſſime ſive per abuſionem & improprie dicitur. Verum proprie accipitur pro illo jure quod quis habet in ipſam rei (ſcil. corporalis) ſubſtantiam. Id ipſum clare perſpicimus ex *l. 25. ff. de verb. ſign.* Ubi inquit Paulus. *Recte dicimus fundum totum noſtrum eſſe, etiam cum uſusfructus eſt alienus, quia uſusfructus non dominii pars, ſed ſervitutis ſit.* Cui accedit quod in *l. 13. Cod. de jud.* dominium poſſeſſioni, & ſervitutibus opponatur. Sic etiam in *l. 9. & 13. ff. de damn. infect.* Imo expreſſe negat fructuarium eſſe rei dominum Ulpianus in *l. 43. §. ult. ff. de furt. Plane*, inquit, *ſi uſusfructus meus in eo ſervo eſſe cœperit, dicendum eſt furti actionem non extingui, quia fructuarius dominus non eſt.* Sic quoque in *l. 8. ff. de religioſ. & ſumpt. funr. Non ſolum*, inquit, *domino hæc actio competit, verum ei quoque, qui ejuſdem loci habet uſumfructum, vel aliquam ſervitutem, quia jus prohibendi etiam hi habent.* Sic mei dicuntur ſervi, in quibus alienus eſt uſusfructus. Mei vero non ſunt, in quo uſusfructus tantum meus eſt *l. 73. ff. & 70. ff. de leg. 3.* Nos autem *ſervos*, inquit Jctus, *vel ancillas eos accipimus, qui ſunt pleno jure teſtantis, inter quos fructuarii non continebuntur.* Et Pomponius *l. ſequent. Si quis ſuos ſervos legavit, communes quoque continentur, in quibus uſusfructus alienus fuit.* Et Ulpianus in *l. 2. ff. de cond. inſt. Si teſtamento comprehenſum ſit*, ille ſervus ſi meus erit, aut qui meus erit, cum moriar, hæres eſto, *quatenus accipiatur meus quæritur. ? Et ſiquidem alienavit in eo uſumfructum, nihilominus ipſius eſt.* Optime itaque ſubtiliſſimus & acutiſſimus juris anteceſſor Friſius *in lectionibus ſuis juris contractus ad tit. digeſt. de acquir. rer. domin. Uſufructu autem ſeparato, nuda proprietas dominii nomen ſola retinet, ac ſæpe dominium proprietatis vocatur. l. 17. quib. mod. uſuſfr. amit. l. 4. Cod. de preb. Unde cave colligas*, inquit, *fructuarium eſſe dominum uſusfructus, hunc jura terminum ignorant. Dominium plenum ſeparatione uſusfructus non abit in duo dominia, ſed dominium denudatur & reverſo uſufructu conſolidatur, quod tamen & antea dominium erat. Qui nudam habet proprietatem, is non modo dominium, ſed & fundum habere abſolute, eumque petere, & uſusfructus tantum pro qualitate fundi, ut alia ſervitus habetur. §. 9. inſt. de leg. qui petit fundum is jure dominii neceſſario agit. l. 23. de R. V. Quin & plenum dominium ſæpe vocatur proprietas, ne quis putet hanc vocem ſemper abſentiam uſusfructus notare. l. 2. quib. mod. uſusfr. amitt.* Proprietas ita & dominium, de quo ſermo, ſynonyma ſunt, nihil aliud ſignificantia quam jus in re corporali conſtitutum, quod cuique facultatem tribuit de ea pro arbitrio diſponendi, ſub illa tamen conditione, quam ſupra allegavimus, & conſequenter ad ſervitutes, vel alia jura incorporalia minime pertinet. Quæ quamvis fundi jus minuant, non tamen efficiunt, quo minus proprietatis dominium maneat apud eum cujus eſt fuodus, vel alius cujuſdam rei ſubſtantia. Efficiunt tamen hæc jura, quæ tanquam qualitates quædam & rei accidentia conſiderantur, ut dominium aliud *plenum* dicatur, aliud *minus plenum. Minus plenum* vocatur, quando nudam quis tantum habet proprietatem, rei uſu & emolumentis privatur. *Plenum*, quando cum proprietate uſus conjunctus eſt. Tribus modis dominium minus plenum vel diminutum dici ſtatuit celeberrimus Puffendorf. *lib. 4. cap. 4.* Vel limitando & reſtringendo ejus exercitium ſive adminiſtrandi facultatem: vel detractione emolumenti: vel detrahendo aliquid de ipſa proprietate. Prius contingit, cum pacto vel ultima voluntate, vel legis autoritate, cum ob conditionem perſonarum, tum ob qualitatem rerum, ſive alias ob juſtas cauſas rerum alienatio interdicitur, aut certis limitibus circumſcribitur, ut nihil tamen juris in re alii adquiratur vel accedat. De emolumento dominii detrahitur aliquid, quando uſu vel uſufructu vel alio quocunque modo res noſtra alteri ſervit & utilitatem præſtare obſtricta eſt. Proprietas ipſa limitando & reſtringendo diminuitur, quando alteri cum pleniſſimo quodam jure utendi fruendi competit aliquo modo jus rem ipſam alienandi, conjunctum cum aliqua perpetuitate. Unde dominii directi & utilis a juris interpretibus recep-

ta diviſio. Fundata in *emphyteuſi*, *ſuperficie*, *& feudo*. Vaſallis enim, ſuperficiariis & emphyteutis *utile*, dominis autem *directum* dominium tribuunt. Verum videntur hi termini ab juris interpretibus potius excogitati, quam in jure fundati. Quippe ſi totas Pandectas diligenter evolvas, dominii hanc diſtinctionem nuſpiam invenies, ut inquit Forſter. *de ſucceſſ. ab inteſt.* Manifeſtum enim eſt dominum manere qui fundum in emphyteuſin dedit, ideoque non tantum nomine & titulo tenus, ſed etiam quoad effectus dominii proprios atque inhærentes. Plurima enim præſtare tenetur emphyteuta domino emphyteuticario, quibus intelligitur, cum qui rem in emphyteuſin dedit manere dominum. Sic nec licet ipſi rem in emphyteuſin datam facere deteriorem ſua culpa. Sic etiam annuam penſionem domino præſtare tenetur. Cujuſmodi præſtatio adeo neceſſaria eſt, ut ſine ea ager non ſit emphyteuticus. *l.* 1. *ff. ſi ag. vect.* Publicarum quoque functionum apochas quaſi fundi tantum poſſeſſor domino præſtare tenetur. Publicæ functiones dicuntur publicæ penſitationes, ſcil. ea quæ fiſco vel reipub. præſtantur quotannis, ut tributa, vectigalia, & ſimilia. Quæ qui præſtat, dicitur fungi hiſce præſtationibus. Quoniam autem prædia pro hiſce oneribus & muneribus præſtandis obligata maneant, ideoque fundi domini maxime intereſt ejuſmodi ſibi exhiberi apochas, idque duplicem ob rationem. Primo, ne ſi quando fundus ad eum perveniſſet, iterum cogeretur ſolvere apocha deſtitutus. Deinde, ut ſibi conſtaret a poſſeſſore ſolutas eſſe penſitationes, quibus obnoxium prædium, ob non ſolutum vectigal vel tributum, poſſet conveniri & publicari, & hac ratione dominus fundo ſuo privari. *Imperatores enim Antoninus & Verus reſcripſerunt in vectigalibus ipſa prædia conveniri, non perſonas. l. 7. ff. de publ. & vectig.* Propterea domino jus revocandæ & vindicandæ rei. Tunc etiam actio in rem directa de fundo emphyteutico competit. Idque non aliam ob cauſam quam quia dominus eſt fundi. Sin autem emphyteuta non eſt dominus, multo minus ſuperficiarius, quem in alieno ſolo ædes habere conſtat. Ita enim *Gajus l. 2. ff. de ſuperfic. Superficiarias ædes appellamus, quæ in conducto ſolo poſitæ ſint, quarum proprietas & civili & naturali jure eſt ejus, cujus ſolum.* Quæ omnia latius a juris interpretibus diſputantur. Quæ cum ita ſint, concludimus diſtinctionem illam dominii in directum & utile in jure nuſpiam fundari. Neque enim duo domini ejuſdem rei in ſolidum eſſe poſſunt. Præterquam quod diſerte deſcribitur in *l.* 1. *ff. ſi ag. vect.* etiam iis qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt ab ipſis municipibus, in rem quidem actionem competere adverſus quemcunque poſſeſſorem, etiam adverſus ipſos municipes, dominos tamen non effici. Sed opponuntur *l.* 1. 2. 3. *Cod. de jur. emphyt.* Emphyteuticarius & rei dominus. Non fugit me Imperatores *Theod.* & *Valent. l.* 2. *Cod. de fund. patrim.* poſſeſſores vel emphyteuticarios patrimoniales, cujuſmodi appellantur qui in emphyteuſin acceperunt fundum ex liberalitate & beneficio Cæſarei numinis, fundi dominos appellari. Verum id ipſum & jus peculiare & ſingulare iſtis fundorum patrimonialium poſſeſſoribus conceſſum tanquam beneficium & commodum aliquod, ideo non ad ceteros transferendum. Eſt quaſi aliquod privilegium ejuſmodi poſſeſſoribus conceſſum, quod eorum perſonas non excedit, & ad alios defertur. Præſcribunt enim Impp. *l. 4. dict. tit. Fundi patrimoniales, & qui ex emphyteutico jure ad domum noſtram diverſis generibus devoluti ſunt, ſic eis, qui eos popoſcerint, cedunt, ut commiſſi metus eſſe non poſſit, re enim magis commodamus, quam tradimus ea jure dominii: ita tamen, ut ea, quæ in noſtra poſſeſſione poſiti præſtiterint, & in poſterum ſolvant.*

VI. Sed hæc facultas rurſum duplex eſt: vulgaris ſcilicet, quæ uſus particularis cauſa comparata eſt; & eminens, quæ ſuperior eſt jure vulgari, utpote communitati competens in partes & res partium boni communis cauſa. Sic regia poteſtas ſub ſe habet & patriam & dominicam poteſtatem: ſic in res ſingulorum majus eſt dominium regis ad bonum commune, quam dominorum ſingularium: ſic reipublicæ quiſque ad uſus publicos magis obligatur, quam creditori.

COMMENTARIUS.

Diximus facultatem in genere eſſe aliquid habendi vel agendi vel obtinendi jure proprio, legibus ſive naturalibus ſive civilibus adprobato & conceſſo, quo nemo privari nequit, quin ei fiat injuria. Cum autem ejuſmodi facultas & jus ad ſubjectum pertinens quod ejus capax eſt, & conſequenter hominem reſpicit, propterea quod facultas illa habendi & agendi requirens aliquem ordinem & medium, tum etiam moderationem certam quarundam rerum, perſonarum, & præſtationem officiorum quæ juſtitiæ leges exigunt & præcipiunt, neceſſario referri debet ab ſubjectum rationis capax, cujus vi hæc omnia inquirit; & percipit, & cujus ho-

mo ſolus particeps eſt. Hinc contigit ut hujuſmodi facultas hominl, tanquam accidens ſuo ſubjecto, neceſſario inhærens, cum eo varias quoque patiatur mutationes, cum ratione denominationis, tum etiam diviſionis & applicationis. Quemadmodum varia eſt hominum conditio & ſtatus, ita pro ejus diverſitate diverſus quoque juris uſus & diverſa facultatis exercitatio atque applicatio quoad aliquid obtinendi vel agendi & habendi modum, uſum, vel rationem. Sic etiam ampliorem in ſtatu naturæ mihi ad quædam facienda atque exequenda facultatem concedunt naturæ leges, quam civiles in ſocietate civili. Cujuſmodi varia hominum conditionis mutatio juri ſive facultati varias quoque denominationes imponit, variosque habendi introduxit modos uſuſque. Sic dicitur alia poteſtas patria, alia dominica, eo quod quidam homines ſunt ſui juris, quidam alieni. Hinc quidam patresfamilias, quidam domini, alii liberi, alii ſervi dicuntur. Sic aliud dominium eſt plenum, aliud minus plenum, quia alius eſt proprietarius, alius iterum uſufructuarius, alius creditor, alius debitor, alius emphyteuta, alius dominus emphyteuticarius. Et hoc ſenſu Autor facultatem illam, quam nomine *ſui* appellant Juriſconſulti, duplicem facit. *Vulgarem* ſcil. *quæ particularis cauſa comparata eſt; & eminens, quæ ſuperior eſt jure vulgari, utpote communitati competens in partes & res partium, boni communis cauſa.* Fundata in diverſa imperantis & ſubjectorum conditione in civili ſocietate, in naturæ ſtatu patris & liberorum. Ita ut hæc facultatis diverſa denominatio vel diviſio, ut & dominii ex ea defluentis, ab ipſa naturali ratione videatur inducta, & ab ipſis patribusfamilias naturalis ſtatus pertæſis in ſocietatem civilem coaleſcentibus in communitatem vel eam repræſentantem collata. *Vulgaris* dicitur facultas privatorum ſive liberorum, ſive civium in res ſuo jure ad ſe pertinentes. *Eminens* vocatur publica, id eſt, principis vel magiſtratuum poteſtas in bona civium vel patris in liberorum in naturæ ſtatu. Quippe, ut inquit Autor, in civili ſumma & regia poteſtas ſub ſe habet patriam poteſtatem, conſequenter ſive in liberorum perſonas ſive bona, quæ ſibi aliunde acquiſiverunt, eminentem habet quoque poteſtatem. Dicitur autem eminens poteſtas ſumma civilis, penes eum reſidens qui ſummæ rerum in civitate præeſt, quamobrem nonnullis imperium quibuſdam ſumma majeſtas dicitur, cui multa adhærent jura ſingularia, quæ ſummæ majeſtatis decus & ornamenta ſunt, ejuſque ſplendorem & auctoritatem augent, & illibatam atque intactam ab omni vilipendio & improborum hominum ſordidis concuſſionibus conſervant. Inter ea autem jura, quæ huic eminenti poteſtati inſunt, eſt illud jus dominii, quod eminens vocamus, quod immediate profluit ex ſumma conceſſa poteſtate principi, ei tribuens jus ſive facultatem de bonis civium publicæ ſalutis & utilitatis cauſa diſponendi, quam quiſque privatus habet de propriis, etiam invito domino. Quod autem hanc ſummi imperantis de civium perſonis vel bonis atque rebus diſponendi facultatem ſingulari aliquo vocabulo *dominium eminens* appellat, rationi maxime conſentaneum ex eo patet, quod ea jura quæ reipub. gubernationem & adminiſtrationem maxime ſpectant, quorum in numero ſunt leges condere, tributa & onera imponere, vectigalia exigere, bellum gerere, fœdera ac pactiones inire, magiſtratus & judicia conſtituere, in facinoroſos animadvertere, monetam cudere, aliaque ſupremæ majeſtatis jura exercendi poteſtas, omnia potius ex vi ſummi imperii deſcendunt, quam ex jure dominii, eaque potius regiminis formam atque univerſæ reipub. gubernandi rationem & ordinem ſpectant, quam dominium illud eminens, quod circa ſingulorum civium res atque bona & poſſeſſiones verſatur & vim ſuam potiſſimum exercet. Ita ut commode ea quæ recenſui majeſtatis jura ſimpliciter ſub imperii vocabulo comprehendi poſſint, tanquam ex vi imperii ſummi, non vero dominii deſcendentia. Quamvis mihi poſſet objici, quod oneris imponendi facultas & jus maxime concernit bona & res civium, præſertim illa quæ realia vocantur, prædii poſſeſſionibus annexa, alienandi ſæpiſſime neceſſitatem civilibus imponentia. Et conſequenter non videri ullam rationem nos cogere ut dominium aliquod eminens cum Grotio ſtatuamus, tanquam jus aliquod diſtinctum a cæteris juribus quæ vi ſummi imperii exercentur. Videtur enim illud propter publicam ſalutem principi ſufficientem præbere titulum, urgente neceſſitate utendi bonis ſuorum civium, eo quod homines in civitatem coaleſcentes præſumendi ſint ei, quem ſocietatis ſaluti tuendæ præfecerunt, ſimul detuliſſe poteſtatem omnibus utendi mediis, ſine quibus communis ſalus & reipub. bonum obtineri nequit. Cui delationi neceſſario ineſt jus ſive dominium in bona & poſſeſſiones privatorum, quatenus hiſce aliquando uti neceſſe habeat ſummus imperans ad tuendam reipub. ſalutem & utilitatem. Qui enim perſonam ſuam ſubjecit arbitrio & voluntati ſummi imperantis, ut de ſe diſponat prout bonum commune efflagitare arbitretur, non præſumendus eſt bona ſua, quæ in naturæ ſtatu poſſidebat, & quorum ipſe arbiter & moderator erat, quæ tanquam ſuæ perſonæ ſequela & acceſſorium conſiderari debent, voluiſſe excipere, & arbitrio ac diſpoſitioni reipub. ſive penes quem reſidet ſumma civitatis majeſtas eximere. Verum non deſunt quæ huic objectioni reponi poſſe videntur. Si ſummi imperii vel poteſtatis civilis vocabulum in proprio ſenſu ſumatur, nihil aliud ſignificat quam facultatem gubernandæ atque adminiſtrandæ reipub. ſeſe extendens ad illa omnia ſine quibus illa facultas explicari non poteſt arg. *l. 2. ff. de juriſd.* Quorum in numero multa ſummo imperanti acquiſita jura, quibus & imperii majeſtatem tuetur, & bonum publicum conſervatur ac promovetur. Eaque ſummæ poteſtati civili quam arctiſſime inhærent, adeo ut ab illa ſeparari nequeant,

queant,

queant, ſed cum ea transferri debent, cujus generis ſunt quæ modo enumeravimus, & ſi quæ ſunt id genus alia quæ ad ordinem civilem pertinent. Nam ea omnia in ſummum imperantem contuliſſe cives intelligi debent, ſine quibus finis, quem in civitatem coaleſcendo ſibi propoſuere, conſequi nequit. Quoniam autem potiſſimum in civitatem coiverunt, ut coadunatis viribus ſub uno eodemque imperio ſibi invicem auxilio eſſe poſſent ad depellenda tot mala & pericula, quibus in ſtatu naturæ quiſque ſolus a ſe arcendis erat impar. Quemadmodum enim vis unita fortior, ita diſtracta debilior. Eſt itaque finis defenſio cum corporis, vitæ, atque membrorum, tum etiam bonorum & poſſeſſionum. Quoniam vero ejuſmodi ſecuritatem præſtat multitudo civium in unum eundemque finem conſpirantium. Ejuſmodi vero conſpiratio haberi nequeat ſine ſummo imperio, quod ſingulorum voluntatem ad illum finem dirigere valeat, hinc ſummum aliquod conſtituere imperium neceſſe fuit, quod in perſonas & actiones & voluntates civium, imo & in bona ac poſſeſſiones agere poſſet, iiſque utendi facultatem haberet, quatenus conſervatio multitudinis, a qua ſingulorum ſalus pendet, id ipſum efflagitare arbitraretur. Ex quibus perſpicimus ſimul cum imperio conceſſa quoque intelligi debere ea quæ ad imperii majeſtatem tuendam & conſervandam neceſſaria ſunt. Quippe cum eo tanquam ſuo fundamento & baſi nitatur civitas, quam omnes ſalvam cupiant cives, propriam ſalutem amantes, conſequenter quoque præſumendi ſunt voluiſſe ſalvum ſummum imperium, tanquam antecedens ſine quo haberi nequit conſequens, quamobrem ſummum imperium transferendo ſimul detulerunt ea omnia jura, quæ ad conſtitnendum & conſervandum ejuſmodi imperium, quod totum conſervando ſingulis ſecuritatem & defenſionem præſtat, neceſſario comitari debent. Verum quoniam, ut ſtatim dicere incepimus, eum ob finem in ſocietatem coaluere mortales, ut ſe & poſſeſſiones ſuas in ſecuritatem aſſererent & ſibi conſervarent, minime præſumendi ſunt voluiſſe delationi ſummi imperii annexam facultatem civium poſſeſſiones & bona propria titulo dominii alicujus eminentis auferendi & alienandi, quippe quoniam ſummum imperium vel ſummam civilem poteſtatem conſiſtere diximus in gubernanda & adminiſtranda repub. cujus adminiſtrationis ſcopus & & finis eſt, nt procurando publicum bonum ſingulorum membrorum utilitati conſulatur, iiſque præſtando ſecuritatem publicum bonum tueatur. Eſt enim & neceſſaria quædam inter totum corpus ejuſque membra relatio & arctiſſimum unionis vinculum, cujus diſſolutio utriuſque interitus. Itaque cum ſummo imperio nihil aliud delatum, quam quod intentioni & voluntati transferentis conſentaneum fuiſſe veroſimile eſt, atqui ut proprietatem & dominium rerum & poſſeſſiones ſibi conſervarent in civitatem coiverint mortales, ergo in aliquem conferendo ſummum imperium non præſumendi ſunt voluiſſe eo ipſo dominium eminens concedere, ideoque magis inde patet quod nihil transferri voluiſſe intelligi debent, quam quod ab ejuſmodi imperio ſeparari nequit, quoniam nihil præterquam imperium detulerunt, quod ipſis finem præſtaret, & conſequenter ea quæ ad communem ordinem civilem & reipub. adminiſtrationem pertinent. Quis autem vel ad imperii explicationem & majeſtatis defenſionem, & communem civilem ordinem atque reipub. gubernationem, adeo pertinere illam de bonis civium diſponendi principis ſive ſummi imperantis facultatem, vel ad conſtituendum ſummum aliquod imperium, vel rempub. gubernandam ſtatuit, ut ſine ea ſeſe recte neuter haberi poſſet. Ideoque cum ſummo imperio neceſſario ad eum tranſire quem reipub. præfecerunt. Et idcirco non aliud in aliquem dominii eminentis tranſlati titulum excogitari neceſſe eſſe, quod principi facultatem tribuit bona civium auferendi & alienandi. A cæteris ſummo imperio cohærentibus juribus diverſum & ſeparatum qnid, ideoque propriam denominationem habens. Verum quoniam finem & intentionem hominum in civitatem coaleſcentium perſpicimus fuiſſe dominii, quod cuique competit in res ſibi proprias, conſervationem, & poſſeſſionum communi auxilio & mutua ope adverſus inſidias & invaſiones facinoroſorum defenſionem, minime voluere huic rennnciando ejuſmodi alienandi facultatem ipſi imperii delationi ineſſe, quaſi princeps pro lubitu, & prout ipſi ratum videretur, ac communi ſaluti conſentaneum, de bonis ut de cæteris majeſtatis juribus ac omnibus aliis negotiis ad quotidianam, ut ita dicam, & communem reipub. admiſtrationem pertinentibus diſponeret. E quibus concludimus ſumma ratione jure & vi imperii non poſſe ſummum imperantem ſibi aliquam de civium bonis diſponendi facultatem prætendere, quaſi ineſſet imperii delationi, quemadmodum cætera ſumma majeſtatis jura. Verum ejuſmodi diſpoſitio ſibi peculiari aliquo titulo acquiſita eſt ſcil. vi dominii eminentis in civium bona poſſeſſioneſque, ex diverſa voluntate procedentis, quæ concedit ſummo imperanti exercere actus veriſſimo dominio debitos. Non pro ejus arbitrio & voluntate, ut cætera majeſtatis & ſummi imperii jura, verum ſub conditione boni publici, certo rerum ſtatu, neceſſitate imminente, ita ut non alia ſit publicæ ſalutis expediendæ ratio. Itaque cum in civitatem homines coaluerunt, ut multitudine ſociorum ſalvi eſſe poſſent, ſalvi autem eſſe nequeant niſi ipſa multitudo ſive civitas ſit ſalva, hinc præſumendi quidem ſunt ſummo imperanti, cui incumbit cura ne quid reſpub. detrimenti capiat, omnibus utendi mediis, facultatem conceſſiſſe, ſine quibus reſpub. ſalva eſſe non poteſt, attamen eorum quædam ipſi præſtiterunt conferendo in eum imperio, quædam alio peculiari titulo in caſu ſingulari ipſi tribuerunt, quæ ſummo imperanti quidem qua tali ex

conſenſu civium competunt, ſed non vi imperii & noo ex eadem, qua tranſtulerunt ſummam civilem poteſtatem, voluntate dimanantia. Qoorum in numero de bonis civium diſponendi vel alienatione vel ablatione facultas, quod peculiari titulo *dominium eminens* merito Autor appellat. In caſu ſcil. neceſſitatis & boni publiei cauſa. Favorem enim publicum privatæ utilitati præferre voluiſſe ob dictas jam rationes cives præſumendi ſunt, hinc ejus intuitu a regulis juris communis ſemper recedunt leges. Quamobrem Proculus reſpondit *l.* 65. §. 5. *ff. Pro ſocio non ſemper id ſervari quod privatim intereſt unius ex ſociis, ſed quod ſocietati expedit.* Et ut inquit Julianus *l.* 51. §. 2. *ff. ad L. Aquil. Multa jure civili, contra rationem diſputandi, pro utilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt.* Vetendum autem non eſt cum Zeigler. *ad Grot.* principem, cui hoc ambitioſum *dominii* vocabulum tribuitur, vix io officio ſuo contineri poſſe, quantumvis optimum & integerrimum, quod multa ſecom afferat ejuſmodi fortuoa, quæ a recto dimovere ſoleant. *Et quid vero metuendum erit,* inquit, *tum, ubi principi id ſuggeris rerum imperito, privatis intento commoditatibus, publicarum incommoditatum pene hoſti, addicto voluptatibus, oſori libertatis ac veri, nihil minus quam ſalutem reipub. cogitanti, ſed omnia ſua libidine ſuiſque commodis metienti; tum vero, quæ ſubditorum futura ſit conditio, facile omnibus conſtat.* Quippe hæc omnia incommoda noo minus imminere videntur ſubjectis, a principe, cui ſuggerimus vi imperii, quo armatus eſt, ejuſmodi facultatem de civium bonis diſponendi, qua privatis rem auferre, & jus alteri quæſitum tollere valeat, quam ut ipſi dominium aliquod eminens, tanquam peculiarem aliquem titulum, qui ei ejuſmodi poteſtatem circa bona & poſſeſſiones civium concedit, tribuimus: modus enim diſponendi nullum parit incommodum, ſed facultas & jus ipſum diſponendi ejuſmodi metuenda aliquando mala efficit. Imo verendum, ut hanc facultatem jure imperii ſibi competere perſuadens, ea magis abutatur, exiſtimans eam adeo late patere, quam cætera jura majeſtatis, pro ſuo arbitrio exercendi poteſtatem etiam extra neceſſitatem, neque publico bono id ipſum poſtulante. Præterquam qood ejuſmodi conſequentia deſumpta a Zeiglero ab eo, quod per accidens fit aliquando, nihil concludit atque probat. Sermonem enim habemus de eo quod ipſi rei ineſt vel ineſſe debet, non quod accidit per accidens præter ejus naturam & conditionem.

Non fugit me principum adulatores quoſdam eorum auribus inſuſurrare, cives bona ſua precario & titulo uſufructuario poſſidere, proprietatem vero principi jure ſommæ majeſtatis competere: pernicioſam ejuſmodi regnis atque civitatibus de jure ſummi imperii opinionem, tot malorum & incommodorum, de quibus ſtatim ſermooem habuimus, cauſam & matrem, juſtitiæ & legibus conſentaneam demonſtrare conantes, unum & alterum ex juris Romani corpore textum adferunt. Quorum in numero eſt *l.* 3. *Cod. de quadrien. præſcript.* ubi dicitur fruſtra differentiam ſtatui inter res fiſcales & illas quæ ex ſobſtantia Imperatoris procedunt. Quoniam *omnia Imperatoris ſunt.* Alter habetur *in Novell.* 105. in fine, ubi poſtquam de variis conſtitutionibus ſermonem habuit Imperator, inquit, *omnibus autem a nobis dictis, Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipſas Deus leges ſubjecit, legem animatam eum mittens hominibus.* Tertium argumentum petitur *ex l.* 15. §. 2. *ff. de rei vind.* ubi dicitur, quod ſi forte princeps aſſignando agros militibus de tertii alicujus hæreditate quoque diſpoſuit, diſpoſitioni ejoſmodi cedere dominum teneri. Verum lubrico admodum hæc argumenta nituntur fundamento, quod facile poteſt everti. Quippe quod ad primum argumentum attinet, ſatis ex dicta lege 3. perſpicimus ejus mentem eſſe, ut nulla habita differentia omnia, tam fiſcalia quam patrimonialia, principis eſſe intelligantur. Explicat hoc dictum Seneca, cum inquit *lib.* 7. *de benef. cap.* 4. 5. 6. *Jure civili,* id eſt jure imperii, *omnia regis ſunt. Et tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquaque res habet poſſeſſorem ſuum. Ad reges enim poteſtas omnium, ad ſingulos proprietas. Rex omnia imperio poſſidet, ſinguli dominio.* Et deinde. *Cæſar omnia habet, fiſcus ejus privata tantum ac ſua: & univerſa in imperio ejus ſunt, in patrimonio propria.* Quod ad alterum argumentum attinet ex Novel. 105. petitum nullius eſt plane momenti, cum nihil aliud ibi dicitur quam quod habetur in *l.* 3. *ff. de ll.* ſcil. legibus civilibus ſolutum eſſe principem, qualis legibus ſoluta poteſtas non eripit civibus dominia & proprietatem bonorum, verum ſuum cuique potius tribuere & privatorum bona & poſſeſſiones ſuis dominis conſervare dicenda eſt. Tertium argumentum ex *l.* 15. *ff. de rei vind.* deducitur. Verum reſponderi poteſt, illum cujus bona vel hæreditas, aſſignando agros militibus, alteri principis voluntate acquiſita eſt, precario tantum poſſediſſe. Utpote quo titulo milites Romani poſſidebant agros illos qoi bello quæſiti militibus aſſignabantur. Conſtat enim ex veterum monumentis, hoſtium agros partim vendere, partim militibus diſtribuere moris fuiſſe apud Romanos, ut conſtat ex Liv. Appian. *lib.* 1. & 5. Quamobrem nulla ipſis querelæ cauſa, quod alteri cedere, quod precario poſſidebant, tenebantur, *modico*, ot inqoit JCtus, *honoris gratia poſſeſſori dato.* Ex quibus perſpicimus ab omni veritate & æquitate maxime alienam ejuſmodi opinionem de jure ſummi imperii, quam in ipſo jure fundari nonnulli excogitarunt. Dominium quidem concedimus eminens ſummis imperantibus, ſed ſuis circumſcriptum limitibus, quos tranſiliendo contra jus gentium & civile peccat princeps, & arrogans ſibi jus nunquam ipſi delatum potius tyrannidem exercet, quam juſtum tractat imperium,

perium, quippe cum illud ipſum dominium fundetur in conſenſu civium, non latius extendendum quam patet voluntas & intentio transferentis; cum autem quiſque ex amore erga ſeipſum & ea, quæ ad vitam beate degendam neceſſaria ducit, afficiatur, ideoque ea ſibi comparare, & comparata conſervare atque tueri ſumma ope nitatur, ipſa docet ratio non liberam principi tribuiſſe facultatem pro lubitu de ſuorum bonis, ut de cæteris majeſtatis juribus, diſponendi, ſed ejuſmodi, quæ privata dominia non abſorberet, ſcil. quæ coerceretur intra duos quaſi limites *neceſſitatis* & *communis ſalutis* vel *utilitatis*. Quippe, ut ſuprà diximus, eum præſumatur quiſque ſalutem & utilitatem publicam præferre privatæ, ita intelligendi ſunt cives in eo caſu dominii illius eminentis exercendi jus in privatorum bona & poſſeſſiones detuliſſe ſummis imperantibus. Quippe juxta illud Ciceronis 2. *off. Videndum & qui rempublicam adminiſtrat, ut ſua quiſque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat.* Quamobrem & leges civiles vetant diſpoſitionem ſummi imperantis, extra dictos caſus, privatorum bonorum, invitis dominis & poſſeſſoribus. Hinc Ulpianus *l.* 13. *ff. de com. præd. Si conſtat in tuo agro lapidicinas eſſe invito te, nec privato nec publico nomine quiſquam lapidem cædere poteſt, cui id faciendi jus non eſt* &c. Ad hoc enim conſtitutus, ut adminiſtret, non perdat rempub. ut jus & juſtitiam conſervet, non tyrannidem & ſævitiam in bona & poſſeſſiones ſubjectorum exerceat. Quo ſenſu Imperator Severus ſe publicum diſpenſatorem ferebat, cum inquit, nefas eſſe a publico diſpenſatore prodigi, quæ provinciales darent. Ut teſtatur Lamprid. *in Alexand.* Sic Deus ter Optim. Maxim. vetavit, *ne accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, & de poſſeſſione eorum, & ne quidem ut filiis ſuis donaret, ut non diſpergatur*, inquit ſummus Jehova, *populus meus unuſquiſque a poſſeſſione ſua.* Poſſent hic objici nobis quæ apud Samuelem legimus *cap.* 8. ubi inter alia ſupremæ poteſtatis jura, quæ Deus per Samuelem regi videtur tribuere, recenſetur facultas ſive jus diſponendi de bonis civium, cum inquit Samuel. *Hæc erit ratio ipſa ſive jus regis, qui regnabit ſuper vos. Filios veſtros accipiet, ut ſibi diſponat in curribus ſuis & in equitibus ſuis, & currant ante currum. Etiam agros veſtros, & vineas veſtras, ac oliveta veſtra optima accipiet, & dabit ſervis ſuis* &c. Verum quis non luce clarius videt Samuelem hic non deſcribere jura regis legitima, id eſt morali & naturali legi conſentanea, ſed uſurpata, ab omni rectæ rationis dictamine & divino jure aliena. Regum morem per omnia delineat, non quod ſummus rerum arbiter & dominus hunc ſibi placentem morem aſſerat, & jure a ſe promulgato ſic fieri oporteat a regibus, verum populo prædicit incommoda quæ ipſi imminerent ſub regum imperio, non leges pro regibus ſtatuit: non quid jure poſſunt, hic explicatur, ſed quid audeant. Non quid ex inſtitutione divina ipſi concesſum eſt, hic diſputatur, ſed quale jus iniquum ſibi arrogant atque conſtituunt in tyrannidem degenerantes populo ob oculos ponitur, ut conſcii eſſent ſuæ in rogando rege dementiæ. *Prædic*, inquit Jehova, *eis jus regis*, id eſt demonſtra novarum rerum cupido & libertatis impatienti cæco populo, quale jus ſit uſurpaturus rex, quem ſimilem regibus aliarum nationum ſibi præfici poſtulant. Illarum vero nationum reges non regium, ſed dominicum plane regimen exercebant, ſubditis ſuis imperantes quæ vellent. Ubi illud ſibi locum vindicabat, *Rex ſum. Nihil ultra quare plebejus. Et impune quidvis facere*, id eſt, *regem eſſe.* Ejuſmodi regium obtinuiſſe imperium in Oriente negari nequit, verum illud ipſum non ex recta ratione & divino jure derivandum, ſed ex pravis & corruptis hominum moribus, vel uſurpatione & inviſa paulatim inducta dominatione originem habet. Hinc illud Julia Baſſiani Imperatoris noverca privigno ſuo arroganter dixerat. *Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere.* Qui vero hoc duro dominationis jugo premebantur populi habendi potius in ſervorum numero, quam civium æquo imperio & æquis legibus utentium. Quamobrem *Syros ſervituti natos*, ait Livius, *de libertate eos nihil cogitare.* Quod autem hoc jus quod prædicat Samuel non æquum, ſed iniquum & tyrannicum fuerit, conſtat potiſſimum ex eo, quod multa, ut diximus, juri naturæ vel divino plane adverſantur. Qualia, *auferre agros* & *vineas.* Quemadmodum enim voluit naturalis ratio ut dominia eſſent diſtincta, & poſſeſſiones certæ, rerum proprietatem cuique vel occupatione, vel permutatione, vel alio quovis juſto titulo acquiſitam aſſignavit, ita quoque vetuit ne ea quis ſine conſenſu & facto privaretur. Impoſſibile enim eſt antecedens ſine conſequente. Et ſic quoque cautum jure divino, ut patet ex Ezechiel. *cap.* 4. 6. 18. a nobis ſtatim adducto. Si regium jus adeo late pateret, non eſt veroſimile regem Achabum Nabothum majorum poſſeſſione exturbare atque dejicere meditantem, ei vel pretium, vel alias oblaturum fuiſſe vineas. Quamobrem ad hunc locum commentatores annotarunt, hinc liquere, reges, eo titulo ſolo, quod reges ſunt, non habere jus agros occupandi ſubjectorum pro arbitrio. Legitimum & vere jus regium deſcribitur. Ubi ejuſmodi lex regi, quem more omnium ſibi finitimarum gentium Iſraëlitæ crearent, præſcribitur, ſcil. *ne multos equos, neve multas haberet uxores, neve auri argentique haberet multum. Cumque acciderit eum in regni ſui ſolio ſedere, hanc ſibi legem ex Sacerdotum Levitarum exemplari exſeriptam apud ſe haberet, & legeret per omnem vitam ſuam, ut diſceret Jehovam Deum ſuum vereri, curaretque ut omnibus verbis hujus legis & inſtitutis pareret, ne efferreretur animus ejus præ fratribus ſuis, neve recederet ab hoc præcepto ad dextram aut ſiniſtram. Ut prolongaret dies in regno ſuo ipſe & filii ejus in medio Iſraëlis.* Quid vero eſt aliud animo

elato

elato eſſe erga fratres, quam exercere jus illud a Samuele prædictum. ſcil. *filios eorum accipere, ut ſibi diſponat in curribus ſuis, & currant ante currum*, ut de Seſoſtre Ægyptiorum rege tradit Diodor. Sicul. *Bibl. pag.* 37. ubi inquit, eum urbem vel templum ingreſſurum, equos a quadrigis ſolvere, regesque ac duces quaternos ſubjugare, ſolitum fuiſſe. *Filias in ungentarias, coquas, & piſtrices.* Servos eorum, ancillas, greges, agros, vineas, & oliveta optima tollet & dabit ſervis ſuis, verum, quod extremum omoium malorum eſt, vos qui fratres ejus eſtis, eritis ſervi, in ſervitutem vos rediget & tanquam mancipiis utetur, quicum æquo jure vivere oportebat. Hac iojuria ceterorum omnium acerbitates atque atrocitates cootineri videntur. Nihil enim ſervitute durius in hac vita. Ex quibus omnibus patet, dominium, quod regi in bona & poſſeſſiones civium vel naturæ vel divino jure competat, non eſſe abſolutum, ſed limitatum, illudque extra caſum neceſſitatis & publicæ ſalutis extendi non poſſe. Neceſſitate vero exigente non ſolum auferendi agros & bona civium alienandi, ſed imminente bello gentes comburendi, agrum devaſtandi, ædificia ſuburbana diruendi, hortos, rura, urbem munitionibus circumdandi cauſa occupandi, & quomodocunque de civium bonis ſalutis publicæ intuitu habet diſpooendi facultatem. Sic legimus apud Curt. *lib.* 3. *cap.* 4. Arſanem, qui Ciliciæ præerat, igni ferroque Ciliciam vaſtaviſſe, ut hoſtl ſolitudinem faceret, quicquid uſui eſſe poſſet corrupiſſe, ſterile ac nudum ſolum, quod tueri nequibat, reliquiſſe. Quod quamvis durum videatur, attamen propter favorem publicum & neceſſitatem inevitabilem non iniquum & rectæ rationi contrarium, utpote quæ ſuadet principi ut rempublicam potius ſalvam cupiat, quam commodum alicujus privati. Salus enim populi ſuprema lex eſt, quæ ſi haberi nequeat niſi extrema adhibeantur media, ad ea couſugiendum dictant omnes leges atque jura. Quemadmodum enim digitum præcidi oportet, ſi afficiatur gangræna, ne ad brachium ſit perventura, ita præſtat membrum aliquod reipub. damnum pati, ſi hac ratione ſalus totius univerſitatis in tuto collocari poſſit. Hinc habetur in *l.* 3. *Cod. de primipilo. Utilitas publica præferenda eſt privatorum contractibus.* add. *l.* 3. *Cod. qui potior.* Et Lotharius Imperator *feud.* 2. *tit.* 52. *in pr. Imperialis*, inquit, *benevolentiæ proprium eſſe judicamus, commoda ſubjectorum inveſtigare, & eorum calamitatibus diligenti cura mederi: ſimiliter reipub. bonum ſtatum, ac dignitatem imperii omnibus privatis commodis præponere.* Salutis enim publicæ cauſa rei familiaris commoda ſunt negligenda. Verum notandum cum Bœclero ad *E. t.* neceſſitatem illam, quæ huic eminenti dominio locum facit, ſuos habere gradus, neque ultimum ſemper ejus articulum ſumendum eſſe, neque iterum liberalem nimium ejuſdem juris faciendam extenſionem, & quantum fieri poteſt, ad æquitatem idem temperandum, ut inquit *Puffend. de jur. nat. & gent. lib.* 8. *cap* 5. Nihil vero magis æquitati conſentaneum, quam ut iis, qui ob utilitatem & conſervationem totius univerſitatis neceſſitate exigeote res ſuas utendas tradunt, aut perdiderunt, a civitate, quantum fieri poteſt, vel reſtituanrur, vel earum æſtimatio ſive pretium præſtetur. arg. *l.* 2. *Cod. pro quib. cauſ. ſerv. præm. lib. accip.* ne miſeri & pretio & re ſimul ipſa carere cogantur. Hinc Auguſtus cum propter hominum & judiciorum multitudinem tertium forum duobus non ſufficientibus extrueret, illud ipſum anguſtius fecit, *non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos.* Id eſt non ſoluto pretio, invitis poſſeſſoribus domos diruere nefas eſſe putabat. Tradit Suet. *in Tib. cap.* 47. eum rariſſime ſpectaculis intereſſe ſolitum fuiſſe, idque eam ob cauſam, quod aliquando expoſcente populo Comœdum Actium manumittere coactus fuerat, itaque ne quid tale in poſterum ab eo expoſceretur, recuſavit iis inrereſſe, ne manumittendo ſervum dominum ejus, non ſoluto pretio, re ſua careutem injuria afficeret. Comœdi enim ſervorum numero olim habiti. Quemadmodum Pictores & Medici. Hac eadem ratione motus David noluit extruere aram Deo in area Arauna Jubeſei hominis Gentilis, quamvis ipſi voluntario a domino oblata, niſi reſtituto ei pretio, atque ita titulo venditionis dominio ſibi acquiſito. *Nequaquam enim*, dixit Abrahamus rex, *ſed omnino emam abs te pretio, neque offeram Jehova domino meo holocauſta gratis.* Alienum enim conſecrare nefas, & impium de rapina & bonis aliorum domino ſacrificare. Noluit David poſſeſſiones Araunæ auferre; quoniam ipſi incumbebat eas tueri. Non fugiebat regem illum Salomoois *Prov.* 3. *Honora Deum de ſubſtantia tua.* Graviſſimas enim ſubituros pœnas prædixit olim Propheta Eſaias, quicunque proximo aliquid aufert, cum inquit, *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, ut auferatur aliquid proximo ſuo.* Exceptionem aliquam faciunt quoad damni reparationem & ſolutionem pretii, ſtatuenres ſi damnum ſit inevitabile, ita ut prævideri potuerit tale futurum, ut puta ob ædes in ſuburbiis tempore belli dirutas, compenſationem peti non poſſe exiſtimant, quia non ignari præſumuntur conditionis ejuſmodi talibus locis annexæ, eamque ipſi, dum nihilo ſecius ibi ædes ponunt, tacite quaſi jam ante confirmaverunt. Celeberr. Puffend. *de jur. nat. & gent. lib.* 8. *cap.* 5. *Tanto minus*, inquit, *compenſationi petendæ locus eſt, ſi omnes eadem ſtringat neceſſitas, aut æquale damnum involvat.* Idem dicendum quando ingruente neceſſitate belli agricolæ cæterique cives currus, naves, equos pro certa mercede ad oeceſſaria advehenda locaverunt, etiam ad exercirum, iiſque ab hoſtibus capiantur, ceſſat ratio damni reſarciendi, quippe cum pro certa mercede, non ignari periculorum, quæ ejuſmodi præſtationes comitabanrur, opera ſua locaverunt, etiam præſumendi ſunt in ſe ſuſcepiſſe omoe damnum ferendum. Quod

iode

inde metuendum eſſet. Verum ne Reſpub. vel Princeps abutitur eo dominio quod in bona civium habet, abutitur autem quoties utitur excedendo limites quibus diximus circumſcriptum, velim ut ſæpius in memoriam revocet ſalubre & laudabile illud conſilium quod Mæcenatem Auguſto dediſſe apud Dionem legimus *lib.* 53. cum inquit, *In ſumma conſilium tibi do, ne quando abutaris potentia tua, neque eam putes eſſe diminutionem ejus, ſi non omnia ſimul facias, quæ poſſis, ſed quanto magis omnia quæ ſtatueris, potes perficere, tanto magis cura, ut optima quæ tibi proponas.* Lento pede procedendum ad extrema & ſumma majeſtatis jura, verum ubi neceſſitas & publica efflagitat utilitas, ſuadet ratio quidvis potius tentare, quam communem ſalutem negligere & deſerere.

VII. Aptitudinem vero ἀξίαν, id eſt dignitatem vocat Ariſtoteles. Michael Epheſius, id quod ſecundum eam æquale dicitur, interpretatur τὸ προσαρμόζον & τὸ πρέπον, *id quod convenit.*

COMMENTARIUS.

Superius diviſit Autor qualitatem moralem, quæ cuique competit ad aliquid juſte vel habendum vel agendum, in *perfectam*, quam *facultatem* ſimpliciter appellat; & *minus perfectam*, quam hic *aptitudinem* vocat. Minus perfecta vocatur, quia caret potentia activa, id eſt non tribuit perſonæ jus in re ſtricte conſtitutum, quo aliquid exigere poteſt tanquam ſibi debitum jure perfecto, quod actionem parit. Verum efficit tantum habilem & aptum ad recipiendum quod dignitati ſive meritis, quæ perſonæ ſuæ inhærent, debetur. Ita ut de jure læſo quæri nequeat, quando in conferendis & diſtribuendis vel honoribus, vel ceteris officiis collocandis non babeatur meriti & dignitatis ratio, quanquam diſtribuens contra juſtitiæ leges peccet, quod non obſervaverit illam in tribuendis officiis æqualitatem, quam recta ratio & honeſtas naturalis præcipit obſervandam. Quippe licet aptitudinem non ſupponat proprium & ſtrictum jus, aut debitum fundatum in proprio jure ad bona ejuſmodi, quæ alicui ratione meriti & dignitatis quidem tribui recta ſuadet ratio & æquitas, attamen exigi a diſtribuente nequeunt, quia non intercedit mutua ejuſmodi obligatio ex jure perfecto deſcendens, alteri facultatem tribuens jus ſuum omnibus perſequendi modis, & ſocium ad jus ſuum alteri tribuendum devinctum habens. Supponit tamen debitum ſive obligationem a parte diſtribuentis, cujus intuitu diſtributor dicitur peccare contra juſtitiam diſtributivam, quæ nobis neceſſitatem imponit cuique tribuendi quod ſuum eſt; ſuum Autori cuique eſt quod ſecundum aptitudinem, meritum & dignitatem alicui debetur. Quippe non ſolum *meum eſt*, quod ab alio poſſum exigere, ſed & quod alter mihi debet; illud, jure perfecto, hoc minus perfecto competit. Ita Molina *de juſt. & jur. tract.* 1. *diſp.* 12. *Juſtitia commutativa & diſtributiva quemadmodum in ratione juſtitiæ particularis in commune conveniunt, ſic quoque conveniunt in eo quod utraque reſpicit debitum aliquo modo, quatenus per eas redditur alicui quod ſuum eſt, vel ad quod habet jus, ſaltem ex conditione, quod in recompenſationem dederit, aut det aliquam rem, vel concedat jus ad aliquid aliud, ut accidit in emptionibus, venditionibus, ceteriſque contractibus mutuis. Conveniunt præterea, quod utraque æqualitatem conſtituit: utrumque namque, nempe & reſpicere debitum aliquo modo, & conſtituere æqualitatem eis convenit* &c. Aptitudinem hanc ἀξίαν vocat Ariſtoteles, id eſt dignitatem ſive meritum, quod vocabulum ita explicat Cicero *lib.* 3. *de fin. Æſtimabile eſſe dicitur, ſic enim, ut opinor, appellamus ἀξιωτὸν, id quod aut ipſum ſecundum naturam ſit, aut tale quid efficiat, ut ſelectione dignum propterea ſit, quod aliquod pondus habeat dignum æſtimatione, quam ille ἀξίαν vocat.* Allegat ipſe Autor *in notis ſuis* ad majorem hujus vocis intelligentiam locum Ciceronis 1. *off. cap.* 17. quem propterea non deſcribimus. Verum huic apponi poſſunt quæ habet Simplicius in *Epictet. Enchr. cap.* 37. cum inquit, *Officia porro ut in univerſas partes tribuantur, partim ſunt adverſus homines & ſimiles, partim adverſus præſtantiores, partim adverſus deteriores, partim etiam fortaſſis adverſus noſmet ipſos. Et horum quodlibet multa habet diſcrimina. Nec eadem*, pergit, *tribuenda eſt patri & filio, civi & hoſpiti, bene merito & ei qui læſerit, alia denique aliis, pro ratione affectionis & neceſſitudinis, quæ cum quolibet intercedit. Alia ratio eſt adverſum patrem, qui poſt Deum ortus noſtri & totius naturæ auctor eſt & benefactor. Alia erga filium, cujus ipſi cauſa ſumus, & qui noſtri quadam pars eſt.*

VIII. Facultatem reſpicit juſtitia expletrix, quæ proprie aut ſtricte juſtitiæ nomen obtinet, συναλλακτικὴ Ariſtoteli, nimis arcto vocabulo, nam ut poſſeſſor meæ rei eam mihi reddat, non eſt ἐκ συναλλάγματος, & tamen ad eandem hanc juſtitiam pertinet: itaque ἐπανορθωτι-

κῶ idem felicius dixit. Aptitudinem reſpicit attributrix; quæ Ariſtoteli διανεμητικὴ, comes earum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis, miſericordiæ, providentiæ rectricis.

COMMENTARIUS.

AUtor noſter prætermiſſa differentia juſtitiæ univerſalis & particularis, atque neglecta communi & vulgari, apud omnes fere cum moralis juriſprudentiæ, tum etiam civilis juris antiſtites recepta, juſtitiæ diviſione in commutativam & diſtributivam, eam diſpeſcere maluit in expletricem & attributricem. Cujus diſcrimen, ut jam dicere incepimus, fundari videtur in diverſitate juris, quo ſibi invicem homines obligati atque devincti ſunt aliquid vel facere vel præſtare; quod vel perfectum eſt, vel imperfectum. Quod ex illo mihi debitum exigere ab alio atque poſtulare poſſum, idque mihi facultatem dat omnibus perſequi mediis, & ſiquidem mihi quis tribuat ad quod iſtiuſmodi juris vinculo præſtandum erat obligatus, fit quod juſtitiæ expletrici convenit; quando vero quis mihi tribuit id, quod ex jure imperfecto debetur, ſcil. quod a ſuo pudore dependet, juſtitiæ attributricis leges obſervat. Rationem harum appellationum hanc eſſe arbitratur Celeberrimus Puſendorfius *de jur. nat. & gent. lib. 1 c. 7.* cum inquit, *Quod ex jure perfecto mihi debetur id aliquo modo jam meum eſſe intelligitur, ſit ut quamdiu idem non fuerit exhibitum, aliquid mei abeſſe judicetur. Ideo & nomina in patrimonio noſtro reputantur, & in ſolutum aliis cedi poſſunt. Unde ſi accipiam quod ex jure perfecto debetur, non aliquid novi mihi tribuitur, ſed res duntaxat quæ aberat, & cujus locum tantiſper ſuſtinebat actio, expletur. Sicut V. G. qui librum ex mea bibliotheca commodato ſumpſit, eo reſtituto illam non auget, ſed lacunam duntaxat explet. Verum ad quæ accipienda jus imperfectum tantum habeo, illa pro meis nondum reputare, aut in patrimonio meo numerare poſſum; cum ea ab alterius pudore dependeant, neque idem violento aliquo medio ad eadem præſtanda poſſit adigi. Unde ridiculum foret,* inquit, *ſi mendicus ſtipem, quam ab opulento viro expectat, ſutori loco pretii pro calceo velit delegare. Adeoque qui ex jure imperfecto quid alteri præſtat, revera ipſi aliquid attribuit, quod pro ſuo antea habere non poterat.* Quare Autor hanc juſtitiam vocat comitem earum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis, miſericordiæ, providentiæ rectricis. Verum ſi examinemus qnid verba *explere* & *attribuere* ſignificant, fateor me nullam invenire rationem, quæ Autorem movere potuit, ut aliam præter receptam & vulgarem illam juſtitiæ diviſionem excogitare voluerit. Neminem enim fugere poteſt verbum *explere* interdum ſignificare *implere*, tum etiam *ſatisfacere*. In primo ſenſu occurrit apud Virgil. 4. *Georg.*

Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet.

In altero habetur apud Terent. *in Andr. act. 1. ſcen. 2.*

Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi, animum ut expleret ſuum.

Expletricem itaque dicit juſtitiam, quaſi per eam expletur & ſatisfit cuique pro eo, quod ab illo accipimus, ut annotavit Celeberrim. Gronovius, id eſt quatenus cuique tribuitur quod ab altero poterat exigere, ad quod ipſi jus perfectum ſive actio competebat. Quoties adimpletur quod abeſt alicui de re ſua, vel jure ſuo perſequi poterat. Et uno verbo alicui tribuere quod ei competit, quod ſuum eſt, eſt explere juſtitiam, qno ſenſu etiam recte referri ad attributricem mihi videtur, quia attribuere ſuum cuique nihil aliud eſt quam explere juſtitiam, id eſt ſatisfacere cuique pro eo quod quomodocunque debitum eſt. Quippe nullum habet juſtitiæ aliud objectum, quam ut cuique tribuatur quod ſuum eſt, ſive jure perfecto ſive imperfecto. Nam utroque jure aliquid *meum* dici poſſe ſuperins demonſtravimus, meum quia vel ipſius rei dominium, vel alio quocunque legitimo titulo jus in re vel ad rem quæſivi, vel *meum* quia natura præ ceteris mei ſimillimis, me aptum ad rem aliquam habendam & obtinendam fingere volens, videatur jus aliquod ad eam rem mihi dediſſe, vel alterum obligaſſe, ut dignitati meæ convenienter mecum agat, in me conferendo ejuſmodi officia, honores, atque munera, quæ propter meritum, quod penes me reſidet, meo quodammodo jure vindicare poſſem, vel ſi propria induſtria eam mihi comparaverim, illud quoque jus præcipuum mihi acquiſiviſſe videor. Itaque dum juſtitia attributrix etiam venit nomine expletricis, atque ita una alteram abſorbet, hi ab Autore excogitati novi termini non ſatis diſtingunt a ſe invicem particularis juſtitiæ partes, ſed magis confundere videntur, quæ tamen neceſſario diſtinguendæ ſunt, ut ſtatim oſtendere conabimur. Ejuſmodi autem diſtinctionem inducunt recepti diviſionis vulgaris termini, tum appellatione, cum etiam re ipſa, quando dividitur juſtitia in *diſtributivam* & *commutativam*. Illa ſpectat res in commercium venientes, hæc perſonas earumque dignitates & merita quibus ſibi invicem præcellunt. Quemadmodum jus verſatur vel circa res vel perſonas,

ita

ita juſtitia eadem habet objecta, & ſecundum eorundem diverſas qualitates & naturam diverſa ratio diſponit. Diverſos quoque exercet juris actus, qui omnes eo collimant, ut ſuum cuique tribuendo æqualitas inter homines, quorum cauſa jus potiſſimum conſtitutum eſt, ſervetur. Juſtitia diſtributiva nomen ducit a diſtribuendo: eo quod cuique dividit inter perſonas res communes vel publicas, puta honores, munera, præmia, onera, idque obſervata æqualitate Geometrica, id eſt non habita ratione numeri, ſed dignitatis cujuſque perſonæ, & meritorum, quorum collatione facta, ſuum cuique tribuit. Quippe quoniam vel natura, vel induſtria magnam inæqualitatem & differentiam inter homines induxit, cum quoad animi & corporis dotes, tum etiam quoad ſingulorum mores & facta, idcirco non poſſunt ſingulis æquali numero & menſura tribui, quin ſumma oriretur confuſio, & maxima induceretur inæqualitas. Inæqualis inæqualibus diſtribuere, eſt hic obſervare æqualitatem & juſtam proportionem. Æqualia autem dignitate imparibus tribuere ſumma eſt inæqualitas. Habet itaque juſtitia diſtributiva rationem perſonarum, affirmante Calliſtrato in *l.* 14. §. 3. *ff. de muner. & honor. De honoribus*, inquit Jctus, *ſive muneribus gerendis cum quæritur, in primis conſideranda perſona eſt ejus, cui defertur honor, ſive muneris adminiſtratio.* Quamobrem in civitate ſive repub. in diſtribuendis præmiis ex communibus bonis non cuique civium æqualis portio tribuitur, ratione rei, ſed perſonæ, ſeu meritorum & dignitatis, id eſt pro diverſa conditione civium fit diſtributio, ita ut quia alius alio dignior eſt, & majorem in repub. partem facit, ita unius præmium, quod ex bonis ad rempub. pertinentibus ipſi aſſignatur, alterius dignitate & meritis inferioris excedat. Æqualis tamen ejuſmodi diſtributio dicitur comparatione perſonarum ſibi inæqualium, unde quoque comparata hæc dicitur æqualitas. In hoc conſiſtens, ut quomodo ſe habet dignitas ſeu meritum unius ad dignitatem alterius; ſic ſe quoque habeat præmium unius ad præmium alterius. Puffend. *de jur. nat. & gent.* 1. *cap.* 7. Fundatur autem ejuſmodi proportio in ipſa civium conditione & qualitate, quatenus ejuſdem ſocietatis partes & membra, conſerendo aliquid ad bonum commune obtinendum, eo ipſo ſibi quoque devinctam habet ſocietatem quaſi tacito pacto, quo tenetur cuique civium tribuere de communibus bonis debitam partem. Pars autem debita dicitur, quæ alicui tribuitur pro menſuta ejus, quod quis pro bono communi obtinendo confert. Ita Clariſſ. Puffend. *dict. loco Determinatio autem rata partis de bonis ſocio aſſignandis fit ſecundum aſſignationem opera aut impenſorum ſumptuum ad ſocietatem qua talem ſervandam, ſpectatorum in proportione ad aliorum ejus ſocietatis membrorum operam, aut ſumptus impenſos. Uti contra determinatio rata partis de oneribus membro imponendis fit ſecundum æſtimationem commodorum, qua illud ex ſocietate percipit, ſpectatorum in proportione ad commoda ab aliis membris e ſocietate percepta.* Ita Thomas de Aquino 2. *part. quæſt.* 61. *In diſtributiva*, inquit, *juſtitia datur aliquid alicui privata perſona, in quantum id, quod eſt totius, eſt debitum partis, quod quidem tanto majus eſt, quanto ipſa pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo in diſtributiva juſtitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto perſona illa habet majorem principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in Ariſtocratica communitate attenditur ſecundum virtutem, in Oligarchica ſecundum divitias, in Democratica ſecundum libertatem, & in aliis aliter. Et ideo in juſtitia diſtributiva non accipitur medium ſecundum proportionem rerum ad perſonas.* Quamobrem quo quis majori dignitate vivit in Repub. eo plus capit ex publicis bonis ad tuendam dignitatem. Atque hoc ipſum fundamentum dici poteſt conſtituendorum bonorum, quæ domania dicuntur, ad ſtatum & dignitatem principis ſive ſenatus conſervandam. Huc quoque pertinent diverſi cenſus civium Rom. pro cujuſque dignitate. Sic dicimus juvare cenſum ex ærario, ut olim Tiberium quorundam ſenatorum cenſum juvaſſe teſtatur Tacitus *Annal. cap.* 37. Sic etiam Veſpaſianum in omne hominum genus liberaliſſimum expleviſſe cenſum ſenatorium, conſulares inopes quingenis ſeſtertiis annuis ſuſtentaviſſe, apud Suet. *in ejus vita cap.* 17. legimus. Huc etiam referri poteſt illud Taciti *de mor. Germ. cap.* 16. *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vires occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur.* De ſimili diſtributione ſermonem habere videtur Cæſar *lib.* 6. cum inquit. *Agricultura non ſtudent: neque quiſquam agri modum ac fines habet proprios: ſed magiſtratus in annos ſingulos gentibus nationibuſque hominum, qui una coierunt, quantum eis & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt.* Verum cavendum ne nobis perſuadeamus hanc juſtitiam diſtributivam locum tantum habere in ſocietate civili, atque in ſuperioribus utpote principe vel magiſtratu ſolum reſidere, cui facultas delata bona communia diſtribuendi, hoc quidem catenus ortum, quatenus in ſocietate de bonis communibus diſponendi jus nemini niſi principi vel magiſtratui conceſſum eſt, verum etiam locum ſibi vindicat inter privatos cives, & ſingulos homines etiam in naturæ ſtatu, quoniam in naturali æquitate & obligatione quadam fundatur, quia tenemur par pari referre, ſcil. quia ſecundum menſuram ſuorum erga nos meritorum, vel dignitatem, retribuere quod ipſi debemus; hinc patri, qua talis eſt, plus debemus quam matri, fratri bene de nobis merenti plus quam aliis ſimplici tantum cognationis naturalis vinculo nobis conjunctis ſociis, unde officiorum gradus ſecundum diverſas perſonarum qualitates & dignitates vel merita. Imo videtur ſummus imperans ejuſmodi diſtributivam juſtitiam exercere nomine civium, qua privati, & tacito quo-

dam naturali pacto ſive debito tibi mutuo devincti, ut inter ſe ſervent æqualitatem, quam naturalis æquitas & rectæ rationis dictamen ſervari voluit, ſervari autem nequit niſi cum perſonarum, tum etiam rerum, quæ in commercio hominum ſunt, habeatur ratio, ut ex præmiſſis conſtat idcirco eadem æquitate tenentur quiſque reſpectu ſocii ſive in naturali ſtatu ſive civili utramque juſtitiam cum diſtributivam tum etiam commutativam ſervare. Quamobrem de ejuſmodi diſtributione, quæ fit intuitu dignitatis, & meriti perſonarum, ita Georg. Franz. *in Comment. ad Pand. lib. 1. tit. 1.* ſermonem habens, dicit ea, licet fiat per magiſtratum, in republica in effectu tamen fieri cenſetur a cive ipſo, *poſtquam ubi ſcil. vel alterum vel digniorem vel honeſtiorem eſſe cognovit, hoc ipſo illi debere incipit, ut plus quoque vel ſibi vel alii taliter non pro merito attribuat, aut certe taliter ipſi a magiſtratu tribui æquo animo ferat, quæ eadem ratio eſt in oneribus tribuendis.* Commutativa juſtitia, quam expletricem vocat Autor, dicitur a commutando. Habet enim ea locum in commutationibus, pactis, atque commerciis: adeoque in rerum permutatione æqualitatem ſervat, obſervata proportione Arithmetica. Non habetur hic perſonarum ratio, ſed rerum. Quocirca licet in ſumma dignitate conſtitutus rem ſuam vendat ignobiliori, plus tamen quam res revera valet non poteſt ab emptore exigere venditor, quia ſaltem agitur de re privata ejuſque æſtimatione. Hujus juſtitiæ mater merito ipſa ſocietas humana dici poteſt, ejuſque indigentia ejus menſura. Utpote quæ retineri non poteſt, niſi commutatione rerum & officiorum. Quoniam vero hanc commutationem gubernari oportet quadam ratione, hinc juſtitia commutativa ei adſiſtit maxime ad contractus voluntarios, qui in ſpecie & uſitato nomine contractus dicuntur, moderandos regendosque. Nihil enim aliud ſunt contractus (ſi voluntatem efficientem finemque reſpicias) niſi voluntaria commutatio rerum & officiorum: generali enim vocabulo rerum commutationes Ariſtoteles 5. *Ethic.* συναλλάγματα ſeu contractus vocat. Quorum alii ſponte noſtra, alii nobis invitis fiunt. Sponte fiunt emptio, venditio, mutuum, fidejuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, conductio, quia hi contractus omnes ab initio liberæ ſunt poteſtatis. Qui poſtea neceſſitate fiunt, quia mutuam obligationem continent, involuntarii, id eſt, qui nobis invitis fiunt, ſive clandeſtine, ſive violenter ab alio ſuſcipiuntur, in ſpecie vocantur delicta. Clandeſtini ſunt *furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſervi alieni deceptio, cædes dolo commiſſa, aliaque id genus. Violenti verbera, vincula, mors, rapina, maledicentia, contumelia, debilitatio corporis.* Cujusmodi contractuum diſtinctio nobis demonſtrat injuſte reprehendi ab Autore Ariſtotelem, quaſi nimis arcto vocabulo συναλλακτικὴν juſtitiam expletricem ſive commutativam deſcripſiſſet, quippe ut poſſeſſor meæ rei mihi eam reddat, non eſt ἐκ συναλλάγματος, & tamen ad ea eandem hinc juſtitiam pertinere inquit Autor, imo revera ad contractum non quidem voluntarium, & expreſſum, ſaltem ad tacitum & fortuitum ſive quaſi contractum pertinet: nam eo ipſo quo quis poſſidet rem alienam, obligatur eam domino vindicanti vel alio quovis modo petenti reſtituere, ſic obligatur quis ex maleficio ſuo, furto, rapina, adulterio, dolo, injuria. Nam quemadmodum jure gentium diſtincta ſunt dominia, ita eodem jure introducta obligatio ſive tacitum quoddam pactum, quo ſibi invicem obligati ſunt homines, ut maneant cuique ſalvæ ſuæ poſſeſſiones, & ſua dominia; prohibitum conſequenter ne ſuis privetur vel vi vel clam ſine ſuo conſenſu & voluntate. Et ſi quis ſocium injuſto titulo re ſua privavit, ad reſtituendum obligatur eodem jure. Ut ſi furto res mea me invito ad furem tranſit, obligatur mihi ex quaſi contractu, ex tuo nempe maleficio, unde mihi jus naſcitur perſequendi rem furto ablatam omnibus mediis: illi incumbit neceſſitas rem ablatam mihi reſtituendi; quoniam itaque hic intercedat obligatio, recte contractus nomine venit juxta legem 20. *ff. de jud.* Ubi inquit Paulus, *omnem obligationem pro contractu habendam exiſtimandum eſt, ut ubicunque aliquis obligetur & contrahi videatur: quamvis non ex crediti cauſa debeatur.* 4. *l.* 52. *ff. de re jud.* Verſatur itaque juſtitia commutativa circa rerum commutationes, ejuſque ſcopus eſt medium quærere atque inveſtigare non habita ratione ullius dignitatis vel meriti, ſed tantum comparatis lucro & damno eorum, qui inter ſe contractum aliquem celebrant, ut juſta ſervetur æqualitas ſcil. rei ad rem, adeoque reſpicit proportionem Arithmeticam, ſcil. ut quantum ſit acceptum, tantum reddatur ad æqualitatem rei ad rem. Conſiſtit itaque potiſſimum in reddendo ad æqualitatem quod inæquale eſt, ut alter non habeat plus quam habere debet, neque alter minus; hinc & correctiva, quia omnem inæqualitatem corrigit, plus habenti detrahendo, & detractum minus habenti addendo. Plus autem habere dicitur in commutationibus voluntariis, qui ab altero quid accipiens, vel nihil ei, vel non tantum quantum par erat retribuit. In contractibus invitis plus habere dicitur, qui jus læſit alterius ut fur, raptor, adultor, & qui læſus eſt minus habere dicitur. Verum corrigit hanc inæqualitatem juſtitia commutativa, detrahendo quantum abſtulit, vel in quantum quis damnum paſſus eſt, & addendo ei quem damno vel malo affecit. Ita in emptione pretium debet reſpondere rei: in locatione merces uſui, in permutatione res rei. Quod licet propter rerum humanarum neceſſitudinem non ita exacte ſemper obſervari poteſt, attamen non ideo ſtatim peccatur adverſus juſtitiam commutativam, vel contractus redditur irritus; modo abſuerit dolus, & læſio non excedat dimidium juſti pretii, juxta *l. 2. Cod. de reſcind. vend. Rem majoris pretii*, inquit Imp. *ſi tu vel pater tuus minoris diſtraxerit, humanum eſt, ut vel pretium te reſtituente emptoribus fundum venunda-*

nunda-

nundatum recipias auctoritate judicis intercedente: vel ſi emptor elegerit, quod deeſt juſto pretio recipias. Minus autem pretium eſſe videtur, ſi nec dimidia pars veri pretii ſoluta ſit. Dolo itaque vel nimia læſione in pervenicutia contractus redditur vel ipſo jure vel expreſſione redditur nullus. Quippe licet aliquando contrahentibus ſe invicem decipere in pretio & mercede, conivente id ipſum juſtitia commutativa, modo dolus abſuerit & læſio non ſit enormis. Quamobrem *Jctus l. 22. §. ul. ff. locat.* inquit, *in vendendo & emendo naturaliter conceſſum eſſe, quod pluris ſit minoris emere: quod minoris ſit, pluris vendere, & ita ſe invicem circumſcribere* &c. Sublata enim ſpe quæſtus, languet mercatus. ut ibi annotavit Gloſſ. Præterea quod id ipſum faciat homines diligenter & caute mercari.

2. Quod vero idem Ariſtoteles ab expletrice ait reſpici proportionem ſimplicem, quam ἀριθμητικὴν vocat; ab attributrice autem comparatam, quam γεωμετρικὴν appellat, quæ ſola apud Mathematicos nomen habet proportionis; ex eorum genere eſt quæ ſæpe locum habent, non ſemper: neque vero per ſe juſtitia expletrix ab attributrice differt tali proportionum uſu, ſed materia circa quam verſatur, ut jam diximus. Itaque & contractus ſocietatis expletur proportione comparata, & ſi unus tantum aptus inveniatur ad munus publicum, non alia quam ſimplici commenſione attributio fiet.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum diverſus debendi modus diverſam ſuum cuique tribuendi rationem inducens duas diverſas juſtitiæ particularis conſtituat ſpecies, quarum una dicitur commutativa ortum ducens ex obligatione & jure quod circa res verſatur, altera vocatur diſtributiva, originem derivans ex ejuſmodi obligationis & juris vinculo, quod reſpicit perſonas earumque dignitates & merita, ſive ſtatum & conditionem. Ita hæ duæ ſpecies differunt diverſo proportionis uſu. In priori enim locum ſibi vindicat proportio Arithmetica, in poſteriori obſervatur Geometrica proportio. In eo tamen conveniunt, quod utraque ad æqualitatem in diſtribuendo tanquam ad finem collimant. Quippe, ut diximus, æqualitatem ſervando tribuitur cuique jus ſuum. Quia vero ejuſmodi æqualitas ſervari nequit, niſi obſervetur diverſa proportio, Philoſophus ut evidentius demonſtraret duplicem ſuum jus cuique tribuendi modum, unum comparat cum proportione Geometrica, alterum cum Arithmetica. Illa proportio comparata, hæc ſimplex vocatur. Verum ex eo non inferendum, dum ejuſmodi proportionem rebus moralibus Philoſophus applicat, ipſo voluiſſe Mathematicorum proportionem Geometricam eſſe ipſam illam, qua in diſtribuendis bonis utitur juſtitia diſtributiva, habent enim res morales proportionem ſibi accommodatam & propriam; verum potius ejuſmodi ſimilitudine uti voluit, ut oſtenderet utriuſque ſpeciei differentiam. Quippe cum ſæpius contingat, ut juſtitia diſtributiva quandoque utatur Geometrica, commutativa Arithmetica proportione, luce clarius perſpicimus, ut rem ipſam & diverſum tribuendi modum illuſtraret, utramque juſtitiæ ſpeciem accommodaſſe potius ad illum proportionis uſum, quam unam eandemque efficere: quemadmodum enim circa diverſa verſatur objecta ejuſmodi proportio, ita quoque aliud habet fundamentum, ex quo deducitur. Mathematica numeros, Moralis proportio perſonas & res conſiderat, non ſecundum numerum, ſed dignitatem & merita: id eſt principaliter ad res & perſonas refertur tanquam præcipuum objectum, nam & numeri quoque habetur ratio, quatenus relationem habet cum rebus & perſonis, quæ & ipſæ numerum recipiunt, quoniam omnis proportio & æqualitas numero conſtare debet. Quippe ut recte diviſio inſtituatur, & cuique debita aſſignetur pars ſecundum proportionem vel Geometricam vel Arithmeticam, numerorum habenda ratio, ſed diverſo modo hæc juſtitia diſtributiva obſervans proportionem Geometricam mediante multiplicatione & diviſione omnia inquirit & metitur. Commutativa juſtitia contra ſubtrahendo & addendo omnia peragit. Harum vero proportionum explicatio videre eſt *in elementis juris univerſi* Joannis a Felde, ubi multa diligenter & docte tractat, quæ ad hanc doctrinam pertinent: quoniam vero fortaſſe non cuique ad manum eſt hoc opus, ut unum aut alterum exemplum deſcribam, quo illuſtrantur, quæ dicta ſunt, videtur mihi lectorem flagitare. Ut itaque in diſtributionibus æqualitas juxta proportionem Geometricam obſervetur ejuſmodi exemplum ponit Author, ſi inter Titium & Mævium quid dividendum ſit, quemadmodum Titius ſe habet ad Mævium, ita & pars, quæ Titio aſſignatur, ad eam partem, quæ datur Mævio, fit itaque primo perſonarum comparatio, & perſonam metitur perſonam, deinde prout una ſe habet ad alteram, cuique ſua

 portio

portio adſignatur. V. G. Habeat ſe Titius ad Mævium ut 3 ad 4. & ſunto dividenda quatuordecim, dabuntur Titio ſex, Mævio octo. Uti enim ſe habent 3 ad 4, ita 6 ad 8. Ratio autem, qua in diviſione, ejuſmodi proceditur, conſiſtit ut diximus in multiplicando & dividendo. *Ita enim Autor: quæri vero poteſt, qua ratione procedendum ſit in diviſione, quo ejuſmodi proportionum æqualitas obtineatur. Nimirum colligendæ ſunt in unam ſummam primo perſonæ, & ſumma ea ponenda eſt in primo regulæ proportionum loco, ſecundo lucrum ſeu commune dividendum, tertio ſingulæ perſonæ, & inde eruendus eſt quartus proportionalis. Habeat ſe Titius ad Mævium ut 3 ad 2. Et eſto commune dividendum 20. Addantur 3 & 2 ut producatur ſumma perſonarum quinque. Deinde fiat 5 dant 20.*

Quid dabunt 3? 2? } *producuntur* { 12 *pro Titio* / 8 *pro Mævio*

Nam uti ſe habet 5 ad 20. Ita ſe habent 3 ad 12. Ita quoque 2 ad 8. Adeoque perſona Titii 3 ad ſuam partem lucri quam accipit 12 eam habet proportionem quam Mævius ad 8 utraque enim proportio eadem cum proportione 5 ad 20. Quæ autem proportiones cum tertia ſunt eadem, eæ & inter ſe eadem ſunt. Quia vero numeri proportionales *ſunt* viciſſim proportionales per 13 VII. Euclides *i. e.* ſi fiat ut I. ad II. ita III ad IV. etiam fit ut I ad III. ita II ad IV. Hinc etiam cum fiat:

I II III IV
ut Titius ad ſuum lucrum, ita Mævius ad ſuum lucrum ſit ἐναλλάξ ſeu viciſſim

I III II IV
ut Titius ad Mævium. Sic portio Titii ad portionem Mævii.

3 2 12 8

Analogia, inquit, *ſeu æqualitas proportionum, quam juſtitia diſtributiva obſervat, Geometrica eſt. Nam mediante multiplicatione & diviſione omnia inquiruntur, & perſona ad perſonam refertur, vel quatenus altera alteram metitur, vel quatenus habent communem menſorem. Fit enim ut perſona metitur perſonam, ita res rem. Ita uti communis menſura metitur utramque perſonam, ita alia menſura utramque rem.*

V. G. ut 3 ad 6. Ita 4 ad 8.

Nam quemadmodum 3 metiuntur 6 per duo, ita 4 metiuntur 8. Ita uti 4 ad 6. Ita 8 ad 12. Nam uti 2 metiuntur 4 & 6. Ita 9 metiuntur 8 & 12. Nim. 2 metitur 4 per 2 & 6 per 3. Et eadem ratione 4 metiuntur 8 per 2 & 12 per 3.

Quæ omnia ab Authore erudite poſita exempla multum proportionis uſum ejuſque terminos illuſtrant, & lectori faciliorem præbent intellectum. Arithmetica vero proportio aliam obſervat regulam, ſcil. additionis & ſubſtractionis. Metitur enim illa differentia numerorum & intervalla addendo ſubtrahendove. Ut tandem invicem paribus diſtent intervallis, ut duo, quatuor, ſex, octo. Ea maxime cernitur in commutandis rebus, ſcil. ut merci ſit æquale pretium, ſorti lucrum reſpondeat. Etiam vocatur correctiva, quia conſiſtit in corrigendis contractibus, id eſt ad æqualitatem reducendis, ſi quis alter contrahentium vel plus vel minus habet quam habere oportet. Eaque obtinet tam in contractibus ſive voluntariis, quæ ſponte ineuntur, ut emptione, venditione, ceteriſque omnibus qui conſenſu conſtant, quam invitis, ut furto, rapina, aliiſque id genus maleficiis & criminibus. In contractibus primo loco deſcriptis æqualitas proportionis obſervatur, ſi tantum præſtetur quantum acceperunt, ut ſupra diſputavimus. Plus autem habere dicitur qui quid accepit ab altero, & vel nihil vel non tantum quantum debet retribuit, unde oritur inæqualitas, quæ ad æqualitatem reducitur alteri quid detrahendo, & addendo tertio, V. G. Titius domum Mævio vendidit deſignando pretium 100. eamque tradidit, oritur injuſtum, quia Mævius & domum & pretium poſſidet: agente ex vendito Titio judice detrahit Mævio pretium & addit Titio. Atque ita quod inæquale & injuſtum eſt corrigit. In commutationibus invitis plus habere dicitur qui læſit, minus qui læſus eſt, ita ut ſi Titius Mævium contumelia affecit, Mævius actione injuriarum convenit Titium, judex injuriam illatam æſtimat, & quanti eam deprehendit, tantum pecuniæ detrahit Mævio & addit Titio. Vide Felde dicto loco. Verum Autor noſter contra hanc de nonnullo harum proportionum uſu doctorum ſententiam annotat. Videretur difficultas, primo quod id ipſum ex eorum genere eſt, quæ ſæpe, non quæ ſemper fiunt, tum etiam quod juſtitia expletrice ſive commutativa non reſpiciatur illa proportio Arithm. quæ perſpicitur in contractu ſocietatis, qui expletur proportione comparata, & tamen refertur ad juſtitiam commutativam, cum quod in diſtributiva quandoque obtinet proportio Arithmetica ſive ſimples commenſio, ut ſi unus tantum in repub. aptus inveniatur ad munus publicum, non alia quam ſimplici commenſione attributio fit, id eſt ſecundum proportionem Arithmeticam; non admodum firmo itaque fundamento niti videtur illud Ariſtotelis de proportionum uſu tum in rerum commerciis ſive commutationibus, tum in honorum & præmiorum diſtributionibus. Verum reſpondere jam incepimus, quando Philoſophus diſputat de hoc proportionum uſu, cum ad illuſtrendum diverſum tribuendi modum, & ad diſtinctionem aliquam utriuſque juſtitiæ demonſtrandam, ejuſmodi ſimilitudinem & comparationem proportionum inter ſpecies actuum juſtitiæ particularis & ſpecies proportionum Mathematicarum conſtituiſſe; verum ex eo non inferendum eum voluiſſe proprie & ſtricte in illis juſtitiæ ſpeciebus eaſdem quas Mathematici obſervant locum habere proportiones. Quanquam altera alteri ſimilis ſit, & propterea inter ſe comparentur a Philoſopho, tamen non ſunt eadem, quod vel ex proportionum uſu, qui in hujus juſtitiæ ſpeciebus ſæpe contingit, ſatis conſtat. Verum licet hoc aliquando

locum

locum habeat, tamen non evertunt proportionum rationes a Philoſopho adductas, utpote qui in Ethicis de eo ſermonem habet, quod plerumque ita obtinet. Ut vero probaret Autor in juſtitia expletrice ſive commutativa non obſervari proportionem ſimplicem ſive Arithmeticam, & conſequenter ab Ariſtotele perperam ab ejusmodi proportionum uſu juſtitiæ a ſe invicem ſpecies diſtingui, a contractu ſocietatis argumentum petit, qui quamvis pertineat ad juſtitiam commutativam ideoque pro regula & menſura habeat proportionem Arithmeticam, attamen comparata proportione expleatur. Verum erroneam hanc Autoris opinionem cenſeo, propterea quod in contractu ſocietatis quando commune lucrum dividendum eſt, non perſona perſonæ, ſed res rei, ſcil. portio lucri portioni ſortis ſive pecuniæ collatæ adæquatur. Ubi autem perſonæ non habetur reſpectus, ſed rei ad rem adæquatio obtinet, non Geometrica, ſed Arithmetica obſervatur proportio, æqualitas enim rei ad rem in deliberationem cadit. Cui accedit quod lucrum ex ſocietate proveniens non accipitur ut præmium, ſed ut debitum, & conſequenter ſocio facultatem tribuit jus ſuum perſequendi. Quod ſi aliquando in debito ex juſtitia commutativa cernitur effigies debiti ex juſtitia diſtributiva, advertendum eſt hoc per accidens fieri ex conjunctione plurium, qui inæqualem ſummam conferentes, inæquales quoque lucri portiones accipiunt, ut ſi tres ineant contractum ſocietatis, & computatis omnibus, capitale unius excedat in duplo capitale alterius ex reliquis duobus, & rurſus capitale hujus excedat in ſex capitale alterius, prout ſummæ illatæ inæquales ſunt, etiam inæquales habebunt lucri communis portiones. vide Molin. *de juſt. & jur. tom.* 1. *tr.* 1. *diſp.* 12. Verum, ut ibi annotat, id ipſum accidentale eſt. Quod liquet ex eo, quia ſi quilibet ſeorſim ſua pecunia lucrum faceret, non difficile eſſet demonſtrare rem rei adæquari. Quemadmodum in contractu emptionis & venditionis ſæpius contingit, cum res diverſæ & inæquales emuntur a diverſis inæquali pretio, nec tamen in emptione & venditione locum habebit proportio Arithmetica. Quod ejuſmodi exemplo illuſtrat ſubtiliſſimus Bachovius ad *Tr. diſp.* 27. *Th.* 8. *Sicut*, inquit, *qui piſtori duos nummos dedit, eo, qui dedit unum plus accipit, non Geometrica, ſed proportione Arithmetica, ita etiam in hoc caſu proportioni Arithmetica, quam ad contractus pertinere liquidum eſt, convenit ut qui altero tanto plus contulit, plures etiam lucri partes accipiat.* Quod ad ſecundum Autoris argumentum attinet, huic reſpondere poſſimus, quod vix ejuſmodi caſus poteſt exiſtere, ut in Repub. unus tantum inveniatur aptus ad munus publicum; cum enim Reſpub. ſeu civitas eſt corpus conſtans ex diverſis membris, ſemper poteſt inſtitui comparatio unius ad alterum, quemcunque ſtatum intelligas: & quid ſi concedamus Autori unum cæteris virtute & aptitudine, ut ita dicam, præcellere, & conſequenter ſolus videri dignus in quem munus publicum conferri ſuadet juſtitia diſtributiva, inde tamen non ſequitur ſimplici commenſione, id eſt, proportione Arithmetica attributionem fieri, quippe ex collatione ejus perſonæ ad cæteros cives perſpicitur, ſolum eſſe aptum ad munus publicum, & conſequenter ex ejuſmodi facta comparatione cæteris præferendum ſecundum comparatam, id eſt Geometricam proportionem. Quippe quemadmodum contraria juxta ſeſe poſita magis eluceſcere dicimus, & ex duobus ſibi oppoſitis utrinſque naturam conſtare, ita unius virtutes & aptitudinem alterius ſuperare perſpicimus, quando unum cum altero comparamus. Nullam virtutis ideam haberemus, niſi ſimul vitii naturam cognoſcamus. Sic etiam nulla vel virtutis vel vitii menſura, niſi & magis & minus in ſubjectis cui inſunt locum haberet. Quibus ad ſe invicem collatis facile conſtat, quantum unum alteri præſtat. Et conſequenter ſuadet æquitas ut præferatur cæteris pro menſura meriti & dignitatis perſonæ ſuæ.

3. Neque magis verum quod a nonnullis dicitur, attributricem verſari circa res communes, expletricem circa res ſingulorum. Contra enim ſi quis de re ſua legare velit, attributrice juſtitia uti ſolet: & civitas quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, nonniſi expletricis juſtitiæ officio fungitur. Recte hoc diſcrimen notatum a Cyri magiſtro: nam cum Cyrus puero minori minorem tunicam, ſed alienam, attribuiſſet, & majori contra majorem, docuit eum magiſter: ὅτι ὁπότε μὲν καταςαθείη τοῦ ἁρμόττοντος κριτής, οὕτω δέοι ποιεῖν. ὁπότε δὲ κρῖναι δέοι ὁποτέρου ὁ χιτὼν εἴη, τοῦτο σκεπτέον τίς κτῆσις δικαία ἐςί. πότερα τὸν βίᾳ ἀφελόμενον ἔχειν, ἢ τὸν ποιησάμενον ἢ πριάμενον κτήσασθαι; *Tunc quidem ubi conſtitutus eſſet arbitrator ejus quod cuique conveniret, ita agendum eſſe; at ubi judicandum eſſet utrius eſſet tunica, id ſpectandum utra poſſeſſio juſtior, eumne rem habere qui vi abſtuliſſet, an qui feciſſet aut emiſſet.*

COMMENTARIUS.

Libenter Autoris opinionem amplector, ſtatuentis juſtitiam attributricem ſive diſtributivam non ſolum verſari in civitate circa res communes, ſed etiam privatas paribus diſtribuendas. Quippe cum ſit fundata in naturali æquitate ejuſmodi diſtributio æque obligat privatos ad conferenda officia & præmia in ſocium neceſſitudinis vel amoris, vel meritorum vinculo ſibi magis cæteris devinctum, quam civitatis rectores ad æquam bonorum communium ſive honorum vel præmiorum diſtributionem pro menſura dignitatis & meriti cujuſque civis faciendam. Quoniam enim juſtitia diſtributiva etiam extra civilem ſocietatem in naturæ ſtatu, id eſt naturali hominum ſocietate locum ſibi vindicat, non ſemper circa communia ejuſmodi bona diſtribuenda verſatur, verum & privatorum in privatis rebus conferendis maxime cernitur, ut in legatis, donationibus, cæteriſque id genus liberalitatis teſtimoniis, quibus homines ſibi invicem arctius devinciuntur, & ad officiorum mutationem, quam humanæ ſocietatis arctiſſimum vinculum maximumque præſidium eſſe ſæpius prædicavimus, magis magiſque impelluntur. Quid enim aliud eſt ejuſmodi officiorum mutatio, quam mutua hominum privatorum bonorum diſtributio cuique pro menſura & magnitudine ſuorom erga nos meritorum facienda. Sic teſtator, qui de re ſua teſtari atque legari vult, diſtributivam juſtitiam obſervaſſe dicitur, quando de illis diſponit in favorem eorum quibus plurimum debet, quoniam & iis maxime convenit bona relinqui, recta ratione ſuadente & æquitate, cujus unicus finis & ſcopus eſt, ut cuique ſuum tribuatur, quod hac potiſſimnm fit ratione, quando non ſolum illis qui in civitate ſummæ rerum præſunt de communibus bonis ſingulis membris pro ratione dignitatis & meriti portionem debitam aſſignant, verum etiam cum privatus de bonis ſibi propriis partes faciat eaſque ſociis diſtribuat, vel teſtamento, vel donatione, vel quocunque alio modo, habita ratione perſonarum in quas bona ſua transfert. Quamobrem merito inquit Autor perperam dici a nonnullis attributricem verſari circa res communes, expletricem circa res ſingulorum, quaſi juſtitia diſtributiva ſua deberet ſocietati civili incunabula, cum potius diceretur, quemadmodum in recta ratione fundatur, ita & ex ea deducitur, ideoque cum humano genere orta, nam ab ipſo mundi primordio cum per familias homines diviſi vivebant obtinuit, aſſignando cuique familiæ membro de communibus bonis convenientes portiones, tum etiam inter ſingula humanæ ſocietatis membra bona ſua diſtribuendo pro ratione qua ſibi invicem mutuis meritis & officiis obligati erant, vel qua quis de bono publico communis ſocietatis meritus erat, quoniam propter unius alicujus membri merita erga communem ſocietatem videtur cæteris obligationem incumbere, qua tenentur bene de repub. meritum etiam in diſtribuendis propriis bonis cæteris præferre, quia quatenus de ſalute communi humanæ ſocietatis ſingulorum quoque dependet beatitudo, eatenus quiſque pro rata portione obligatur reſpondere meritis & dignitati iſtius membri, quod ad conſervationem totius cæteris impendit majora opera. Sic ſallit quoque illa, quam nonnulli de juſtitia expletrice ſive commutativa tradunt, regula, quod nimirum ea circa res ſingulorum verſatur, idque ex eo patet, ut inquit Autor, *quia civitas quæ de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, nonniſi expletricis juſtitiæ officio fungitur.* Hoc enim in caſu civis nanciſcitur jus perfectum, id eſt jus exigendi & ſuo jure poſtulandi & perſequendi, quod civitas ipſi debet pro impenſis operis. Verum qui hoc noſtri Authoris argumentum non admittunt, reſpondent *illam reſtitutionem de communi quibuſdam membris civitatis pro eo quod in publicum impenderunt factam, non procedere ex communi qua tali, ſed de communi ut imitatur naturam illorum bonorum, quæ ſingulorum ſunt, neque etiam civi fieri, qua tali aut quatenus eſt membrum reipub. neque etiam hoc in caſu civitatem ſe habere per modum principis præmiantis, ſed per modum partis contrahentis; ut itaque in contractibus ſolet obſervari juſtitia commutativa, ſi privatus cum privato contrahat; ita quoque in tali caſu civitatis cum aliquibus. Ut ergo actus aliquis ad juſtitiam diſtributivam pertinere dicatur, requiritur imprimis, 1. ut diſtributio fiat ex re communi. 2. ut detur civi qua tali, ſeu quatenus eſt membrum reipub.* Videntur mihi non ſatis diligenter examinaſſe noſtri Autoris mentem, qui ejus argumentum hac reſponſione evertere conati ſunt, neque etiam percepiſſe vim diſtinctionis ſpecificæ juſtitiæ diſtributivæ & commutativæ, in eo meo judicio potiſſimum poſitam, quod illa reſpicit aptitudinem, id eſt dignitatem & meritum perſonæ, hæc vero ad ea pertinet, quæ in commercium cadunt, & de quibus inter homines contractus celebrantur; illa Geometricam, hæc Arithmeticam proportionem ſervat, itaque diſtinguuntur hæ juſtitiæ particularis ſpecies, & objectis & proportionum uſu. Cui accedit & alterum diſcrimen, quod eſt juris diverſitas, quo quid alicui competit, quod enim alicui propter aptitudinem competit, ad illud tantum habet jus imperfectum. Ad quod vero habendum vel agendum facultatem quis habet, jure perfecto ipſi debetur, & conſequenter jure ſuo petere poteſt, cujus generis omnia quæ ex contractu, vel quaſi, expreſſo vel tacito debentur. Id vero utrique ſpeciei commune, quod circa res verſantur, non ſolum particulares, ſed etiam communes, verum illa circa res verſatur quatenus in diſtribuendis rebus inter diverſas perſonas earumque digni-

dignitates relationem habet, ejuſque meritis æquales eſſe debent partes quæ cuique in diſtribuendis rebus vel communibus vel privatis aſſignantur ſecundum Geometricam proportionem. Hæc principaliter concernit res quæ contractuum objecta ſunt, & in commercium cadunt, ſcil. ut res rei adæquetur, eatenus quoque perſonas reſpiciens, quatenus omnes res hominum cauſa comparatæ, atque neceſſario ad eos referuntur. Ex quibus concludo in errore verſari qui ſibi perſuadent, illud ipſum juſtitiam attributricem vel diſtributivam ab expletrice ſive commutativa diſtinguere, quod illa circa res communes, hæc autem circa res ſingulorum verſatur, quippe non rerum diſtinctio, ſed proportionum in utraque juſtitiæ ſpecie obſervatur, quod aperte affirmant exempla ab Autore allegata. Quod civitas in reſtituendo civi ex communi quod in publicum impendit non ſeſe habeat per modum principii præmiantis civem qua talem, id eſt membrum reipub. ſed per modum partis contrahentis, id ipſum non mutat naturam rerum communium civitatis, ſed tantum proportionis uſum, quam ſupra diximus non uno eodemque modo obſervari poſſe, quamvis juſtitiæ ſpecies ſemper maneant eædem, neque diverſam res ſibi naturam, (id eſt quæ communes ſunt privatæ fiunt) induunt, quod in dicto caſu civitas tanquam pars contrahens conſideretur, quippe obligatur quidem tanquam privatus, ſed non reddit de communi, quod cives quidam impenderunt, tanquam privata, ſed publica perſona civitatem repræſentans, ideoque nomine totius parti ſive membro ſatisfit ab eo qui civitati præeſt, obſervans proportionem Arithmeticam, quia ex perfecto jure ejuſmodi debitum derivatur. Rerum enim communium diſtributio nulli competit niſi ad quem reipub. adminiſtratio pertinet. Nec reſtitutio, quæ ex rebus communibus fit civi, poteſt propter debitum ex jure perfecto deſcendens conſiderari tanquam a privato facta ſuo creditori, quoniam & ipſe civis, cui fit, ſuam ad reipub. ſuſtinenda onera confert partem, & ita aliquo modo ipſi ſatisfit e re propria. Quod argumentum eſt, illam reſtitutionem de communi fieri ab eo qui reipub. adminiſtrat negotia. Quippe ſi non ex communi qua tali procedit reſtitutio, ſane ipſi creditori primum portio ſua pro rato debiti eſſet reſtituenda, & tum demum ſolvendum quod ipſi debitum, quo caſu dici poſſet communia illa bona detracta portione quam contulit civis conſiderari poſſe tanquam privata, quia in illa jam nihil habet juris. Sed maneat cuique ſuum judicium liberum, fortaſſe & ipſe graviſſime fallor, dum alios erroris arguo. Verum cum errare humanum ſit, neminem pudeat erroris convictum, rejecta priori opinione, eam amplecti, quam duce recta ratione veritati magis conjunctiorem perſpicit. Quamvis ſtrenuum & acerrimum aliquando ſeſe ejus defenſorem & propugnatorem præbuerit. Hinc tot errores quorundam obſederunt animos, quia nihil vero conſentaneum putant, quam quod in proprio cerebro conflatum, cui tam denſæ ſæpiſſime offuſæ ſunt tenebræ, ut verum a falſo diſtinguere non valeant, vel ſi quidem ſuos errores detegunt, enixe iis adhæreſcunt, quia errores confitendo putant ſeſe famæ prodigos haberi, & conſequenter in iis perſeverare, quam veritatem amplecti malunt. O magna capita ſi cerebrum haberent!

IX. 1. Eſt & tertia juris ſignificatio, quæ idem valet quod lex, quoties vox legis largiſſime ſumitur, ut ſit regula actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt. Obligationem requirimus: nam conſilia, & ſi qua ſunt alia præſcripta, honeſta quidem, ſed non obligantia, legis aut juris nomine non veniunt. Permiſſio autem proprie non actio eſt legis, ſed actionis negatio, niſi quatenus alium ab eo cui permittitur obligat ne impedimentum ponat. Diximus autem, ad rectum obligans, non ſimpliciter ad juſtum, quia jus hac notione non ad ſolius juſtitiæ, qualem expoſuimus, ſed & aliarum virtutum materiam pertinet. Attamen ab hoc jure, quod rectum eſt, laxius juſtum dicitur.

COMMENTARIUS.

SUperius annotavimus jus multipliciter accipi, atque interdum etiam ſignificare *legem*, id eſt, *regulam actuum moralium obligantem ad id quod rectum eſt.* Legis voce in latiſſima ſignificatione ſumpta; lex enim & jus quamvis confundantur ſæpiſſime, attamen differunt a ſe invicem, ut indicat Pomponius in *l. 2. ff. de orig. jur.* cum inquit, *Et quidem initio civitatis noſtra populus ſine lege certa, ſine jure certo, primum agere inſtituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur.* Affirmat hoc quoque Tullius 1. *de ll. Quibus*, inquit, *ratio a natura data eſt, eiſdem & recta ratio, ergo & lex, quæ eſt recta ratio in jubendo & vetando, ſi lex, jus quoque: at omnibus ratio, jus igitur omnibus datum eſt.* Jus itaque a lege differt tanquam effectus a

ſua cauſa. Præcipit lex, quod præceptum eſt, jus, non lex vocari debet, omne itaque præceptum a lege profectum jus eſt, lex vero quæ præcipit, hæc itaque cauſa, illud effectus, affirmante Cajo Jcto in *l. 9. ff. de juſt. & jur.* cum inquit, *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur. Vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur.* Naturalis ratio nihil aliud ſignificat quam legem naturæ, nam ita commode definiri poteſt lex naturalis, quod ſit *recta ratio imperans bona, vetans contraria.* Ex quibus verbis perſpicimus appellationem juris non ad legem, ſed ad præcepta, quæ a lege naturæ ſive naturali ratione proficiſcuntur, eſſe referendam. Hinc dicitur jus derivari, a juſſu, id eſt a lege, quippe nihil aliud eſt lex quam populi juſſus, quare in *ll. XII. tab. Juſſus populi & ſuffragia ſunto. Quodcunque populus juſſit, id jus ratumque eſto.* Verum perperam quidam in tractatu ſuo de *legibus* exiſtimat præceptum eſſe quiddam a lege diverſum & legi ſuperadditum; ita ut lex ſit ordinatio quædam quæ fieri debet, præceptum autem id quod obligationem inducit; quæ diſtinctio mihi non arridet, propterea quod omnes leges continent vim obligandi, & conſequenter non ſimplices ordinationes vocare poſſumus, verum ordinationes & regulæ ſive norma agendorum cum imperio & vi obligandi conjunctæ dicendæ ſunt. Hæ enim legis cum naturalis, tum etiam civilis virtutes *imperare* & *vetare*, & conſequenter obligationem atque imperium includunt. Si enim mera ordinatio faceret legem, cujuſcunque ordinatio de re aliqua peragenda vel perficienda vim legis haberet, quod abſurdum. Potius itaque dicitur lex ordinatio quædam cum univerſali obligatione. Præceptum vero communis ordinationis applicatio & determinatio. Concedimus itaque Autori pro varia juris ſignificatione & uſu jus ſæpe aliquid diverſum a lege ſignificare, aliquando vero idem cum ea denotare. Et hoc ſenſu merito dicitur *regula*, quia dirigit actiones humanas in finem, finis iſte eſt convenientia cum legibus ſive divinis ſive humanis. Sic quoque Senec. 4. de *benef. cap.* 2. dicit *legem eſſe juſti & injuſti regulam.* Et *lib. 2. cap. 27. Latius patere officiorum quam juris regulam.* Cui illud Clement. Alexandr. 1. *Strom.* convenit, cum legem dicit *regulam juſtorum & injuſtorum.* Sic etiam Chryſippus *in l. 2. ff. de ll.* Dicit vero *legem eſſe regulam actuum moralium*, ſumpto eo ſenſu *moralitatis* vocabulo, qui ſignificat convenientiam cum omni lege, id eſt tam divinis quam humanis, cum omni inſtituto, atque omni *probata vetuſtate conſuetudine*, ut inquit Iſidorus, ideoque latius patet quam in morali diſciplina ſumitur, ubi tantum refertur ad convenientiam cum lege naturæ ſive morali, moralitas itaque actus humani conſiſtit in ſubjectione ejus ad regulas morum. Verum notandum dupliciter aliquid moraliter dici poſſe, vel ratione naturæ ſuæ, cujus generis ſunt omnia quæ naturæ lumen ſive recta ratio dictat agenda, vel per impoſitionem ſummi imperantis, qualia ſunt quæ legibus humanis præcipiuntur vel prohibentur. Illa ſua natura neceſſario agendi vel abſtinendi neceſſitatem imponunt. Hæc tantum obſtringunt ex voluntate ſuperioris, per ſeſe ante legem indifferentia. Quia vero lex continet neceſſitatem faciendi vel omittendi, hinc dicitur regula actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt, eſt enim obligatio de legis eſſentia. Quippe cum legis virtus ſit imperare, vetare, neceſſario ex ea oriri debet obligatio, qua tenentur homines exequi quod lex jubet, omittere quod vetat; quorſum enim præceptum vel prohibitio, niſi ad obſequium adſtringeret? Huc facit illud Hieronymi, *quod præcipitur imperatur: quod imperatur neceſſe eſt fieri. Si non fiat pœnam habet. Lex eſt*, inquit Demoſthenes, *cui obtemperare convenit l. 2. ff. de leg.* Poteſt autem ejuſmodi obligatio definiri, quod ſit *relatio rationis, qua neceſſario qui ſub lege eſt, cum lege conformari debet.* Aliter quoque dicitur *vinculum juris quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei præſtandæ.* Vel qualitas moralis operativa, qua quis præſtare vel pati quid tenetur. Injicitur enim per eandem velut frænum aliquod morale noſtræ agendi libertati, ut in diverſam, quam quo illa ducit, partem tendere recte non poſſumus. Puſend. *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. Verum cum ejuſmodi obligationis definitio quoque ad privatorum hominum contractus aliaque juris vincula pertineat, ideoque nimis generalis videtur, magis ea, quam priore loco deſcripſimus, tanquam legi maxime propria, mihi arridet, (ſcil. in ſtatu civili, nam de conſiliis divinis egimus ad *Prolegomena*). In eo itaque differt lex a conſilio, quod conſilia non obligant, legi vero neceſſario obligatio ineſt ad aliquid faciendum vel omittendum. Hac diſtinctione ipſe Paulus utitur 1 *Cor.* 7. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, id eſt non præcipio, ſed ſuadeo ut amicus; voluntatis itaque eſt vel ſequi vel repudiare conſilium meum, quia obligatorium non eſt, ut conſtat ex §. 6. *inſt. mand.* & *l. 2. §. 6. ff. eod.* ubi Gajus, *Tua autem gratia intervenit mandatum, veluti ſi tibi mandem, ut pecunias tuas potius in emptiones prædiorum colloces, quam fœneres, vel ex adverſo, ut fœneres potius, quam in emptiones prædiorum colloces, cujus generis mandatum magis conſilium eſt, quam mandatum, & ob id non obligatorium eſt, quia nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui dabatur: quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium*, modo fraus abſit, nam ut in *l. 47. ff. R. J.* dicitur, *Conſilii non fraudulenti nulla eſt obligatio.* Ex hiſce itaque concludimus cum Authore legem non eſſe idem quod conſilium, cum illa obliget, hoc non item. vid. Puſend. *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. Quod vero permiſſionem attinet, videtur & eam legi, quatenus lex definitur regula obligans & civibus neceſſitatem vel aliquid faciendi vel omittendi imponens, annumerari non poſſe. Quamvis a Modeſtino in virtutum numero, quas de lege præ-

prædicat, etiam permiſſio habeatur. Virtus legis vocari nequit eo ſenſu quo dicit Cicero omnem virtutem in actione conſiſtere, permiſſio vero non eſt legis actio, ſed actionis negatio, ergo ne legis virtus eſt quemadmodum prohibitio & juſſio. Prohibendo & præcipiendo lex operatur ſive aliquid agit, quoniam obligationem inducit, & neceſſitatem imponit civibus facere quod juſtum & honeſtum eſt. Neque etiam pro poteſtate vocabulo virtutis ſumpto permiſſio virtus legis appellari poteſt, quia ejuſmodi poteſtas in imperando conſiſtit, ideoque in agendo, obligat enim omne præceptum; producendo itaque obligationem agit aliquid: quippe obligationem imponere, eſt aliquid producere, quod ante legem promulgatam non erat; permiſſio autem nihil novi operatur, quia in ſtatu naturali, id eſt libertatis, manent homines, in quo ipſis competit facultas faciendi & agendi quod libet, ſcil. quoad ea quæ neque vi neque jure prohibentur: nam ea permiſſa intelliguntur & in cujuſvis arbitrio poſita, quæ lex neque imperat neque vetat. In ſtatu primævo, id eſt integro, qui proprie naturalis hominis ſtatus dici poteſt, omnia permiſſa erant, quia nihil cupiebat quam quæ juſta & rectæ rationi ſive divinæ imagini, qua ornatus erat, congrua erant, ideoque ſuopte ingenio honeſta petens, opus non erat legum vel pœnarum metu bonum efficere, & ad ea quæ juſta & recta ſunt impellere. *Jus enim bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat*, Saluſt. *Bel. Catilin.* Verum ubi excidit homo integro ſtatu ſuo, ſtatim voluntas ad vitia prona legibus cohiberi debuit, & illa vivendi libertas illaque ad omnia facienda permiſſio ſuis debuit coërceri limitibus, & neceſſarium fuit regulam & normam agendi præſcribere. Hinc leges latæ actionum directrices, & nihil veteris libertatis ipſi manſit reliquum, niſi exigua quædam portio, conſiſtens in libertate agendi vel omittendi ea de quibus leges non diſponunt, & conſequenter ejus arbitrio reliquerunt, quæ omnia dicuntur permiſſa. Itaque vox *permiſſio* in propria ſignificatione denotare nequit virtutem ſive effectum legis, quoniam potius videtur legis negationem inferre, quia ubi nulla lex, ibi permiſſa & licita omnia, vel ubi leges invaluêre multum de permiſſione detracta & imminuta, ita ut nulla jam permiſſa niſi quæ legibus nec vetantur nec præcipiuntur, cujuſmodi permiſſio non deſcendit ex lege vel ejus diſpoſitione, verum ex ipſo naturali hominis ſtatu, non corrupto, ſed integro, in quo ipſi omnia permiſſa & licita, quia omnes inclinationes rectæ rationi conſentaneæ, & conſequenter etiamſi lex nullam mentionem faciat eorum quæ permittuntur, permiſſa tamen intelliguntur, quia non prohibita: illud enim conſequens ex ipſa rei fluit natura. Hæc omnia ſeſe ita habent, quando ſolummodo propriam vocis ſignificationem ſpectemus. Notandum tamen permiſſionem non ad ea pertinere niſi quæ honeſta ſunt, nam ea, quæ inhoneſta ſunt, nunquam permitti poſſunt, quia per ſe ſemper illicita, & conſequenter vetita ſunt. Quamobrem Paulus *l. 15. ff. de condit. inſt.* *Facta quæ lædunt pietatem, verecundiam, exiſtimationem noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Quod itaque dicitur in *l. 144. ff. de Reg. Jur.* *Non omne quod licet honeſtum eſſe*, ſano ſenſu interpretari debemus, ſcil. non omnia, quæ permiſſa ſeu licita, id eſt legibus impunita ſunt, de quibus leges non diſponunt & quidem civiles, honeſta eſſe. Nam nihil honeſtum quin permiſſum, nihil autem inhoneſtum, quin vetitum, ſi non per leges civiles, ſaltem naturales. Et eo ſenſu illud Pauli, *in d. l.* interpretandum. Lege enim naturæ nihil permiſſum quam quod honeſtum, id eſt quod licet & oportet facere. In foro autem ſoli, ubi civile jus maxime obtinet, quandoque quædam permitti poſſunt, quæ ſua natura non quidem licita, ſed quia legiſlator civilis, hominum pudori & conſcientiæ quædam relinquens, neque vetat neque punit. Optime hac de re M. Tull. pro *L. Cornelio Balbo.* *Nunc vero quid dicitur, quid ait accuſator feciſſe Pompejum quod ei facere non licuerit? quod gravius, quam ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet. Eſt enim aliquid quod non oporteat etiamſi licet: quicquid vero non licet, certe non oportet. Quicquid enim non licet, honeſtum non eſt, & non quicquid licet, id etiam honeſtum eſt, imo vero plerumque non oportet.* Et idem pro *Rabirio Poſthumo.* *Hic jam*, inquit, *judices, veſtri conſilii res eſt, veſtra ſapientiæ: quid deceat vos, non quantum liceat vobis ſpectare debetis; ſi enim quod liceat quaritis, poteſtis tollere civitate qua vultis*, &c. *ubi igitur ſapientia judicis? in hoc, ut non ſolum quid poſſit, ſed etiam quid jubeat, ponderet: nec quantum ſibi permiſſum meminerit ſolum, ſed etiam quatenus commiſſum.* Quamobrem Claudianus, Imperatorem Honorium admonens, ut in vitæ ratione inſtituenda tractandoque imperio non ſolum quid ſibi permiſſum & licitum eſſet, ſed etiam quid deceret ſpectaret, ita canit:

- - - *ſed comprime motus:*
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domes reſpectus honeſti.

E quibus perſpicimus, quod legibus neque prohibetur, neque punitur, id ſtatim permiſſum & licitum ſcil. in ſe, licitum quidem quoad impunitatem, verum non quoad honeſtatem. Non fugit me aliquando malum permitti, ut majus malum vitetur. Verum ejuſmodi permiſſio potius tolerantia & conniventia quædam dicitur quam permiſſio, ſecundum quam quæ permittuntur, approbantur tanquam honeſta & recta. Quæ itaque lex non prohibet, tacite permiſiſſe videtur, verum non ideo omnia ea honeſta & recta. Sed ut clarius quæſtionem tractemus oportet notare, quædam permitti jure naturæ, quædam jure civili. Quæ permittuntur jure naturæ, oportet ea eſſe vel honeſta per ſe, vel ſaltem non turpia, id eſt honeſtati plane contraria; eaque vel tacite permittuntur, vel expreſſe: tacite permiſſa, quæ non prohibita neque jure divino neceſſario neque voluntario, ſcil. neque lege morali, neque forenſi. Quæ per ſe honeſta non

ideo tamen ſemper facere permiſſa, quia legibus aliquando propter varias circumſtantias prohibita; ſic olim mundi initio conjugium inter fratrem & ſororem fuit honeſtum, imo etiam neceſſarium ad humani generis propagationem, ideoque nulla prohibetur lege naturæ, permiſſum itaque & licitum; verum multiplicato jam genere humano, interdixit ſummus rerum arbiter & legiſlator ejuſmodi matrimonium, ideoque non amplius permiſſum, & conſequenter inhoneſtum, non quidem moraliter, ſed legaliter, quippe ſi fuiſſet moraliter malum, id eſt ſua natura Dei ſanctitati contrarium, nunquam fuiſſet hac ratione genus humanum propagatum, qui enim poteſt permittere Deus quæ ſanctitati ſuæ repugnant? Cui accedit, quod mutationi non ſunt obnoxia quæ moralia in propria ſignificatione dicimus, quia immediate, ut ſuperius diximus, ex ipſa divina fluunt natura; ſic olim permiſſa polygamia, non quidem quia per ſe honeſta ideoque non prohibita, verum quia non morali honeſtati contraria, lege non expreſſe vetita, & quidem propter duritiem quæ obſederat animas illius populi. Quæ autem expreſſe permiſſa dicuntur ſunt ejuſdem naturæ cujus priora. Expreſſe dicuntur permiſſa, quæ alicui tribuunt facultatem agendi vel faciendi contra juris tenorem, id eſt vel honeſta per ſe adeoque præcepta, attamen abrogata & denuo legiſlatoris voluntate permiſſa: vel honeſtati non quidem contraria attamen vetita, & denuo permiſſa. Sic per ſe honeſta & præcepta eſt viri & mulieris perpetua habitatio, quamobrem matrimonium definitur, quod ſit *viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens*. Atque etiam Chriſtus docet conjugium a Deo inſtitutum, ut indiſſolubili vinculo ligaret marem & fœminam. *Quod Deus conjungit homo non ſeparet*, *Matth.* 19. Permiſit tamen Deus per Moſen in foro politico dare libellum repudii, & quidem permittit dando marito diſcedendi ab uxore facultatem vel poteſtatem, vid. *Deut. cap.* 24. Sic etiam jure divino voluntario vetita multa quæ per ſe non inhoneſta, propter varias rerum circumſtantias, quibus ſublatis iterum expreſſe permiſſa fuerunt, cujus generis ſunt omnes fere leges cæremoniales Judæorum & pleræque forenſes, ſic ciborum & dierum diſtinctio, ſic vetitum Judæis quædam animalia in cibum admittere, quæ in cibum capere Chriſtianis permiſſum. Egregium hujus permiſſionis exemplum videre eſt *Act. Apoſt. cap.* 10. ubi legimus, cum Petrus in ſuperiora domus aſcendiſſet ut oraret circa horam ſextam, & cum eſuriret, eum noluiſſe guſtare cibum. Parantibus vero illis cibum, irruit ſuper eum mentis exceſſus. Et vidit cœlum apertum, ac deſcendens ad ſe vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis alligatum, ſummitti e cœlo in terram, in quo omnia erant quadrupedia terræ, beſtiæque, & reptilia, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum, ſurge Petre, macta & veſcere Ait autem Petrus, nequaquam Domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Et vox rurſus iterum ad eum, quæ Deus purificavit, tu communia ne dixeris. Erant in linteo quæcunque animalia munda & immunda (ſit enim ferarum mentio, quarum multæ immundæ vid. *Levit.* 11. *v.* 27. ſic etiam & piſcium & volatilium multa immunda *eod. v.* 14. 15. 16. 17. 18. 19.) Verum cum non fugiebat Petrum quorum uſus interdictus erat lege Moſaica ceremoniali, declinabat guſtare quod commune erat, id eſt quod erat impurum ſive immundum. Sed vox iterum ad eum, clara teſtabatur voce permiſſum jam eſſe guſtare ea omnia quorum uſus antiqua lege interdictus fuerat, omnia jam munda ſunt & purificata Chriſti adventu. Hinc Paulus *ad Coloſſ. Epiſt.* 2. *Ne quis igitur vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut novilunii, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra rerum futurarum, corpus autem Chriſti.* Abrogavit enim Chriſtus ritus & leges iſtas ceremoniales, deleto, quod adverſus nos erat, chirographo, & ſublatis decretis, quæ nobis contraria erant, crucique affixis, conceſſit & permiſit contra veteris tenorem juris liberiorem ciborum & dierum uſum. Hæc ſufficiunt de permiſſione in moralibus ſive jure divino neceſſario, tum etiam voluntario, quatenus in illis locum ſibi vendicat. De jure poſitivo ſive legibus civilibus idem dicimus, nam & quædam tacite permiſſa quia non prohibita, quædam expreſſe contra tenorem juris permittuntur. Verum obſervandum permiſſionem quæ legibus civilibus conceditur, non extra ejus limites extendendam, ſi enim quædam permiſſa videantur, quia non vetuit legiſlator, quæ honeſtati naturali contraria ſunt, in foro civili quidem extra legis pœnam eſſe poſſunt, per ſe tamen nunquam licita vel permiſſa cenſeri debent, quia nulla permiſſio ſive tacita ſive legibus expreſſa efficere poteſt, ut jus naturale ſive divinum neceſſarium in foro humano locum habeat, vel etiam voluntarium, ſi non conſtet abrogatum divina voluntate vel diſpenſatione, eatenus ut poteſtas civilis nemini eivi permittendi facultatem habeat id faciendum id quod rectæ rationis dictamen dictat juri morali vel naturali, id eſt divino neceſſario, vel etiam voluntario contrarium eſſe. Ejuſmodi permiſſiones vocat permiſſiones actionum *imperfecte licitarum* Puffend. *lib.* 1. *cap.* 6. Permittit autem lex civilis aperte vel expreſſe, cum quid concedit & dat, quod prius jure non fieri videbatur: ut actionem in iis cauſis quæ ante non erat, vel erat quidem, ſed aliud quoddam juris impedimentum obſtabat, quod actionem eludebat, quo ſublato reviviſcit prior agendi facultas. Sic lex dat hæreditatem quibus delata eſt, bonorum poſſeſſionem emancipatis, in integrum reſtitutionem minoribus & majoribus ex quibuſdam cauſis. Sic regulariter omnes caſus excepti a regula prohibente cenſentur permiſſi, ſicut excepti a permiſſiva cenſentur prohibiti. Verum optime monet Puffend. *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. quando dicitur permiſſum, quod nulla lege vetante aut jubente definitum eſt, non cavillanda eſſe verba legis civilis, ſed mentem inſpiciendam. *Multa enim*, inquit, *continentur*

tinentur in ſenſu legum, & ex neceſſaria conſequentia, aut propter ſimilitudinem ultro intereſſe intelliguntur. Quamobrem non ſtatim permiſſa intelligi debent quæ non expreſſe prohibita: ſcimus enim leges non poſſe comprehendere omnes caſus qui quandoque incidere poſſunt. *Non poſſunt*, inquit Julianus, *omnes articuli ſigillatim aut legibus aut ſenatusconſultis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere atque ita judicare debet l. 42. ff. de ll.* Verum cum ſuperius diximus permiſſionem non proprie eſſe legis effectum virtutemque, propterea quod obligationem non pariat, poſſit hic quæri an expreſſa legis permiſſio non obligatoria videatur, quæ dat poteſtatem agendi vel faciendi aliquid invito etiam tertio & conſequenter eum obligat ne impedimentum alteri ponat, ut jure ſuo permiſſivo utatur. Verum ſi dicam quod ſentio, ejuſmodi obligatio non deſcendit ex ipſa permiſſione, verum ex voluntate ſummi imperantis prohibente, quæ ejuſmodi permiſſioni tacite & quidem neceſſario ineſt, quemadmodum prohibitioni tacitum ineſt præceptum, & præcepto tacita prohibitio, præſertim in moralibus: prohibitio enim mali neceſſario continet præceptum boni, & ſic vice verſa, ſed diverſa tamen cauſa prohibendi & præcipiendi. Sic eo ipſo, quo leges alicui concedunt aliquid agendi, etiam prohibent ne quis ejuſmodi liberam agendi facultatem habenti impedimento ſit, quo minus ea uti poſſit. Agendi libera facultas ex permiſſione deſcendit; obligatio, qua tenentur alii idem concedere & pati, ſive quæ prohibet ne permiſſionis uſum quis impediat, ex voluntate præcipiente vel prohibente ſummi imperantis dimanat. In fine hujus paragraphi reddit Author rationem quare dixit *legem obligantem ad id quod rectum eſt*, non ſimpliciter ad juſtum. Verum Authoris ratio tanta apud me auctoritate non pollet, ut legis definitionem carperem, ſi quiſdam dixiſſet eſſe *regulam obligantem ad id quod juſtum eſt*. Utrumque enim latiſſime patet, ita ut omnes omnino virtutes complectatur. Quamobrem ſæpiſſime quoque conjunguüntur tanquam ſynonyma idem ſignificantia, ut apud Cic. 1. *Off. Nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium.* Quod enim juſtum eſt etiam honeſtum dicimus, quod honeſtum etiam rectum. Quippe quemadmodum honeſtas continet omnium virtutum compagem; ita & id quod juſtum dicimus nihil aliud eſt quam convenientia cum honeſtate, ſive cum naturæ legibus & officiis, quæ in humana ſocietate obſervari debent. Et eodem modo dicimus rectum eſſe, quod cum honeſtate conjunctum eſt, id eſt conveniens rationis dictamini, & humanæ ſocietatis conſervationi inſervit, quamobrem cum honeſtate conjungitur. *Ratio recta honeſtaque vita* apud Quintil. Sic iterum *recte* pro *juſte* apud Terent. *Andr.* 5.4. *Pater non recte vinctus eſt*, id eſt, *juſte*. Quicquid igitur rectum id juſtum, & quod juſtum rectum nuncupamus, ſumpto juſti vocabulo in genere pro omni quod virtuoſum eſt in omni vitæ genere, cum in ſocietate naturali, tum etiam civili: nam leges ſive naturales ſive civiles circa utriuſque ſalutem ſive conſervationem verſantur tanquam objectum quo collimant; nullum itaque diſcrimen inter rectum & juſtum dari mihi videtur, niſi quod aliquando latius, aliquando ſtrictius vox juſtum ſumatur, quemadmodum juſtitia univerſalis & particularis nihil a ſe invicem differunt niſi extenſione & vocis latitudine.

2. Juris ita accepti optima partitio eſt, quæ apud Ariſtotelem exſtat, ut ſit aliud jus naturale, aliud voluntarium, quod ille legitimum vocat, legis vocabulo ſtrictius poſito: interdum & τὸ ἐν τάξει conſtitutum. Idem diſcrimen apud Hebræos reperire eſt, qui cum diſtincte loquuntur, jus naturale vocant מצות, jus conſtitutum חקים, quorum illud δικαιώματα, hoc ἐντολὰς ſolent vertere Helleniſtæ.

COMMENTARIUS.

NOn nulli putant rectius dividi legem in divinam & humanam; divinam in neceſſariam & voluntariam. Neceſſaria dicitur jus naturale. Voluntaria, quæ a Dei voluntate dependet, ideoque mutari poteſt atque diſpenſationem admittit, ſecundum ſummi legiſlatoris beneplacitum. Hujus generis fuere leges Hebræorum forenſes & ceremoniales, quæ tamen non omnes ejuſdem fuere naturæ: nam legum forenſium quædam ex moralibus, ceremonialibus & forenſibus compoſitam rationem habuerunt; quædam deinde ceremoniis permixtæ fuerunt; quædam ad politiam Moſaïcam; quædam ad ſtatum civilem & Reipub. Judaïcæ formam peculiariter attemperatæ fuere: quædam cum lege naturæ & morali conſentiunt. Cujuſmodi diſtinctio egregium preſtat uſum in acquirenda juris divini voluntarii perfectiori cognitione, ut infra ſuo loco demonſtrabimus. Alii aliam legum diviſionem excogitarunt, vel enim conſideratur lex in *divina mente*, ex qua procedunt leges providentiæ; vel in *fato*; vel in *natura*, unde leges naturales; vel in *humana ratione*, unde leges humanæ rationis. Cujuſmodi quadripartitam diviſionem & ipſe agnoviſſe Plato videtur. Cum legem *primam* in ideis vigere dixit;

Secundam in rationibus animæ mundi; *Tertiam* in ſermonibus naturæ; *Poſtremam* in notionibus humanæ rationis. Alii tres tantum legis ſpecies conſtituunt, nimirum *æternam*, *naturalem*, & *humanam*. Lex æterna notat decretum Dei de regimine rerum. Lex naturæ dicitur, quæ per generationem implantatur. Lex humana vocatur, quæ a ſapientibus fertur. Hiſce ſpeciebus quartam adjiciunt, nimir. legem Moſaïcam a Deo per miniſtrum & internuncium Moſen Iſraëlitis promulgatam. Verum quorſum tot legum diviſiones conſtituere, cum ſufficiat generalis illa quæ cæteras omnes complectitur, quam jam primo loco deſcripſimus, ſcil. legem aliam eſſe divinam ſive naturalem, aliam humanam; vel, ut inquit Author, jus (juris vocabulo pro lege ſumpto) aliud naturale, aliud voluntarium. Annotavimus ad *Prolog.* jus naturæ derivandum ex ipſa divina natura, & quidem neceſſario ex ea immediate fluere, ideoque commode dici poſſe jus divinum neceſſarium, & immutabile, atque æternum, quia æternam & immutabilem cauſam habet. Voluntarium iterum eſt vel divinum vel humanum; hoc conſiſtit in legibus humanæ ſocietati propriis, ideoque apud diverſas gentes receptum, vel ad cujuſque reipub. ſtatum civilem accommodatum ab ſummi imperantis voluntate dependens, ideoque mutabile; illud jus civile latius, hoc arctius patens appellat Author, de quo ſuo loco. Nullam enim agnoſcimus legem æternam a naturali ſive morali diſtinctam. Quippe quemadmodum cauſa unde legem naturalem derivandam neceſſario probaſſe ſperamus, eſt ens ſimpliciſſimum, cujus conſequenter naturæ multiplicatio adverſatur & plane contraria eſt, itaque quoque una eademque lex ex ejuſmodi cauſa neceſſario dimanat, quæ omnibus creaturis certa quædam regula & agendorum norma eſt. Si enim alia eſſe lex æterna, alia naturalis, ſequeretur diverſos quoque fines ex divina natura profluere, verum quod immediate ex divina eſſentia derivatur, ad unum eundemque tendere ſcopum, unum idemque habere objectum debet, quia nullum objectum Deus habet quam ſeſe ipſum, quapropter æterna illa de ſingulorum individuorum actionibus diſpoſitio, quæ nihil aliud eſt quam lex naturæ præſcribens normam & regulam agendi, omneſque res ordinat ad finem Dei æterno decreto convenientem, nihil aliud eſt quam operationes ſingulorum individuorum innatæ ſuæ naturæ conſentaneæ. Cujuſmodi operationes, quamvis ſecundum diverſam eorum naturam multifariæ ſint, attamen ex una eademque voluntate & lege procedunt, & ad unum eundemque tendunt ſcopum. Cui accedit, quod definitio, quam de æterna lege tradunt doctores, revera nihil aliud eſt quam ipſa legis naturæ definitio, definiunt enim eam eſſe *menſuram ſummamve rationem in divina mente ab æterno conceptam de modo regendi mundum, & dirigendi omnes actus creaturarum.* Rationem æternam, cui ſemper obtemperandum eſt, vocat eam Auguſtinus. Alii eam dicunt *juſtiſſimam rationem Dei, qua mundum regit, eoque ratio ſit omnium agendorum.* Si lex æterna ſit ratio omnium agendorum & regula omnium actuum qui a creaturis, pro cujuſque conditionis facultate & naturæ capacitate, proficiſcuntur, nihil lex æterna differt a lege naturæ, quæ eſt regula cujuſque individui vel cujuſque creaturæ ad certum modum exiſtendum & operandum; modus iſte eſt æternum Dei decretum, & ſumma ratio divinæ naturæ inſita, quæ obligat ſingula individua ad finem, quem ſibi ſummus rerum arbiter producendo ſingula propoſuit, tendere, cujuſmodi ad finem decurſus eſt legi naturæ actus conſentaneus, & conſequenter ejus executio & adimpletio, ut latius demonſtravimus in *annotat. ad Proleg.* Sic enim Pſal. 148. *v.* 5. & 6. *Ipſe dixit, & facta ſunt: ſtatuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit.* Iſtud præceptum legem æternam *ſignificare arbitrantur, juxta quam omnes creaturarum motus inſtituuntur.* Nonne idem de naturali lege dicendum? unde legem naturæ definivit Plato eſſe vim quamdam rerum ſeminibus innatam, qua ſingulæ ad proprios actus proprioſque fines propendent & inclinant. Optimam itaque cum Authore ſtatuimus eſſe juris partitionem, quod aliud ſit naturale, aliud voluntarium, quod legitimum vocat Ariſtoteles, ſive conſtitutum. Cujuſmodi diſcrimen & apud Hebræos reperiri teſtatur Author. Legitimum vocari poteſt omne illud quod convenientiam habet cum legibus ſive naturalibus ſive civilibus, quia legitimum nihil aliud eſt quam legi conſentaneum eſſe. Verum reſpexit Philoſophus potius ad orginem utriuſque juris, quam ejuſmodi convenientiam cum lege. Quippe cum hic ſermo habeatur de jure quatenus legem denotat, & quidem humanam, ad diſtinctionem juris voluntarii ac naturalis legitimum illud vocavit, quia omnem vim a voluntate humana habet, quod conſequenter juſtum non eſſet, niſi legibus definitum, quamobrem *conſtitutum* dicitur. *Conſtituere* enim actum voluntatis includit. Jus vero naturale ab ipſa natura vim habet, cui ineſt antecedenter ad omnem voluntatem juſtorum vel injuſtorum prohibendorum vel præcipiendorum neceſſitas. Quoniam verſatur tantum circa ea quæ per ſe & natura ſua licita ſunt vel illicita. Si enim per ſe aliquid licitum eſt vel illicitum, ergo etiam jus aliquod obtinet, quod non dependet a voluntate, ſed neceſſitate, id eſt a ſe ipſo habet originem, & ipſum eſt quod eſt, & ſemper idem manere debet, quia neceſſario eſt quod eſt: ideoque ſine ejuſmodi neceſſitate non eſſet quod revera eſt, & id eſt quod jus naturale ſive divinum neceſſarium dicitur, profluens ex divina natura, & ita profluens ut ſemper cum cauſa conjuncta maneat vinculo indiſſolubili, quia eſt idem quod cauſa. *Quæ enim in Deo ſunt, ita in ipſo ſunt, ut ſint ipſum. Ita inſunt, ut nihil antecedat, nihil conſequatur*, ut inquit Scaliger *in ſuis exercit. Quicquid in Deo ponere, quod non ſit abſolutum, & quod non ſit ipſe Deus, impium eſt.* Idem juris diſcrimen habent Hebræi, cum diſtincte loquun-

quuntur, ut annotat Author, de quo vid. Selden. *de jur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 10. ubi ita, *Unde fit etiam, ut cum magiſtri diſtinctius ſubinde loquendo jura naturalia, ſeu quæ perpetuo obligare volunt, ſimpliciter judicia, jura, præcepta, ſeu mores univerſo humano generi præſcriptos appellitent, jura vero cætera, quæ a numine ipſis ſingulariter imperata ſunt, ritus aut ſtatuta nuncupent.* Si *cap.* 6. *Deuter.* inſpiciamus, tripartitam ibi inveniemus legis diviſionem, ibi enim fit ſermo de *præcepto*, *ſtatuto*, ſive cæremoniis & ritibus, & de *judiciis*.

X. 1. Jus naturale eſt dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi.

COMMENTARIUS.

HAnc juris naturæ definitionem, quam Author tradit, innumeris fere aliorum doctorum definitionibus præferendam eſſe duxi, propterea quod optime juris ſive legis naturæ energiam atque eſſentiam explicat, ſi accurate & diligenter ponderemus ſingula definitionis verba. Dicit legem naturæ eſſe *dictatum* & quidem *rectæ rationis*. Dictatum vocat, quia nos docet quid facere, quid declinare debemus. Eſt enim dictatum nihil aliud quam judicium de eo quod prohibetur vel præcipitur. Nam quia in moralibus verſatur mens noſtra circa ea quæ illicita vel licita ſunt per ſe propter naturalem quæ illis in eſt vel bonitas vel turpitudo, conſequenter de illis judicium ferens, ſtatim nobis dictat quibuſdam ineſſe moralem bonitatem ſive rectitudinem & idcirco præcipi, aliis ineſſe moralem turpitudinem & propterea vetari. Quando enim inclinamus verſus aliquod objectum quod in nobis appetitum & deſiderium excitat, illud ipſum dum animæ repræſentatur, examinandi nobis facultas a Deo data eſt, ſcil. an cum primis illis honeſti & decori, juſti & recti principiis innatis conveniat nec ne, poſtquam vero illud diligenter examinavit, & ſecum bene volutavit omnia quæ in deliberationem cadere neceſſe eſt, judicium feret, atque dictabit, quid honeſtum, quid inhoneſtum, quid juſtum, quid injuſtum eſt, & conſequenter quid faciendum, quid omittendum. Atque animus recte ſeſe habens repudiabit hoc, amplectetur alterum. Habet enim anima voluntatem liberam eligendi, & facultatem ſeſe determinandi verſus objecta, quæ ſibi repræſentantur, ideoque vel bonum fugere & malum amplecti, vel malum declinare & ſequi bonum poteſt. Hinc alibi inquit Chryſoſtomus, quoniam bona & mala in noſtra Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donavit arbitrium. Imo hæc libertas eſt fundamentum juſtæ Dei erga nos iræ, & pœnarum, quas in tranſgreſſores legis ſtatuit, juſta fundatur in ea executio. Addit Author *rectæ rationis*. Recta ratio dicitur quæ legibus naturæ conſentanea eſt, conveniens cum primis illis honeſti principiis, quæ in nobiſmet ipſis adhuc poſt lapſum ſentimus reliqua. Non enim adeo in nobis delevit primorum parentum lapſus, omnia divinæ imaginis veſtigia, quin ſuperſint adhuc in nobis ejus quædam rudera, id eſt quædam honeſti principia, ad quæ examinari poteſt, quid faciendum, quid declinandum incumbit homini. Hinc fere omnes ſaniores tum Theologi, cum etiam Philoſophi ſtatuunt homini principia theoretica & practica connata, de Dei cultu, de honeſtorum diſcrimine, ſine inſtitutione prævia innoteſcere, partim ex creaturarum adſpectu & per uſum rationis proprium; partim per impreſſionem naturalem, & quaſdam de imagine divina reliquias, menti humanæ impreſſas adeo inhærentes & implantatas, ut ab ea divelli nulla queant ratione, quin illud ipſum, quod rationabile vocamus, quo a ceteris animalibus diſtinguimus, deletum concedere neceſſe haberemus. Quod demonſtratione vel probatione non indiget. Verum impugnat hanc definitionem juris naturæ per *dictamen rectæ rationis* Oſiander in ſuis annotationibus ad hunc locum. Nam, inquit, genus hujus diſtinctionis ſe non recte habet, quia primo dictatum eſt terminus ambiguus atque obſcurus, qui ipſe explicatione indiget, cum ea, quæ in definitione ponuntur, debeant eſſe dilucidiora definito, & definitio ſit dilucida eſſentiæ repræſentatio. 2. Quia non ſolum ambiguus eſt hic terminus, ſed & inconveniens, compoſitus in ratione generis cum jure naturæ tanquam definito. Nam dictamen ſive dictatum dicit Author actum aliquem & quidem tranſeuntem: at legem naturæ non dicit actum aliquem, aliquod ens tranſitorium, ſed ens permanens, fixum, & perpetuo menti humanæ connexum. 3. Quia videtur eſſe aliquid poſterius ipſo jure naturæ. Nam omne dictatum præſupponit in ratione principii & cauſæ aliquid dictans; ſi itaque jus naturæ id eſt, quod dictat bonum eſſe amplectendum, malum eſſe fugiendum, honeſte vivendum, ſuum cuique tribuendum, potius habebit rationem dictantis, quam dictati; & illud, quod pendet ex jure naturæ, actus, qui conformiter exercetur, eidem dictatum erit, non ipſum jus naturæ. Porro, inquit, non dextre etiam di-

citur

citur jus naturæ dictatum rationis, niſi eo modo, ut recta ratio ſit principium dictans, jus naturæ autem ipſum dictatum. Atqui antecedenter ad jus naturæ non datur recta ratio, ſed ratio recta eſt per ipſum jus naturæ, imo jus naturæ eſt nihil aliud quam rectitudo rationis. Primo argumento reſpondeo, mihi non conſtare dictatum eſſe terminum ita ambiguum atque obſcurum, ut explicatione aliqua opus habeat; neminem enim, qui in litteris humanioribus non plane hoſpes eſt, fugere poteſt, dictare nihil aliud ſignificare, quam aliquid docere in omni diſciplinarum genere, quod alius excipiat. Unde facile apparet dictatum eſſe inſtitutionem atque doctrinam alicujus rei vel diſciplinæ. Quando itaque jus naturæ dicitur dictatum rectæ rationis, intelligimus dictatum eſſe inſtitutionem atque doctrinam ejus, quod facere vel declinare oportet, a recta ratione profectam. Itaque nihil aliud eſt quam rectum animæ conſormatum judicium nos informans de eo, quod leges naturæ exigunt. Secundum argumentum mihi perſuadet Oſiandrum non intellexiſſe mentem noſtri Authoris, propterea quod putat eum ſtatuere aliquod diſcrimen inter legem naturæ & dictatum rectæ rationis: quoniam hoc dicit actum tranſeuntem; illam vero ens permanens, fixum & perpetuum menti humanæ connexum. Cum dicit Author legem naturæ eſſe dictatum rectæ rationis, ipſam legem vult eſſe dictatum, id eſt judicium, doctrinam & inſtitutionem eorum, quæ facere vel omittere debemus: illud enim judicium ſive dictatum nobis regula & agendorum norma eſt; ſimulac enim homo per rectum conformatum judicium ſibi conſcius, objectum, ad quod inclinat cum rationali natura, id eſt innatis honeſti & decori principiis conſentire, ſtatim obligatur illud ſequi tanquam præceptum. Cujuſmodi obligatio legis eſſentia eſt ſive lex ipſa. Quod ad tertium argumentum attinet, huic fere eodem modo reſponderi poteſt. Dixi jam rectæ rationis dictatum eſſe diverſum quid a jure naturæ, ideoque eo non poſterius. Libenter concedo omne dictatum, quia denotat effectum aliquem, præſupponere cauſam & principium dictans. Sed in magno mihi errore verſari videtur opponens, ſibi perſuadens jus naturæ illud dici, quod dictat bonum eſſe amplectendum, & malum fugiendum, quod ſolius animæ rationalis officium eſt: illa enim objecta diſcernit, illa judicat quid convenit principiis juſti nobis innatis, & conſequenter illa eſt principium dictans, & a dictato tantum differt, quantum agens ab actu ab agente profecto. Niſi velimus jus naturæ quod dictatum ab anima ſive ratione recta tanquam principio agente examinando, diſcernendo, judicando, atque dictando, id eſt docendo nos bonum & rectum profectum cum ipſa ratione dictante confundere, quod idem eſt ac ſi cauſa & cauſatum, res creatas & creatorem unum idemque dicamus. Quarto argumento, probare conatur rectam rationem nihil aliud eſſe quam ipſum jus naturæ, & idcirco non dextre dici jus naturæ dictatum rectæ rationis, quia antecedenter ad jus naturæ non datur recta ratio, imo datur, nam rectitudinem rationis vocamus illam optimam animæ diſpoſitionem & propenſionem verſus ea, quæ cum primis honeſti principiis conveniunt, vel ipſis principiis convenientiam, nullo judicio ſive mentis diſcurſu inter diverſa objecta diſcernentis adhibito. Cujuſmodi diſpoſitio non lex naturæ dicenda, ſed honeſti & juſti principiis ſive divinæ voluntati congrua & conſentanea inclinatio. Addit Author *indicans actus alicui ex ejus convenientia vel diſconvenientia cum natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem.* Quoniam dictatum nos informat de eo quod facere vel fugere debemus, idcirco merito dicitur regula & norma agendorum, ideoque revera lex eſt a recta ratione tanquam effectus a cauſa producta, habens in ſe obligandi vim non a voluntate legiſlatoris, ſed neceſſitate quadam morali ipſius boni & mali naturæ inhærente. E quibus ejuſmodi argumentum deducimus. Quodcunque indicat turpitudinem aut rectitudinem moralem, illud tanquam præceptum obſervari debet. Atqui dictatum rectæ rationis nobis indicat quid moraliter bonum vel rectum, honeſtum vel inhoneſtum eſt. Ergo ſequitur ejuſmodi dictatum eſſe ipſam legem & præceptum naturæ ſive morale de eo quod faciendum vel declinandum eſt. Major negari nequit, quia omne illud quod moraliter, id eſt neceſſario rectum vel malum eſt, continet neceſſitatem & obligationem vetantem & præcipientem, cujuſmodi obligatio revera lex eſt; legis enim virtus eſt imperare & vetare, ut inquit Modeſtinus in *l. 7. ff. de ll.* Minor etiam vero conveniens eſt. Demonſtravimus enim dictatum eſſe animæ rationalis judicium & inſtitutionem ſive doctrinam eorum, quæ abſtinendi & faciendi neceſſitatem continent. Quale dictatum præceptum & legem eſſe ex ipſa legis definitione conſtat. Quam Chryſippus Stoïcæ diſciplinæ princeps definit, *præſidem boni atque mali; principem atque ducem: & ſecundum hoc regulam juſtorum & injuſtorum præceptionem faciendorum & prohibitricem non faciendorum.* Sed, ut clarius perſpiciat Lector, dictatum rectæ rationis nihil aliud eſſe quam animæ inter diverſa objecta diſcernentis judicium, cujuſmodi judicium jus naturæ nuncupamus, rem paulo altius repetemus. Concipiamus primo hominem tanquam animal rationale, conſequenter ratiocinandi & diſcernendi facultate præditum, non adeo poſt lapſum omni plane divina imagine orbatum, quin conſervarit aliquam verſus id quod bonum & juſtum eſt inclinationem. *Conſtanter illud ante omnia retinendum eſt, rationi noſtra hoc ingenitum propter divini luminis communicationem, ut ad id quod juſtum honeſtumque eſt inclinet & propendeat. Hi vero ſunt igniculi a natura hominibus dati, hæc ſunt virtutum ſemina & elementa. Hæc elementa, hos igniculos, ſive hanc ad bonum propenſionem (nam his omnibus eadem res ſignificatur) omnium plane hominum mentibus ineſſe, idque præſertim initio, antequam ullus vel virtutum vel vitiorum habitus contrahatur, dubitari non oportet.* Bolognet. *de leg. & æquit.*

æquit. cap. 4. Cujuſmodi inclinationes ſuperius honeſti & recti principia appellavimus. Secundo notandum animæ ſubeſſe duas facultates, intellectum nimirum & voluntatem. Sit autem officium intellectus inter objecta diſcernere, prout unumquodque probandum vel improbandum eſſe duxerit; voluntatis eligere & ſequi quod bonum & honeſtum intellectus judicaverit, aſpernari ac fugere quod ille improbarit. Simulac itaque verſus aliquod objectum inclinemus, E. G. Dei cultum, intellectus illud ipſum examinat, rationes ponderat & perpendit, actum cum omiſſione ejus contendit, deinde judicat & dictat bonum & honeſtum eſſe Deum colere, & quidem neceſſario ſive moraliter eſſe bonum, propterea quod quemadmodum neceſſario eſt ut aliquod ſummum numen exiſtat omnium rerum viſibilium & inviſibilium cauſa & principium, & idcirco hujus univerſi auctor & gubernator; ita neceſſe eſt ut illud ipſum numen veneremur atque colamus, contra moraliter turpe & malum ejus cultum negligere atque omittere. Cujus enim obſervatio moraliter bona eſt, ejus omiſſio moraliter mala eſt. Ex hoc itaque mentis diſcurſu, atque hiſce ſibi invicem oppoſitis objectis, homo ſibi legem dictat naturalem, Deum eſſe colendum. Illa enim convenientia vel diſconvenientia cum natura rationali nihil aliud eſt quam conformitas voluntatis humanæ, ſive actuum, qui ab homine proficiſcuntur, repugnantia, cum honeſti & decori animæ noſtræ impreſſis principiis. Nam id ipſum in homini rationale eſt quod honeſtum eſt, quamobrem lex naturæ dicitur ratio imperans bona & honeſta, & rationale quod huic rationi conſentaneum eſt. Quamobrem dicitur, *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere, atque ſibi ipſis legem eſſe.* Rom. 2. *v.* 14. *Naturaliter* ibi non denotat naturæ impetum ſine mentis diſcurſu & ratione non prælucente, verum ſignificat naturam humanam rationalem; naturaliter itaque eſt, quod naturali ratione eis dictante honeſtum eſt. Cujuſmodi facultas homini agnata eſt. Propter moralem autem illam honeſtatem & turpitudinem, quæ actus nonnullos comitatur, neceſſario quoque ejuſmodi actus a Deo vetantur vel præcipiuntur. Quippe quemadmodum illud quod bonum & juſtum morale nuncupamus ex ipſa divina eſſentia neceſſario profluere demonſtravimus, ita neceſſario illud ipſum a Deo præcipitur, contrarium prohibetur. Quoniam enim Deus nullum poteſt aliud objectum habere quam ſemetipſum, quia eſt ens perfectiſſimum omnes in ſe poſſidens virtutes, quarum ideæ nobis connatæ & menti noſtræ impreſſæ ſunt propter divini luminis communicationem. Hinc nihil aliud vult quam quod relationem & convenientiam habet cum ſua eſſentia & natura, & quidem nihil aliud neceſſario poteſt velle, ut ita dicam, quia ſemper debet velle quod eſt quid poſitivum, ideoque amare & imperare juſta atque bona, vetare mala & inhoneſta. Quemadmodum ipſe eſt ens poſitivum, ſimpliciſſimum & perfectiſſimum, ita ab æterno nullum aliud voluntatis objectum quam ſeſe ipſum habere potuit, & conſequenter quod bonum eſt & juſtum, ſi enim vellet malum, vellet ſemetipſum non eſſe, quod abſurdiſſimum & contradictorium eſt. Quippe quemadmodum *τὸ velle* eſt actio; & conſequenter quid poſitivum, quod neceſſario ad objectum exiſtens ideoque poſitivum debet referri, hinc eo ipſo quo Deo tribuimus voluntatem, ejus exiſtentiam neceſſario ſignificamus, & viceverſa, eo ipſo quo eum exiſtere dicimus, eum ſe exiſtere velle denotamus. Quia vero ipſe ſolus ab æterno fuit & extitit, nullum aliud voluntatis habuit vel etiam habere potuit objectum quam ſe ipſum, & idcirco nihil velle poteſt quam quod juſtum, rectum, honeſtum & bonum eſt, tanquam res poſitivas. Et hæc ratio eſt, quod vitia non poſſunt eſſe divinæ voluntatis objecta, quia ſunt virtutum privationes, & conſequenter contraria ſunt divinæ naturæ & voluntati, quia nihil aliter velle poteſt quam quod poſitivum quid eſt, quoniam voluntas præſupponit principium agens ideoque exiſtens, & quidem a ſe ipſo quia eſt primum & perfectiſſimum. Cum autem virtutes non differant a Dei eſſentia, hinc quoniam nullum objectum Deus habet quam ſe ipſum, idcirco quoque neceſſario præcipere debet virtutes, & prohibere vitia; quia contraria velle eſt alterutrius privatio, quæ in divina eſſentia tanquam perfectiſſima & ſimpliciſſima & ente neceſſario exiſtente locum habere nequit. Præterea, ut modo diximus, eum ſemper debeat velle quod poſitivum eſt, quia refertur voluntas ſemper & neceſſario ad ſe ipſum tanquam objectum, & conſequenter ad omnes virtutes, quæ dictat nobis recta ratio obſervandas, quia ex divina ipſa eſſentia profluentes & propter communicationem divini luminis menti noſtræ tanquam divinæ particulæ auræ impreſſæ, neceſſitatem in ſe habent moralem, qua obligamur ut omnes actiones, quæ a nobis qua rationalibus proficiſcuntur, divinæ imagini, ad cujus ſimilitudinem conditi ſumus, ſint conformes eique reſpondeant. Obligatio vero ad virtutes propter allegatas rationes continet neceſſitatem vitiis abſtinendi, atque ita ex divina voluntate ſive natura procedit prohibitio mali & præceptum boni.

2. Actus, de quibus tale exſtat dictatum, debiti ſunt aut illiciti per ſe, atque ideo a Deo neceſſario præcepti aut vetiti intelliguntur: qua nota diſtat hoc jus non ab humano tantum jure, ſed & a divino voluntario, quod non ea præcipit aut vetat quæ per ſe ac

ſuapte natura aut debita ſunt aut illicita, ſed vetando illicita, præcipiendo debita facit.

COMMENTARIUS.

OBjectum juris naturæ ſunt actus per ſe & natura ſua boni & mali. Ideoque neceſſario præcepti & vetiti antecedenter ad divinam voluntatem, non itaque mali quia vetiti, ſed vetiti quia mali, cujuſmodi actibus inhærens bouitas vel malitia omnem voluntatis dependentiam excludit, qua nota diſtat a divino jure voluntario & humano. Nam eo jure voluntate legiſlatoris debita & illicita fiunt, quæ ante legem latam erant adiaphora, id eſt cujuſque arbitrio relicta. Hinc Molina *de juſt. & jur. tom. 1. diſp. 3.* ejuſmodi diſcrimen inter jus naturale & poſitivum annotat. *Quod obligatio juris naturalis oritur a natura objecti, indeque ſe diffundit in præceptum. Ea vero de cauſa dici conſuevit, ea, quæ ſunt juris naturalis, prohibita eſſe quia mala, & non ideo mala eſſe, quia prohibita. Similiter in bonis, juſta eſſe quia bona & neceſſaria ut fiant, & non ideo eſſe bona neceſſariaque ut fiant, quia juſta. E contrario vero obligatio juris poſitivi oritur a præcepto & voluntate præcipientis, indeque derivatur in præceptum.*

3. Ad juris autem naturalis intellectum, notandum eſt, quædam dici ejus juris non proprie, ſed, ut ſcholæ loqui amant, reductive, quibus jus naturale non repugnat, ſicut juſta modo diximus appellari ea quæ injuſtitia carent: interdum etiam per abuſionem ea, quæ ratio honeſta, aut oppoſitis meliora eſſe indicat, etſi non debita, ſolent dici juris naturalis.

COMMENTARIUS.

PRoprie juris naturalis dicuntur ea quæ dictatum rectæ rationis fieri vel non fieri jubet, ſicut illa omitti, hæc fieri ſine peccato nequeant. Quippe quoniam ea circa quæ jus naturæ verſatur, habeat in ſe moralem turpitudinem vel bonitatem, idcirco illa vetandi, hæc præcipiendi neceſſitatem continent, ut jam ſat clare demonſtraſſe ſperamus. Verum improprie aliquando juris vocabulo ſumpto, quædam etiam juris ejus dicuntur reductivè, vel, ut alii, negativè, cujus generis ſunt, quibus non repugnat jus naturæ, quemadmodum juſta dicuntur, quæ carent injuſtitia, quia non prohibentur lege, ſi vero injuſta eſſent, lege vetarentur, atqui non vetita, ergo non injuſta; non juſta igitur quia lege præcepta, ſed quia legi non contraria. Quo ſenſu ea dici poſſunt juris naturalis quæ permiſſa ſunt, ſive cujuſque hominis pudori relicta, utrum præſtare velit nec ne: ſic rationi rectæ conveniens eſt bene meritis de nobis remunerare, verum non exigit remunerationem ut debitum quod alteri reddere tenemur ex obligatione naturali, lege naturæ introducta, quæ illi concedit jus exigendi, mihi imponit neceſſitatem præſtandi, ſed ut æquum & honeſtum ſuadet potius ratio, par pari referendum eſſe. Et hoc ſenſu dicitur in *l. 25. §. 11. ff. de petit. hæred. ad remunerandum aliquem naturaliter obligari*, id eſt naturalis honeſtas devincit beneficium accipientem, ad benefactori remunerandum, non juris vinculo ab utraque parte obligatorio, quo ille remunerationem ſuo jure poſſet exigere, hic ad præſtandam cogi, ſed æquitatis & honeſtatis ratione. Donare enim perdere eſt *l. 7. ff. de donat.* Ergo obligationem non producit, niſi quatenus, ut diximus, qui accepit donationem ſe ſentiat devinctum ad remunerandum, ne videatur ingratus. Hinc illud Martialis:

Dimidium dare Lino quam credere totum
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Quamobrem inquit Seneca, *Nueminem beneficia in calendario ſcribere*, id eſt in libro quo ſolebant nomina & pecunia fœnebris ſcribi, quam Kalendis ſolent ponere: atque illinc uſuras ordiri. Et paulo ante, *Beneficiorum ſimplex ratio eſt, tantum erogantur, ſi reddit aliquid, lucrum eſt: ſi non reddit, damnum non eſt.* Nihil enim debet mihi beneficium accipiens vel donatarius, quia non damus beneficia fœnerandi animo, quemadmodum mutuum, quo accipiens obligatur ut tantundem reſtituat creditori. Lucrum enim exiſtimatur, quia nullus contractus, nulla obligatio intercedit, quæ donatarium vel beneficium accipientem obligat ad remunerationem. Quod enim ex contractu & obligatione alicui debetur, id creditoris eſſe exiſtimatur, ideoque accipiendo ex contractu debitum non facit quis lucrum, ſed ſuum accipit, quia id, ad quod jus perfectum habeo, cujuſmodi eſt illud quod ex contractu vel quaſi mihi debetur, meum eſſe intelligitur, quia id meo jure exigere atque perſequi poſſum. Hinc qui actionem ad rem habet rem ipſam habere videtur. Huic juris naturalis ſignificationi accedit & altera, quando abuſivè juris naturalis vox ponitur pro eo, quod ratio honeſtum judicat,

aut

aut melius eo quod opponitur indicat, jure tamen naturali non debitum. *Idque precipuum locum habet, cum de duabus propoſitionibus inter ſe comparatis quaritur utra verior, aut melior, aut benignior ſit; tunc enim ea, cui ratio aut aquitas magis favet, juris naturalis eſſe dicitur: quemadmodum quod minus eſt abſurdum, duobus propoſitis abſurdis, id rationem aquitatis habet.* Gulielm. Grot. *de princip. jur. nat. cap.* 2. Cujus generis recenſet Pufendorf multos actus generoſioris & communem modum ſupergreſſæ liberalitatis, miſericordiæ & manſuetudinis, & quando quis præter neceſſitatem de jure ſuo remittit. Ut legatorum integra ſolutio ſine detractione Falcidiæ. Hoc ſenſu inquit Paulus 1 Corinth. *cap. 6. v. 12. Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt.* Licita quidem mihi ea omnia quæ non prohibita, verum quamvis licita, conſiderandum an expediant, id eſt an bona ſint, & eligenda. Eorum quæ licita ſunt comparatio facienda eſt, & eligenda quæ expediunt, ſi bona ſunt. Cujuſmodi exemplum habemus *cap. 7. v. 36. 37. 38.* ubi aliquid licito melius eſſe oſtendit. Cum ita argumentatur, *Quod ſiquid indecorum virgini ſua putat, ſi prætereat nubendi tempus, & ſic oportet fieri, quod vult faciat,* (non enim jure prohibitum elocare virginem viri potentem, ſed permiſſum, quia res licita humani generis propagatio) *non peccat, jungantur matrimonio. Ceterum qui ſtat firmus in corde, non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habet propria voluntatis, & decrevit in corde ſuo, ut ſervet ſuam virginem, bene facit.* Ex quibus præmiſſis concludit. *Itaque qui elocat nuptum, bene facit.* Id enim agens conſulit pudicitiæ filiæ ſuæ, quæ jam matura viro jungi cupit, & propagationi humani generis, quamobrem matrimonium inſtitutum eſt, inſervire. *Attamen qui non elocat nuptum, melius facit.* Ex duobus licitis ſibi oppoſitis, alterum eligit, quia melius & præſtantius judicat.

4. Sciendum præterea, jus naturale non de iis tantum agere, quæ citra voluntatem humanam exiſtunt, ſed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur. Sic dominium, quale nunc in *L. 1. D de Furtis. L. Probrum D. de verb. ſignificat.* uſu eſt, voluntas humana introduxit: at eo introducto nefas mihi eſſe id arripere te invito quod tui eſt dominii, ipſum indicat jus naturale; quare furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus Juriſconſultus, natura turpe Ulpianus, Deo diſplicere Euripides his in Helenæ verſibus:

Namque odit ipſe vim Deus: nec divites
Nos eſſe rapto, ſed probe partis cupit.
Spernenda, ſi non jure veniat, copia eſt.
Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare cuique ſic fas eſt domum,
Ut ab alienis rebus ac vi temperet.

COMMENTARIUS.

QUoniam homo non ſolum eſt animal rationale, ſed & ſociale, leges ſive jus naturæ duplicem ejus intuitu habent uſum, ſub una eademque obligandi vi. Quatenus eſt animal rationale conditum ad ſimilitudinem divinæ imaginis, habet certam agendorum normam, quam leges naturæ, quæ ſunt ſuæ rationis dictamina, ipſi præſcribunt, præcipiendo juſta & honeſta, quia huic imagini congrua, & vetando mala & injuſta, quia ei contraria. Quo ſenſu jus naturæ dicitur verſari circa ea quæ exiſtunt citra humanam voluntatem, quia bonum & honeſtum & juſtum defluit neceſſario ex ipſa divinæ naturæ eſſentia, etiam antecedenter ad voluntatem divinam, & conſequenter neceſſario quoque legis ſive juris naturæ objectum eſt. Cujus generis illa omnia, quæ dictat ratio cum primis nobis honeſti & juſti principiis divinæ iſtius imaginis reliquis convenire, neceſſariam ideoque & indiſſolubilem obligationem habentia, idcirco dicuntur eſſe juris naturalis abſolutè, quibus nihil addere vel detrahere poteſt voluntas humana. Quatenus vero jus naturæ concernit hominem tanquam animal ſociale, ipſi quidem præſcribit agendorum normam, non ſemper autem antecedenter ad ejus voluntatem, verum aliquando humanæ voluntatis actum conſequitur. Præſcribit multas ſocietatis humanæ conſervationi inſervientes regulas, verum non omnibus caſibus applicatas tradit, qui quandoque incidere poſſunt: præſcribit multa officia, quæ homo homini debet, verum non ſingula applicat actibus. Illud enim eſt rationis officium in caſibus lege non expreſſis ex generalibus juris naturæ regulis & axiomatibus neceſſarias derivare conſequentias, eaſque ad ſimilia producere. Præcipit jus natu-

ræ conſervationem ſocietatis humanæ, præcipiendo autem ejus conſervationem, ſimul præcipit adhibenda illa media quæ huic inſerviunt. Atqui conſervari nequit niſi diſtinctio dominii introducatur, a communio receſſi mortales, introduxerunt dominium, conſequitur itaque voluntatis humanæ actum jus naturæ, & dictat, quia ſocietas nequeat conſervari, niſi introducatur diſtinctio dominii, hoc introducto nefas eſſe ſocietatis humanæ membro alteri invito eripere, quod ejus eſt dominii. Communio rerum quidem licita & jure naturæ permiſſa, imo etiam introducta, ſunt *enim privata nulla natura*, ut inquit Cic. verum non tanquam per ſe & ſua natura neceſſaria abſolute præcepta, ita ut ab ea recedere nefas eſſet exigente neceſſitate humana. Quemadmodum nec juri naturæ repugnaret, ſi homines iterum, ſalva ſocietatis humanæ conſervatione & tranquillitate, primævam communionem inducerent, pendent hæc quodammodo a diſpoſitione humana. Ita Celeberrimus Theologus Andr. Rivet. *in prælect. in decalog. Nulla lex naturalis quæ jubeat rerum communitatem, & earundem diviſionem prohibeat. Conſonam tamen fuiſſe communitatem ſtatui innocentiæ non imus inficias, quia tunc ſatis commode indiviſa manſiſſent rerum dominia. Sed tamen nullo tum præcepto prohibita fuiſſet rerum proprietas, quia Deus res iſtas inferiores hominum poteſtati atque diſpoſitioni ſubjecit.* Et paulo poſt: *Cum autem omnia dicuntur jure naturæ communia, id intelligi debet partim negative, quia jus naturæ illam diviſionem non fecit, quæ inter homines obtinet, partim etiam poſitivè, quia omnibus poteſtatem dedit utendi quavis re, dominii capiendi, priuſquam ab aliquo ſit occupata, quod jus etiamnum durat. Quod vero ſpectat diviſionem rerum in genere: nempe illud, ut res fiant propria, & diviſa inter ipſos homines, id ratio naturalis hominum dictat, ut deſidia præcidantur, & pax conſervetur. Abſolute tamen & propriè juris naturalis non eſt, quia natura non præcipit abſolutè eam fieri, nec ſecundum ſe ad eam inclinat. Recte ergo dicitur, diviſionem illam & jure humano niti & etiam naturali & divino: non quod natura jus præceperit initio directè & immediatè iſtam rerum diviſionem: Sed quod ex occaſione multiplicati generis humani, & invaleſcentis iniquitatis, judicaverit eam ad pacem eſſe neceſſariam.* Utriuſque humanæ voluntatis actum ſua conſequuntur præcepta, ſcil. ut communione introducta rebus communibus utantur ut communes, & conſequenter dictat recta ratio neminem earum uſu arcendum. Introducto dominio rerum, jubet jus naturæ ut res cedat domino, prohibetque ne quis alter alterum ſine juſta cauſa privat re ſua. Hoc ſenſu furtum jure naturæ prohibitum dixit Paulus Jctus *l. 1. ff. de furt.* Ulpianus recenſet inter ea quæ natura turpia ſunt *l. 92. ff. de V. S.* Et ſic de omnibus iis dicendum quæ contraria ſunt non quidem neceſſariis juris naturæ præceptis, ſed hominum diſpoſitionibus, quibus neceſſitas humana, ſuadente recta ratione, occaſionem præbuit.

5. Et autem jus naturale adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat. Quanquam enim immenſa eſt Dei potentia, dici tamen quædam poſſunt, ad quæ ſe illa non extendit; quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, ſenſum autem qui rem exprimat nullum habent, ſed ſibi ipſis repugnant. Sicut ergo ut bis duo non ſint quatuor ne a Deo quidem poteſt effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinſeca ratione malum eſt, malum non ſit. Et hoc eſt quod ſignificat Ariſtoteles, cum dicit: ἔνια δ᾽ εὐθὺς ὠνόμασται συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. Nam ut eſſe rerum poſtquam ſunt & qua ſunt aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ eſſe illud neceſſario conſequuntur; talis autem eſt malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam ſana ratione utentem. Itaque & Deus ipſe ſecundum hanc normam de ſe judicari patitur, ut videre eſt Gen. XVIII, 25. Eſai. V, 3. Ezech. XVIII, 25. Jerem. II, 9. Mich. VI, 2. Rom. II, 6. III, 6.

COMMENTARIUS.

QUod hic Author de juris naturalis immutabilitate ſtatuit, adeo perſpicuum atque certum quam quod certiſſimum. Quamobrem miror illud ipſum a viris, quibus mens ſana eſt, in dubium revocari potuiſſe, imo plane negari. Quod ſi juris naturæ fontem atque originem, quam ipſam divinam eſſentiam nuncupavimus, ſpectemus, atque omnia examinemus attributa, quæ adeo ad divinam conſtituendam eſſentiam eo modo quo ei inſunt, concurrere debeant, ut ſublato uno tollatur ipſum illud quod ſummum numen vocamus, ſequetur omnem prorſus divinitatem negare, qui jus naturæ mutari poſſe ſtatuunt. Quippe cum illud ipſum adeo neceſſario defluat ex natura divina, & ei tanquam neceſſarium attributum inſeparabile inhæreat, ut non ſit

aliquid

aliquid diverſum a Deo, ſed ipſe Deus ſit, conſequenter non magis mutari poteſt quam divina natura. Eam vero omnis mutatioois expertem probat ſumma ejus perfectio. Quæ potiſſimum in eo conſiſtit, quod ſemper & ab æterno idem fuit & idem in æternum manet: quod enim ſummè perfectum eſt huic addi vel detrahi nihil poteſt, additio enim eſt argumcotum quod aliquid deeſt quod adeſſe rei debuiſſet, quemadmodum detractio eſt teſtimooium quod plus adeſt quam debebat adeſſe, ideoque non omni parte perfectum, utrumque mutatio eſt, quia addendo vel detrahendo res non manet eadem, qualis ante fuit. Quia igitur omnis mutatio imperfectionem infert, a Deo tanquam enti perfectiſſimo removenda. Hinc ipſe Deus Mal. 3. *v.* 6. *Ego Jehova non mutor.* & Jacob. 1. *v.* 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, aut converſionis obumbratio.* vid. quæ ad §. 6. *proleg.* annotavimus. Cui accedit, quod quemadmodum divina eſſentia eſt immutabilis, ita quoque omnia, quæ Deo attributa adſcribimus, immutabilia ſunt, quia attributa ſunt ipſa Dei eſſentia, itaque ejuſdem quoque conditionis & naturæ. Quoniam vero ex attributis nimir. ſanctitate & juſtitia divina jus naturale neceſſario derivandum demonſtravimus, tanquam effectum a ſua cauſa, ſequitur illud ipſum neceſſario eſſe immutabile, propter immutabilitatem divinæ eſſentiæ ſive ejus attributorum. Quemadmodum enim iſta attributa divinæ eſſentiæ neceſſario inhærent tanquam inſeparabile quid, ſine quo ſummum aliquod ens concipere non poſſumus eo modo exiſtens, quo neceſſario debet exiſtere, ſi exiſtat, quod certiſſimum eſſe jam demonſtravimus; ita neceſſario ex iis tanquam cauſa derivatur jus naturale. Quod ſi igitur immutabilis cauſa, idem quoque effectus, qui neceſſario & immediate a cauſa producitur. Immutabilis autem cauſa, quia ooo poteſt velle Deus ſeſe non exiſtere eo modo quo exiſtit, propter ſummam & pleniſſimam perfectionem, quam neceſſario poſſidet. Præterquam quod ejuſmodi voluntatis actus diverſus repugnaret ſimplicitati divinæ eſſentiæ, ut enim Deus eſt ens ſimpliciſſimum, ita una & ſimpliciſſima, æterna & immutabilis ejus voluntas, per quam vult ſe ipſum ut ſummum & infinitum bonum, & ad ſe ipſum omnia alia, Clariſſ. Burman. Synopſ. *lib.* 1. *cap.* 22. Quoniam vero neceſſario ſanctus & juſtus eſt, debet etiam velle quod juſtum eſt, quia naturæ ſuæ conveniens, & quidem eodem modo vult, ut aliud velle nequeat, quia ipſe voluntatis ſuæ objectum neceſſariò eſſe debet. Cujuſmodi neceſſitas nullis mutationibus obnoxia eſſe poteſt, quia contradictionem involvit, rem aliquam certo modo debere exiſtere, & mutari poſſe; quod enim mutari poteſt, non neceſſe eodem modo exiſtit. Quemadmodum itaque ſaoctitas & juſtitia quia neceſſaria divinæ eſſentiæ attributa omnem mutationem reſpuunt, ita etiam jus naturæ ex ea originem habens immutabile eſſe debet, & quidem a parte Dei, ut jam ſatis clare demonſtraſſe ſperamus; multo autem magis a parte hominum, utpote qui omnino a Dei voluntate pendent, & conſequenter non aliam ſibi agendorum normam, ſive juſti & honeſti regulam præſcribere poſſunt, quam illam, quæ ex divina imagine, ad quam conditi ſunt, defluit, neque aliquid ei addere vel detrahere, quoniam perfectiſſima eſt, & idcirco nullam admittit mutationem, quæ imperfectionis indicium eſt, ut dicere incepimus.

6. Fit tamen interdum ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid conſtituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cum revera non jus naturæ mutetur, quod immutabile eſt, ſed res, de qua jus naturæ conſtituit, quæque mutationem recipit. Exempli gratia: ſi creditor quod ei debeo acceptum ferat, jam ſolvere non teneor, non quia jus naturæ deſierit præcipere ſolvendum quod debeo, ſed quia quod debeam deberi deſiit: ut enim recte in Epicteto Arrianus: οὐκ ἀρκεῖ τὸ δανείσασθαι πρὸς τὸ ὀφείλειν, ἀλλὰ δεῖ προσεῖναι καὶ τὸ ἐμμένειν ἐπὶ τοῦ δανείου καὶ μὴ διαλελύσθαι αὐτό: *non ſufficit ut debeatur pecunia datam eſſe mutuam, ſed oportet ut & maneat adhuc indiſſoluta mutui obligatio.* Ita ſi quem Deus occidi præcipiat, ſi res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium involvunt, ſed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum ſupremo domino auctore fit.

COMMENTARIUS.

QUia jus naturæ ex immutabili divina eſſentia deducimus, immutabile quoque eſſe ſtatuimus. Quemadmodum Deus eſſentiam non mutat, ita nec ſententiam. Sibi enim ſemper ſimilis manet, & idcirco bonus & æquus. Quamobrem quatenus jus refertur ad ſe ipſum tanquam objectum neceſſarium, nunquam mutationem aliquam vel extrinſecam vel intrinſecam

cam patitur. Verum quatenus extra divinam eſſentiam applicatur ad ſingulares hominum actus aliaque objecta externa refertur, quæ variis mutationibus obnoxia ſunt, variatur atque mutatur aliquando, non intrinſecè quoad eſſentiam, ſcil. quod per ſe malum a lege prohibetur, non permittitur vel præcipitur quia bonum;, verum actionum circumſtantiis & objectis mutatis legis applicatio quoque mutatur. Hoc ſenſu inquit Philoſophus *lib. 5. cap. 5. Eudem. Apud Deos id quod natura conſtat, ſive jus naturale immobile eſſe atque immutabile, apud homines vero aliquid naturale etiam mutabile eſſe, ſed non omne.* Actionum varietas diverſam quidem juris naturæ applicationem, verum non diverſam juris ſanctionem inducit. Non oppugnant hanc ſententiam juris Romani conditores, cum inquiunt, *l. 6. ff. de juſt. & jur. Jus civile non per omnia juri, natura ſervire, verum plerumque ei addere aliquid vel detrahere.* Cujuſmodi additionem & detractionem revera mutationem eſſe ſtatim diximus. Nam facile hæc difficultas tolli poteſt reſpondendo, quod ejuſmodi detractio vel additio, de qua hic ſermo, non ipſam legem naturæ, ſed actus hominum mutare; dum eos dirigit atque accommodat ad reipub. formam & conſtitutionem, qnod ſæpiſſime fit quando juris naturalis generalibus præceptis aliquid addendo vel detrahendo jus proprium alicujus civitatis efficitur, quod civibus agendorum norma atque regula eſt. Cujuſmodi diſpoſitio legiſlatoris videtur quodammodo immutare jus naturæ, quatenus ea generaliter ſancita ſpecialiter ad uſum & mores hominum in ſocietate civili viventium accommodat. Immutabilia tamen permanent, quoad ea quæ per ſe & ſua natura juſta ſunt antecedenter ad omnem voluntatem, & propterea vim ſuam retinent in obligandis conſcientiis anticipatæ in animis noſtris communes illæ notiones, in quibus hæc conſtantia atque immutabilitas præcipuè elucet, inquit, Vinn. *ad inſt. lib. 1. tit. 2.* Cui addi poteſt, quod licet naturalibus præceptis accedat lex humana, tamen nihil illis decedit, quia ejuſmodi acceſſus videtur potius ſpecialis ex ea concluſione deductio, quam ejus immutatio. Lex naturalis jubet pacta conventa ſervanda, non unam tamen & eandem obligandi vim jure civili habent pacta quæ nuda dicuntur & veſtita. Ex hiſce enim actio oritur; ex illis nequaquam. Sic naturale præceptum eſt, *Deum colito.* Modus autem Deum externo cultu atque ritu colendi hominum diſpoſitioni relictus ſæpiſſime variat, firmiter tamen & immutabiliter manente de Deo colendo præcepto. Præceptum quo cavetur, *Ne occides*, ſemper obligatorium per ſe & ſua natura, mutato tamen objecto, obligationis quoque neceſſitas tollitur; quemadmodum in cauſa neceſſariæ defenſionis, & ubi auctoritas ſupremi judicis accedit. Ita quoque rem alienam invito domino auferre vetant naturæ jura, ſi tamen fit juſſu ſupremi Domini vitæ & rerum, quas homini concedit ex ſua liberalitate & benevolentia precariò, ut ita dicam, ſive commodatò, non fit furtum; ſic olim juſſit Deus Iſraëlitas auferre Ægyptiorum aurea & argentea vaſa, non ut aliena, ſed tanquam ſibi propria, utpote ab omnium rerum Domino & Arbitro ſibi adjudicata & conceſſa, cujus terra & quidquid in ea, ut cui voluerit juſtè det ea. Quod ſumma ratione cum proportione ex vi ſupremi dominii ad magiſtratus ſummos applicari poſſe ſtatuit Gulielm. Grot. *de princip. jur. nat. c. 3.* ut nimir. ex cauſa rationabili poſſint declarare non manere amplius civibus circa res ſuas id juris;, quod antea fuerit, ſi eas, eo quo debent modo, non adminiſtrent. Quemadmodum generaliter prodigo lege civili rerum ſuarum adminiſtratio interdicta. Eadem ratione nititur præſcriptio humanis legibus introducta. Sic etiam nihil magis æquitati naturali convenire ait Imperator, quam voluntatem Domini rem ſuam in alium transferre volentis ratam haberi §. 4. *inſt. de rer. div.* Quia tamen reipub. intereſt ne quis immodica & temeraria liberalitate ſemetipſum bonis exuat, ita ut poſtea eum pœniteat liberalitatis ſuæ, certum modum ei exercendæ præſcripſit in donatione idem Imperator §. 2. *inſt. de donat.* ubi donationem, quæ quingentos ſolidos excedit, non aliter ratam eſſe voluit, quam ſi actis ſit inſinuata. Cujuſmodi additio & detractio a voluntate humana procedens, legi naturæ adjecta, non mutat eam, ſed potius adjuvat, imo quodcunque in ſimilibus caſibus recta ratio dictat addendum vel detrahendum, videtur & ipſum naturæ jus ſuadere, & eatenus ipſa diſpoſitio humana declarat potius legis intentionem, quam eam immutat. Quippe cum jus naturæ quatenus ad homines refertur, maxime ſpectat eorum ſalutem temporalem, quam potiſſimum dependere a ſocietate jam demonſtravimus, hinc in genere approbat omnia quæ inſerviunt ejus conſervationi, eorum applicationem arbitrio & diſpoſitioni hominum relinquens, ita ut quæ ex ejuſmodi humana diſpoſitione recta ratione prælucente profluant, etiam quodammodo ex ipſa diſpoſitione legis naturæ derivari poſſint. Quo ſenſu jus civile dici poteſt collectum ex naturalibus præceptis.

7. Sunt & quædam juris naturalis non ſimpliciter, ſed pro certo rerum ſtatu: ſic communis rerum uſus naturalis fuit, quamdiu dominia introducta non erant; & jus ſuum per vim conſequendi ante poſitas leges.

COMMENTARIUS.

COmmode hiſce applicari poteſt illa quorundam doctorum diſtinctio inter jus naturæ *Abſolutum & Hypotheticum.* Quæ jus naturæ abſolutè præcipit, abſolutè etiam obligant, quia ob-

objectum circa quod verſatur habet in ſe intrinſecam moralitatem ſimplicem & immutabilem, & idcirco quoſvis ſimpliciter & immutabiliter pro ratione ſui objecti obligat, nulla in deliberationem hic cadit conditio & ſtatus, ſive temporis, ſive loci, ſive perſonæ, quæ obligationem vel tollunt, vel mutant, vel ſuſpendunt, propter objecti ſive pro tempore abſentiam, ſive mutationem. Sic in ſtatu naturali jus ſuum per vim conſequi cuique facultatem concedunt naturæ leges, in civitatem vero coalitis hominibus nemini propria auctoritate ſibi jus dicere licet: recuperat vero facultatem propria manu jus ſuum conſequendi licet membrum ſocietatis civilis, ubi judicis copia non eſt. Sic nihil magis juſto homine dignum, quam reddere depoſitum, verum ſi gladium quis apud te ſanæ mentis poſuerit, repetat inſaniens, reddere injuſtum erit, non reddere juſtum. Ita etiam ſi quis pecuniam apud te depoſuerit, ut bellum inferat patriæ, reddeſne depoſitum? neutiquam, faceres enim contra rempub. quæ debet nobis eſſe chariſſima. Sic multa, quæ natura videntur honeſta, temporibus fiunt non honeſta. Cic. 3. *off.* Non per ſe & ſua natura, ſed quia certis circumſtantiis alligata ſunt, quibus ſublatis per ſe quidem honeſtatis manet præceptum, ſed circa idem objectum non poteſt exequi quod rationis dictamen dictat, quia ratio moralis, quæ objectum habile reddebat ad habendum vel agendum, mutatione ipſius objecti quoque mutata eſt, & idcirco quod antea præceptum, jam vetitum.

XI. 1. Diſcrimen autem quod in Juris Romani libris exſtat, ut jus immutabile aliud ſit quod animantibus cum homine ſit commune, quod arctiori ſignificatu vocant jus naturæ, aliud hominum proprium, quod ſæpe jus gentium nuncupant, uſum vix ullum habet, nam juris proprie capax non eſt niſi natura præceptis utens generalibus, quod recte vidit Heſidodus:

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων:
Ἰχθύσι γὰρ, καὶ θηρσὶ, οἰωνοῖς πετεηνοῖς
Ἐσθείν ἀλλήλυς. ἐπεὶ ὀυ δίκη ἐςὶ μετ᾽ αὐτῶν.
Ἀνθρώποισι δ᾽ ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίςη.

Humano generi nam lex datur ab Jove ſummo;
Quippe feræ, piſces, avium genus altivolantum
Mutua ſe vertunt in pabula, juris egentes.
Juſtitia at nobis, quæ res eſt optima, ceſſit.

In equis, in leonibus juſtitiam non dicimus, inquit Cicero de Officiis primo. Plutarchus in vita Catonis majoris, νόμῳ μὲν γὰρ καὶ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπυς μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν: *lege & juſtitia adverſus homines tantum natura utimur.* Lactantius lib. v. *In omnibus enim videmus animalibus quæ ſapientia carent, conciliatricem ſui eſſe naturam. Nocent enim aliis ut ſibi proſint: neſciunt enim quia malum eſt nocere. Homo vero, quia ſcientiam boni & mali habet, abſtinet ſe a nocendo etiam cum incommodo ſuo.* Polybius, cum narraſſet quibus initiis primum conveniſſent homines, addit, ſi quis in parentes aut beneficos injurius fuiſſet, fieri non potuiſſe quin id cæteri ægre ferrent, ratione addita: τοῦ γὰρ γένους τῶν ἀνθρώπων ταύτῃ διαφέροντος τῶν ἄλλων ζώων, ᾗ μόνοις αὐτοῖς μέτεςι νοῦ καὶ λογισμοῦ, φανερὸν ὡς οὐκ ἂν εἰκὸς παρατρέχειν αὐτοὺς τὴν προειρημένην διαφορὰν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀλλ᾽ ἐπισημαίνεσθαι τὸ γινόμενα καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς παροῦσι. *Quoniam enim humanum genus hoc aliis animantibus diſtat, quod mente ac ratione utitur, omnino credibile non eſt tam alienum a natura ſua actum ab ipſis diſſimulatum iri, ut in aliis animantibus: ſed quod factum eſt, revocatum iri ad animum cum offenſæ ſignificatione.*

COMMENTARIUS.

SUperius in annot. ad §. 5. *Proleg.* Jus naturale nobis non ſolum cum animantibus, ſed & cæteris individuis commune, eorumque ad finem, ad quem ſingula ordinata ſunt a ſummo

rerum

rerum arbitro, propenſionem & inclinationem revera jus naturæ eſſe demonſtravimus. Unde unumquodque individuum ſecundum jus naturæ agere atque operari dicimus, quoties ad finem naturæ ſuæ congruum rapitur atque tendit ſecundum regulam & normam, quam immutabilis Dei voluntas cuique individuo præſcripſit. Cujuſmodi regula ex æterno Dei decreto profluens æterna illa ſive naturæ lex eſt, quæ omnibus rebus ſive animatis ſive inanimatis innata. Quemadmodum enim Deus decrevit certum ordinem, quo mundum a ſe productum omniaque individua gubernare voluit, ita etiam omnibus rebus a ſe productis, ex quibus conſtat univerſi fabrica, inſevit ejuſmodi inclinationes, quibus ſingulæ rapiuntur ad operandum quod æterno iſti decreto conveniens eſt. Huic autem convenienter operantur quando ſecundum naturam ſibi innatam agunt & operantur, nam cujuſque individui naturam ita comparavit, ut huic ordini quem ſibi propoſuit ab æterno reſpondeat. Cujuſmodi operationes & actiones licet pro diverſa cujuſque individui natura quoque diverſæ ſint, una tamen eademque operandi regula & norma præſcripta omnibus, quæ eſt illud decretum gubernandi mundum, ſive ratio Dei æterna quæ unumquodque individuum determinavit ad certo modo exiſtendum & operandum, ut diximus ad dictum §. 5. *Proleg.* Itaque diſcrimen illud, de quo Author ſermonem habet, rejicimus, quoniam juris naturæ originem unam eandemque omnibus individuis communem ſtatuimus, propterea quod unum tantum ac ſummum ens eſt, a quo omnia producta ſunt & gubernantur, verum non unus & idem omnibus operandi modus, & conſequenter non eodem modo legem naturæ exequuntur atque implent. Quæ diverſa juris adimpletio nullum juris diſcrimen inducit, ſed diverſum exequendi modum. Cui accedit, quod licet qualitatum, quæ cuique individuo innatæ ſunt, diverſitas cauſa ſit; quod in quibuſdam illuſtriora eaque magis ſpecioſa videmus juris naturæ veſtigia & ſpecimina, quæ in actionibus elucent, ex eo tamen non ſequitur omnia non ejuſdem juris participare, differunt quidem inter ſe homines dignitate, præſtantia, meritis, ingenio, judicii acumine, aliiſque animi dotibus, verum ejuſdem tamen rationis participes. vid. quæ *ad* §. 5. *Proleg.* diſputavimus.

2. Quod ſi quando brutis animantibus juſtitia tribuitur, id fit improprie ex quadam in ipſis umbra rationis atque veſtigio. An vero actus, ipſe de quo jus naturæ conſtituit, ſit nobis communis cum aliis animantibus, ut prolis educatio; an nobis proprius, ut Dei cultus, ad juris ipſam naturam nihil refert.

COMMENTARIUS.

QUamvis ſtatuamus homini cum brutis animantibus ceteriſque individuis jus commune, tamen non eodem ſenſu brutis animantibus quo homini juſtitiam tribuimus, ſumpto juſtitiæ vocabulo pro *conſtanti & perpetua voluntate jus ſuum cuique tribuendi.* Quippe cum illa ſuum cuique tribuendi neceſſitas & obligatio præſupponit facultatem ratiocinandi, diſcernendi, & concludendi, (qui enim cuique ſuum tribui poteſt, niſi prius conſtet quid, quantum, & quibus debeo) longe illa juſtitia, quam in brutorum animalium actibus cernimus, differt ab illa, quam homini tribuimus. Hæc enim ex ratione ſive mentis diſcurſu proficiſcitur; illa quidem ex ratione tanquam ſua cauſa & origine derivatur, ſed extrinſeca. In eo tamen ſibi ſimiles, quod utraque ex communicatione divinæ rationis tanquam cauſa prima profluunt. Sed diverſæ quoad ſubjecta quibus inhærent, & exercendi modum. Actus juſtitiæ, qui ab homine proficiſcuntur, fiunt cum delectu & diſcurſu mentis, ideoque ex principio intelligente intrinſeco. Habet enim in ſe ipſo rationem moventem tanquam in propria ſede collocatam, ut inquit Bolognet. *de leg. & aequit. cap. 5.* Brutorum animantium actus extrinſeca certa ratione moventur ac reguntur ad communem quidem finem & ſcopum, ſed non iiſdem mediis aſſequuntur. Utriuſque actus juſtitiæ conveniunt, & quidem proprie juſti dici poſſe mihi videntur, ſed non eodem modo leges & regulas juſtitiæ adimplent ſubjecta. Quemadmodum enim homo nobiliorem in modum quam cetera animalia divinam rationem participat, ita quoque illuſtriori modo exercet juſtitiam; illa autem minor vel major portio participandæ divinæ rationis efficit quidem ut pro ejus menſura in actibus utriuſque juſtitiæ ſplendor & decus magis vel minus conſpiciatur, verum majus non tollit minus, quaſi non ejuſdem eſſent naturæ cujus eſt totum, quod in partes inæqualis magnitudinis dividitur. Participant brutæ animantes rationem divinam, verum non rationabiliter. Atqui hoc modo homo ejus particeps, ergo rationabiliter, id eſt illuſtriori modo juſtitiam exercet, quam cetera animalia, verum diverſitas exercitii non impedit quo minus etiam animalibus pro menſura, qua divinam rationem participant, juſtitiam tribuamus. In equis itaque atque leonibus juſtitiam non dicimus ſcil. quæ cum delectu jus ſuum cuique tribuit, pro menſura debiti, ideoque quæ tantum hominis propria, qui quamvis, ut cætera animalia, divina quidem ratione regatur, inſuper tamen in ſe ipſo poſſidet ejuſdem rationis

nis particulam, qua ſe ipſum regere ac moderari poteſt, per quam conſequentia cernit principia & cauſas rerum videt, ſimilitudines comparat, & juſtum ab injuſto ſeparando, quid ſibi faciendum, quid declinandum eſt dijudicat. Cujuſmodi ratiocinandi facultas non eſt documentum nos alia quam ceteræ creaturæ origine natos, vel alterius rationis participes, ſed nobiliori & illuſtriori modo: quo enim magis accedimus ad principium a quo producti ſumus, eo illuſtriora originis noſtræ damus documenta.

XII. 1. Eſſe autem aliquid juris naturalis probari ſolet tum ab eo quod prius eſt, tum ab eo quod poſterius, quarum probandi rationum illa ſubtilior eſt, hæc popularior. A priori, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia aut diſconvenientia neceſſaria cum natura rationali ac ſociali: a poſteriori vero, ſi non certiſſima fide, certe probabiliter admodum, juris naturalis eſſe colligitur id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale eſſe creditur. Nam univerſalis effectus univerſalem requirit cauſam: talis autem exiſtimationis cauſa vix ulla videtur eſſe poſſe præter ſenſum ipſum, communis qui dicitur.

2. Heſiodi eſt dictum a multis laudatum:

Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίζουσι.

Non etenim penitus vana eſt ſententia, multi
Quam populi celebrant.

τὰ κοινῇ φαινόμενα πιστά, *quæ communiter ita videntur fida ſunt*, ajebat Heraclitus ſtatuens λόγον τὸν ξυνὸν optimum eſſe veritatis κριτήριον. Ariſtoteles: κράτιστον πάντας ἀνθρώπους φαίνεσθαι συνομολογοῦντας τοῖς ῥηθησομένοις: *potentiſſima probatio eſt, ſi in id quod dicimus omnes conſentiant.* Et Cicero: *In re conſenſio omnium gentium jus naturæ putanda eſt.* Seneca: *Argumentum veritatis eſt aliquid* 1 Tuſc.
omnibus videri. Quintilianus: *Pro certis habemus ea in quæ communi opi-* Ep. 117.
nione conſenſum eſt. Non fruſtra autem dixi gentes moratiores: nam, ut recte notat Porphyrius, τινὰ τῶν ἐθνῶν ἐξηγρίωται, ἐξ ὧν οὐ προσήκει τοὺς εὐγνώμονας τῆς ἀνθρωπίνης καταψεύδεσθαι φύσεως: *quædam nationes efferatæ ſunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis judicibus æſtimatione facta humanæ naturæ convitium fieri.* Andronicus Rhodius: παρ' ἀνθρώποις τοῖς τι ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσιν, ἐστὶ δίκαιον ἀκίνητον, ὃ φυσικὸν λέγεται. εἰ δὲ τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις οὐ δοκεῖ δίκαιον, οὐδὲν διαφέρει. οὐδὲ γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὺ εἶναι ψεύδεται, διότι τοῖς νοσοῦσι οὐ τοιοῦτον δοκεῖ. *Apud homines recta ſanaque mente præditos immutabile eſt jus illud naturæ quod dicitur. Quod ſi his, qui morbido diſtortoque ſunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur qui mel dulce eſſe dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur.* A quibus non abit Plutarchi illud in vita Pompeji: φύσει μὲν ἄνθρωπος οὔτε γέγονεν, οὔτ' ἔστιν ἀνήμερον ζῶον οὐδ' ἄμικτον. ἀλλ' ἐξίσταται τῇ κακίᾳ παρὰ φύσιν χρώμενος, ἔθεσι δὲ καὶ τόπων καὶ βίου μεταβολαῖς ἐξημεροῦται. *Natura quidem nullus hominum aut eſt aut fuit ferum atque inſociabile animal, ſed efferatur ubi extra naturæ modum peccare aſſueſcit, rurſumque alia conſuetudine vitæque & locorum*
mutatione redit ad manſuetudinem. Ariſtoteles deſcriptionem hominis, ex Top. v. 2.
eo quod ipſi proprium eſt, hanc facit: ἄνθρωπος, ζῶον ἥμερον φύσει: *homo ani-* Pol. 1. v.
mal eſt ſuapte natura manſuetum. Idem alibi: δεῖ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις: *quid naturale ſit ſpectandum in his quæ bene ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis.*

COMMENTARIUS.

OPtima quidem & falli neſcia eſſe aliquid juris naturalis probatio eſt, ſi oſtendatur rei alicujus convenientia vel diſconvenientia neceſſaria cum natura rationali & ſociali, id eſt cum primis honeſti & decori homini innatis principiis, quippe in eo humanæ naturæ præſtantia præ cæteris animantibus conſiſtit, quod rationalis eſt, rationalis quia ſequitur id quod honeſtum & decorum eſt. Ita ut per *naturam* ſimpliciter intelligamus illam animæ noſtræ excellentiam, qua a beſtiis diſtinguimur, quam ſequimur quoties virtutem colimus, juſtitiæ convenienter vitam inſtituimus. Hinc Cicero, *decorum eſſe id*, inquit, *quod conſentaneum eſt hominis excellentia in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat.* Hinc dicit Seneca, *omnia vitia contra naturam*, ſcil. rationalem, *pugnare*, *debitum ordinem deſerere.* Quia ſequi quod rectum eſt ſecundum naturam ſive rationem eſt vivere. Paſſim Stoici & cum illis Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero dicunt, nihil magis eſſe *ſecundum naturam quam honeſtum*; *nihil æque illi adverſari quam turpe.* Per naturam itaque rationalem intelligimus illam convenientiam cum honeſti & decori principiis, quibus etiam continentur ſocietatis officia, ideoque natura ſive ratio hiſce principiis conſentanea recte quoque ſocialis appellatur, atque idcirco ex convenientia vel diſconvenientia cum illis ſocialitatis innatis principiis ſive natura ſociali deducitur probatio ejus quod juris naturæ eſſe dicitur. Quamobrem Cicero *offic. Nobis autem cum a natura conſtantia, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes data ſint: cumque eadem natura doceat non negligere quemadmodum nos adverſus homines geramus; efficitur ut illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quam late fuſum ſit, appareat: & hoc quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis.* A poſteriori probari inquit Author aliquid juris naturalis eſſe, quod apud omnes gentes aut ſaltem moratiores tale eſſe creditur, atqui ejuſmodi fides ſive obſervatio niti debeat rectæ rationis dictamine, ergo non aliunde derivanda probatio quam ex ipſa ratione, nam in genere nihil juris naturalis eſſe dici poteſt, quam quod recta ratio nobis dictat convenire cum natura rationali & ſociali. Gentium itaque conſenſus non efficit aliquid juris naturalis, ſed rationis dictamen, itaque quiſque propriæ rationi tanquam certiſſimo teſtimonio omni exceptione majori ad probandum aliquid juris naturæ eſſe merito fidem habet, præ gentium & populorum teſtimoniis dictamini ſuæ rationis contrariis. Sin vero in ea, quæ ratio nobis dictat juris naturalis eſſe, omnes aut ſaltem moratiores gentes conſentiant, eo magis adjuvatur dictamen, atque magnum eſt adjumentum probationis, quam primo loco poſuit Author. Hinc optime adjungit, non certiſſimum, ſed probabile eſſe teſtimonium gentium conſenſum in illis quæ juris naturalis eſſe dicuntur. Quamvis non plenam & certiſſimam, magnam tamen veritatis præſumptionem parit multorum de eadem re idem ſentientium conſenſus & ſententia, eaque nos incitat ad rei veritatem vel ulterius inveſtigandam, vel magis adſtruendam. Recte Author ejuſmodi probationes potiſſimum a gentium moratiorum conſenſu petendas ſtatuit. Quid naturale ſit ſpectandum, ait Ariſtoteles, in his, quæ bene ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis, quippe multa jure naturæ prohibita delicta tanquam turpia natura, puta furta, adulteria, quæ tamen apud nonnullas nationes efferatas & inhumanas permiſſa atque impunita fuerunt. Sic apud Ægyptios olim furta omnia fuiſſe licita & impunita, ſeſe in libro Ariſtonis legiſſe ſcribit Gell. *lib.* 2. *cap.* 18. Nec non apud Lacedæmonios jus & uſum fuiſſe furandi. Sic quoque apud nonnullas Indorum gentes Arabes, Perſas, Mauroſque, Magos, Babylonios, filios matres ducere uxores, & cum parentibus ſtupro coïre, atque ex eis ſobolem gignere paſſim licuit, idque inter eos conjugium nullis legibus vetitum fuit: tamen apud reliquas ubique gentes, melioribus imbutas moribus & rectæ rationis dictamini obtemperantes, tam immane ſcelus lege & moribus ſub gravi nocumento interdictum fuit. Hinc Ovid. lid. *Metam.*

Gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur.

Et Catull. in Gellium ad harum nationum morem alludens:

Naſcatur Magus ex Gelli matriſque nefando
Conjugio, & diſcat Perſicum haruſpicium.
Nam Magus ex matre & gnato naſcatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia religio.

XIII. Alteram juris ſpeciem eſſe diximus jus voluntarium, quod ex voluntate originem ducit: eſtque vel humanum vel divinum.

COMMENTARIUS.

JUs voluntarium in eo a jure naturæ ſive divino neceſſario maxime differt, quod hoc verſatur circa ea quæ per ſe & ſua natura, id eſt intrinſece turpia vel honeſta ſunt, ideoque vetita atque prohibita neceſſario antecedenter ad voluntatem divinam, unde immutabilia, quemadmo-

modum oſtendimus & rationibus probare conati fuimus. Voluntarium jus dicitur, quod non præcipit aut vetat quæ per ſe & ſuapte natura licita vel illicita ſunt, ſed vetando illicita, præcipiendo debita facit, ideoque nullam vim obligandi ex ſua natura habent, quemadmodum moraliter turpia vel honeſta, qua ſemper ea fugere, hæc facere tenemur neceſſitate immutabili, verum ex ſupremi tantum legiſlatoris voluntate dependent. Eſt autem hoc jus voluntarium divinum vel humanum, ab origine utrumque ita denominatum, quia illud divina, hoc humana voluntas introduxit.

XIV. 1. Ab humano incipiemus, quia id pluribus innotuit. Eſt ergo hoc vel civile, vel latius patens, vel arctius. Civile eſt quod a poteſtate civili proficiſcitur. Poteſtas civilis eſt, qui civitati præeſt. Eſt autem civitas cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus. Jus arctius patens & ab ipſa poteſtate civili non veniens, quanquam ei ſubditum, varium eſt, præcepta patria, dominica, & ſi qua ſunt ſimilia, in ſe continens. Latius autem patens eſt jus gentium, id eſt quod gentium omnium * aut multarum voluntate vim obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix ullum jus reperitur extra jus naturale, quod ipſum quoque gentium dici ſolet, omnibus gentibus commune. Imo ſæpe in una parte orbis terrarum eſt jus gentium quod alibi non eſt, ut de captivitate ac poſtliminio ſuo loco dicemus.

COMMENTARIUS.

JUs humanum voluntarium in tres ſpecies Author dividit, nimirum in *jus gentium*, quod aliter civili jure latius patens appellat, quia non alicujus populi in unam eandemque ſocietatem coaliti peculiare jus eſt, ſed inter omnes fere gentes ſaltem moratiores obtinet, ideoque magis univerſale eſt. Et *jus civile* ſimpliciter dictum, id eſt, jus alicujus civitatis vel hominum cœtus proprium, vel *civili arctius*, quod intra domeſticos parietes viget, ut *patrium* & *dominicum*. Quod quamvis domeſticum, revera tamen jus civile vetuſtiſſimum appellari poteſt, quia quemadmodum ex familiarum unione civitates ortæ atque excitatæ ſunt, (a ſe invicem magis diverſæ ratione multitudinis, quam regiminis & juris forma) ita ad normam iſtius juris, quod in iſtis parvis civitatibus vigebat, ſibi leges condidere civitates. Quo ſenſu etiam recte dici poteſt jus civile ex naturalibus præceptis collectum, quia ad juris naturæ exemplar paterfamil. familiæ ſuæ membris leges & iura præſcribebat, quæ ipſis eſſent agendorum norma, & ſibi familiæ gubernandæ regula. Primo loco deſcribit Author jus civile ita denominatum a cauſa proxima a qua proficiſcitur, quæ eſt civilis poteſtas. Vocatur autem civilis poteſtas quæ præeſt civitati, in quam cives ſummum imperium contulerunt, cujus voluntati ſeſe obtemperaturos obligarunt in civitatem coaleſcendo, ita ut quicquid civitatis princeps imperaret illud ſine mora exequerentur quaſi omnes imperaſſent, in qua ſubmiſſione vis imperii conſiſtit, imo illa eſt vinculum ſocietatis civilis, quo rupto iterum inducitur primævus belli ſtatus, in quo cuique propria voluntas agendorum norma, ut diximus ſup. Deſcribit Author civitatem, *Cœtum perfectum liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis cauſa ſociatus*. Per *cœtum perfectum* ejuſmodi ſocietatem ſive ſociatam hominum multitudinem Authorem intelligere mihi perſuadeo, quæ ſufficit ad depellenda ea pericula atque mala quæ in ſtatu naturali homini ab homine imminebant. Nam ſuperius demonſtravimus, homines libertatis naturalis jacturam facientes in civitatem coaluiſſe, ut coadunatis viribus a ſe arcere valerent tot mala quæ alter alteri inferre meditabatur, & quibus depellendis ſinguli impares erant. Quemadmodum enim vis unita fortior, ita diſtracta debilior. Sociale quidem animal homo, ideoque quaſi naturæ impetu ad ſocietatem cum ſui ſimillimis colendam ferri videtur, cujuſmodi ſocietates ipſa natura induxit, eo ipſo quo homo homini ſimilem finxit, imo alterius indigentem auxilio, conſuetudine, uſu atque colloquio, eum in finem, ut eo ſanctius ſervaret ſocietatis communis leges & jura, ut alter alterum ſibi devinciendo omni officiorum genere, indigentiæ ſubveniret ſuæ, deſiderio mutuæ conſuetudinis ſatisfaceret, &, ut uno verbo dicam, paratus eſſet ab omnibus rebus quæ ad vitæ uſum ornatumque ſpectant. Cui accedit, quod ſibi invicem fecit æquales, id eſt liberos, ſui juris, rerum ſuarum arbitros & moderatores, fortaſſe ut eo magis ad naturalem hanc ſocietatem conſervandam mutatione officiorum impelleret: novimus enim quam acres in homine libertatis

ſtimuli, quanto deſiderio fertur ad eam conſervandam, vel amiſſam recuperandam, ita ut non voluntate, ſed neceſſitate & contra animi deſiderium in civilem ſocietatem coaluiſſe veriſſimum ſit. Verum quamvis naſcatur animal ſociale, & naturali quadam inclinatione rapiatur ad ſocietatem colendam non qualemcunque, ſed a natura ordinatam & introductam ſuæ intellectui ſive naturæ convenientem, attamen quoniam ad vitia quam virtutes poſt lapſum hominis natura proclivior, quæ eum ſæpiſſime impellit ad quævis deteſtanda admittenda facinora, niſi metu ſuperioris deterretur ab eorum executione, hinc homines in ſtatu ſive ſocietate naturali ſibi æquales conditione & imperio, viribus autem ſæpiſſime impares, propter tot incommoda & pericula, quæ ſocio a ſocio imminebant (rari quippe boni) hujus ſtatus pertæſum, propriæ ſaluti & conſervationi conſulentes, ſatius eſſe ducebant renunciando libertati & ſocietati naturali ſemetipſos & fortunas ac poſſeſſiones in ſecuritatem aſſerere, quam diutius inſidiis atque pravis facinoroſorum hominum machinationibus exponere. Ab eo igitur malorum homini ab homine in ſtatu naturali imminentium metu repetenda ſocietatis civilis incunabula ſupra ad §. 1. *hujus cap.* annotavimus, atque ibi demonſtravimus, quoniam hiſce incommodis mederi ſe non poſſe perſpicerent mortales niſi metu majoris mali & incommodi, quod exciperet authorem ſuum, in ſocietatem civilem coaluerunt, & ſummum aliquod conſtituerunt imperium, quod tot incommoda ab iis arcere poſſet, ſua ſceleribus ſupplicia, & virtutibus præmia decernendo. vid. quæ ibi de cauſis & ſtructura ſocietatis civilis diſputavimus, quæ hic omnia repetere ſupervacaneum eſſet. Recte dicit Author ſocietatem civilem eſſe cœtum liberorum hominum, renunciatio enim libertatis naturalis circumſcribit quidem agendi facultatem, verum non mutat conditionem, hominis oſſibus inhærentem, qua liber naſcitur. Quemadmodum enim civitas ex hominibus antea in ſtatu naturali liberis & ſui juris conflata eſt, ita & eorum progenies libertatem illam retinet perſonalem, cujus reſpectu quis dicitur liber, & ſui juris nullius imperio ſubjectus niſi ſummi imperantis, quo ad ea quæ ad communis ſocietatis ſalutem & conſervationem ejuſque regimen pertinent. Cum enim eorum arbitrium penes eum reſidere voluerint in civitatem coaleſcentes homines, ſemetipſos quoque obligarunt ad exequenda & facienda ea, quæ ſummus imperans ſocietatis ſaluti & conſervationi utile fore judicaret. Aliter liber rerum ſuarum arbiter & dominus quiſque manet, habens de iis diſponendi pro lubitu facultatem ſecundum leges & mores civitatis. Cujuſmodi circumſcriptio non adeo ipſam imminuit libertatem, quam facultatem faciendi & agendi ſuis limitibus includit. Cui accedit, quod prohibitio vel præceptum ex ipſa noſtra voluntate videatur profectum, quia id ipſum velle præſumuntur cives, quod placuit ſummo imperanti, tanquam neceſſarium conſequens voluntatis antecedentis, qua nititur tanquam civitatis fabrica atque architectura. Eo enim ipſo quo ſummum detulerunt imperium, ſeſe ſubjecerunt imperantis arbitrio & voluntati, ita ut ejus voluntas eſſet pro voluntate omnium, & quicquid ipſi placuit omnibus placere intelligi debeat. Scopus autem & finis hujus ſubmiſſionis eſt utilitatis communis conſervatio, promotio & æquarum legum uſus; ab utilitate communi ſingulorum membrorum pendet utilitas, ita ut qui proprio velit inſervire commodo prius publicum procurare neceſſe habeat, utrumque vero ſalvum eſſe nequit, niſi æquæ leges vigeant, quæ ſuum cuique tribuunt, humanas actiones dirigunt ad unum eundemque civitatis finem, & bonis decernentes præmia, malis pœnas, communem tranquillitatem & pacem conſervant, atque a ſingulis membris depellunt ea mala, quibus ſublatis legibus & ſummo imperio expoſiti ſunt. *Quid enim erit homine truculentius, quid immitius, ſi dempto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerint, aut comtemnere*, inquit Lactant. *Reſpicite*, ait Phalaris apud Lucian. *ad legum ſcriptores, etiam irrogandarum pœnarum rationi & conſuetudini plurimum tribuentes, quaſi cæterarum nulla utilitas ſpectanda ſit, niſi metus malefactoribus ſit propoſita, ac certa ſpe luendi pro ſuppliciis flagitii.* Vocantur autem hæ leges ſive jus illud quod a ſummi imperantis voluntate proficiſcitur, jus civile, diverſum ab illo jure ſive præceptis quæ patria & dominica dicuntur, ab Authore jus arctius patens dictum, arctius quia tantum obtinet apud ejuſdem familiæ membra, ſive inter patrem & liberos, dominum & ſervum, quamobrem illud patrium, hoc dominicum dicitur, non latius patens quam vel patria vel dominica poteſtas ſeſe extendit, quia ab illa tanquam cauſa efficiente derivatur. Cujuſmodi juris diſtinctio quamvis JCtis incognita & inuſitata, ratione tamen non caret. Vetuſtiſſimum enim hoc jus merito dici poteſt, utpote quod cum ipſo genere humano videatur introductum, ideoque & ante inſtitutas civitates juris nomine venit, atque poſtea non abrogatum a poteſtate civili, ſed limitatum, eique ſubditum, & ad civitatis formam accommodatum. Quamobrem errare mihi videntur, qui minus recte putant præcepta paterna & dominica juris ſive legis nomine venire, quaſi nullum jus, nulla lex ſtricte dicta niſi profecta ab eo, qui legem condendi poteſtatem in civitate habet. Nonne enim familia in eo tantum a civitate differt, quod hæc ex pluribus conſtat capitibus, id eſt plurimarum familiarum in unam eandemque ſocietatem conſpirantium unitas atque conſociatio: eandem legum condendarum patremfamilias olim habuiſſe poteſtatem demonſtravimus, quæ hodie competit ei, qui ſocietati præeſt. Imo unde illa poteſtas legiſlativa niſi quiſque privatus eam habuiſſet in ſua familia. Quippe cum omnem poteſtatem ſive omne imperium, & omnes ejus partes ab humana pendent delatione & conceſſione, tanquam a cauſa ſua, oportet omnia ſupremæ poteſtatis jura & commoda prius reſediſſe penes transferentem, id eſt unum-

quem-

quemque patremfamil., ante quam transferri potuerunt in alium. Quoniam nemo plus juris in alium transferre poteſt quam ipſe habet. Atqui conſtat poteſtatem legum condendarum in civitate ſummo imperanti delatam; ergo eam habuiſſe transferentes luce clarius eſt. Lex enim nihil aliud eſt quam regula & ordinatio a ſuperiore præſcripta, quæ dirigit actiones civium, ſecundum quam dijudicatur earum bonitas aut malitia, cum obligatione parendi conjuncta. Ejuſmodi poteſtas in ſtatu naturali patribusfamil. ab ipſa natura delata, in civitate voluntas humana tranſtulit in ſummum imperantem, quamobrem *humanam ordinationem* vocat Petrus Apoſt. ideoque non adeo diverſa a ſe invicem natura & genere, ſed latitudine imperii, & multitudine perſonarum, quibus parendi incumbit neceſſitas. Verum fortaſſe quibuſdam contradictionem involvere videbitur mea poſitio, quia ſtatuo quemque patremfamil. in civitatem coaleſcentem legum ferendarum poteſtatem ſibi a natura delatam, in ſummum tranſtuliſſe imperantem, & tamen præcepta paterna & dominica recte leges appellari. Cui reſpondeo. illam legum condendarum poteſtatem, quæ univerſam civitatem, atque ſingulas familias ex quibus conſtat, obligat, omnino ſummo imperanti detuliſſe nulla ſibi reſervata portione, verum ratione ſuæ familiæ retinuiſſe poteſtatem legiſlativam, quatenus cum ſalute & tranquillitate ſocietatis civilis convenit, præſumendus eſt, ita ut huic poſſit ferre leges, id eſt regulam & agendorum normam præſcribere, quæ intra familiæ limites non minorem habent vigorem, quam leges a ſummo imperante civibus præſcriptæ. Quo ſenſu dicitur apud Homer.

Natis dat & conjugibus quiſque leges.

Omnis enim domus regio imperio adminiſtratur, ut inquit Ariſt. 1. *polit.* *Jus latius patens* vocat Author *jus gentium*, vim obligandi accipiens ab omnium vel ſaltem plurimarum gentium voluntate. Verum videamus quo ſenſu jus gentium venit appellatione juris voluntarii. Quippe ſi accurate juris gentium originem tum etiam ejus definitionem, quam nobis juris Romani antiſtites, quaſi unanimi conſenſu tradunt, non videtur jus gentium voluntati & diſpoſitioni humanæ magis eſſe obnoxium quam jus naturæ: originem enim repetimus ab ipſa natura, id eſt recta ratione, quamobrem univerſale eſt, adeo ut omnes gentes æqualiter obligat ad ejus obſervationem & cuſtodiam. Ita enim Juſtinianus. §. 1. *inſt. de jur. nat. & gent.* *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes gentes peraque cuſtoditur; vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur.* Quorum verborum ſenſus eſſe videtur, quod hoc jus non ex legibus aut inſtitutis ab hominum voluntate proficiſcentibus æſtimandum ſit, ſed ex eo quod juſtum & æquum eſſe dictat ipſa natura ſive recta ratio, ſcil. illa hominum animis innata de honeſto & turpi, juſto & injuſto notitia. Quare ſæpiſſime juris naturalis appellatione venit. Ita enim §. 11. *inſt. de rer. div. Singulorum autem hominum multis modis res fiunt, quarundam enim rerum dominium nanciſcimur jure naturali, quod, ſicut diximus, jus gentium appellatur.* Eodem modo Cic. 3. *off.* *Neque vero hoc ſolum natura, id eſt, jure gentium, ſed & legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus Reſpub. continentur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceret ſui commodi cauſa nocere alteri.* Et Cajus in *l.* 1. *ff. de acquir. rer. dom.* *Quarundam*, inquit, *rerum dominium nanciſcimur jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peraque obſervatur, quarundam jure civili, & quia antiquum jus gentium cum ipſo genere humano proditum eſt*, &c. Illud autem jus, quod cum humano genere proditum eſt, nihil aliud eſt, quam jus homini connatum, ideoque naturale proprie acceptum. vid. *l.* 31. *ff. depoſit.* Quoniam itaque jus gentium idem quod naturale, manifeſtum eſt hujus non inventores fuiſſe homines, & conſequenter ab humana voluntate non dependete, vel inductum, verum divina quadam providentia conſtitutum, ſemper firmum atque immutabile permanere, ut inquit Juſtinianus §. 11. *inſt. de jur. nat. & gent.* quia Deus ejus eſt inventor, diſceptator, lator, ut inquit M. Tull. *lib.* 3. *de Rep.* Quod etiam affirmant exempla juri gentium adſcripta, ex ipſo jure naturali immediate profluentia, ut erga Deum religio, vis atque injuriæ propulſatio, erga parentes reverentia & obedientia. Perperam itaque videtur ab Authore noſtro jus gentium ejus obligandi vim ab humana voluntate derivari, niſi dicamus Authorem hic ſermonem habere de jure gentium ſecundario. Excogitarunt enim quidam juris doctores diviſionem juris gentium in primævum & ſecundarium. Primævum vocant quod cum ipſo humano genere proditum, & idcirco revera jus naturale nuncupari poteſt; ſecundarium quod ipſæ gentes uſu & humana neceſſitate exigente ſibi conſtituerunt interveniente conſenſu & voluntate humana. Quæ diviſio mihi non arridet. 1° propterea quod jus gentium primævum non eſt ſpecies juris gentium quatenus pro genere ponitur, ſed ipſum jus naturale. 2° Quia jus gentium ſecundarium quatenus ab hominibus conſtitutum & approhatum poſitivum quid eſt, non poteſt ſub eodem genere poni, ſub quo ponitur jus gentium quod primævum vocatur. 3° Quia jus gentium non differt a jure naturæ niſi quibuſdam circumſtantiis & intervenientibus medils, quæ ad illud inducendum concurrunt atque adhibentur. Hinc quædam immediate ex jure naturali profluentia, quædam mediate, id eſt neceſſitate humana exigente, recte præeunte rationis lumine conſtituta dicuntur. Illa juris naturalis ſimpliciter, hæc pro certo retum ſtatu dici poſſunt; ſive illa juris naturalis abſolute, hæc hypothetice. Illa vim obligandi ex ſe & ſua natura continent; hæc obligant voluntate humana accedente. E quibus perſpicimus quo ſenſu jus gentinm tertia conſtituitur juris ſpecies & juri voluntario humano adſcribitur, ſcil. quatenus ea quæ juris naturalis ſunt, &

ante diſcretas gentes ex ſolo naturæ dictamine & ex propriorum parentum inſtitutis obſervabantur, poſtea auctis hominibus & in diverſas gentes coalitis, ad certam juris formam vel tacito vel expreſſo conſenſu redacta ſuot, juris gentium dicuntur eadem fere ratione, qua juris civilis dicuntur ea quæ detrahendo vel addendo juri gentium certam quandam formam conſtitutioni civitatis conſentaneam receperuot. Sic omnia ea quæ in facto contingebant, ut procreare, vim vi repellere, ad certam juris redegerunt formam, quibuſdam detraxerunt, nova belli jura conſtituendo, inde manumiſſiones, contractus cæteraque commercii inter gentes conſervandi cauſa jura conſtituta. Quemadmodum itaque forma eſt quæ dat eſſe rei, ita ea quæ juris naturæ ſunt, quia formam receperunt a coosenſu & voluntate gentium, juris gentium eſſe dicuntur. Et eo ſenſu recte Author juris gentium obligationem a conſenſu & voluntate omnium aut multarum gentium deducit, quatenus gentes humanæ communi conſenſu vel approbatione & uſu huic juri formam dederunt. Cauſa, quæ gentes ad aliquod commune jus, quod humanæ ſocietatis vioculum eſſet, conſtituendum impulit, fuit varia neceſſitas humanæ conditionis, & ſocietatis conſervatio, ſine qua quemadmodum nullus homo, ita nulla gens beata neque ſatis tuta eſſe poteſt, mutuo indigent auxilio atque commercio, cujus intuitu varia introducta jura, ut ſtatim diximus, præeunte rectæ rationis diſcurſu. Quatenus enim homo eſt animal ſociabile, naturæ ejus ingenerata ſunt principia illorum officiorum, quæ ad communem ſocietatem conſervandam præſtanda ipſi dictat ratio & ſuadet indigentia ſive neceſſitas, ſive in ſtatu naturali degenti, ſive membro alicujus gentis. Quamvis enim homines in gentem coaliti fuerint, tamen ſociabilis manet natura, imo eadem obligatio incumbit gentibus, quæ ſingulis hominibus ſive familiis, e quibus tot diverſæ gentes in unum quaſi corpus congregatæ, ad coleodam cum ſui ſimillimis ſocietatem, & conſequenter ad eadem ſervanda jura, quæ dictat ratio ſocietatis conſervationi inſervire. Cui inſuper accedit, quod idem reſpectus ſive eadem relatio inter gentes obtinet, quæ olim inter diverſas familias, ideoque eadem quoque officia ſibi locum vindicant, imo eadem neceſſitas, quæ homo homini conciliat, gentem genti devincit, & eadem inducit jura, quia ſtatus hominis naturalis, in quo liber & nullius imperio ſubjectus vivit, nihil differt a ſtatu, in quo plurimæ gentes a ſe invicem diſcretæ vitam agunt, oiſi perſonarum multitudine ac numero, manente inter omnes communione & ſocietatis & juris, quod commercia tuetur & ſocietatem conſervat. Quippe ratione naturæ humanæ ſociabilis immutabile eſt illud rationis dictamen, quod dictat ſocietatem eſſe colendam & conſervandam, ideoque in quocunque ſtatu hominem obligat, ut ſuper. diximus, & conſequenter quoque eadem obligatione diverſæ tenentur geotes. Præterquam quod ipſa neceſſitas videatur hominem & etiam gentes eo impellere propter indigentiam & mutuum auxilium, immediate itaque ex hominis natura ſociabili deſcendit inclinatio ad ſocietatem colendam, ex rationali jura & officia ſocietatis humanæ vincula, eorum vero applicatio & uſus, tum etiam interpretatio & ad aliquam juris formam redactio, humano relicta videtur arbitrio & voluntati, & eateous eadem jura quæ ex rectæ rationis dictamioe immediate deſcendunt, ideoque mera naturalia dicuntur, humana ſive gentium jura appellari poſſunt, quatenus facto & voluntate gentium, longo uſu & conſuetudine declarata, interveniente, applicantur caſibus ſingularibus, vel illis aliquid addendo vel detrahendo ad certam juris rediguntur formam ſocietati humanæ convenientem, ideſt dirigeotem populorum actiones in communem juſtitiam & omnium tranquillitatem ac ſalutem, quæ præſumitur omnium gentium in unum coeuntium fiois & ſcopus, & conſequenter voluiſſe ejuſmodi jura inducere, quæ huic fini inſerviunt, vid. quæ ad §. 17. *Preleg.* diſputavimus.

2, Probatur autem hoc jus gentium pari modo quo jus non ſcriptum civile, uſu continuo & teſtimonio peritorum. Eſt enim hoc jus, ut recte notat Dio Chryſoſtomus, εὕρημα βίου ϗ χρόνου, *repertum temporis & uſus.* Atque in eam rem maximum nobis uſum præbent illuſtres annalium conditores.

COMMENTARIUS.

JUs gentium quatenus a voluntate omnium vel ſaltem moratiorum gentium vim obligandi accepit, oportet ut ejuſmodi voluntas manifeſta & perſpicua ſit: eſt autem manifeſta duobus modis, vel expreſſa declaratione & ſuffragio, vel rebus ipſis ac factis, ſcil. uſu continuo & inveterata conſuetudine. Quamobrem vocatur repertum temporis & uſus. Hinc JCtus in *l. 35. ff. de ll. Sed & ea quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea quæ ſcripta ſunt jura, ſervantur.* Nam, ut Livius inquit, *viſus eſt graviſſimus juris cenſor & explorator, ut non poſſit non æquum eſſe & utile, quod is probavit ſæpius facto periculo.* Et Cic. *lib. 2. de invent. Jus,* inquit, *eſſe putatur, quod voluntate omnium ſine*

ne vetuſtas comprobavit. Teſtimonia autem peritorum non tantum habent ponderis ad ipſum jus gentium conſtituendum, quam ejus apud omnes peræque gentes cuſtodiam & uſum probandum. Probatur enim jus gentium uſu & ratione, id eſt uſu in ratione fundato. Oportet enim ut concurrat ratio cum uſu ad jus gentium conſtituendum, ſine quibus nihil juris gentium eſt, ut inquit ſummus Jctus, JOHANNES VOET, juris antceſſor Lugduno Bat. in *compend. jur. tit. de ll.* cujus culturæ & curæ debeo quos in addiſcenda juris civilis diſciplina mihi acquiſivi fructus, ideoque pluri mis nominibus me ipſi devinctum libenter confiteor; cujuſmodi ratio per ſe nota eſſe debet & manifeſta, ideoque non ex teſtimoniis peritorum quæ ſæpe falli poſſunt deducenda.

XV. 1. Jus voluntarium divinum quod ſit, ſatis ex ipſo vocum ſono intelligimus: id nimirum, quod ex voluntate divina ortum habet: quo diſcrimine a jure naturali, quod item divinum diei poſſe diximus, internoſcitur. In hoe jure locum habere poteſt, quod nimium indiſtincte dicebat Anaxarehus apud Plutarchum in Alexandro: non ideo id Deum velle, quia juſtum eſt, ſed juſtum eſſe, id eſt jure debitum, quia Deus voluit.

COMMENTARIUS.

JUs divinum voluntarium appellatur quod ex Dei beneplacito & liberrima divina voluntate ortum trahit, in eo itaque diverſum a jure naturali ſive divino neceſſario, quod illud juſtum eſt quia Deus voluit, omnemque vim obligandi a divina voluntate accipit. Hoc autem vult Deus quia juſtum eſt per ſe & ſua natura antecedenter ad omnem voluntatem, fluens ex ipſa Dei eſſentia & quidem neceſſario, ita ut ſi non eodem ſemper modo ex divina profflueret natura, non eſſet Deus quod eſt, & neceſſario eſſe debet ſi Deus eſt. Quamobrem omnem excludit mutabilitatem, ideoque omnem diſpoſitionem voluntariam, quodcunque enim voluntarium eſt mutari poteſt, cujuſmodi ratio cadere nequit in Deum ejuſque attributa, quorum in numero eſt juſtitia & ſanctitas divina legem & normam nobis indicans, ad quam creaturæ actiones ſuas componere debent, ſive quæ eſt fons omnis juſti & decori, habens in ſe neceſſitatem moralem faciendi, & a contrario abſtinendi per ſe, ut ſupra clare demonſtraſſe ſperavimus.

2. Hoe autem jus aut datum eſt humano generi, aut populo uni. Humano generi ter jus datum a Deo reperimus: ſtatim poſt hominem conditum, iterum in reparatione humani generis poſt diluvium, poſtremo in ſublimiori reparatione per Chriſtum. Tria hæc jura haud dubie omnes homines obligant, ex quo quantum ſatis eſt ad eorum notitiam pervenerunt.

COMMENTARIUS.

A vero hic aberrat Author dum de jure divino voluntario ſermonem habens illud ipſum ter humano generi datum ſtatuit, & quidem in eundem lapidem bis impingit, quando in ſublimiori reparatione per Chriſtum jus aliquod novum humano generi promulgatum aſſerit. Quem errorem ſup. refutavimus ad §. 48. *Proleg.* Jus vero ſtatim poſt hominem conditum a Deo promulgatum complexum eſt lege illa poſitiva, qua interdixit Jehova Adamo ne comederet ex arbore ſcientiæ boni & mali, pertinens ad univerſum genus humanum, quamobrem primi parentis inobedientia & transgreſſio recte poſteris imputata. Conſideratus enim fuit homo primus tanquam radix totius generis humani, & idcirco præceptum ipſi datum non ipſum ſolum, ſed & poſteros ſpectavit, quod patet ex effectis. Quippe ſi præceptum illud poſitivum non ſpectaſſet Adami poſteros, non potuiſſent ex transgreſſo illo præcepto in eos redundare tales effectus. Dicitur enim *Rom.* 5. 19. quod omnes in ipſo peccaverimus, peccavit itaque loco noſtri, quos tanquam patet & princeps repræſentabat, quoniam in lumbis ejus eramus. Itaque ſi ſtetiſſet & conſtanter Deum amaſſet, nos quoque fuiſſemus eorum bonorum hæredes, quæ Deus ipſi fuerat largitus. Hoc itaque recte ſtatuit Author jus divinum voluntarium Adamo in paradiſo conſtituto datum univerſum genus humanum obligaſſe. Verum errat dum id ipſum hodie & nos obligare inquit ſublato & paradiſo & arbore illa, & exuto homine integritate ſua, ad quam

referri

referri debet. Perperam quoque adjungit novum iterum a Deo jus conditum poſt diluvium univerſum genus humanum obligans, quo nomine fortaſſe venire placet Author illa Noachidarum præcepta, de quibus longe lateque diſputant Rabbini, eaque fuiſſe recenſent ſeptem illuſtriora, quorum, 1. *de cultu extraneo.* 2. *de maledictione numinis ſanctiſſimi.* 3. *de effuſione ſanguinis ſeu homicidio.* 4. *de revelatione turpitudinum.* 5. *de furto & rapina.* 6. *de judiciis ſive regimine forenſi.* 7. *de membro animalis viventis non comedendo.* Qui hæc præcepta, quæ Judæorum Magiſtri Noachi ejuſque poſteris tradita propugnant, diligenter examinat, facile perſpicit priora illa ex ipſo rectæ rationis dictamine profluere, ideoque ad univerſum genus humanum pertinere, verum perperam collocari inter jura divina voluntaria. Poſtrema vero illa duo nec ad omnes homines pertinuerunt, nec ſemper obligarunt, utpote quæ tanquam peculiaria præcepta tradita videri debent iſti populo, quem ſibi eligeret Deus & ab omnibus aliis gentibus ſegregaret, multo itaque minus hodie nos obligant, niſi quatenus hominem ab omni crudelitate avocent, quod & rectæ rationis dictamen, quæ permittit & concedit omnium rerum uſum, verum abuſum vetat, cujuſmodi eſt crudelitas & ſævitia in bruta animalia.

XVI. 1. Ex omnibus populis unus eſt, cui peculiariter Deus jura dare dignatus eſt, populus ſcilicet Hebræus, quem ſic alloquitur Moſes Deut. IV. 7. *Quæ gens tam magna, cui Dei propinqui ſicut Dominus Deus noſter ad omnia vota quæ ei facimus? quæ gens tam magna, cui ſint conſtitutiones & jura æqua, qualis eſt lex hæc tota, quam ego hodie coram vobis propono?* Pſalmographus Pſalmo CXLVII; *Indicat Deus verba ſua Jacobo, conſtitutiones ac jura ſua Iſraëli: non ita fecit genti ulli; ideo jura iſta non noverunt.*

COMMENTARIUS.

QUatenus Deus ipſe rempub. Hebræorum ſuis formare & fundare legibus voluit, tum ceremonialibus, cum etiam forenſibus, recte inquit Author ex omnibus populis unum eſſe populum Hebræum cui Deus jura dare dignatus eſt, quæ Moſes tanquam ſummi Jehovæ miniſter & internuncius, uti a ſummo legiſlatore acceperat, populo interpretabatur ac indicabat, ut ſibi ſecundum ea politicum regimen & divinum cultum introducenti obedientem redderet populum. Qui ſeſe a Moſe non decipi jam certiores eſſent facti, quippe qui teſtes fuiſſent oculati, quando Deus e ſummo deſcendens Olympo ſuper montem Sinaï Moſen ad colloquium vocabat, ut ei daret jura ſua populo promulganda ac denuntiunda. Revera olim populus Romanus deceptus a Numa Pompilio ſecundo Romanorum rege, qui, ut ſacra & ceremonias omnemque cultum Deorum a ſe inſtitutum rudis & ferox nulliſque cultioribus inſtitutis mitigatus populus ſumma cum veneratione acciperet, ei perſuaſit ſe hæc omnia monitu Deæ Egeriæ feciſſe, cum qua fingebat congreſſionem. Peculiaria itaque præ cæteris gentibus dedit jura Deus Hebræo populo, ſcilicet ceremonialia & forenſia. Decalogi vero præcepta de novo quidem in monte Sinaï promulgavit, ut quaſi in brevi tabella depictam haberent vitæ inſtituendæ ac omnium officiorum, tum quæ Deo, tum etiam quæ proximo & ſibi ipſis debent, regulam & normam, quam & ipſis dictabat quidem naturalis ratio, ſed fortaſſe non adeo eos ad officium impellit, quam viva vox Jehovæ fulminantis, vel aſſiduus aſpectus inciſæ legis. Hinc apud Romanos leges æneis tabulis inciſæ publice proponi ſolebant, ut cives earum aſpectu ad officium revocarentur: peculiaris itaque ſolennis & ſpecioſus iſte promulgandi modus, non vero peculiaria promulgata jura, ſed & cæteris gentibus communia, utpote quæ revera moralia ſunt, ideoque omnibus hominibus recta dictat ratio, univerſum genum humanum obligantia.

2. Nec dubitandum, quin fallantur Judæorum illi (quos inter Tryphon in diſputatione cum Juſtino) qui exiſtimant etiam alienigenis, ſi ſalvi eſſe vellent, ſubeundum fuiſſe legis Hebraïcæ jugum. Neque enim eos obligat lex quibus data non eſt. At quibus data ſit lex, ipſa loquitur: *Audi Iſraël.* & paſſim fœdus cum ipſis ictum, ipſi in peculiarem Dei populum adſciti dicuntur, quod verum eſſe agnoſcit & ex loco Deuteron. XXXIII. 4. probat Maimonides.

COMMENTARIUS.

VIdeor mihi operis filum ſequens tandem ad Theologorum caſtra delatus, quibuſdam fortaſſe ſtomachum movebo, ſi Juriſprudentiæ limites tranſiliens, Theologiam huic diſciplinæ ad-

miſcendo meam falcem in eorum meſſem immittam. Novi enim homines, utpote quorum bilem jam antea expertus fuerim. Verum, non vereor quoſdam furibundos & omni plane rationis uſu deſtitutos umbraticos venerandæ diſciplinæ doctorculos, nec vanum eorum extimeſco latratum, qui diligenter Momi partes ſuſtinent, modo rationibus, non calumniis certent, quas nonnulli cum lacte imbibunt, quia naſcendi quorundam conditio ſæpiſſime obſtat civili educationi & conſuetudini. Quæ in cauſa, quod ſanctiſſima & cœlitus nobis miſſa hæc diſciplina tam illotis ſæpiſſime tractatur manibus, imo dolendum, quod ea doctrina, quæ hominum mentibus pacem, concordiam ac mutuum amorem inſtillat, nonnunquam mutuis jurgiis, diſcordiis, imo diabolicis, ut ita dicam odiis, cauſam præbeat, quæ omnem tollunt reverentiam & venerationem, quam debemus cum doctrinæ, tum etiam iis, qui eam profitentur, ſummo cum Religionis reformatæ detrimento. Neque enim eam religionem facile quis amplectetur, cujus profeſſionem facientes cum humanitatis tum etiam charitatis officia, apud ipſos Gentiles ſancte obſervata, negligere vidit. Quo fit, proh dolor! ut ejus propagatio & curſus ſiſtatur, dum & ejus Doctores atque Magiſtri inter ſeſe diſſidentes, atque omnibus probris & calumniis ſe mutuo proſequentes, & fallaciæ accuſantes quam publice profitentur doctrinam, omni auctoritate & reverentia ſemetipſos ſpoliant. Longe diverſam primi Reformatores religionis propagandæ viam inierunt, utpote qui ſumma concordia & unanimi conſenſu ad ædificandam Dei eccleſiam in prima ejus ætate ſuas contulerint operas, quo accidit ut brevi ad eam magnitudinem creverit, quam hodie quiſquis mirari debet. Quorum canos capillos & mihi, quamvis non adeo provectæ ætatis, in natali ſolo intueri & florentiſſimo Trajectino Atheneo publice divina docentes myſteria andire licuit, quamobrem eorum adhuc manes veneror. * Verum condonemus hoc vitium humanæ naturæ imbecillitati, cujus participes etiam ſeveriſſimi Theologi, raram inter fratres gratiam jam olim Gentilis cecinit Poëta, perſuademus in ea jam nos incidiſſe tempora, & idcirco placido & æquo perferam animo ſi quid inopinati ex temporum injuria nobis acciderit. Sed ad rem redeamus. Erroris & fallaciæ inſimulat Author Judæos, qui exiſtimant, etiam alienigenis, ſi ſalvi eſſe vellent, ſubeundum fuiſſe legis Hebraïcæ jugum. Propterea quod lex neminem obligat niſi cui lata eſt. Atqui lex Hebraïca tantum data eſt populo Hebræo ſive Iſraëlitico, ut patet ex verbis quæ habentur *Deut. 6. Audi Iſrael.* Ergo ſolum obligavit Judæos; cum etiam probat id ipſum fœdus cum ipſis ictum, quo ipſi in peculiarem Dei populum adſciti dicuntur, quod verum agnoſcit & probat Maimonides ex loco *Deut.* 33. *v* 4. Videamus an hunc nodum ſolvere poſſemus. Solet lex per Moyſen lata in tres ſpecies dividi *Deut. 6. v.* 1. ubi recenſet Moyſes *præcepta, ſtatuta,* & *judicia.* Præcepta ad legem moralem pertinent; ſtatuta denotant leges ceremoniales; judicia forum & civilem politiam ſpectant, ideoque leges forenſes ſignificant. Quamvis haſce diverſas ſpecies generali vocabulo legis Moſaïcæ veniant, magnum tamen quoad obligandi vim inter illas eſt differentia. Præcepta enim, quatenus legem moralem indicant, & idcirco fundata ſunt in jure naturali, univerſalem ad omnes ſeſe extendentem homines in quocunque ſtatu & vitæ genere continent obligationem, & quidem indiſpenſabilem ſive indiſſolubilem, & immutabilem ac æternam. Forenſes & ceremoniales ſunt temporales & mutabiles tum ratione materiæ, tum etiam originis & uſus. Et quia tantum Judæorum ſpectabant Rempub. & ſingularem Deum colendi modum ordinabant, peculiares ſunt. Præcepta moralia, Decalogo comprehenſa tanquam brevi juris naturæ compendio, a Moyſe populo promulgata, etiam alienigenas in Repub. Hebræorum commorantes obligabant per ſe & ſua natura, quia generalem, perpetuam & immutabilem continent obligationem. Peculiaria populo Hebræo dicta quoad modum promulgandi ſolennem & in tabulis inſcriptionem, ut populus Hebræus omnis juris divini cuſtos ſemper ob oculos haberet Dei mandata, quæ ipſo docerent officia tum Deo, tum proximo debita, in quibus exequendis totius legis complementum conſtitit, cujus honoris & benevolentiæ non omnes participes fuere gentes, ſed tantum Judæi tanquam in peculiarem Dei populum adſciti, quamvis omnes tamen ejuſdem legis vinculo adſtringuntur ad eadem officia præſtanda & exequenda, quæ lex moralis præcipit atque dictat. Cujuſmodi legis executio nihil neque Hebræis, neque aliengenis prodeſſe poterat ad obtinendam ſalutem & animæ beatitudinem. Promittit quidem lex vitam æternam, ſed niſi perfecte implentibus, atqui impoſſibilis eſt propter corruptam hominis naturam ejus obſervatio, ergo vita ejus obſervatione promereri nequit, ſepties enim cadit juſtus uno die. Sumus nos quidem ſub lege, verum non ſub lege tanquam fœdere ſcil. operum, quod cum Adamo pepigit olim Deus, quo ipſi vitam pollicebatur tanquam perfectæ obedientiæ & adimpletæ legis præmium. Aliud eſt eſſe ſub lege tanquam directrice & moderatrice morum & actionum humanarum, cui parendi neceſſitas omnibus cujuſcunque generis & ſtatus incumbit; aliud eſt eſſe ſub lege tanquam fœdere cui promiſſio æternæ promerendæ vitæ ſuis factis & operibus annexa. Erat quidem ex vi fœderis legis executioni & obedientiæ annexum præmium, verum huic præmio annexa quoque horrenda maledictio. Nos quidem tenemur legi obtemperare nullo ex ejus obſervatione nobis ejuſmodi promiſſo præmio, verum nulla nos iterum expaveſcit maledictio legem non adimplentes. A maledictione nos Chriſtus per meritum ſuum, non verum a neceſſitate obediendi liberavit. Itaque hoc ſenſu non dici poteſt lex moralis jugum impoſitum populo Hebræo, quaſi ſuis factis & operibus vitam potuiſſent promerere,

* *Inter quos eminebat ſummus Theologus,* GYSBERT VOET. *Sacrarum Literarum quondam, in Eccleſia & Academia Trajectina Doctor & Profeſſor celeberrimus,* Orthodoxæ *Religionis vindex acerrimus, ex iis qui ad* SYNODUM DORDRACENAM *delegati fuerunt, ſuperſtes omnium ſupremus.*

merere, & conſequenter quoque Gentiles, qui idem legis jugum in ſeſe ſuſcipiebant. Lapſu enim primi parentis, e cujus lumbis omnes originem trahimus in eo ſumus ſtatu collocati, ut lex nobis obſervatu impoſſibilis ſit reddita, quemadmodum ſtatim diximus. Itaque neque Hebræis neque Gentilibus lex moralis fuit jugum quod ſubeundum erat ad ſalutem & vitam æternam obtinendam, ſed tantum regula & norma quæ nobis præſcribebat ea quæ agenda & declinanda ſunt, ſi honeſte & convenienter divinæ imaginis nobis relictis ruderibus, quæ ſunt juſti & decori illa nobis adhuc reliqua principia, vitam inſtituere velimus. Idem dicendum de legibus ceremonialibus, quibus potiſſimum quæſtio noſtra applicari poteſt. *Quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum reddere cultorem*, ut inquit. Apoſt. *Epiſt. ad Hebr. cap.* 9. *v.* 9. Per quas vivere homo non poterat; quæque ad peccatoris juſtitiam & vitam nihil faciebant, nec eum conſummabant. Verum, ut inquit idem Apoſtolus *cap.* 7. *v.* 19. quamvis nihil ad perfectionem adducit lex, id eſt ad juſtitiam illam veram & internam, quæ reddit hominem Deo gratum & acceptum ad vitam æternam, ſive ad veram ſanctitatem & gloriam: attamen *erat introductio ad ſpem potiorem, per quam appropinquamus Deo.* Id eſt lex ceremonialis, cujus uſum hic intelligit Apoſtolus, erat quaſi ad Chriſtum, extra quem nulla ſalus ſperanda, manuductio, & hoc ſenſu recte ſtatuunt Judæi ſubeundum fuiſſe alienigenis jugum legis hujus ceremonialis, ſi ſalvi eſſe vellent, quippe quæ erat typus Chriſti, mortiſque ejus, cujus ritus & cerimoniæ erigebant veros Iſraëlitas ad ſpem bonorum hiſce terrenis longe præſtantiorum per Meſſiam conſequendorum, unde Chriſtus finis legis appellatur *Rom.* 10. *v.* 4. Finis enim legis non eſt ut peccator ex ea juſtitiam quærat, ſed Chriſtum reſpicit, ut ex eo juſtitia ſit. Hinc lex poteſt conſiderari inſtar Pædagogi ad Chriſtum ducentis, ut per eum juſtificemur, amplectentes eum per fidem *Gal.* 3. *v.* 24. 25. umbramque futurorum bonorum continet, inquit Apoſtolus ad *Hebr.* 10. *v.* 1. Si ſalvi itaque vellent eſſe Gentiles, per fidem Chriſtum tanquam ſalutis ſuæ anchoram amplecti debebant, qua autem ratione eum amplecterentur, niſi prius informarentur de Meſſiæ adventu, deque expiatione peccatorum per ejus mortem, ad cujus cognitionem & notitiam per terreſtres figuras & umbras erant perducendi. *Sapientiſſime autem ita diſpenſatum a Deo, ut cum graviſſimis de cauſis vellet adventum Meſſiæ differre poſt multa ſecula, non tantum promitteretur & prædiceretur in oraculis, ſed & repræſentaretur in typis, tantiſper dum adveniret tempus* διορθώσεως, *& ipſe ſol juſtitiæ illuceſceret, tum ut vetus populus umbris & oraculis ſe ſuſtentaret in ſpem venturi Meſſiæ, atque adeo ſub iſtis imaginibus aliquod ſpecimen haberet gratiæ in Chriſto exhibendæ.* Quorſum enim tot ſacrificia, tot immolationes, niſi ut altius ſpectarent, oblatio enim & mactatio victimæ gerebat Chriſti typum, qui aliquando ſanguinis effuſione liberaret fideles non ſolum Judæos, ſed omnes gentes ab æterna morte & pœna, quamobrem quarundam victimarum ſanguis inferebatur in ſanctuarium; quæ cum pro univerſo cœtu offerrentur, Chriſti ſanguinem *non tantum pro gente, Joh.* 11. 52. *ſed pro multis ad remiſſionem peccatorum effuſum* Math. 26. 28. *cum quo ac per quem ipſe etiam in ſancta intravit Hebr.* 9. 12. præſignificabant. Celeber. Burman. *Synopſ. lib.* 4. *cap.* 11. Verum objicit Author legem neminem obligare, niſi cui data, peculiariter autem data eſt populo Hebræo, ergo non pertinuit ad alienigenas. Cui reſpondemus legem ceremonialem, (moralem enim legem, quam & naturalem vocamus, etiam in Repub. Hebræorum alienigenas cujuſcunque generis obligaſſe in dubium revocari nequit) quamvis peculiariter populo Hebræo lata ſit, attamen ejus obligationem etiam ad alienigenas pertinuiſſe dicendum nobis videtur, quatenus ſi ſalvi eſſe vellent, non poſſent, niſi idem cum Judæis ſubirent legis jugum, id eſt niſi eoſdem ritus & eaſdem ceremonias amplecterentur, quibus Deus uti voluit tanquam medio ad erigendos fidelium animos ad ſpem melioris vitæ per fidem in Chriſtum acquirendæ, nulla enim ſine fide in Chriſtum tanquam peccatoris redemptorem ſalus, nullam autem fidem niſi præcedente notitia, ad eam vero acquirendam extra revelationem divinam neceſſarius erat ceremoniarum uſus, quæ nobis figurabant Chriſti paſſiones omneſque ejus modos ac formas, ac hominem certiorem faciebat ſeſe per oblationem corporis Jeſu Chriſti in tempore faciendam juſtificandum ac ſanctificandum, non enim ſufficit ad obtinendam ſalutem & vitam æternam aliqua Chriſti notitia, quam & ipſum Socratem habuiſſe affirmat Juſtinus Martyr, ſed oportet eum noviſſe ſecundum omnes ſuas qualitates, id eſt ut redemptorem, mediatorem & ſalvatorem noſtrum, nam ejuſmodi notitiam excipit fides juſtificans conſiſtens in fiduciali apprehenſione & applicatione juſtitiæ & ſatisfactionis Chriſti perfectiſſimæ, ſive jam præſtitæ, ut in N. T. ſive præſtandæ, quam Patres habuere in V. T. Fuerunt quidem inter Gentiles Philoſophi qui ante natum Chriſtum crediderunt Chriſtum Dei filium ejuſque divinam naturam, verum arcana & myſteria illa, quod eſt factus homo ex virgine natus ſine ſemine virili, neque illorum myſteriorum finem & ſcopum perceperunt. Ita Auguſtinus de iis, quæ in Platonicorum libris Chriſtianæ doctrinæ conſentanea invenit *Confeſſ.* 7. 9. Deſcribimus totum locum, propterea quod multa continet notatu digna. Ibi inquit: *Legi non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus; quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil quod factum eſt. In eo vita eſt, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſa lumen, ſed verbum Dei eſt lumen verum,*

verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Quia vero in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item ibi legi: Quia Deus verbum non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt. Sed quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, non ibi legi. Indagavimus quippè in illis literis vario dictum, & multis modis, quod ſit filius in forma patris, non rapinam arbitratus eſſe æqualis Deo, quia naturaliter id ipſum eſt. Sed quia ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus eum exaltavit a morte, & donavit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur &c. non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, & ſupra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt omnes animæ, ut beatæ ſint, & quia participatione manentis in ſe ſapientiæ renovantur, & ſapientes ſint, eſt ibi. Quod autem ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt, & filio unico tuo non pepercisti, ſed pro omnibus tradidiſti eum, non eſt ibi. Abſcondiſti enim hæc ſapientibus. Ita ut nec acutiſſimi inter Gentiles Philoſophi hæc intellexerint myſteria, nec eorum applicationem rationis ſagacitate inveſtigare potuerint. Quia omni prorſus revelatione fuerint deſtituti, expertes fœderum promiſſionis. Videtur rationis lumen Gentiles potuiſſe perducere ad aliquod medium, quo & Creatoris juſtitiæ ſatisfaceretur, & ejus miſericordia erga creaturam manifeſta fieret. Quemadmodum enim utraque hæc attributa divinæ naturæ neceſſario inſunt & ſemper ineſſe debent, unum nequit abſorbere alterum, ita ut non utriuſque vis & exercitium in omnibus divinis operibus cerneretur. Haſce autem virtutes ineſſe divinæ naturæ dictabat Gentibus ipſa ratio, quemadmodum ejus vi ſummum aliquod numen quod omnium quæ exiſtunt cauſa eſt atque principium ſciverunt, ut ex innumeris eorum teſtimoniis perſpicimus, ita eodem rationis acumine noverunt, non ſolum humanæ naturæ, ſed rationalis, ideoque omnium inclinationum quas in nobiſmetipſis virtutes reputamus, cauſam & authorem eſſe oportere: ſi autem earum cauſa eſt, oportet illas omnes perfectiori modo in divina exiſtere natura, utpote quarum quædam ſemina tantum nobis indita. Impoſſibile enim eſt aliquid alteri tribuere, quod quis ipſe non habet; atqui ejuſmodi virtutum ſemina & juſtitiæ & miſericordiæ in nobiſmetipſis experimur, eaque nos nobiſmetipſis non indidiſſe ex eo perſpicimus, quia non perfectiſſimo poſſidemus modo, neque ſemper quando oportet exercemus, quod naturæ noſtræ defectus & impotentia eſt, ergo oportet aliquod extra nos eſſe principium, quod nobis ea largitum eſt, ut eo magis origini propiores eſſemus. Quo poſito fundamento ejuſmodi ratiocinatio innititur. Homo conditus ad divinam imaginem & dependens a creatoris ſui voluntate tum quoad exiſtentiam, tum etiam quoad ejus continuationem, quæ dependet a voluntate conſervandi, conſentaneum huic imagini, quam in virtute animi potiſſimum poſitam Ethnici crediderunt, conformiter vivere, & omnibus legibus, quas ipſi præſcribere tanquam regulam & agendorum normam ſummo placebat Jehovæ, obtemperare obligatus erat. Exigebat id ipſum ab una parte Dei juſtitia; ab altera parte poſtulabat ſumma Dei miſericordia conſervationem hominis non ratione beatiſſimi ſtatus, in quo eum collocaverat & produxerat, ſed reſpectu eſſentiæ & exiſtentiæ ſuæ. Nihil enim iſte ſtatus ad hominis eſſentiam & exiſtentiam faciebat, ſed quidem ad perfectiori exiſtendum modo. Ante lapſum miſericordiæ divinæ effectus conſiſtebat in conſervatione; poſt lapſum in reſtauratione. Conſcius itaque ab una parte peccati admiſſi Ethnicus, illudque tanquam aliquod noſtrum voluntarium reputans, omne autem malum ſive peccatum pœnæ dignum per ſe & ſua natura perſpiciens, juſtitiam divinam exigere punitionem peccatoris, & quidem neceſſario, quia neceſſario juſtus eſſe debet, facile colligebat. Hanc autem pœnam inferre mortem, id eſt annihilationem hominis, quia ultima pœna vindicandum erat, ex eo perſpiciebat, quoniam reſpondere debuit juſtitiæ divinæ, quæ ut infinita eſt, ita quoque pœna infinita ſive ultima eſſe debet. Infinitam voco, quia peccantem privat in infinitum eo quod ſemel habuit, id eſt vita æterna commutata morte. Ab altera non ignarus ſummæ Dei miſericordiæ, quam non aboleri poſſe, quia non minus divinæ naturæ neceſſarium attributum eſt quam ipſa juſtitia, ex rationis diſcurſu ei conſtabat, juſtitia tamen videbatur repugnans miſericordiæ, miſericordia iterum juſtitiæ, illa enim hominis pœnam ætenam, hæc contra ejus conſervationem poſcebat, utrique tamen ſatisfaciendum videbat, ſed quomodo ipſum fugiebat. Hinc ad medium aliquod confugiendum, quod & juſtitiam & miſericordiam illam conſervaret, rationis quidem lumine perduci potuit, ſed ejuſmodi medium invenire hic labor, hoc opus erat. Hoc itaque divinum & myſterium & arcanum fuit, humanum captum longe ſuperans. Fuit hoc Dei inventum & munus, qui ſalva juſtitia miſericordiam erga hominem manifeſtam reddere volens, ***non pepercit proprio filio, verum pro nobis omnibus tradidit illum***, ut inquit Apoſt. *Rom.* 8. *v.* 34. cum adhuc eſſemus rei mortis, ut ſua morte nos liberaret a pœna peccati, & participes faceret æternæ vitæ.

3. Quin inter ipſos Hebræos vixerunt ſemper aliqui exteri homines εὐσεβεῖς καὶ σεβόμενοι τὸν Θεόν, qualis Syrophœniſſa Matth. xv, 22. qualis ille Cornelius Actor. x, 2. τῶν σεβομένων Ἑλλήνων, Actor. xvIII, 4. Hebraïce חסידי אומות pii ex gentibus: ut legitur : titulo Thalmudico de Rege. Talis qui eſt, in lege dicitur בן-נכר Levit. xxII, 25. גר ותושב Levit. xxv, 47. ubi Chaldæus dixit, incolam incircumciſum. Hi, ut narrant ipſi Hebræorum magiſtri, leges Adamo & Noæ datas ſervare tenebantur, abſtinere ab idolis & ſanguine, & aliis quæ infra ſuo loco memorabuntur, at non item leges proprias Iſraelitarum. Itaque cum Iſraëlitis non liceret veſci carne beſtiæ quæ fato ſuo periiſſet, peregrinis tamen inter ipſos viventibus id licebat, Deuter. xIv, 21. Niſi quod quibuſdam legibus ſpecialiter expreſſum eſt, ut incolæ iis non minus quam indigenæ teneantur.

COMMENTARIUS.

IN Repub. Hebræorum ſemper vixiſſe aliquos exteros legibus Moſaïcis neque ceremonialibus neque forenſibus ſubjectos certiſſimum eſt. Morali vero lege nequaquam ſoluti fuere, quamobrem ſi quis Gentilis ſive peregrinus, vel advena inter Hebræos vitam ducere deſiderabat, oportebat eum, omni Gentilium ſuperſtitione atque impietate ejurata, eas colendi veri Dei leges ſubire, quibus univerſum humanum genus Deus adſtrinxerat. Notandum duplex fuiſſe peregrinorum ſive exterorum hominum inter Hebræos viventium, qui & Proſelyti vocabantur, genus. Quidam enim circumcidebantur, & vocabantur *Proſelyti justitiæ*. Alii non circumcidebantur, & appellabantur *Proſelyti portæ*, manentes in Gentiliſmo, quatenus non ejuſdem juris cum Hebræis participes, eodem quoque nomine appellari non poterant. Gentiliſmo tamen renunciare neceſſe habebant quoad cultum deorum aliaſque ſuperſtitiones & errores quibus miſere obruti jacebant a vero Deo alienati populi, revelationibus & legibus divinis deſtituti, verum Deum & conſequenter debitum ei præſtare cultum ignorabant, niſi a Judæis edocti. Qui, ut meliori de Deo ejuſque cultu errantium populorum animos imbuerent opinione, aperuerunt hanc ſaluberrimam ad veri Dei notitiam perveniendi viam, ſcil. Proſelytorum conditionem, qui, ut diximus, vel juſtitiæ erant, vel portæ ſive inquilini. Illi eodem jure iiſdem privilegiis & ceremoniis utebantur quibus ipſi Hebræi, imo & Judæi nomen induebant, ita ut eodem appellarentur nomine, teſtante Dione *lib.* 37. *Regio enim*, inquit, *ipſa Judæa; gens Judæi appellantur. Id cognomenti unde initium ceperit haud ſcio, equidem & alii homines qui ſecundum eorum ſtatuta vivunt, id gerunt, quamquam alienigenæ.* Hi quidem legem Moſis non ſuſcipiebant, ideo nec circumcidebantur, vel iiſdem privilegiis fruebantur, ſed idololatrica religione & pravis moribus relictis unum Deum colebant, imo, ut volunt Judæorum magiſtri, tenebantur amplecti illa præcepta, quæ Noachidarum ſeu omnium hominum communi jure continentur. Quorum ſeptem ſupra enumeravimus, & inter ea primo loco ponitur abſtinentia cultus extranei, itaque admiſſio advenæ ad proſelyti conditionem erat quaſi manuductio ad verum Deum colendum. Verum quod Author hic tradit de Noachidarum præceptis, quaſi ad ea obſervanda tantum incolæ incircumciſi ſive Proſelyti domicilii aut portæ obligati fuiſſent, redolet Judæorum ſcholam. Præter hæc præcepta quorum plurima ſunt rectæ rationis dictamina, ideòque ex juris naturæ fonte profluentia, multo plura obſervare tenebatur Adamus ſive Noachus ejuſve poſteri, Gentilibus ſatis per dictamen rectæ rationis nota. Cui accedit, quod vix pii vocari potuiſſent Proſelyti domicilii, ſeptem hæc tantum præcepta, tot aliis officiis & juris naturæ legibus neglectis, obſervantes. Quippe pii non eo vocati quia idolorum cultui renunciantes verum colebant Deum, ſed quia inſuper pravis relictis moribus virtutem ſectabantur, & commutando officia quæ lex moralis ſive naturalis exigebat, ſeſe gerebant ut oportebat veri Dei cultorem. Cujuſmodi vitæ agendæ ratio erat quaſi certiſſimum teſtimonium ſe Gentilium impietati & ſuperſtitioni renunciaſſe. Ita Cornelius ille Proſelytus, ſed incircumciſus, operibus ſuis teſtatum faciebat, ſe verum Deum colere ac venerari *Act.* 10. Sed quamvis ſumma erat eorum erga Deum pietas, atque religioſiſſime legis moralis ſervarent præcepta, attamen nihil ea conferebat ad obtinendam ſalutem, niſi idem cum Judæis ſubirent legis jugum, cui Proſelyti juſtitiæ ſeſe ſubjiciebant, non ut vi legis adimplendæ juſtificati participes eſſent vitæ æternæ, verum ut per legem tanquam manuductionem ad Chriſtum perducerentur, & per tot ceremonias tanquam typos rerum futurarum diſcerent aliquando venturum Meſſiam, & mortem

pro

pro homine peccatore obiturum, ut eum juſtificaret coram Deo, & participem redderet iſtius gratiæ, quæ promiſſione legi annexa continebatur. Quarum rerum notitia in ipſis produxit fidem in Meſſiam venturum, qua fide ſervatos Patres in V. T. merito dicimus. Hinc, inquit Apoſtolus ad *Epheſios cap.* 2. *Quapropter mementote, quod vos quondam gentes in carne, vocabamini præputium ab ea quæ vocatur circumciſio in carne, qua circumciſio manibus fit, quod inquam eratis in tempore illo ſine Chriſto, abalienati a Republica Iſraëlis, & extranei a teſtamentis promiſſionis, ſpem non habentes, Deoque carentes in mundo.* Quod & de Proſelytis portæ interpretari quoque commode poſſumus, utpote qui incircumciſi ideoque legis ceremonialis expertes, non participes eſſe potuerunt bonorum, quæ Chriſtus morte ſua acquiſivit in ſe fidem habentibus, cujuſmodi fidei ſigillum fuit circumciſio. Quamvis verum colebant Deum, ideoque ſine Deo in mundo eſſe dici non poterant, attamen quia alienati erant a Chriſto, eumque non tanquam Dei filium & humani generis unicum ſervatorem venerabantur, vocantur Athei, quippe, ut inquit Joan. Euang. *cap.* 5. *v.* 23 *qui non honorat filium, non honorat patrem qui miſit illum.*

4. Extraneis etiam, qui aliunde advenirent, neque inſtitutis Hebraicis ſubjicerentur, in templo Hieroſolymitano licuit Deum adorare, & victimas offerre, ſtantibus tamen in loco peculiari ac ſeparato a ſtatione Iſraëlitarum, 1 Reg. qui Latinis III. Reg. VIII, 41. II. Maccab. III, 35. Johan. XII, 20. Actor. VIII, 27. Neque Eliſæus Naamani Syro, neque Jonas Ninivitis, neque Daniel Nabuchodonoſoro, neque Prophetæ alii Tyriis, Moabitis, Ægyptiis, ad quos ſcribunt, unquam ſignificarunt opus ipſis eſſe ut Moſis legem ſuſciperent.

COMMENTARIUS.

NOn ſolum Proſelytos inquilinos, ſed & extraneos ſive Gentiles qui aliunde advenirent, ſuſcepiſſe vota, eaque Hieroſolymis exſolviſſe, atque victimas obtuliſſe, teſtantur Authores fide digni. Sic legimus Darium præcepiſſe, ut omnia quæ adhiberi & commiſceri ſacrificiis & oblationibus ſolent, ut ſunt *juvenci, arietes, agni, in holocauſtum Deo cœli, frumentum, ſal, vinum & oleum, ſecundum ritum ſacerdotum, qui ſunt in Jeruſalem, darentur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis & filiorum ejus.* Sic quoque Joannes Euangeliſta tradit *quoſdam Græcos aſcendiſſe ut adorarent in Feſto.* Græcorum nomine intelligens Gentiles ſive Ethnicos, qui vel templi celebritate vel fama miraculorum Chriſti, quæ fere totum terrarum orbem impleverat, moti, ſive quod unum Deum crederent, venerant Hieroſolymam ut adorarent. Quo animo quoque Æthiopem iſtum Candace ærario præfectum Hieroſolyman ſe contuliſſe legimus *Act.* 8. *v.* 27. Marcus Agrippa, teſte Philone, quotidie templum frequentavit, ibique ſæpiſſime preces effudit, atque victimas Deo obtulit, ita ut urbe excedentem magna omnium excepit civium acclamatio, inſignem ejus pietatem ſummis laudibus proſequentium. Idem teſtatur Auguſtum ex proprio motu holocauſta quotidie obtuliſſe. Sic quoque Alexander Magnus victo Dario & expugnata Gaza Hieroſolyma petiens, ſummo Pontifice cum reliquis ſacerdotibus eum in urbem ducentibus, poſtquam eam intravit, offendit templum, & immolavit Deo ex ſacerdotis præſcripto Joſeph. *Antiq Jud. lib.* 11. *cap.* 7. Eodem teſte Ptolomæus, qui vocatur *Euergeses*, fortiter obtinens Syriam univerſam, non diis Ægyptiacis pro victoria ſolennitates gratificas immolavit: ſed veniens ad Hieroſolymam, multas hoſtias, ſicut noſtri moris eſt, Deo gratificavit, digniſſimaque dicavit ornamenta victoriæ. *lib.* 2. *contra Appion.* multaque alia id generis exempla apud Authores occurrunt. Verum primo notandum nulla Gentilibus permiſſa fuiſſe ſacrificia præter holocauſta, eaque duntaxat quæ ſponte & ex voto offerebantur. Ita Maimonides apud Selden. *de jur. nat. & gent. lib.* 3. *cap.* 4. *A Gentilibus non recipienda erant alia (de victimarum & quæ earum immolationes comitabantur oblationibus tantum loquitur) præter holocauſta, ſecundum illud legis ſacræ, de manu alienigenæ non offeretis panem Deo veſtro. Etiam holocauſta ex avibus recipiebant a Gentili, idque tametſi nondum cultui extraneo ſeu idololatriæ renunciaſſet. Cæterum recipienda non erant aut ſacrificia pacifica, aut ſacra frumentacea in lege præſtituta, aut ſacrificia pro peccatis ex ignorantia, aut ea quæ offerenda fuere ob tranſgreſſionem voluntariam. Quin nec in holocauſtum ab Gentilibus recipiendum fuit aliquid, quod ab eis non ſponte aut ex voto offerebatur; veluti ſi Gentilis adferret in holocauſtum agnum puerperii nomine, ſeu ejuſmodi aliud in holocauſtum, quod neque ex voto neque ex ſpontanea penderet oblatione.* Sunt autem holocauſta hoſtiæ quæ detracta pelle integra aræ imponebantur,

quaſi ὁλόκαυστον, id eſt totum combuſtum, vel igne abſumptum, quo ſignificabatur hominem ſe totum debere Deo offerre in hoſtiam viventem. In ſacrificiis autem pro peccato juvenci pellix cremabatur una cum carne, ſed extra caſtra, ſolus adeps, renes, & lobus jecoris in altari adolebantur, ut patet *Exod. cap.* 29. *v.* 14. Notandum inſuper adorantibus Gentilibus ſive Ethnicis in templo peculiarem a ſtatione Iſraëlitarum ſeparatum aſſignatum locum, unde *Atrium* Gentium, quod erat ſub dio, poſt Atrium Iſraëlis. Tradit Joſephus inter hæc ſubdialia interſepimentum fuiſſe, quo alienigenæ ſive Proſelyti portæ ſeu domicilii interius penetrare vetabantur, vid. Seld. *de jur. nat. & gent. lib.* 3. *cap.* 6. Cujuſmodi atrium ob templi vicinitatem templi nomine veniebat. Quemadmodum Roma non muro tenus exiſtimatur, ſed continentibus ædificiis *l.* 12. *ff. de verb. ſig.* Quæ de Nabuchodonoſoro, Tyriis, Moabitis, Ægyptiis diſputat, quaſi a Prophetis ad verum Dei cultum amplectendum eos ſollicitantibus nunquam admoniti eſſent, opus ipſis eſſe ut legem Moſis ſuſciperent, id ipſum non patet ex eorum monumentis. Quippe exprobratio peccatorum, & admonitio ut ab iis abſtinerent, toties a Prophetis ad Gentiles notitia veri Dei deſtitutos ſcribentibus facta, quid hoc aliud eſt quam omni exceptione majus teſtimonium & argumentum, eos erudire ipſos voluiſſe ſubjectos ſummo legiſlatori Jehovæ, cujus leges & præcepta ipſis debebant eſſe regula & agendorum norma, ita ut quoties ab ea recederent, divinam in ſe provocarent iram, & ſeſe obnoxios redderent pœnæ conſtitutæ in violatores & transgreſſores legis in monte Sinaï ore divino Moſi promulgatæ, & ab illo tanquam ſummi legiſlatoris miniſtro populo denunciatæ, cujus legis præcepta in cauſa erant, quod Prophetæ toties Gentes, quarum Author mentionem facit, peccatorum convicerint. Hinc Daniel Nabuchodonoſoro commendavit abruptionem peccatorum, quæ contra legem divinam, id eſt legem moralem, quotidie admittebat, ſi vellet a ſe avertere plagas, quæ ipſum obruerent præcepta divina obſervare recuſantem; certiſſimum teſtimonium, Prophetas docuiſſe Gentes, quas ad notitiam & cultum veri Dei perducere voluêre, ipſis obſervationem legis divinæ populo Iſraëlitico peculiari modo promulgatæ neceſſariam, imo exprobratio peccatorum, quæ adverſus hanc legem commiſerant, quid aliud ſignificat, quam ejus obligationem ad omnes nationes & gentes pertinere, & conſequenter quamvis non ejuſdem reipub. membra atque cives, attamen propter univerſalem & neceſſariam hujus legis obligationem, utpote quæ deſcendit ex eadem cauſa ac eodem fonte, unde jus naturæ deducimus, ejuſdem juris teneri vinculo, eandem præſtare obedientiam legi Moſaïcæ, quatenus humanarum actionum directrix eſt & regula, quam debet univerſum humanum genus legi naturæ, quia a lege in monte Sinaï lata non differre materia, neque natura, ſed tantum promulgandi modo ſupra demonſtrare conati fuimus.

5. Quod de tota lege Moſis dixi, idem & de circumciſione, quæ legis quaſi introitus erat, dictum volo. Hoc tantum intereſt, quod lege Moſis Iſraëlitæ ſoli tenebantur, circumciſionis autem lege tota Abrahami poſteritas: unde Idumæos a Judæis coactos circumciſionem ſuſcipere in hiſtoriis Hebræorum & Græcorum legimus. Quare qui populi extra Iſraëlitas circumciſi ſunt (ſunt autem complures, quorum Herodotus, Strabo, Philo, Juſtinus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Hieronymus, meminerunt) eos credibile eſt ab Iſmaële, aut ab Eſavo, aut ex Cethuræ poſteris veniſſe.

COMMENTARIUS.

QUatenus lex Moſis pertinet etiam ad exteros & alienigenas jam diximus, eamque univerſum genus mortale obligare probamus ratione moralitatis quæ ei adhæret, ideoque hoc ſenſu latius patere ejus obligandi vim, quam circumciſionis neceſſitatem negari nequit. Quæ quidem quaſi introitus erat totius legis, verum non prima obligationis cauſa, qua ad ſingula legis præcepta adimplenda & exequenda circumciſus adſtringebatur. Legis introitus vocari poteſt, quia hac ratione extranei ſive alienigenæ initiabantur ſacris Judaïcæ religionis, & veri Dei cultui ſe aperte devovebant, eoque ritu veluti pignore quodam ſe univerſæ legi obſtringebant, atque ſe fidei ejuſdem cum Judæis conſortes profitebantur. Quamobrem Apoſtolus ad *Galatas cap.* 5. *v.* 3. *Teſtificor omni homini qui circumciditur, quod debitor eſt ad faciendam totam legem*, id eſt ritum illum volens & prudens ſuſcipiens obligat ſe ad obſervandam totam legem Moſis. Hanc tamen inter circumciſionem atque obligationem differentiam ſtatuit Author, quod lege Moſis Iſraëlitæ ſoli tenebantur, circumciſionis autem lege tota Abrahami poſteritas. Soli lege tenebantur Iſraëlitæ ſcil. forenſi & ceremoniali, ſed ea legis pars, quæ moralis eſt, etiam quaſcunque gentes & nationes obligare ſatis a nobis probatum ſpero. Ideoque latius hoc

ſenſu

ſenſu patere, quam legem circumciſionis, jam dictum, quam tantum ad Abrahamæ poſteritatem excluſis cæteris gentibus ſpectaſſe aſſeruerat Author, unde Idumæos a Judæis coactos circumciſionem ſuſcipere teſtantur Hebræorum & Græcorum Hiſtoriæ. Hoc verum, non ſolum imperatam fuiſſe circumciſionem uni Abrahamo & Iſaaco, ſed etiam Abrahamidis omnibus, ſive ex Agare, ſive ex Kethura ducant originem, omnibuſque adeo ejus familiæ membris, etiam emptitiis & alienigenis *Gen.* 17. *v.* 25. 26. 27. *Nam etiamſi jam tum Deo certum eſſet ex Iſaaci ſolum poſteris, & ne iis quidem omnibus populum ſibi peculiarem formare, nondum tamen tempus illud aderat, quo intra unius populi ſepta continere eccleſiam ſuam vellet. Nec dubitandum quin in reliquis Abrahami filiis ac nepotibus ſuos quoque electos habuerit. Nihilque certius eſt, quam intra quatuor illa ſecula circumciſionem & cum circumciſione viſibilem eccleſiam propagatam eſſe in omnibus orientalibus iſtis populis, qui ex Iſmaele & Kethura filiis & Eſave ac Proſelytis, qui in domo Abrahami circumcidebantur, ortum traxere,* inquit Celeberrimus Theologus Herm. Witſius *OEcom. fœd. lib.* 9. *cap.* 8. Verum male infert Author ex ſuis præmiſſis, quia circumciſio tantum Abrahamo ejuſque familiæ & conſequenter poſteris ſuis imperata videtur, cæteras omnes nationes, apud quas extra Iſraëlitas in uſu fuit, ab Iſmaële, aut ab Eſavo, vel Kethuræ poſteris veniſſe veroſimile eſſe. Conſtat enim ex prophanis Scriptoribus, multas quoque gentes præter Abrahami poſteros circumciſionem ſui juris feciſſe. Apertum enim eſt Ægyptios præputia ſecuiſſe, qui tamen originem ab Abrahamo non derivant. Sic etiam Colchos & Æthiopes circumciſione uſos fuiſſe teſtatur Herodotus *lib.* 2. cujus fidem ſequitur Joſephus *Antiq. Jud. lib.* 8. *cap.* 4. De Æthiopum, Arabum, Phœnicum quibuſdam idem affirmat Ambros. *lib*, 9. *epiſt.* 77. Affirmat quidem Grotius ex Kethuræ poſteris ortos Æthiopes illos, qui circumciſis annumerantur ab Herodoto, atque Colchos ex decem tribubus eſſe, ideoque inter Abrahami progeniem numerandos; verum a vero aberrat, ſi fidem habeamus *Dionyſio* de ſitu orbis, & *Euſtachio* aſſerentibus Colchos origine Ægyptios eſſe, quod & pluribus argumentis probat Bochartus *Geographiæ ſacræ lib.* 4. *cap.* 31. ad quem lectorem remittimus. Sed optime annotavit Clariſſ. Witſius, quod in omnibus gentibus a cultu Dei vero alienis circumciſio niſi mera ſuperſtitio, & ſacramenti a Deo fœderatis ſuis dati κακοζηλικα fuit.

6. Cæterum in aliis omnibus locum habebat Pauli illud, Rom. 11, 14. *Cum gentes quæ legem non habent, natura ſuapte* (id eſt moribus ex primævo fonte manantibus: niſi quis malit illud *natura* referre ad præcedentia, ut opponantur Gentes Judæis, quibus ſtatim natis lex inſtillabatur) *faciunt ea quæ legis ſunt; iſti legem non habentes ſibi ſunt lex: ut qui oſtendant ipſum opus legis mentibus ſuis inſcriptum, ſimul teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* Et illud ibidem 26. *Si præputium* (id eſt præputiatus homo) *obſervet mandatum legis, nonne præputium illius pro circumciſione reputabitur?* Bene ergo in Joſephi hiſtoria Ananias Judæus Izaten Adiabenum (Ezaten hunc Tacitus vocat) docebat etiam citra circumciſionem Deum recte coli & propitium haberi poſſe. Nam quod extranei multi circumciſi ſunt, & per circumciſionem legi ſe obligarunt, (ut explicat Paulus Gal. v, 3.) id fecerunt partim ut jus civitatis adipiſcerentur (nam proſelyti, qui Hebræis גרי צדק *hoſpites juſtitiæ*, pari jure erant cum Iſraëlitis, Num. xv.) partim ut earum promiſſionum eſſent participes, quæ non communes humano generi, ſed Hebræo populo erant peculiares: quanquam non negem poſterioribus ſæculis acceſſiſſe etiam in nonnullis pravam opinionem, quaſi extra Judaïſmum ſalus non eſſet.

Antiq. lib. xx. c. 2.

COMMENTARIUS.

PErperam Author explicat illud Pauli, dum per naturam intelligit mores ex primævo fonte manantes, ſenſus enim horum verborum eſt, gentes legem non habentes, id eſt legem illam tabulis inſcriptam, qualem habuere Judæi, *natura*, ſive naturaliter, id eſt natura duce, ſive doctri-

doctrina exteriori, naturali inſtinctu & judicio, ſive naturali ratione dictante, quid honeſtum, quid turpe eſt, cujuſmodi naturalis inſtinctus, ſive juſti & injuſti illa homini innata principia, ipſum quid ſui ſit officii admoventia, revera dici debent fons ipſe primævus, quem per vocabulum *natura* hic denotare Paulum exiſtimamus, hac natura magiſtra faciunt Gentiles quæ legis ſunt, ſcil. quæ Judæi faciunt legis præſcripto, lege Moſis præſcriptum, *non occides, non mœchaberis, non furaberis, parentes honorabis*, & quæ ſunt id genus alia, eadem & naturalis ratio præſcribit. Gentilis itaque rationis ductum ſequens facit ea quæ legis ſunt, id eſt quæ lege Moſis comprehenduntur, & Judæis tanquam norma & regula agendorum præſcripta ſunt. Unde inquit Apoſtolus, *Iſti* ſcil. Gentiles, *legem non habentes ſibi ipſis lex ſunt*, id eſt habent in ſe ipſis rationis dictamen naturale, quod ipſis iodicat eadem illa facienda & fugienda, quæ prohibet & præcipit Judæis lex Moſis ſcripta. Et quamvis lege ſcripta deſtituti, attamen ea quæ lege comprehenduntur facientes, oſtendunt opus legis, ſcil. cognitionem liciti & illiciti, mentibus ſuis inſcriptum. *Sunt enim*, ut ait Cicero *Tuſcul.* 3. *ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quaſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam perducerent.* Scriptura hæc eſt naturale lumen, quo Gentilibus naturæ præcepta innoteſcunt, quemadmodum litteris & ſyllabis eadem Judæis proponebantur. *Ante legem Moſis ſcriptam, legem fuiſſe non ſcriptam contendam, qua naturaliter intelligebatur, & a Patribus cuſtodiebatur.* Quam legem rectam ſive rectam rationem animo noſtro naturaliter inſcriptam appellat Hierocles. Hujus legis vim quiſque in ſe ipſo maxime experitur, quando propria cujuſque conſcientia modo accuſatoris, modo patroni perſonam ſuſtinet, unde enim accuſatio vel defenſio niſi præcedat lex damnans vel abſolvens. Iſte enim animi terror vel lætitia, quam homo ſibi conſcius vel alicujus probi facinoris aut deteſtandi ſceleris in ſe ipſo ſentit, certiſſimum teſtimonium eſt ſummum Numen cordibus noſtris legem inſculpſiſſe, quæ tanquam ſupremus judex inobedientiæ vel obedientiæ hominem convincit, & conſequenter vel vitæ heredem vel mortis reum pronunciat, una cum ea atteſtante conſcientia, adhibito rationis judicio, quo juſtum ab injuſto, verum a falſo diſcernere valet. Quare addit Apoſtolus, *cogitationibus ſe mutuo accuſantibus aut excuſantibus.* Non qualeſcunque cogitationes intelligens, ſed quæ fiunt ratiocinando vel diſceptando. Vide quæ annotavimus ad *Prolegomena*.

7. Hinc colligimus, nulla parte legis Hebrææ, qua lex eſt proprie, nos obligari, quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluiſſe ut alii quam Iſraëlitæ iſta lege tenerentur, nullo indicio poteſt deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda eſt ulla legis abrogatio: nam nec abrogari potuit eorum reſpectu quos nunquam obſtrinxit. Sed ab Iſraëlitis ablata eſt obligatio, quoad ritualia quidem, ſtatim poſtquam lex Euangelii cœpit promulgari; quod Apoſtolorum principi clare fuit revelatum, Act. X, 15. quoad cætera verò, poſtquam populus ille, per excidium urbis & deſolationem præciſam ſine ſpe reſtitutionis populus eſſe deſiit.

COMMENTARIUS.

PAulo ante dicere incepimus quouſque ſeſe extendit obligatio ex legibus per Moſen populo Hebræo promulgatis deſcendens. Author hic iterum nobis de ejus latitudine diſputandi occaſionem præbet, dicens eam nulla ex parte ad alios pertinere quam ad ejuſdem fœderis, quod Deus cum Iſraëlitis pepigit, ejuſdemque reip. membra ſeu cives, ideoque ſolos Judæos obligare. Miror virum tanto ingenii & judicii acumine præditum circa hanc materiam adeo miſere cæcutire. Quid enim tabulis iſtis Moſi traditis aliud continebatur quam ejuſmodi præcepta, quæ ipſa dictat recta & falli neſcia ratio, & conſequenter naturæ legem, quam in cordibus hominum corruptam, per ſolennem illam inter tonitrua & terrificos fulgores & cœleſtes buccinas, concuſſo monte & populo circumſtante ingenti terrore correpto, promulgationem refigere voluit. Quod a nemine in dubium revocari poteſt qui legis moralis ſingula capita cum rectæ rationis dictamine ſive honeſti & decori ſibi innatis principiis confert. Hinc itaque colligimus eandem quoque continere obligationem quam legi naturæ adſcribimus, ſcil. univerſalem & perpetuam omnes omnino homines cujuſcunque conditionis, generis, & ſtatus indiſſolubili vinculo ſemper & ubique alligantem ad ſui obſervantiam & executionem. Quippe ubi eadem ratio eſt, idem jus obtinere æquum eſt, atqui eandem in lege morali quam naturali cernimus jubendi & prohibendi rationem, quoniam circa eadem verſatur objecta, conſequenter eodem juris vinculo, ca-

dem

dem obligatione ligat qua omnes homines obſtringit lex naturalis quam rectæ rationis dictamen nuncupamus. Si hæc legis moralis vis eſt, quam & ipſum Authorem negaturum mihi non perſuadeo eſſe partem legis Hebrææ, ergo ultro corruit nulla parte dictæ legis, qua lex eſt proprie nos obligari. Verum opinionem ſuam ejuſmodi argumento vero conſentaneam eſſe demonſtrare conatur. Dum inquit omnem obligationem extra jus naturæ venire ex voluntate legem ferentis. Atqui nullo indicio poteſt deprehendi ſummum legiſlatorem Jehovam voluiſſe ut alii quam Iſraëlitæ iſta lege tenerentur. Ergo manifeſtum eſt neminem præter Judæos lege Hebræa obligari. Facile concedo Authori extra jus naturæ omnem obligationem dimanare & pendere ex voluntate arbitrioque legiſlatoris, ideoque neminem lege aliqua teneri, qui deprehendi non poteſt legiſlatorem voluiſſe obligare ad ejus obſervantiam atque obedientiam. Et hoc verum eſt in omnibus quæ ſunt voluntatis, non neceſſitatis, cujus naturæ ſunt ea quæ lex moralis præcipit, quippe cum nulla præcipiat quam quæ antecedenter ad voluntatem divinam habent in ſe faciendi neceſſitatem, nullam voluntariam diſpoſitionem, quæ internam illam, ut ita dicam, & perpetuam neceſſariamque obligationem aliquo modo, vel limitando, vel detrahendo, vel addendo, aut alia quacunque ratione immutare poſſet, admittit. Quod ſecus de aliis legis Hebrææ partibus, quæ ceremonialem ſive ſingularem Dei cultum & politicum regimen ſpectant. Quoniam illæ nullam continent neceſſitatem moralem, ideoque a ſummi legiſlatoris voluntate & arbitrio veniunt atque pendent, coarctari & limitari, atque immutari poſſunt pro ut ipſi placet. Non fugit me placuiſſe Deo Judæis tanquam in peculiarem populum ſibi adſcitis miniſterio Moſis peculiari modo peculiaria jura præſcribere, quæ ipſis eſſent agendorum regula & norma in totius vitæ curſu, quæ debebat eſſe conveniens conditioni & ſtatui, in quo collocati erant a Deo & Rege ideoque legiſlatore ſuo, qui verba ſua Jacobo, conſtitutiones ac jura ſua indixerat Iſraëli, & conſequenter non alios obligare lege ſua voluiſſe præſumendus eſt, quam populum ſibi adſcitum, ad quem verba ſua dirigit internuncius Moſes, & cui jura divina peculiari & ſolenni modo renunciat. Quod veriſſimum de iis, quæ, ut ſtatim diximus, ad cere monialem & ritualem Dei cultum pertinent, quia hæc omnia voluntatis ſunt, ideo quemadmodum eorum originem, & promulgationem & obligaitonem a ſummi legiſlatoris arbitrio derivamus, & dependere confirmamus; ita quoque eis nemo tenetur, quam quos ex legis tenore & intentione perſpicimus atque colligimus ſummum legiſlatorem voluiſſe obligare. Verum obligatio, quæ deſcendit ex ipſa rei natura, quæ omnis mutationis expers perpetuam obligandi cauſam habet, & ejus exequendæ indiſſolubilem neceſſitatem homini imponit, cujuſmodi eſt omnis obligatio ex moralibus veniens, quæ a voluntate neque ortum ducit, neque ab ea mutationem patitur. Unde concludimus præceptorum legis Hebrææ moralia, quamvis peculiari Dei juſſu Iſraëli promulgata ſint, obligationem & Gentiles olim & hodie etiam Chriſtianos obligare. Solennis quidem iſta promulgatio voluntate ſummi legiſlatoris facta peculiariter populo Hebræo, verum obligatio illa intrinſeca inhærens præceptis moralibus neceſſario ad quoſcunque pertinet homines, ad quorum cognitionem aliquando eſſet perventura. Quemadmodum omnia præcepta moralia ſunt univerſalia ad univerſum genus humanum ſpectantia, ita quoque univerſalis eorum debet eſſe obligatio. Univerſalia ſunt, quia verſantur circa officia, quæ homini facienda & exequenda incumbunt qua homo, & rectæ rationis particeps, & conſequenter nulla conditio, nullus ſtatus, ut diximus, hominem, modo rationis uſum habeat, ab earum obligatione liberum & immunem præſtat, propter perpetuam obligandi cauſam quam continent ex morali illa neceſſitate deſcendentem. Eo itaque ipſo quo Deus populo ſno Decalogum ſive omnia moralia præcepta, quæ legibus Hebræorum admixta ſunt, voluit per miniſtrum ſuum & internuncium Moſen quaſi de novo promulgare, voluit non ſolum Judæos obligare, ſed & omnes extraneos, tum etiam hodie Chriſtianos, quia aliter velle non potuit propter neceſſitatem moralem, quæ objectis iſtis & rebus ineſt, circa quæ ejuſmodi præcepta verſantur. Quamobrem perperam Author ſtatuit nulla parte legis Hebrææ, qua lex eſt, proprie nos obligari. Cujuſmodi obligatio nunquam deleri vel abrogari poteſt, quia ejus cauſa perpetua eſt & permanens, quod iterum ſecus in ritualibus & forenſibus legibus, illæ adventu Meſſiæ non ſolum ceſſarunt tanquam umbræ futurorum quorum corpus erat Chriſtus, verum expreſſe abrogatæ ſunt per diſpoſitionem contrariam, quippe cum hæ fundatæ ſint in libera & indifferenti Dei voluntate, quia nullam in ſe continent moralem bonitatem, quæ neceſſariam inducit juſſionem, verum ideo tantum bona, quia legiſlatori placuit præcipere, & conſequenter pro diverſa temporum facie vel mutari, vel limitari, vel etiam omnino contraria diſpoſitione tolli & abrogari, vel in totum, vel pro parte poſſunt. Leges autem forenſes quemadmodum cum ipſa repub. Hebræorum inductæ ſunt, ita etiam cum ejus interitu ceſſarunt. Quoniam eam diſtinctam eſſe voluit ab aliarum gentinm atque populorum politiis, ita ſuis eam fundavit legibus & inſtitutis ad peculiarem reipub. formam & rationem accommodatis, qua ſublata abrogatæ quoque ſuere leges iſtæ, ut videre eſt *Matth.* 19.

8. Nos vero alienigenæ non id Chriſti adventu conſecuti ſumus, ut Moſis lege non teneremur, ſed ut qui antea ſpem tantum ſatis obſcuram in Dei bonitate poſitam habere poteramus, nunc diſerto fœdere fulciamur, utque in unam eccleſiam coaleſcere poſſimus cum Hebræis filiis Patriarcharum, ſublata ipſorum lege, quo velut interſepimento a nobis diſtinebantur. Epheſ. II, 14.

COMMENTARIUS.

ADventu Meſſiæ conſecuti ſumus, ut non opus habeamus ſubire durum legis jugum ad ſalutem obtinendam. Ita enim Rivetus prælect. in *cap.* 20. *Exod.* inquit: *Legem nunc Chriſtianis veris non eſſe onerosam, quia ſeveritas ejus per Chriſtum ſublata eſt, cujus jugum leve factum, & mandata ejus gravia non ſunt. In ſumma legem nunc non proponi nobis, quemadmodum a Moſe factum eſt, tanquam conditionem antecedentem jus ad vitam, quæ ſit nobis præſtanda antequam illud jus habeamus; ſed tanquam conditionem contractum ſubſequentem, qui ex ſe aliunde validus eſt; nihilominus obligat ad recognitionem quandam, ut fit in contractibus, in quibus fundus aliquis aut poſſeſſio ita datur, ut cui datur vere fiat dominus fundi; obligatur nihilominus ad homagia quæ vocant & ſervitia nonnulla.* Manſit legis vis integra, quoad obedientiam, quæ a nobis exigit præſtationem & executionem eorum omnium, quæ moralem bonitatem habent, cujus intuitu Euangelium a Moſis miniſterio ſive a ſtatu populi Hebræi ſub lege nihil differt. Hanc legis neque nova vel contraria diſpoſitione immutari, vel voluiſſe, vel potuiſſe ſummum legiſlatorem, ſalva ejus majeſtati debita reverentia, demonſtravimus; cui accedit quod toties Chriſtus teſtatur ſeſe non veniſſe ut ſolveret, ſed impleret legem. Abrogata tamen eſt quoad maledictionem quam legi ademit Chriſtus, eam implendo, & maledictionem in ſe recipiendo, ut nobis ſit deinceps inſtar ſerpentis, cui ademptum ſit venenum. Quo ſenſu inquit Apoſtolus *nos non eſſe ſub lege, ſed ſub gratia. Rom.* 6. 14. tum corda noſtra innovando & flectendo ad obedientiam, ſinceram illam quidem, etſi non omnibus gradibus perfectam. Rivet. *dicto loco.* Illa enim cordis renovatio nihil aliud eſt, quam convenientia cum lege morali. Manet itaque legis uſus & vis, quatenus omnibus hominibus etiam fidelibus dux debet eſſe & regula, verum fidelium reſpectu abrogata tum quoad maledictionem, tum quoad rigidam plenæ & omnibus numeris abſolutæ obedientiæ exactionem, quaſi ſine ea nullus pateret aditus ad vitam. Vid. Clariſſ. Burman. *Synopſ. lib.* 4. *cap.* 6. & Celeberr. Witſ. *de Oeconom. fœder. lib.* 4. *cap.* 4.

XVII. 1. Cum ergo directam obligationem lex per Moſem data in nos inducere non poſſit, ut jam oſtendimus, videamus ecquem alium uſum habere poſſit, tum in hac de jure belli, tum in ſimilibus aliis quæſtionibus. Id enim ſcire ad multa refert.

COMMENTARIUS.

IMo legem moralem ſive Decalogum per Moſem populo Hebræo datum directam in nos obligationem inducere jam a nobis demonſtratum ſperamus.

I. 2. Primum ergo oſtendit lex Hebræa, id quod ea lege præcipitur non eſſe contra jus naturæ. Nam cum jus naturæ, ut ante diximus, ſit perpetuum atque immutabile, non potuit a Deo, qui injuſtus nunquam eſt, quicquam adverſus id jus præcipi. Adde quod lex Moſis vocatur immaculata & recta, Pſalm. XIX, qui Latinis XVIII, 8. & Apoſtolo Paulo ſancta, juſta, bona, Rom. VII, 12.

De præceptis loquor: nam de permiſſis diſtinctius agendum eſt: permiſſio enim quæ lege fit (nam quæ nudi eſt facti, & impedimenti remotionem ſignificat, huc non pertinet) aut plena eſt, quæ jus dat ad aliquid omnino licite agendum; aut minor plena, quæ tantum

tantum impunitatem dat apud homines & jus ne quis alius impedire licite poſſit. Ex prioris generis permiſſione non minus quam ex præcepto ſequitur id de quo lex agit contra jus naturæ non eſſe. De poſteriori genere aliter ſe res habet. Sed raro locum habet hæc collectio: quia cum permittentia verba ſint ambigua, magis ex jure naturæ interpretari nos convenit utrius generis ſit permiſſio, quam ex permiſſionis modo ad jus naturæ argumentando procedere.

COMMENTARIUS.

SI Author ſermonem habet de lege morali ejuſque præceptis, qui poſſent eſſe contra jus naturæ? quia nihil aliud ſunt quam rectæ rationis dictamina, & conſequenter a jure naturæ nihil differunt, niſi quod miniſterio Moſis populo fuere promulgata, ut ea ſemper ob oculos habens a recto tramite minus deviaret. Cum naturæ præcepta ratione duce cuique innoteſcant, quæ ſæpe pravis libidinibus obfuſcata, non adeo clare hominem admonet officiorum quæ naturæ jus a ſe exigit. Sin de tota lege Hebræa, ideoque de ceremonialibus & ritualibus, tum etiam forenſibus præceptis loquatur, quod veroſimilius, certiſſimum eſt nihil iis etiam præcipi, quod contra jus naturæ eſt, quippe cum illnd, ut ſæpius diximus, & argumentis omni exceptione majoribus affirmavimus, perpetuum ſit & immutabile, quia per ſe & ſua natura neceſſario æqnum, juſtum, & bonum eſt, a Deo, qni omnis juſtitiæ & æquitatis fons atque origo eſt, non potuit quicquam adverſus id præcipi. Quippe qnemadmodum Deus neceſſario debet amare ſemetipſum, quia omnia in ſe poſſidet & habet quæcunque optari vel amari poſſunt, & ut uno verbo dicam, qui ſumme bonus & perfectus eſt, ita nunquam poteſt aliquid agere quod eſſentiæ ſuæ eſſet contrarium, quia ea ratione aliquid bonitati & perfectioni ſuæ detraheret, atqui ejuſmodi operatio contradictionem involvit, colligimus Deum, quia amat ſeſe ipſum ut ſumme bonum & perfectum, neceſſario quoque amare juſtitiam & veritatem tanquam qualitates & attributa, quæ non ſolum maxime optabilia, verum etiam quia & amabilia, ſunt a ſumma perfectione inſeparabilia, imo quia ipſam divinam eſſentiam conſtituunt, ideoque neceſſario ex ea defluunt, contraria diſpoſitione nunquam immutari poſſunt, quin ſimul tollitur ipſa divina eſſentia. Quid vero amori magis conveniens quam ſni conſervatio, cum autem ſui conſervationi plane contrarium ſit ſemetipſum eſſentia & exiſtentia privare, concludimus iterum nihil a Deo poſſe præcipi quod juri naturæ, id eſt ſuæ imagini & naturæ, contrarium eſt, quia hac ratione non ſolum ſeſe ipſum abnegaret, verum plane, ut ita dicam, annihilaret. Quod non ſolum abſurdiſſimum eſt cogitare, ſed etiam impoſſibile eſt ejuſmodi operationis ideam formare. Quemadmodum vero a Deo nihil præcipi, ita nequicquam permitti poteſt, quod juri naturæ contrarium eſt; de ejuſmodi permiſſione ſermonem habeo, quam Author *plenam* vocat, quæ facultatem tribuit alicui ad aliquid licite agendum: cujus naturæ ſunt omnia, quæ impune omitti, & ſine læſione divinæ ſanctitatis atque juſtitiæ fieri poſſunt, ideoque quæ intrinſece mala non ſunt. Eſt & alia permiſſio quæ *minus plena* dici poteſt, impunitatem quidem concedens apud homines, conſcientiam tamen gravans. Sic poteſt aliquando permitti minus malum evitandi majoris mali cauſa, cujuſmodi permiſſio agentem quidem a pœna liberat in foro ſoli, nequaquam vero in foro poli, quanquam permittens quoad utrumque ſecurus eſſe poteſt, quia nihil agit mali permittendo malum, quoniam non permittit malum quia vult mali exercitinm, verum ut tollat majus malum, itaque permittendo malum vult aliquid boni, quod facit permittendo minus malum, ut evitet majus; objectum permittentis non eſt permiſſio mali quia malum, verum quia ejus permiſſio eatenus bona eſt quatenns majus malum depellit. Cujuſmodi diſtinctio uſu venit ſæpiſſime iis qni nimis temere judicant de publicis negotiis, & reipublicæ adminiſtratione, dum Principnm, vel eorum qui ad reipub. gubernacula ſedent, quarundam rerum permiſſiones & quaſi conniventia traducuntur tanquam injuſtæ & nefariæ, imo tanquam deteſtandum ipſius permittentis facinus, cujus ipſe Author habetur & reus, cum potius ſummis extolli laudibus deberet ſumma eorum in publicis tractandis negotiis & gubernanda Reipub. cum ſapientia tum etiam induſtria, quando aliquando communis ſalutis & tranquillitatis conſervandæ cauſa ex duobus malis minimum eligere atque permittere coacti, ſequuntur non quod ſuadet jus ſtrictum, ſed qnod extorquet neceſſitas, & reipub. ſalus, quæ ſupremá lex eſſe debet, flagitat. Quod ſalva eorum conſcientia fieri poſſe omnes mecum cenſuros arbitror, quibus mens ſana eſt in corpore ſano.

3. Huic primæ obſervationi affinis eſt altera, licere nunc his, qui II.
imperium inter Chriſtianos obtinent, leges ferre ejus ſenſus cujus

ſunt leges per Moſem datæ, niſi ſi quæ ſint leges, quarum tota ſubſtantia ad tempus Chriſti exſpectati & Euangelii nondum revelati pertineat, aut niſi Chriſtus ipſe contrarium aut in genere aut in ſpecie conſtituerit: nam his tribus cauſis demptis nulla poteſt alia excogitari, cur quod olim Moſis lege fuit conſtitutum, nunc ſit extra ea quæ licent.

COMMENTARIUS.

Leges Hebræorum poſitivas, cujus generis ſunt ceremoniales & forenſes, ut jam ſæpius dictum, neque hodie obligare neque normam eſſe, ad quam cujuſque civitatis magiſtratus ſuas leges componere neceſſe habent, certiſſimum eſt. Quippe quemadmodum diverſa ſunt hominum ingenia, & diverſæ reipub. facies & formæ, atque imperii tractandi non una eademque ratio, ita quoque unaquæque civitas ſuas peculiares habet leges & conſtitutiones ad genium populi & reipub. attemperatas, quibus fundatur tanquam ſua baſi & fundamento. Quo ſenſu, inquit Cajus *l. 9. ff. de juſt. & jur.* omnes populos partim legibus & moribus regi, partim jure proprio. Proprium jus vocans quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit, tantum ejuſdem civitatis membra obligans. Ejuſdem naturæ quoque fuere leges Hebræorum forenſes, quæ ad genium populi iſtius & reip. attemperatæ, exteras nationes vel gentes obligare non potuere, vel ad eas recipiendas, vel neceſſario tanquam exemplar ad quod ſuas leges attemperarent ſibi imitandum proponere; verum licet ſummum imperium obtinentibns, vel ab illis recedere, vel eas recipere, prout reipub. ſabricæ & civium ſaluti ac tranquillitati utile fore arbitrantur.

III. 4. Tertia obſervatio hæc ſit: quicquid ad eas virtutes pertinens quas Chriſtus a ſuis diſcipulis exigit, lege Moſis præceptum eſt, id nunc etiam, ſi non & amplius, a Chriſtianis præſtandum. Fundamentum hujus obſervationis eſt, quod quæ virtutes a Chriſtianis exiguntur, ut humilitas, patientia, dilectio, exiguntur in majore gradu quam ſtatu legis Hebraïcæ exigebantur: idque merito; quia etiam promiſſiones cœleſtes in Euangelio multo clarius proponuntur. Hinc lex vetus comparatione Euangelii dicitur fuiſſe nec perfecta, nec ἄμεμπτος. Hebr. VII, 19. VIII, 7. & legis finis dicitur Chriſtus, Rom. X, 4. lex autem manuductrix ad Chriſtum, Gal. III; 25. Sic lex vetus de ſabbato, & altera de decimis, monſtrant Chriſtianos obligari, ne minus ſeptima temporis parte ad cultum divinum, nec minus fructuum decima in alimenta eorum, qui in ſacris rebus occupantur, aut ſimiles pios uſus, ſeponant.

COMMENTARIUS.

Omnes virtutes morales, quas exigit Chriſtus a ſuis diſcipulis, exigit lex moralis ab omnibus hominibus, atque eodem juris vinculo obligat cujuſque generis, conditionis, & ſtatus ſunt; moralitas enim, quæ illis ineſt, non ſolum perpetuam, æqualem atque immutabilem, ſed univerſalem obligationem parit, quia hominem, qua homo, id eſt conditum ad divinam imaginem, adſtringit, ideoque extrinſeca ſtatus mutatio eam neque imminuere, neque augere poteſt, ſi enim augmentum vel diminutionem poſſet pati, ſequeretur ſanctitatem & Dei imaginem non eſſe perfectam, ex qua omnes virtutes morales, omniaque officia, quæ non ſolum Chriſtianis, ſed univerſo generi humano præſtanda incumbunt, tanquam unico fonte immediate dimanant, quorum ſemina homini, propterea quod iſtius imaginis particeps eſt, innata ſunt, & conſequenter ejuſdem debent eſſe naturæ cujus origo & principium unde derivantur, ſcil. perfecta, immutabilia, perpetuam atque immutabilem obligationem omnes homines æqualiter alligantem ad præſtanda, quæ lex moralis, verus Dei imaginis & ſanctitatis typus, præcipit, & jubet producentia. Ex quibus perſpicimus Authorem noſtrum graviter errare, quod amplius quid a Chriſtianis præſtandum arbitratur, quam lege morali præceptum,

propter-

propterea quod ſanctitatis & voluntatis divinæ perfectiſſimum exemplar hominem admonens atque erudiens, quas virtutes exercendas, quæque ipſi officia tum creatori ſuo tum etiam proximo præſtanda incumbunt. Qui vero perfectiſſima lex dici poſſet, ut neceſſario eſſe debet, ſi ei addi aliquid vel detrahi poſſet vel ratione obligationis, vel reſpectu virtutum & officiorum, quæ præcipit præſtanda? Additio enim vel detractio certiſſimum teſtimonium eſt alicui rei vel plus adeſſe, vel minus, quam adeſſe debet, & idcirco aliquo defectu laborare, ſive quoad plus ſive minus. Errorem itaque errore cumulat Author, dum ſtatuit, virtutes, quæ exiguntur a Chriſtianis, ut humilitas, patientia, dilectio, exigi in majore gradu quam ſtatu legis Hebraïcæ exigebatur. Idque merito, quia promiſſiones cœleſtes in Euangelio multo clarius proponuntur. Quæ ſi vera eſſent, ſequeretur non eandem ſemper Dei fuiſſe ſanctitatem, & idcirco augmentum & diminutionem pati poſſe, quod quam abſurdum eſt quis non videt. Contrarium nos docet Chriſtus, qui interrogatus a Phariſæo doctore quodam legis quodnam in lege ſummum eſſet mandatum? reſpondet illi, *diliges dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex totis viribus, hoc eſt primum & magnum mandatum; ſecundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Non docet Chriſtus dilectinnem in N. T. in majore gradu exigi quam lex moralis exegit in V. T. quippe in ſummo gradu legem moralem exegiſſe, & hodie exigere dilectionem Dei & proximi teſtatur Chriſtus, cum inquit, *ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diliges cum Deum, tum proximum tuum.* Non addit huic præcepto aliquid nec detrahit, ſed ejus vim atque obligationem interpretatur, atqui omnia præcepta moralia & omnes virtutes morales hiſce duobus præceptis continentur, ergo idem de omnium virtutum moralium exactione dicendum. Sed addit rationem Author, quare in majoria gradu virtutes a Chriſtianis exiguntur, quam ſtatu legis Hebraïcæ, ſcil. quia *promiſſiones cœleſtes in Euangelio multo clarius proponuntur.* Quaſi homo ſuis operibus & ſuis meritis ſalutem & vitam ex vi illarum cœleſtium promiſſionum ſibi comparare poſſet. Quod fidei noſtræ fundamenta ſubvertit & Chriſti merita irrita facit, vid. quæ ad § 50. *Prolegom.* annotavimus. Quod autem dicitur *legem nihil perfectum* reddidiſſe, non tam de lege morali, quam ceremoniali intelligendum, non enim exterior iſte cultus nos poterat perducere ad illam perfectionem ſive veram juſtitiam internam, quæ nos Deo acceptos & gratos conſtituere poteſt ad vitam æternam acquirendam. Si de lege morali Apoſtolum ſermonem habere dicimus, non intelligendum de lege morali in ſe, ſed relative ad hominem, cujus natura adeo corrupta & ad vitia prona eſt, ut ei impoſſibile ſit legem adimplere, cujus perfecta adimpletio olim homini vi fœderis, quod cum ipſo pepigerat Deus, ſi ſtatu integro non excidiſſet, jus ad vitam æternam dediſſet, verum quemadmodum obedientia legis homini jus dat ad vitam, ita inobedientia æternæ mortis reum pronunciat, a qua lex eum jam per carnem imbecillis reddita liberare nequit, nec juſtificare coram Deo, quippe cum lex requirat perfectam obedientiam ad vitam obtinendam, homo vero quotidie contra legem innumerabilia admittit peccata, impoſſibile eſt hominem per legem juſtificari poſſe, non quia lex per ſe imperfecta hominem perfectum reddere nequeat, verum quia lex imbecillis facta eſt per corruptam hominis naturam. Quia enim lex juſta eſt & ſancta atque immaculata, præcipiens honeſta, vetans contraria, qui poteſt approbare inhoneſta, & conſequenter hominem juſtificare & perfectum reddere coram Deo. Contra damnat & mortis reum eum pronunciat, quod non ſteterit ac manſerit in omnibus quæ jubet præcipitque, & idcirco, inquit Apoſtolus, legem nihil perfectum reddidiſſe, quia non poteſt expiando peccata noſtra nos ad vitam perducere; violata enim condemnare tantum poteſt, & idcirco impoſſibile eſt ut per eam vitam nobis acquiramus. Sed confugiendum ad perfectam Chriſti obedientiam, qua pro nobis legi ſatisfecit, ut nos per fidem in ſe liberaret a legis pœnæ, quæ erat mors, & participes faceret æternæ vitæ. Quamobrem *legis finis* dicitur *Rom.* 10 *v.* 4. tum ceremonialis, cum etiam moralis. Ideſt impletio & conſummatio, ſive complementum legis, qui legi penitus ſatisfecit, & omnia præſtitit quæ nobis præſtanda incumbebant. Chriſtus itaque eſt per quem lex impletur, & vera juſtitia acquiritur, & per quem Deus credentibus & peccata remittit, & æternæ vitæ participes reddit. Factus pro nobis dicitur *juſtitia, ſanctificatio, redemptio,* 1 *Corinth.* 1.30. Quod legem de Sabbato attinet, magnam hæc olim & hodie diſputandi Theologis materiam præbuit, nos vero hanc quæſtionem ipſis decidendam relinquimus. Breviter tantum annotabimus, præceptum de cultu divino certo & ſtato aliquo tempore peragendo in ſe plane morale atque perpetuum eſſe, quia ex ipſa divina natura immediate fluit, poſito enim Deo, divinus quoque cultus poni neceſſe eſt, cujuſmodi cultus, quia Deus ſemper eſt quod eſt, & idem manet, continuo quidem præſtandus & peragendus, ſed non eodem ſemper modo, vel eadem ſolennitate, verum quia plura negotia curanda homini incumbunt, ſine quibus vita neque ſatis commode neque ullo modo tranſigi poteſt, hinc Deus certum & definitum conſtituit tempus, cultui divino inſerviendo peculiariter deſtinatum. Cujuſmodi certi temporis ad divinum cultum peragendum conſtitutio non minus moralis eſt quam cultus, quippe eo ipſo quod præcipitur cultus divinus, etiam certum tempus ei peragendo præcipi neceſſe eſt, quia ſine certo tempore conſtituto fieri nequit. Certi itaque temporis conſtitutio eodem modo fluit ex neceſſitate rei peragendæ, quemadmodum ipſa res ſive cultus divinus neceſſario fluit ex eſſentia & imagine divina. Verum quæri hic poteſt an iſtius temporis definitio non arbitraria ſit, ita ut Deus loco ſeptimi octa-

vel nonum, vel decimum diem potuiſſet deſtinare ad cultum divinum faciendum, & an ſemel deſtinatum tempus poteſt iterum mutari, tanquam quid poſitivum? Videtur mihi dicendum, non magis fuiſſe neceſſitatis alicujus moralis ſeptimi diei inſtitutionem, quam neceſſaria fuit cœli & terræ aliorumque individuorum productio & totius operis abſolutio ſex dierum ſpatio, eoque peracto ab operando quieſcere. Quemadmodum enim fuit divinæ voluntatis cœlum & terram creare, ita quoque, prout ipſi placuit, potuit certum tempus ſtatuere & definire intra quod opus ſuum perficere vellet. Atque idcirco quies divina ab omni opere die ſeptimo facta ejuſdem generis eſſe debet, cujus eſt definitio temporis ad perficiendum opus deſtinati. Si placuiſſet Deo opus ſuum intra ſeptem vel decem dies abſolvere, quieviſſet vel octavo, vel undecimo die, eumque ſanctificaſſet. E quibus perſpicimus numerum ſeptenarium non habere aliquid in ſe morale, tanquam fluens ex ipſa divina natura, idcirco inſtitutio diei ſeptimi ad Dei cultum ſolenni more peragendum non habet in ſe neceſſitatem moralem, qua obligamur præciſe unum e numero ſeptenario cultui divino deſtinare, ſed inſtitutum præciſe tanquam morali neceſſitate adſtricti celebrare ſebemus, propterea quod certo tempore divino cultui vacandum dictat naturalis ratio, quamobrem nulla gens tam barbara eſt atque extra mores projecta, quæ non ſtato tempore cultui divino inſervit. Sed non dictat diem ſeptimum cultui divino deſtinandum, quemadmodum cætera moralia præcepta, neceſſitatis eſſe, ideoque antecedenter ad omnem Dei voluntatem ejus inſtitutionem neceſſariam eſſe & perpetuam ac immutabilem. Imo non potuiſſet Deus quieviſſe ſeptimo die, quemadmodus feciſſe ex ſacris conſtat paginis, & nobis præcipere ut quintum vel ſextum diem cultui divino & publicis religionis exercitiis ſolenniter vacaremus? Atqui jam conſtat ſeptimo die Deum quieviſſe ab omni opere, eumque ſanctificaſſe, & voluiſſe ac præcepiſſe ut non ſolum Hebræi, tanquam in peculiarem ſibi populum adſciti, recordarent id Dei ſabbat, urque ſanctificarent, & cultui divino omnino deſtinarent, ita ut ipſis non liceret ullum opus facere, ſed etiam univerſum obligat mortale genus, propter communem naſcendi principium. Eſt enim totius humani generis Author & Creator & commune exemplar ad quod quiſque qua homo eſt componere ſeſe tenetur, illudque ſequi ſi non conſtat aliud voluiſſe Deus, quatenus autem eſt Creator & Author humani generis, quiſque eum colere tenetur, quia ejus benevolentia humanæ conditionis particeps, quoniam vero certum tempus cultus divinus poſtulat, Deus vero illud præcepiſſe conſtat, cuique imponitur neceſſitas qua tenetur voluntati divinæ obtemperare, & idcirco ſtato tempore inſervire cultui divino. Si non conſtet hujus univerſi conditorem aliud tempus, vel alium diem quam ſeptimum, vel unum e numero ſeptenario cultui divino deſtinaſſe, vel inſtituere voluiſſe. Quemadmodum pependit ex divina voluntate ſeptimi diei ſanctificatio, *ita etiam ex ea pependit iſtius diei ſanctificationem humano generi præcipere*, vel in perpetuum, vel pro tempore, atqui non pateat Deum contraria diſpoſitione priorem abrogare voluiſſe, concludimus omnes homines, ad quorum cognitionem aliquando perventura eſt Dei voluntas in decalogo manifeſtata circa ſanctificationem diei ſeptimi, alligatos ad unum diem e numero ſeptenario cultui divino ſolenniter deſtinandum. Hæc pauca de moralitate Sabbati quatenus duce ratione perſequi potui, delibaſſe ſufficiat, quæ enim in hac quæſtione tractanda ex intima Theologiæ medulla depromi & erui debent Theologiæ antiſtitibus atque doctoribus examinanda relinquo. Qui vero in brevi quaſi tabella hujus quæſtionis cardinem belle depictam intueri cupit inſpiciat *Tractatum Theologice Juridicum ſive Forum conſcientiæ*, nuper auctore *Andr. van ter Muelen* Brabantiæ ſupremæ Curiæ, quæ Hagæ Comitum eſt, Senatore, fratre meo Germano, eoque nomine, quamvis a me in hac quæſtione diſſentiente, mihi dilectiſſimo, publici juris factum. *part.* 1. *quæſt.* 19. Non ejuſdem neceſſitatis eſſe puto obligationem qua tenemur fructuum decimam exhibere iis, qui in ſacris rebus occupantur. Dictat quidem naturalis ratio, ſocio in neceſſitate conſtituto quacunque ratione ſuccurrendum, & conſequenter omnes illas morales virtutes exercendas præcipit, quas enumerat Chriſtus *Math.* 25. *verſ.* 35. quarum in numero ſunt, *Eſurientibus alimenta præbere. Sitientibus levare ſitim. Hoſpites recipere. Nudos operire. Infirmis ſuccurrere. In vincula conjectos adire*, relicto cujuſque arbitrio, modo & ratione qua ſocium potiſſimum egentem ſublevare velit, ideoque non determinat vel præſcribit quantitatem, ſed præcipit lex charitatis, quæ omnes leges morales complectitur, tantum indefinite ut ſocius ſocio opem feramus ſubminiſtrando ea quibus ſublevari poteſt. Itaque præceptum de decimis exhibendis, qui rebus ſacris peragendis præſunt, morale eſt, quatenus obligat Chriſtianos ſubvenire neceſſitati eorum, qui in rebus ſacris occupati aliunde ſibi alimenta quærendi occaſionem non habent, & conſequenter in ea neceſſitate conſtituti ſunt, ut ea ipſis miniſtrari debeant determinatio vero certæ quantitatis eo nomine præſtandæ eorum arbitrio relicta eſt, quibus ea cura commiſſa eſt. Ideoque non decima fructuum præſtandis alimentis ſemper reponenda, ut olim lege Moſaïca cautum fuit, quia quod ad illam partem tanquam poſitiva & ritualis nos non obligat. Verum obligat nos, quia rationi conſentaneum eſt, ut rerum ſacrarum antiſtitum miniſterium congrua compenſetur mercede, quæ ſufficit & ad debita ipſis ſubminiſtranda alimenta, & etiam alia familiæ onera ſuſtinenda. Unde vero ipſis ejuſmodi merces tribuitur, an ex fructuum decimis, vel octavis vel triceſimis, perinde eſt, modo habeant quo ſeſe & ſuam familiam ſuſtentare & tueri poſſunt, quod ex arbitrio & voluntate ſummi imperantis pendet, unde itaque habeant ne quærant, modo habeant quod oportet habere.

CA-

CAPUT. II.

An bellare unquam juſtum ſit.

I. *Jus naturæ bello non repugnare probatur, rationibus:*
II. *Hiſtoria:*
III. *Conſenſu.*
IV. *Jus gentium non repugnare bello probatur.*
V. *Jus divinum voluntarium ante Euangelii tempus bello non repugnare, probatur, cum ſolutione objectionum.*
VI. *Ad quæſtionem, an bellum cum jure Euangelico pugnet, præmonita.*
VII. *Argumenta pro negante ſententia ex ſacris literis.*
VIII. *Solutio argumentorum ex ſacris literis pro parte aiente.*
IX. *Examinatur veterum Chriſtianorum circa hanc rem conſenſio.*
Negans privatim conſilio potius, quam præcepto nixa, reprobatur.
X. *Affirmans, publica Eccleſiæ auctoritate, conſenſu, & temporum uſu confirmatur.*

VIſis Juris fontibus, ad primam ac generaliſſimam veniamus quæſtionem, quæ hæc eſt, an bellum aliquod juſtum ſit, ſive an bellare unquam liceat.

COMMENTARIUS.

JUris fontes poſſemus dicere eſſe duos, ſcil. *neceſſitatem* & *voluntatem*; ex neceſſitate defluere jus divinum neceſſarium ſive morale, quod & naturale vocamus; quemadmodum neceſſe eſt ut ſit aliquod ens primum & ſummum, a quo omnia producta individua, & quicquid eſt vel exiſtit, eſſe ſuum habeant, ita neceſſe eſt ex primo illo ente profluere jus aliquod ſecundum, quod omnia entia operantur & exiſtunt, de quo latius ſup. egimus ad *Proleg.* Ex voluntate dimanat cum jus divinum voluntarium, tum & jus humanum, neceſſitatem tamen in ſe habens obediendi, poſtquam legiſlator ſuam voluntatem, vel ſcripto, vel ſine ſcripto declaravit, qua obediendi neceſſitate niſi contraria legiſlatoris diſpoſitione ſolvi poſſumus, eodem enim modo quo quid colligatum eſt diſſolvi oportet. Poſitis autem hiſce juris fontibus ad generaliſſimam Author deſcendit quæſtionem, an ſcil. aliquod bellum juſtum dici queat, id eſt juri divino vel neceſſario ſive naturali, vel voluntario, aut humano conveniens. Quippe cum bellum videatur omnia cum divina tum etiam humana jura ſubvertere, utpote quæ inter armorum ſtrepitum exaudire nequeant, videtur potius dicendum nullum bellum juſtum nulloque juri conveniens eſſe. *Propria enim præliorum negotia, dolus, aſperitas, injuſtitia,* ut inquit Tertullianus *adverſus Judæos.* Quoniam itaque nonnulli interdicunt Chriſtianis bellum tanquam nullo jure permiſſum ac licitum, optime Author, antequam belli jura deſcribere aggreditur, examinat an bellare unquam juſtum ſit, quod vix feliciter & cum fructu potuiſſet perficere, niſi prius lectorem docuiſſet iſtius juris fontes, ad quod tanquam ad Lydium lapidem belli jura examinari neceſſe eſt. Bellum autem aliquod juſtum eſſe, ſive licitum bellare multis probat cum rationibus, tum etiam Hiſtoria & conſenſu, quæ in ſingulis paragraphis eórumque numeris occurrebant examinandæ.

1. Hæc autem ipſa quæſtio, ut & aliæ quæ deinceps ſequentur, ad jus naturæ primum exigenda eſt. M. Tullius Cicero tum tertio de Finibus, tum aliis in locis, ex Stoïcorum libris erudite diſſerit, eſſe quædam prima natura, Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, quædam conſequentia, *Gell.*
ſed quæ illis primis præferenda ſint. Prima naturæ vocat, quod ſimulatque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur XII. c. V.
ad ſe conſervandum, atque ad ſuum ſtatum, & ad ea quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda: alienatur autem ab interitu iiſque rebus, quæ interitum videantur afferre. Hinc etiam ait fieri, ut nemo ſit, qui, cum utrumvis liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis,

poris, quam eaſdem uſu imminutas aut detortas habere: primumque eſſe officium, ut ſe quis conſervet in naturæ ſtatu; deinceps ut ea teneat, quæ ſecundum naturam ſint, pellatque contraria.

COMMENTARIUS.

POtiſſimum autem hic venit jus naturæ examinandum. Quippe quod licet hoc jure extra omne dubium juſtum eſt, quod illicitum, injuſtum, & nunquam agere permiſſum. Jure vero naturæ bellum aliquod juſtum eſſe, inprimis videtur poſſe perſpici ex innatis illis ſtimulis cuique individuo ad ſeſe conſervandum in illo ſtatu in quo a primo Authore collocatum eſt. Hinc vidimus nullius rei ſtudium altius inſitum eſſe a natura omnibus animalibus, quam ſtudium tuendi ſui adverſus vim illatam. Quamobrem ſimul atque natum eſt ſibi ipſi conciliatur, & tenerrimo eoque naturali amore erga ſemetipſum afficitur, qui ipſum continuo ad ſibi paranda ea omnia, quæ ad ſui conſervationem pertinent, incitat; revocat vero ab iis quæ nocendi præ ſe ferunt notam, & ad deſtructionem ſtatus ſui tendere videntur, non quod ea ex principio aliquo intrinſeco intelligente prævideat, vel rationis diſcurſu eorum vim & naturam percipiat, verum quia melior quædam natura ſummus rerum opiſex ejuſmodi omnium animalium, & aliorum individuorum naturæ inſevit motus, quibus vel impelluntur appetere ea quæ conſervationi cujuſque inſerviunt, vel deterrentur ab iis quæ huic contraria ſunt. Cujuſmodi inclinationes & naturæ impetus, quos in ſingulis individuis cum potiſſimum in homine & brutis animantibus perſpicimus, quoniam non habemus a nobiſmetipſis, ſed ab eo qui totum hunc univerſum certo quodam ordine gubernare voluit, colligimus nobis dediſſe facultatem, ut omnia adhibeamus media quibus quiſque conſervationi ſuæ potiſſimum conſulere poteſt. Imo quatenus voluit ut eſſemus & exiſteremus ad ſui gloriam, eatenus obligavit nos ut eſſemus & exiſteremus in eodem ſtatu in quo quemque noſtrum ſive unumquodque individuum produxit, quamdiu ſibi placet. Cujuſmodi exiſtentiæ continuatio haberi non poſſet, niſi præcedat eſſentiæ conſervatio quam cuique creaturæ indidit ſummus rerum moderator, itaque eo ipſo quo Deus voluit univerſum certo quodam ordine gubernare, etiam voluit ut certo quodam modo ſingula individua exiſterent, quem in finem omnibus creaturis indidit amorem ſui ipſius, quo feruntur ad ſui conſervationem, ſummum vero terrorem ab iis quæ ſibi videntur nocitura. Atque in hiſce naturæ principiis optime fundatur naturæ jus, quo bellare, id eſt vim vi repellere licere affirmamus. Hinc *Taurus* apud Gell. *lib.* 12. *cap.* 5. *Natura*, inquit, *omnium rerum, quæ nos genuit, induit nobis inolevitque in ipſis ſtatim principiis, quibus nati ſumus, amorem noſtri & charitatem, ita prorſus ut nihil quicquam eſſet charius penſiusque nobis, quam noſmet-ipſi.* Et Cic. 1. *off. Primum*, inquit, *omni generi animantium a natura tributum eſt, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur, omniaque, quæ ad vivendum ſunt neceſſaria, inquirat ac paret, ut paſtum, ut patibula, ut alia ejus generis.* Et *lib.* 4. *de fin. Omnis natura vult eſſe conſervatrix ſui, ut & ſalva ſit, & in genere conſervetur ſuo. Ad hanc rem ajunt artes quoque exquiſitas, quæ naturam quippe adjuvarent, quibus ea numeretur in primis, quæ eſt vivendi ars, ut tueatur quod a natura datum ſit, quod deſit acquirat.* Et 3. de fin. in Catonis perſona, *Placet iis* (Stoïcis) *quorum ratio mihi probatur, ſimul atque natum ſit animal ipſum ſibi conciliari & commendari ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum, & ad ea quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus diligenda.* Quamobrem cum Stoïcis primum ac ſummum principium ſupponit ſui conſervationem & deſtructionis amolitionem. Hinc 3. de fin. ita Cato. *Ex quo intelligi debet principium ductum eſſe a ſe diligendo. Quare primum ſibi ipſi conciliatur animal. Nullum animal ad vitam prodit ſine metu mortis. Simul enim conciliatur ſaluti ſuæ quidque, & quæ juvant illa petit, læſura formidat.* Seneca *epiſt.* 121.

2. At poſt hæc cognita ſequi notionem convenientiæ rerum cum ipſa ratione, quæ corpore eſt potior; atque eam convenientiam, in qua honeſtum ſit propoſitum, pluris faciendam quam ad quæ ſola primum animi appetitio ferebatur; quia prima naturæ commendent nos quidem rectæ rationi, ſed ipſa recta ratio carior nobis eſſe debeat quam illa ſint a quibus ad hanc venerimus. Hæc cum vera ſint, & ab omnibus, qui judicio ſano ſunt præditi, facile ſine alia demonſtratione aſſenſum impetrent, ſequitur in examinando jure naturæ primum videndum quid illis naturæ initiis congruat, deinde veniendum ad illud,

lud, quod quanquam poſt oritur dignius tamen eſt, neque ſumendum tantum, ſi detur, ſed omni modo expetendum.

COMMENTARIUS.

VErum quamquam hæc prima naturæ per ſe quidem juſta ſunt quia jure naturæ congrua, non tamen cæco quodam impetu hominem ſequi decet, niſi adhibita in conſilium recta ratione, utpote quæ ſola nos informare poſſit quid juris ſit naturæ nec ne, quidve decet in dictis factiſve, qui in omnibus rebus ſervandus modus. Cum enim ſæpiſſime iſti motus & impetus naturales juſtam excedunt menſuram, duce recta ratione ita moderandi ſunt, ut cum jure naturæ, cum honeſtate, cum humana ſocietate conveniant. Quippe quoniam homo dicitur animal non ſolum rationale, ſed etiam ſociale, in omnibus ſuis actionibus ſpectandum potiſſimum ad earum convenientiam cum recta ratione ſive honeſtate, & conſervatione humanæ ſocietatis. Itaque inter hominem & belluam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum ex ſolo inſtinctu & quantum ſenſu movetur declinet ea quæ ſibi nocitura videntur, appetit autem vehementer quæ conſervationi ac naturæ conjunctiora ſunt. Homo vero, qui rationis particeps eſt, per quam perſpicit convenientiam rerum cum ipſa ratione & natura ſociali, conſulit ſibi quidem ex innato quodam erga ſeſe amore & impetu naturæ, verum huic accedit rectæ rationis dictamen, quod eum docet juri quidem naturali conſentaneum eſſe propriæ conſervationis ſtudium, verum eodem mentis diſcurſu perſpicit illud ſtudium ſuos habere limites, ultra quos extendi non debet, quin in vitium degeneret & illicitum ſit, quod per ſe licitum eſt, imo præceptum. Ita defenſio propter ſui conſervationem rectæ rationi conſentanea, ideoque honeſta & licita, ſit illicita quando ex vindicta procedit. Quippe tunc non defenſio, ſed offenſio potius eſt, quæ contraria eſt rectæ rationi & naturæ ſociali, quoniam perturbat ſocietatem humanam, & lædit cognationem naturalem, quam inter homines natura rationalis ac ſocialis inſtituit. Homo itaque rationalis prima naturæ ad rationis dictamen examinat, eaque ſequi debet quatenus perſpicit in illis convenientiam aliquam cum recta ratione, quæ ſibi debet eſſe agendorum & vitæ inſtituendæ norma atque regula, omniumque actionum ſuarum moderatrix. Sequitur itaque illas naturæ inclinationes, quia rationis lumine cernit eſſe rectæ rationi congruas, ideoque jure naturæ licitas, eaſque duce eadem ratione ita moderatur, vel ſaltem moderari debet, ut nunquam a jure naturæ vel honeſtate alienæ juſtum moderamen excedant. Contra bruta animantia prima naturæ ſequuntur, non quod illa jure naturæ conſentanea ex principio aliquo intelligente intrinſeco perſpiciant, verum cæco quodam naturæ impetu & motu iſtis obediunt. Hinc immanis eorum ferocitas, qui, deſtituti moderatrice recta ratione, naturales impetus ſuis nequeant cancellis includere, eos ad rectæ rationis dictamen revocando.

3. Hoc ipſum vero, quod honeſtum dicimus, pro materiæ diverſitate, modo (ut ita dicam) in puncto conſiſtit, ut ſi vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet ſpatium, ita ut & fieri laudabiliter, & ſine turpitudine omitti aut aliter fieri poſſit, ferme quomodo ab hoc eſſe ad hoc non eſſe ſtatim fit tranſitus; at inter aliter adverſa, ut album & nigrum, reperire eſt aliquid interpoſitum, ſive mixtum, ſive reductum utrinque. Et in hoc poſteriori genere maxime occupari ſolent leges tum divinæ tum humanæ, id agendo, ut quod per ſe laudabile tantum erat, etiam deberi incipiat. Supra autem diximus, de jure naturæ cum quæritur, hoc quæri, an fieri aliquid poſſit non injuſte: injuſtum autem id demum intelligi quod neceſſariam cum natura rationali ac ſociali habet repugnantiam.

COMMENTARIUS.

QUod per ſe & ſua natura honeſtum eſt nullam recipit latitudinem, ſed in puncto conſiſtit, a quo vel ſi minimum abeas; ad vitium deflectis. Sumpto *honeſti* vocabulo eo ſenſu, quo ſignificat convenientiam cum lege naturæ ſive rectæ rationis dictamine. Quemadmodum enim quod cum lege convenientiam habet honeſtum dicitur, ita quod ab ea recedit inhoneſti venit appellatione. Ex quo perſpicimus nullam hic dari latitudinem, quin ſtatim quod

ab honeſtate deflectit in vitium ſive turpitudinem degenerat. Quoniam non dantur honeſtatis gradus ratione moralitatis, una debet eſſe eſſentia, ita ut non poſſit eſſe aliquid honeſto magis honeſtum per ſe ſcil. conſideratum tanquam cum lege conveniens. Debet enim eſſe ejuſdem naturæ & conditionis cujus eſt origo a qua derivatur & ſuam habet eſſentiam, quia autem neceſſario hæc uniformis & ſimplex eſſe debet, ita etiam ſimplex & uniforme eſt illud quod ab eadem ortum ſuum trahit, *honeſtum*que dicitur. Quid enim aliud eſt convenientia cum lege naturæ ſive morali, quam illa conformitas cum illis in nobis reliquis juſti & decori ſive honeſti principiis, divinæ imaginis ruderibus, quæ quanquam multiplicari poſſint ratione officiorum & virtutum quas excercere decet virum bonum & honeſtum, attamen ejuſmodi exercitatio nihil aliud eſt quam facere quod honeſtum eſt, honeſtum quia cum lege habet convenientiam. Ejuſmodi vero cum lege convenientia eſt illa conformitas cum illis principiis, ſive cum ipſa divina imagine cujus lex moralis ſive naturalis verus typus eſt, quæ cum ſimplex & uniformis eſſe debeat, ita quoque illud quod honeſtum vocamus, conſiſtens in illa conformitate cum divina imagine, ſimplex & uniforme eſſe debet. Verum quando has ratiocinationes transferamus ad actiones & hominum mores, in quibus propter varias circumſtantias difficillime illud punctum inveniri poteſt, idcirco non ſine aliqua latitudine id ipſum interpretari debemus. Cui accedit quod impoſſibile ſit propter humanæ naturæ imbecillitatem ad ſummam perfectionem pervenire, quamquam laudabile ſit ad eam contendere, non ea mente quaſi ad illam perveniendi nobis eſſet data facultas, verum ut ad eam, quantum naturæ humanæ conditio fert, propius accedamus, quod ſi vero eam attingere non liceat, id ipſum tamen nemini vitio verti poteſt, vel eo nomine culpandus quaſi non perfectus. Quemadmodum non dicitur optimus qui nullis ſed qui minimis urgetur vitiis, ita appellamus virum bonum & honeſtum non eum qui in omnibus ſuis actionibus & moribus perfectam illam & omnibus numeris abſolutam honeſtatem obſervat, verum qui convenienter humanæ naturæ cum rationali tum etiam ſociali vitam inſtituit. Quo reſpicit illud Ariſtotelis 2. *Nicom. ult.* §. 26. *Qui paululum a perfectione deflectit, ſi modum aliquantulum ſuperat, ſive etiam aliquantulum eum deſerit, non vituperatur. Sed is tantum qui longius quam par ſit ab eo diſcedit.* Hæc vero ipſa latitudo, ſine qua punctum deſcribi neque inveniri poteſt in rebus bumanis tractandis, aliquando extenſionem patitur, ita ut modo, liberius modo ſtrictius habeat ſpatium, de ſtrictiori jam egimus. Liberius habet ſpatium, quando applicatur iis rebus, quæ fieri quidem poſſunt laudabiliter, ſed quarum tamen omiſſio honeſtati contraria non eſt, quarum in numero ſunt omnia quæ ſunt indifferentia, quæ bene & male fieri poſſunt, ideoque non honeſta per ſe, ſed honeſta, ut ita dicam, per excercendi modum, poſtquam ſcil. in actum ſunt deducta. De hiſce ita Gell. *ex Sympoſ. Platonis lib.* 17. *cap.* 20. *Omne*, inquit, *omnino factum ſic ſeſe habet, neque turpe eſt quantum in eo eſt, neque honeſtum, velut eſt quas facimus nunc ipſi res, bibere, cantare, differere, nihil namque horum ipſum eſt ex ſeſe honeſtum, quale quum fieret modo factum eſt, tale extitit. Si recte honeſteque factum eſt, tum honeſtum fit: ſin parum recte, turpe fit, ſic amor non honeſtus omnis, neque omnis laude dignus: ſed qui facit nos ut honeſte amemus.* Poſſunt tamen ea quæ voluntatis ſunt, aliquando fieri neceſſitatis per legiſlatoris voluntatem, ita ut ea quæ antea vel fieri vel omitti ſine turpitudine poſſent, poſt declaratam vel præcipiendo vel vetando legiſlatoris voluntatem, eandem producant obligationem, quam pariunt ea quæ moralia vocamus, ex quorum natura deducitur neceſſitas moralis, qua adſtringimur fugere quæ mala ſunt & conſequenter prohibita, & facere honeſta & idcirco præcepta. Notandum vero illud diſcrimen, quod illa mala vel honeſta fiunt voluntate legiſlatoris. Hæc ſua natura bona vel mala ſunt. Quamobrem illa producunt obligationem, quæ deſcendit ex arbitrio & placito legiſlatoris, & conſequenter mutabilem. Hæc pariunt obligationem antecedenter ad omnem voluntatem, ideoque perpetuam & neceſſariam. Eadem tamen utriuſque obligationis vis, ſed diverſa natura & origine.

4. Inter prima naturæ nihil eſt quod bello repugnet, imo omnia potius ei favent.: nam & finis belli, vitæ membrorumque conſervatio, & rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquiſitio illis primis naturæ maxime convenit: & vi ad eam rem ſi opus ſit uti, nihil habet a primis naturæ diſſentaneum, cum animantibus ſingulis vires ideo ſint a natura attributæ, ut ſibi tuendis juvandiſque ſufficiant. Xenophon, τὰ ζῶα ἐπίστανταί τινα μάχην ἕκαστα, οὐδὲ παρ᾽ ἑνὸς ἄλλου μαθόντα ἢ παρὰ τῆς φύσεως. *omnia animantium genera pugnam norunt aliquam, quam non aliunde quam a natura didicerunt.* In Halieuticon fragmento eſt:

Omnibus hoſtem
Præſidiumque datum ſentire & noſcere teli
Vimque modumque ſui.

Ho-

Horatius dixerat:

> *Dente lupus, cornu taurus petit; unde, niſi intus*
> *Monſtratum?*

Lucretius vero amplius:

> *Sentit enim vim quidque ſuam, qua poſſit abuti:*
> *Cornua nota prius vitulo quam frontibus exſtant.*
> *Illis iratus petit atque infenſus inurget.*

Quem ſenſum Galenus ſic exprimit: φαίνεται γοῦν ἕκαστον ἐκείνῳ τῷ μέρει τοῦ σώματος ἀμυνόμενον ὃ τῶν ἄλλων ὑπερέχει. μόσχος μὲν κυρίττων πρὶν φῦναι τὰ κέρατα. πῶλος δ᾽ ἵππου λακτίζων, οὐδέπω στερεαῖς ταῖς ὁπλαῖς: ὥσπερ γε τὸ μὲν σκυλάκιον δάκνειν ἐπιχειρεῖν, κἂν μηδέπω καρτεροὺς ἔχῃ τοὺς ὀδόντας. *Videmus animantium quodque eo ad ſui tutelam uti quo maxime valet. Nam & vitulus nondum enatis cornibus ea parte minatur, & equuleus nondum firmatis ungulis calcitrat, & catellus dentibus nondum robuſtis morſitat.* Idem Galenus de uſu partium primo hominem animal eſſe ait ad pacem bellumque natum, cui arma quidem agnata non ſint, ſed apta armis parandis ac tractandis manus: qua etiam pro armis uti ſponte ſua nec aliunde id edoctos infantes videmus. Sic & Ariſtoteles de partibus animalium quarto, capite x. manum homini ait eſſe pro haſta, pro enſe, & pro armis quibuſlibet, quia omnia poteſt ſumere ac tenere.

COMMENTARIUS.

PRima naturæ dicuntur illi ſtimuli & motus cuique individuo innati, quibus impelluntur ad ſeſe conſervandum in eo naturæ ſtatu, in quo & ſingula producta ſunt & collocata, ut ſtatim demonſtravimus. Juſta ejuſmodi prima naturæ & quicquid iis convenienter agitur juſtum dicitur, quia a Deo conditore omnibus rebus creatis indita, ideoque ſumma ratione ſubnixa, & conſequenter quicquid iis conſentaneum eſt, ſive profectum ſit a principio aliquo intelligente intrinſecò, ſive extrinſeco, ratione iſtius convenientiæ cum illa virtute ſingulis individuis a ſummo hujus univerſi moderatore & arbitro innata, juſtum, id eſt juri naturæ conſentaneum, dicimus. Quo poſito fundamento, facile colligere poſſumus non repugnare bellum primis naturæ, quoniam non ſolum in nobiſmetipſis ſentimus, ſed & omnibus rebus creatis perſpicimus quoſdam naturæ ſtimulos inditos, quibus feruntur ſingulæ ad conſervationem ſui; atqui cum finis belli eo potiſſimum collimat, ut repellendo a corpore ejuſque membris quæ nocitura videntur, & inquirendo ad vitam tuendam neceſſaria ſe conſervare ſtudeat, concludimus bellum nihil a primis naturæ diſſentaneum habere, ſed ei omnia potius favere. Quamvis autem hæc prima naturæ in omnibus cernimus individuis, expreſſius tamen ea apparent in corporibus ſenſitiva facultate præditis, id eſt ſeſe moventibus, ut animalibus, quæ dum per ſenſum apprehendunt ſibi nocitura, vel fuga ea declinare cupiunt, ſi ſine damno vel periculo ſalutis ſuæ ejuſmodi ſeſe offert occaſio: vel ea inſtrumenta adhibent, quæ natura ipſis attribuit, ut ſibi tuendis juvandiſque ſufficerent. Hinc bruta dentibus, cornibus, unguibus, cruſtis, ſquamis, ſpinis, aliiſque id genus rebus armata atque munita ſunt, ut vel vim vi propulſare, vel alio quocunque modo ſe tueri valerent. Homo vero, cui idem amor ac ſtudium ſeſe conſervandi innatum eſt, quamvis ad ſui tutelam non eadem ei agnata arma, apta tamen ipſi armis parandis tractandiſque manus, naturali eum docente ratione, an, quando, & quomodo iis uti debeat. Quippe is cum natura ſit animal ſociabile & manſuetum, cujus conſervatio potiſſimum conſiſtit in tuenda ſocietate cum ſui ſimilibus, ad arma confugere non debet, niſi id ſuadeat ſumma neceſſitas. Quamobrem non in corporis natura Deus arma poſuit, ſed extra corpus, hoc ipſo oſtendens manſuetum animal eſſe hominem, neque ſemper talium armorum mihi eſſe tempus, ſed aliquando deponenda, interdum reſumenda; ut ex Galeno refert Author.

5. Recta autem ratio ac natura ſocietatis, quæ ſecundo ac potiore loco ad examen vocanda eſt, non omnem vim inhibet, ſed eam demum quæ ſocietati repugnat, id eſt quæ jus alienum tollit: nam ſocietas eo tendit ut ſuum cuique ſalvum ſit communi ope ac conſpira-

tione. Quod facile intelligi poteſt locum habiturum, etiamſi dominium (quod nunc ita vocamus) introductum non eſſet: nam vita, membra, libertas ſic quoque propria cuique eſſent, ac proinde non ſine injuria ab alio impeterentur: ſic & rebus in medio poſitis uti, & quantum natura deſiderat eas abſumere, jus eſſet occupantis: quod jus qui ei eriperet, faceret injuriam. Hoc ipſum autem nunc, poſtquam ex lege aut uſu dominium formam ſuam accepit, multo intelligitur facilius: quod exprimam Tullii verbis: *Ut, ſi unumquodque membrum ſenſum ſuum haberet, ut poſſe putaret ſe valere ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt: ſic, ſi unuſquiſque noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & communitas evertatur neceſſe eſt: nam ſibi ut quiſque malit quod ad uſum vitæ pertineat quam alteri acquiri, conceſſum eſt non repugnante natura: illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus.*

De offic. III.

COMMENTARIUS.

HOmo quidem animans eſt, ſed eximium animans, habens quidem cum brutis animantibus illa prima naturæ communia, verum conjuncta cum rationali ac ſociali natura, generis ſui præ cæteris animalibus maximum decus ac ornamentum, utpote qua valet ſentire quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictiſque. Quamobrem non ut cætera animalia cæco naturæ impetu prima naturæ ſequitur, verum antequam iis obtemperat prius indagare cupit eorum cum natura rationali & ſociali convenientiam, de qua ratiocinando certior factus, tanquam juſta & recta quia rationi conſentanea amplectitur. Cognitis itaque primis naturæ bello faventibus, examinandum oobis incumbit an recta ratio & ſocietatis natura non omnem vim inhibeat, adeoque bello repugnet, quod primo intuitu affirmandum videtur, quia omois per vim certatio diſtrahit ſocietatem, a qua & noſtra ſalus & vitæ ac membrorum conſervatio pendet; tum etiam eorum quæ ad vitam tuendam neceſſaria ſunt acquiſitionem reddit difficilem, & retentionem periculoſam, & conſequenter jure naturæ ejuſmodi vis illicita atque prohibita, quoniam eodem jore quo quis ſeſe conſervare, etiam cum ſui ſimillimis ſocietatem colere tenetur, utpote quæ ad ſui conſervationem maxime pertineat; quid enim ſalvum & incolume haberi poteſt, ſi ſublata ſocietate humana ſocius in ſocii perniciem advolat. Si ſocietatis naturam inſpiciamus, facile conſtabit nihil magis ei repugnare quam vim & arma, quoniam tranquillitatem & pacem arctiſſimum ſocietatis humanæ vinculum non ſolum perturbat, ſed plane tollit, & conſequenter ex ipſa natura ſocietatis fluit immediate lex illa qua omnis vis inhibetur. Verum diſtinguendo res fiet clarior. Alia eſt vis jus alienum tollens, alia eſt vis jus alteri quæſitum adverſus vim illatam defendens. Illa ſocietatem perturbat, imo plane tollit. Hæc jus cuique quæſitum intactum atque illæſum ab improborum hominum impetu & pravis machinationibus conſervando ſocietatem humanam tuetur, utpote cujus finis eſt ut ſuum cuique ſalvum ſit. Suum autem cuique dicimus, cujus dominium aut proprietatem natura nobis largita eſt, vel interveniente propria induſtria nobis acquiſivimus, vel communi aliquo hominum conſenſu aut uſu cuique aſſignata eſt & conceſſa. Sic naturali quodam jure nobis propria ſunt vita, membra, libertas ab ipſo nativitatis primordio, ita ut nemini jus competat ea mihi invito ſine juſta cauſa auferendi, ſic etiam jus mihi conceſſum a natura rebus quæ nullius ſunt, utendi, fruendi, eaque occupando mihi acquirendi eodem jure tributa facultas, quo quis me ſpoliare nequit, quin faceret injuriam, multo vero minus occupatione & propria induſtria mihi quæſita eripere quis poteſt ſine injuria. Sed quanto magis id locum ſibi vindicat poſt hominum conſenſu diſtincta dominia, & varios ac peculiares proprietatis vel poſſeſſionis acquirendæ & transferendi dominii modos, ita ut quod quis ſibi proprium fecit juſto titulo & modo, ſive ex diſpoſitione legis, ſive per συνάλλαγμα, id ipſi ſine injuria a nemine eripi vel auferri poteſt. Quo pertinet illud Quintil. *declam.* 13. *Si hæc conditio eſt, ut quicquid in uſum hominis ceſſit proprium ſit habentis; profecto quicquid jure poſſidetur, injuria aufertur.*

6. Non eſt ergo contra ſocietatis naturam ſibi proſpicere atque conſulere, dum jus alienum non tollatur: ac proinde nec vis, quæ jus

jus alterius non violat, injuſta eſt: quod idem Cicero ita extulit:
Cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim, cum- *Epiſt.*
que illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius ſi uti *Fam.*
non licet ſuperiore. Idem alibi: *Quid eſt quod contra vim fieri ſine vi poſſet?* *XII. 3.*
L. 1. §.
Apud Ulpianum eſt: *Vim vi repellere licere Caſſius ſcribit, idque jus natura* *vim vi.*
comparatur; apparet autem, *inquit, ex eo arma armis repellere licere.* Ovidius *D. de vi*
dixerat: *& vi armata.*

Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

COMMENTARIUS.

VIx ſocietas diu ſubſiſtere poteſt, niſi unumquodque ejus membrum ſibi proſpiciat atque conſulat, ſalva enim ſocietas eſſe non poteſt niſi partium cuſtodia, ut inquit Seneca. Quod clarius fiet ſi nobiſcum reputemus, hominem non ſibi duntaxat natum, verum ad cœtum & ſocietatem cum aliis colendam quoque genitum eſſe, eamque mutatione officiorum conſervandi cuique membro eſt impoſita neceſſitas. *Ea enim lege nati ſumus, ut communi ſocietati inſerviamus,* inquit Cic. 1. *off.* Ut autem debita officia præſtem & utile ſocietatis membrum me præbeam, oporte ut me prius incolumen ſervem, & propriæ ſaluti conſulem. Quoniam vero ſalus poſita ſit cum in parandis iis quæ ad vitam tuendam neceſſaria ſunt, tum in depellendis & propulſandis iis quæ mihi nocitura videntur, apparet nullam vim injuſtam vel naturæ ſocietatis contrariam eſſe, quæ alienum non tollit, ſed cuique proprium tuetur atque conſervat.

II. 1. Id quod dicimus, non omne bellum juri naturæ adverſari, probatur amplius ex ſacra hiſtoria. Nam cum adverſus Reges quatuor qui Sodoma diripuerant Abrahamus cum miniſtris ac fœderatis ſuis armatus victoriam reportaſſet, Deus per ſacerdotem ſuum Melchiſedecum factum ejus probavit. Ita enim illi Melchiſedecus: *Laus ſit Deo altiſſimo, qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam*, Gen. XIV, 20. At ceperat arma Abrahamus, ut ex hiſtoria apparet, ſine ſpeciali Dei mandatu: fretus igitur jure naturæ vir non ſanctiſſimus tantum, ſed & ſapientiſſimus, etiam extraneorum Beroſi atque Orphei teſtimonio. Hiſtoria ſeptem populorum quos Iſraëlitis exſcindendos Deus tradidit non utar: fuit enim ibi mandatum ſpeciale ad exſequendam rem à Deo judicatam in populos maximorum criminum reos: unde hæc bella in ſacris literis Dei bella proprie nominantur, quippe Dei juſſu, non humano arbitrio ſuſcepta. Ad rem magis pertinet quod Amalecitas vim ſibi inferentes Hebræi, ducibus Moſe ac Joſua, armis repulerunt, Exod. XVII. quod Deus ante factum non juſſerat, poſt factum probavit.

COMMENTARIUS.

NOn videtur mihi illud Abrahami factum, abſtracte, ut ita dicam, conſideratum ab ipſa belli cauſa, adeo probare generalem hanc Authoris poſitionem, nimir. non omne bellum juri naturæ adverſari, ſed potius confirmat bellum hoc peculiare Abrahami adverſus illos quatuor Reges, qui Sodoma diripuerant, & pariter conſanguineum Lothum fratris ſui filium captivum tenebant, juſtum fuiſſe, non eo quia ab Abrahamo ſuſceptum, verum quia ex Hiſtoria conſtat juſtam babuiſſe belli gerendi cauſam jure naturæ, id eſt rectæ rationis dictamine probatam. Quippe non adeo certo nobis patet an fretus tantum jure naturæ, vel Dei ſpeciali mandato Abrahamus bellum hoc ſuſceperit. Quamquam nulla belli gerendi ſubfuiſſet juſta cauſa, juſtum tamen fuiſſet bellum, juſſu & imperio ſummi hujus univerſi arbitri indictum. Verum quoniam Hiſtoria nobis refert belli cauſam, quam cum recta ratione conſerre poſſumus, ex ejus convenientia cum rationis dictamine affirmamus bellum Abrahami adverſus dictos Reges jure naturæ probatum.

batum. Quamvis eſſet ſanctiſſimus & ſapientiſſimus, homo erat tamen, qui & fallere & pravis animi motibus agitatus ex vindictæ cupidine, vel intempeſtiva ira, aut nimio dolore arma capere potuiſſet. Unde concludo exempla e ſacris Hiſtoriis petita per ſe nihil ponderis adferre ad probandum quod neceſſario probari debet, ſcil. *juri naturæ licitum bellare*, niſi ex relatione colligimus hoc vel illud bellum, a viris piis & ſanctis geſtum, ex cauſis jure naturæ probatis fuiſſe ſuſceptum, & conſequenter juſtum. Juſtam vero Abrahamum habuiſſe belli gerendi cauſam patet ex Hiſtoria. Debellatis enim quinque illarum urbium, quas enumerat Hiſtoria, Regibus, victores agros vaſtant, urbes diripiunt, poſſeſſiones, facultates auferunt, imo & cives captivos ſecum ducunt. Quorum in numero & Lothus fuit Abrahami conſanguineus, utpote qui cum peſſimis habitans illorum quoque incommodis fuit involutus; poſtquam vero ad ejus aures pervenit amici ſui calamitas & periculum, ſtatim e manibus hoſtium eum eripere meditatur, itaque vernaculos domi natos armavit gladiis & lanceis, alioſque bellandi arte peritos uſque ad trecentos & octo in expeditionem elegit. Hac parva armatorum manu non temere & imprudenter, ſed conſilio apto uſus & opportuno tempore, ſcil. noctu in hoſtes improviſos & victoria inſolentes faciens impreſſionem, facile obruit, magnaque fit ſtrages, multi ferro vitam finiunt, cæteri pedibus ſalutem quærunt, quos ſumma alacritate inſequitur uſque ad Choba cui Dan poſtea nomen. Devictis hoſtibus vindicavit injuriam fratris, eique reſtituit quicquid amiſerat, libertatem ſcil. omneſque facultates & poſſeſſiones quas hoſtes abduxerant victoriæ præmia. Cauſa belli ſuſcepti juſtiſſima, utpote cui occaſionem præbuiſſet amici injuſte oppreſſi calamitas, & rerum ablatarum damnique illati recuperatio. Homines enim hominum cauſa generati ſunt, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſint. Et ut Seneca inquit, *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt*. Nonne idem naſcendi omnibus principium, unde naturalis illa cognatio, quam inter homines naturam conſtituiſſe refert JCtus Florentinus, ſocium ſocio devincit ſibi mutuo opem atque auxilium ferre. *Nobis enim non ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vindicat, partem amici*, ut inquit Romanæ eloquentiæ parens 1. *off.* Atque ex illo cognationis vinculo & communi hominum arctiſſima ſocietate fluit illud quod adjungit, cum inquit, *Duo injuſtitia genera ſunt: unum eorum qui inferunt. Alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Nam qui injuſte impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio. Qui autem non defendit, nec obſiſtit ſi poteſt injuria, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.* Tradit Diodor. Sicul. *Hiſt. lib.* 1. apud Ægyptios lege ſancitum, *ſi quis in via hominem interfici, aut quamlibet vim ſuſtinere vident, cum poſſet, non vindicaſſet, capitali ſupplicio obnoxius erat*, cui convenit illud Proverb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Quæ omnia ad bellum ab Abrahamo ſuſceptum maxime pertinent, & conſequenter ipſi juſtiſſimam arma in armatos capiendi cauſam fuiſſe in naturæ jure fundatam, neminem hominem in dubium revocaturum arbitror, licet fortaſſe non admodum anxiè illam belli ſuſcipiendi cum jure naturæ convenientiam examinaverit præ nimio ardore & amore erga fratrem, quo impellebatur ſumptis armis conſanguineum e manibus hoſtium nulla interpoſitiâ morâ eripere. De cæteris exemplis quæ Author adfert eadem ſentio, quæ ſtatim dixi de eorum pondere & momento ad probandum aliquid eſſe juris naturæ.

2. Sed & leges generales ac perpetuas de modo gerendi belli Deus populo ſuo præſcripſit, Deut. xx, 10. 15. eo ipſo oſtendens juſtum bellum etiam ſine mandatu ſpeciali ſuo eſſe poſſe: nam aperte ibidem cauſam ſeptem populorum ab aliorum populorum cauſa diſtinguit: ac cum de juſtis cauſis belli ſuſcipiendi nihil ibidem edicat, eo ipſo oſtendit eas naturaliter ſatis eſſe manifeſtas: qualis cauſa tuendorum finium in bello Jephtæ adverſus Ammonitas, Jud. xi. violatorum legatorum in bello Davidis adverſus eoſdem, 2 Sam. x. Simul notandum quod dicit divinus ad Hebræos ſcriptor, Gedeonem, Baracum, Samſonem, Jephten, Davidem, Samuelem, atque alios per fidem debellaſſe regna, invaluiſſe in bello, exercitus exterorum vertiſſe in fugam, xi, 33, 34. quo loco, ut iſtius diſſertationis ſeries docet, in fidei nomine includit perſuaſionem, qua id quod fit Deo placere creditur. Sic & Davidem ſapiens fœmina ait præliari Dei prælia, 1 Sam. xxv, 28. id eſt pia ac juſta.

CO M-

COMMENTARIUS.

PLus ponderis habent quæ Author de legibus generalibus iisque perpetuis populo ſuo præſcriptis a Deo *Deut.* 20. ad modum belli gerendi pertinentibus diſſerit. Nam eo ipſo quod Deus populo ſuo dat jura belli, concedit populo belli gerendi facultatem, cujuſmodi permiſſio probat non omne bellum juri naturæ adverſari, quippe ſi repugnaret juri naturæ, non poſſet a divina ſanctitate ejuſmodi permiſſio proficiſci, quoniam Deus nihil ſibi contrarium vult, neque poteſt vel imperare vel permittere. Atqui quod juri naturæ adverſatur, etiam Dei ſanctitati repugnat, conſequenter affirmandum omnia quæ permittit Deus cum jure naturæ habere convenientiam. Ex quibus colligimus Deum præſcribendo populo ſuo leges, quæ belli gerendi norma eſſent & regula, nulli mentione facta alicujus belli ſpeciali Dei mandatu ſuſcepti, (nam multum ejuſmodi bellum differt ab ordinario belli gerendi modo propter ſummum & nullis limitibus circumſcriptum, de quibus pro lubitu diſponit, divinæ majeſtatis in res creatas imperium) etiam approbaſſe aliquod bellum in genere juſtum & legitimum, id eſt ex cauſis juri naturæ conſentaneis ſuſceptum, quas non exprimit Deus, propterea quod eas cuivis dictat recta ratio. Confirmant itaque hæ leges divinæ belli gerendi modum ſtatuentes non omne bellum juri naturæ repugnare, & ea ratione recte ad illud probandum & confirmandum quod ex rationis dictamine jure naturæ demonſtravit licitum eſſe jam ante, ſacram adducit Hiſtoriam.

III. 1. Probatur idem quod dicimus omnium gentium ac præcipue ſapientum conſenſione. De vi qua vita defenditur notus Ciceronis locus, ipſi naturæ teſtimonium perhibens: *Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.* Item: *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent.* Cajus Juriſconſultus: *adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere.* Florentinus Juriſconſultus: *Jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* Joſephus: φύσεως γὰρ νόμος ἰσχυρὸς ἐν ἅπασι τὸ ζῆν ἐθέλειν, διὰ τοῦτο καὶ τοὺς φανερῶς ἀφαιρουμένους ἡμᾶς τούτου πολεμίους ἡγούμεθα. *Eſt enim naturæ lex illa quæ in omnibus valet, ut velint vivere, idque ipſum eſt quapropter eos, qui vita maniſeſte nos volunt ſpoliare, hoſtes cenſemus.*

Pro Milone. — *L. Itaque D. ad l. Aquil.* — *L. ut vim D. Juſt. & Jur.* — *De Bello Jud. l.* III. *c.* 25.

COMMENTARIUS.

COnſenſum omnium gentium, præcipue ſapientum, ſive moratiorum, non quidem vera & falli neſcia juris naturæ probandi ratio eſt, verum multum ponderis adfert ad confirmandum non falli noſtram rationem in iis quæ juris naturæ eſſe nobis dictat. Quippe cum omnes eadem ratione præditi ſimus, magnum veritatis teſtimonium eſt circa eadem idem ſentire, quæ non aliunde niſi a recta ratione homini innoteſcere conſtat. Multa hic poſſent adduci gentium teſtimonia, quæ ſui defenſionem etiam vim adhibendo, ſi opus eſt, juris eſſe naturæ affirmant. Sed ſufficiunt quæ ab Authore noſtro allegantur. Singulare autem eſt, quod refert Herodotus *lib.* 4. qui *Melpomene* inſcribitur, Garamantes omnium hominum commercium aſpectumque fugere, nihil bellicæ armaturæ habentes, ac ne defendere quidem ſeſe audentes.

2. Adeoque manifeſtam æquitatem hoc habet, ut in beſtiis etiam, quæ juris non rem ipſam, ut diximus, ſed umbram habent quandam, diſtinguamus inter vim, quæ injuriam infert, & quæ propulſat. Nam cum dixiſſet Ulpianus, animal quod ſenſu, id eſt rationis uſu, caret, non poſſe injuriam feciſſe, mox tamen ſubjungit, cum arietes vel boves *L. 1. D. ſi quad. pau p. f. d.*

§. *Ait.* & §. *Cum arietes.* *Adde* Ex. XXI, 28.

ves commiſiſſent, & alter alterum occidiſſet, Q. Mutio auctore diſtinguendum, ut ſi quidem is periſſet qui aggreſſus erat, ceſſaret actio; ſi is qui non provocaverat, competeret actio. Cui explicando ſerviet illud Plinii: *Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petunt ſerpentes; ſed ſi vis inferatur, nulla eſt cui non ſit ira, non ſit anima injuriæ impatiens, & prompta, ſi noceat, ad ſe defendendum alacritas.*

COMMENTARIUS.

ID ipſum quod de defenſione ſui & vim vi repellendo diſputavimus, tam manifeſtam habet æquitatem, ut in beſtiis ratione carentibus ideoque injuriæ incapacibus, etiam inter ſeſe dimicantibus, JCti ſoleant diſtinguere inter vim quæ injuriam infert, & quæ propulſat. Quippe cum dixiſſet Ulpianus *l.* 1. §. 3. *ff. Si quadrup. pauper. fec.* animal non poſſe videri injuriam feciſſe, propterea quod ſenſu, id eſt ratione, caret. Quoniam injuria æſtimatur ex jure, cum dicatur injuria, ex eo quod jure non fit *l.* 1. *ff. de injur.* Jus autem in ratione, ſumptum pro regula actionum humanarum obligans ad id quod rectum ſive cum legibus habet convenientiam, fundatur. Ergo bruta animantia ſicut rationis expertia ſunt, ita notitia & ſcientia juris carent, & conſequenter faciendæ injuriæ incapaces. Mox tamen ſubjungit JCtus §. 11. cum arietes vel boves commiſiſſent, & alter alterum occidit, Q. Mutio auctore diſtinguendum eſſe, ut ſiquidem periiſſet is qui aggreſſus ſive provocatus erat, competeret actio. Si vero is qui provocaverat, ceſſaret actio. Scribit enim Cic. omni animantium generi a natura eſſe tributum, ut ſe vitamque ſuam tueantur. Ex quò patet defenſionem corporis atque vitæ juris eſſe naturalis, omnibus animantibus communem, unde ſequitur eandem quoque diſtinctionem ſibi locum vindicare in brutis animantibus, quæ in hominibus.

IV. 1. De jure naturali ergo, quod & gentium dici poteſt, ſatis conſtat eo bella non omnia improbari.

COMMENTARIUS.

JUs naturale recte jus gentium vocari probavimus ſup. ad *Proleg.* Quippe cum jus gentium definiatur quod naturalis ratio inter homines conſtituit, homini per rectæ rationis uſum innoteſcit, revera differt ab ipſo jure naturæ quod rectæ rationi dictatum eſt, & conſequenter omnibus hominibus & gentibus, quia ejuſdem rationis participes ſunt, commune.

L. Ex hoc jure. D. de juſt. & jure.

Lib. XLIII. *L. ut vim D. de juſt. & jure.*

2. Jure autem gentium voluntario itidem non damnari bella ſatis nos docent hiſtoriæ, & omnium populornm leges & mores. Imo jure gentium introducta eſſe bella dixit Hermogenianus: quod paulo aliter quam vulgo accipi ſolet interpretandum cenſeo: nempe ut certa bellorum forma a jure gentium ſit introducta, quam formam quæ habeant bella, ea peculiares ex jure gentium effectus conſequantur: unde diſtinctio naſcitur, qua utendum nobis erit infra, in bellum ſolenne juris gentium, quod & juſtum, id eſt plenum, dicitur, & non ſolenne, quod tamen non ideo juſtum eſſe deſinit, id eſt juri congruens. Nam aliis bellis, modo æqua ſubſit cauſa, jus gentium non adſiſtit quidem, ſed nec reſiſtit, ut infra latius explicabitur. *Jure gentium* (inquit Livius) *ita temperatum eſt, ut arma armis propulſentur.* Et Florentinus jus eſſe gentium ait, ut vim atque injuriam propulſemus, ut corpus noſtrum tutemur.

COMMENTARIUS.

JUs gentium voluntarium dicimus quod uſu & neceſſitate humana exigente homines in diverſas gentes coaliti atque diſcreti tacito quaſi conſenſu & uſu præeunte actionis diſcurſu approbando introduxiſſe videntur, quia ſine quadam juris communione neque ullum com-

mercium

mercium neque ſocietas haberi vel coli poſſet, cujus cuſtodia & conſervatio non minus utilis & neceſſaria ſingulis gentibus, quam antea ſingulis familiis, a quarum coalitione diverſarum gentium origo petenda. Quo autem ſenſu jus gentium dicitur voluntarium, dum conſtat a recta ratione, a qua & jus naturale deducimus, derivari, ideoque & neceſſarium atque perpetuum eſſe, ſupra annotavimus ad *cap.* 1. §. 14. Quædam, quæ juris naturalis ſunt, juri gentium & quidem voluntario adſcribuntur, quia certam quandam formam acceperunt tacito ſive expreſſo diverſarum aut ſaltem plerarumque gentium conſenſu & approbatione longa conſuetudine confirmata, fundata tamen in rectæ rationis dictamine, quæ rationem habens neceſſitatis humanæ ſuadet ejuſmodi juris conſtitutionem ad præſentem humani generis in diverſas jam diſpertiti gentes conditionem & ſtatum accommodatam. Sic quamvis omnia animalia ad ſui tutelam & conſervationem naturæ inſtinctu ferantur, ideoque a ſe depellere conantur quæ ad ſui deſtructionem tendere videntur, vel vi, ſi opus eſt, vel fuga, & inſuper recta ratio hominem doceat omnia permittere jura ut vim vi propulſemus etiam cum læſione imo nece violenti aggreſſoris, ideoque bellum jure naturæ introductum videatur, attamen juri gentium & quidem voluntario (nam hoc ſenſu tantum a jure naturæ diſtinguitur) recte ab Hermogeniano adſcribitur, quatenus homines naturalis ſtatus pertæſi civitates excitare & in gentes coaleſcere animum habentes, ſimul quoque paulatim neceſſitate & uſu exigente ea quæ ante in ſingulis familiis obtinuere jura, vel iis aliquid addendo, vel detrahendo, aliam induxerunt formam, cujuſmodi forma quia dat eſſe rei eadem qualitate afficit, cujus ipſa particeps eſt, ut modo annotavimus dicto ſtatim loco, & conſequenter bellum recte jure gentinm dicitur introductum, quia bellum, ut nunc geritur, ſcil. legitimo & ſolenni quodam modo peculiares ſuos habens effectus, gentium conſenſu inductum & receptum eſt, & conſequenter eo ſenſu bella jure & conſenſu gentium introducta merito dici poſſunt.

V. 1. De jure divino voluntario major eſt difficultas. Neque hic objiciat quiſquam jus naturæ eſſe immutabile, ac proinde a Deo nihil in contrarium potuiſſe conſtitui: id enim verum eſt in iis, quæ jus naturæ vetat aut præcipit, non in iis, quæ jure naturæ licent tantum: nam quæ ejus ſunt generis, cum proprie juris naturæ non ſint, ſed extra jus naturæ, & vetari poſſunt & præcipi.

COMMENTARIUS.

JUs divinum voluntarium hic quoque examinandum venit, quoniam ea quæ dicuntur juris naturalis permiſſivi, cujus generis ſunt omnia, quæ ſine peccato vel turpitudine omitti vel fieri poſſunt, ſubſunt divinæ vel humanæ voluntati, a qua vim obligandi accipiunt, vel ea vetando vel præcipiendo, & idcirco quoque mutationi obnoxia ſunt: dum ea quæ vetita ſunt poſſunt aliquando præcipi, quæ præcepta vetari imo etiam abrogari vel in totum, vel pro parte, prout ſummo legiſlatori placuerit. Quod ſecus eſt in iis quæ per ſe & ſua natura licita vel illicita ſunt antecedenter ad omnem voluntatem, quæ nullam mutationem pati poſſunt, ideoque nec abrogari contraria voluntate legiſlatoris, ſed ſemper & ubique eandem obligandi vim producunt, qua tenemur immutabili juris vinculo illa facere, hæc declinare, ut jam ſæpius a nobis annotatum. Quoniam itaque bellum videtur ejus juris eſſe quod primo loco deſcripſimus, antequam illud omni jure licitum atque permiſſum pronuntiamus, prius in deliberationem cadere oportet, an ſummo legiſlatori, cujus voluntas in iis quſæ ſunt juris permiſſivi nobis regula & agendorum norma eſſe debet, placuit damnare omnia bella, & conſequenter etiam ea quæ defenſionis & vis illatæ propulſandæ cauſa ſuſcipiuntur. Quippe notandum, quamvis noſtri defenſio nobis non ſolum jure naturæ permiſſa ſed etiam imperata videatur, attamen non ex eorum numero eſt quæ neceſſariam & idcirco perpetuam obligandi cauſam habent, ut ſtatim diximus; quoniam neceſſitas ſive obligatio, qua tenemur a corpore, a capite, a vita omnem ſemper vim propulſare, non deſcendit ex aliqua communione divinæ naturæ cum hominis eſſentia, quæ potiſſimum conſiſtit in divinæ iſta particula auræ, ſcil. anima, & idcirco neceſſariam debeat habere convenientiam cum divina natura ejuſque omnibus attributis: cujuſmodi neceſſaria conformitas producit neceſſariam ſive moralem obligationem ad facienda, quæ cum illa conſentiunt, declinanda vero quæ ab ea contraria ſunt. Itaque quædam jure naturæ imperantur homini tanquam enti rationali, quædam ipſi eodem jure injunguntur tanquam, ut ita dicam, enti materiali, quod producendo Deus voluit ut exiſteret, idque quamdiu ſibi placeret, quamobrem & quaſdam naturæ ejus communes cum cæteris individuis indidit leges, quæ illum obligant ut ſibi paret ea omnia, quæ materialis ſeu corporalis exiſtentiæ ſuæ continuationi inſerviunt, & declinet ea, quæ ad ejus deſtructionem tendunt, quamdiu non conſtat Deum velle, ut ſui cuſto-

diam abjiciat: quippe jure creationis Deus & liber arbiter & moderator ac dominus eſt rerum creatarum, & conſequenter de iis pro lubitu poteſt diſponere. Quamobrem illa obligatio fundatur in naturæ cujuſque individui ad ſe conſervandum innatis ſtimulis, qua tenemur ab interitu & læſione vitam, membra corpuſque noſtrum vindicare. Quia vero a divina voluntate pendet, poteſt immutari, & contraria declaratione divinæ voluntatis abrogari, nobiſque injungi ut ſalutem vitæque ac corporis defenſionem deſeramus. Quippe quemadmodum cujuſque individui productio eſt voluntatis, ita quoque ejuſdem conſervatio, & exiſtentiæ continuatio a creatoris liberrima voluntate pendet, & ſic ejuſdem quoque generis naturæ leges, quæ ſingulis individuis, ſive ratione præditis, ſive ea carentibus, ſe conſervandi neceſſitatem imponunt, nullam continentes virtutem niſi quæ conſiſtit in neceſſitate obligandi & obtemperandi.

2. Solet ergo primum a nonnullis contra bellum adferri lex data Noæ ejuſque poſteris: ubi Deus ſic loquitur, Gen. ix, 5, 6: *Quin etiam ſanguinem veſtrum, id eſt animarum veſtrarum, repoſcam: ab omni beſtia repoſcam eum: atque etiam de manu hominis alterius, utpote fratris, repoſcam hominis animam. Quiſquis effuderit ſanguinem hominis qui eſt in homine, ſanguis ejus effundetur, quia hominem ad effigiem ſuam fecit Deus.* Hic ergo quidam illud, quod de repoſcendo ſanguine dicitur, generaliſſime intelligunt; & alterum de effundendo viciſſim ſanguine, comminationem eſſe volunt, non approbationem; quorum neutrum mihi ſe perſuadet. Nam interdictum de ſanguine non effundendo latius non patet quam quod in lege eſt, *Non occides*, quod neque capitalibus ſuppliciis, neque bellis obſtitiſſe manifeſtum eſt. Lex ergo tam hæc, quam illa, non tam novi aliquid conſtituit, quam jus naturæ prava conſuetudine obliteratum declarat atque repetit; unde verba illa intelligenda ſunt in eo ſenſu, qui vitium includit: ſicut homicidii nomine non quamvis hominis cædem intelligimus, ſed deſtinatam, & innocentis. Quod vero ſequitur de ſanguine viciſſim effundendo, videtur mihi non factum nudum, ſed jus continere.

C O M M E N T A R I U S.

VAlde perperam quidam, præſertim Photiani, hunc locum interpretantur, quaſi Deus hoc præcepto prohiberet omnem omnino ſanguinis effuſionem, ita ut ne quidem magiſtratui facultas ſit animadvertendi in homicidas pœna capitali, vel belli jure ſanguinem effundere. Verba illa de repoſcendo ſanguine generaliſſime intelligentes, & quod de *effundendo viciſſim ſanguine* dicitur comminationem potius eſſe divini ſupplicii, quam approbationem homicidæ puniendi, quam opinionem multis argumentis munire conantur, quæ ſuo loco examinabimus. Illud enim certiſſimum quod Author ait, ſcil. hoc interdictum non latius patere, quam quod in lege eſt, *Non occides*. Quod nequaquam magiſtratui eripit poteſtatem infligendi malefactoribus mortem, nequidem privato homini, ſi nulla alia eſt expediendæ ſalutis ſuæ ratio, quam effuſione ſanguinis aggreſſoris, neque belli gerendi jus tollit. Non enim gladium fruſtra gerere legimus *Rom.* 13. 4. Miniſter enim Dei eſt, ideoque non adeo humana auctoritate, quam quidem divina punit ſontes Dei judicia exercens. Ita Auguſt. *Non iſte occidit qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti. Ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, non occides, qui Deo auctore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſecundum ejus leges, hoc eſt juſtiſſimæ rationis imperium, ſceleratos morte puniverunt.* Qui enim ſocietas humana poſſet ſubſiſtere, niſi ſua eſſent ſceleribus conſtituta ſupplicia; verum quid prodeſſent ſupplicia, niſi ea malefactoribus infligendi non cuivis, ſed quibus cura incumbit ne quid ſocietas humana, vel quæ arctior eſt civilis detrimenti capiat jus eſſet, quid eſſent Regna vel Reſpub. niſi magna latrocinia? ſi cuique liceret impune ſocium vita privare, vel quibuſcunque malis afficere. Imo & divina & humana jura concedunt etiam privato ſanguinis humani effundendi licentiam, quando judicis copia deſtitutus ad defenſionem vitæ ſuæ inſidiantem hoſtem niſi ejus internecione repellere nequit. Quod vero adverſarii contendunt dicta verba de *effundendo ſanguine* non eſſe mandatum quod magiſtratui tribuit facultatem puniendi reos capitali ſupplicio, ſed tantum divinæ pœnæ prædictionem, repugnat verbis illis impe-

imperativis *ſanguis ejus effundetur*, & quidem *per hominem*, ut a nonnullis vertitur textus. Verum a quo homine, an a quocunque? nequaquam, Deus enim eſt Deus ordinis. Id ipſum ſummam pareret confuſionem, & omnem civitatis ordinem & tranquillitatem everteret, præterquam quod & cauſam ſæpiſſime præberet vindictæ & ſævitiæ exercendæ. Noæ itaque hoc præceptum datum tanquam Principi familiæ, non ſingulis filiis qui in poteſtate patris erant, & ſic poſtea hoc jus ad cunctos magiſtratus devolutum rationis paritate. Cui accedit, ſi a quolibet ſine auctoritate publica homicida occidi poſſet, boc pacto ſemel occiſo aliquo homine progreſſus fundendi ſanguinis humani nullum haberet finem, donec de primo ad ultimum omnium mortalium ſanguis eſſet effuſus, ut inquit Muſcul. *ad h. l.* Quamobrem Chaldæus Paraphraſtes ita interpretatur allegatum locum. *Qui effuderit ſanguinem hominis cum teſtibus, juxta ſententiam judicum, ſanguis ejus fundetur.* Quo ipſo privato jus puniendi abrogatur, & in magiſtratum confertur, ut diximus, verbis imperativis, & conſequenter non ſolum capitali ſupplicio homicidam afficiendi facultas tribuitur, ſed neceſſitas infligendi imponitur, ut conſtat ex *cap. 21. Exod. verſ. 12.* Qui locus interpretari videtur ea quæ habentur *cap. 9. 6. Geneſ. Qui percuſſerit*, inquit ſupremus Legiſlator, *hominem & occiderit, morte moriatur.* & repetitur *Levit. 24. 17. Qui percuſſerit hominem morte moriatur.* Quibus verbis inviolabilis neceſſitas juris exſequendi oſtenditur, & dandæ veniæ interdicitur. Vide quoque *Numer. 35. 16.* Non obſtat quod neceſſitati puniendi homicidam effuſione ſanguinis ejus ſemper poteſt ſatisfieri, quoniam teſtatur rerum uſus plurimos homicidas pœnam hanc evadere, quod vel lateat cædes patrata, vel magiſtratus in eos animadvertere negligat, etiamſi ad eorum aures pervenerit homicidii commiſſi fama, humanæ conditionis imbecillitas vel vitium allegari quaſi teſtimonium eſt, quo jus puniendi homicidas non ad hominem, ſed ad Deum ſolum pertinere, probari poſſe videtur, utpote quem nulla cædes fugere poteſt, & cujus ſumma & perfecta juſtitia nullum homicidam impunitum dimittit. Verum naturæ humanæ imperfectio vel corruptio non magis eximit hominem ab applicatione vel obligatione hujus legis, vel divini mandati, quam cæterarum legum, vel naturalium, vel a divina voluntate dimanantium. Si non exactam præſtare queat obedientiam vel executionem, præſtet ſaltem quod præſtare poteſt. Cui accedit quod ulterius non obligatur quam naturæ ſuæ capacitas ſeſe extendit, quæ cum non ſit omniſcientia prædita, non poteſt judici vel magiſtratui imputari ignorantia, & conſequenter impunitas alicujus delicti.

3. Rem ita explico. Natura non iniquum eſt, ut quantum quiſque fecit mali tantundem patiatur, juxta illud, quod Rhadamanthi jus dicitur:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Quæ fecit ſi quiſque ferat, jus fiet & æquum.

Seneca pater hanc ſententiam ſic retulit: *Juſtiſſima patiendi vice, quod quiſque alieno excogitavit ſupplicio, excipit ſuo.* Ex hujus naturalis æquitatis ſenſu Caïn parricidii ſibi conſcius dixerat, Gen. IV. 14. *qui inveniet me, interficiet me.* Sed Deus primis illis temporibus, aut ob hominum raritatem, aut quia paucis adhuc graſſantibus minus opus erat exemplo, id quod naturaliter licitum videbatur edicto repreſſit, & contractum quidem ac commercium homicidæ defugi voluit, at vitam ei non eripi; quomodo & Plato in legibus conſtituit, & olim in Græcia uſurpatum his verſibus docet Euripides:

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι·
Ἐς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ', ὅςις αἷμ' ἔχων κυρεῖ.
Φυγαῖσι δ' ὁσιοῦν, ἀνταποκτείνειν δὲ μή.

Quam bene parentum provida ætas ſtatuerat:
Ut cogeretur de vita decedere
Hominumque viſu cæde patrata nocens,
Fugaque lueret triſte, non letho, ſcelus?

Quo & illud pertinet Thucydidis: εἰκὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίστων ἀδικημάτων, μαλακωτέρας κεῖσθαι αὐτὰς (τὰς ζημίας) παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ εἰς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. Cre- Lib. III.

Lactant. lib. 11. *dibile eſt antiquitus quamvis gravium delictorum leves fuiſſe pœnas: ſed cum ea progreſſu temporis contemnerentur, ventum ad mortem.* Lactantius: *Adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines, ſupplicio capitis afficere.*

COMMENTARIUS.

Dictat naturalis æquitas & recta ratio, ne alteri feceris quod tibi fieri nolis, & quod feceris alteri, ne idem pati recuſas, vel eodem uti jure, quod in alterum ſtatueris. *ff. quod quiſque.* Eodem enim malo, quod ſocio intuli, & me afficiendi mea culpa ipſi jus tribuo in ſtatu naturali, in civili vero cujuſque civis nomine magiſtratus crimen vindicat, læſo enim ex maleficio naſcitur obligatio, qua convenire poteſt malefactorem ad reparandum damnum, reparatio vero damni fit tantundem patiendo. Quamvis enim hac ratione non ſemper retribuetur quod amiſſum eſt, attamen compenſantur patiendi vices, & juri, quod læſo competit, malefactorem in eodem ſtatu conſtituendi, in quo ipſe conſtitutus eſt, ſatisfit. Sicut enim fecit, ſic patiatur & ipſe Quintil. *Declam.* XI. *Breviſſima eſt juſtitia vindicta, cum facinus menſura pœna eſt. Et ſi naturam ultionis reſpicias: optime vindicatur quiſque, quomodo miſer.* Occidit? occidatur ſecundum talionis legem, ad cujus normam lex illa de effundendo ſanguine ejus, qui ſanguinem effuderit, expreſſa videtur, & idcirco nobis occaſionem præbet hujus legis æquitatem paulo accuratius expendendi. Eſt autem *talio* de *tale* dictum, ſcil. ut quiſque tale patiatur, quod alteri contra jus moliebatur. Soto *de juſt. & jur. lib.* 5. *q.* 5. Repaſſum ab Ariſtotele appellatur. E quibus conſtat talionem eſſe pœnam, qua damnum illatum ſimillimo penſatur, æquali modo patiendo quo quis nocuit. Unde *retaliare* dicimus, cum par pari refertur. Tractatur hæc quæſtio ab Ariſtotele *Ethic. cap.* 5. ubi Pythagoricorum & Rhadamanthi ſententiam examinat, aſſerebant enim Pythagorici juſtum eſſe poſitum in repaſſione, cum quis id quod a ſe factum viciſſim ab altero pateretur. Cui convenit illud Rhadamanthi judicis Cretenſium dictum.

Si quis, quod fecit, patiatur, jus erit æquum.

Hoc jus expreſſum legimus *Exod. cap.* 21. *v.* 22. hiſce verbis. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno, quantum maritus & expetiverit & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddat animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Et *Levit. cap.* 24. idem jus repetitum occurrit. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium, ſicut fecit, ſic fiet ei: Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet.* Vide quoque *Deut.* 19. Meminit quoque hujus pœnæ Joan. *Apocalypſ. cap.* 13. 10. *Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Eadem talionis pœna legibus 12. Tab. inſerta. *Si membrum rupit, ni cum eo paicit talio eſto.* Sic etiam ante S. C. Turpillianum pœna talioni conſtituta eadem lege in calumniatores. *Calumniator idem patiatur, quod reus ſi convictus eſſet.* Hoc legis caput ab Auguſtis Honorio & Theodoſio probatum hac conſtitutione, qua expreſſum. *Quiſquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.* Meminit & hujus legis Auguſtin. *lib.* 19. *contra Fauſtum. cap.* 25. *Immoderata ac per hoc injuſta ultionis lex juſtum modum figens pœnam talionis inſtituit, id eſt, ut qualem quiſque intulit injuriam, tale ſupplicium pendat.* Sed poteſt hic quæri, an rigida hæc talionis pœna, quamvis & divinis & humanis legibus videatur introducta & probata, non ab æquitate & juſtitia quam diſtributivam vocamus, verſantem circa præmia & pœnas cujuſque meritis applicandas, aliena ſit, atque recedit, ſi in omnibus locum haberet, ut patet ex exemplo ab Ariſtotele allegato. Veluti, *ſi quis magiſtratum gerens aliquem pulſaverit, non eſt repulſandus, & ſi quis eum qui magiſtratum gerit pulſaverit, non modo verberandus, ſed etiam caſtigandus.* Verum qui poſſumus injuſtitiæ arguere, quod ab ipſo æquitatis & juſtitiæ auctore Deo conſtitutum eſt atque introductum. Cui accedit, quod & recta ratio par pari referendum dictat, ut ſtatim annotavimus, quæ æquitatis & juſtitiæ optima interpres eſt. Quæ enim pœna delicto magis proportionata eſſe poteſt? quam quæ profluit ex ipſa delicti natura, ſive cum ipſum facinus menſura pœnæ eſt, cum quis idem patitur malum quo ſocium affecit; cui adde rationes ſupra adductas. Quamobrem teſtantur ſacræ & prophanæ Hiſtoriæ ſæpius crimina hac pœna vindicata fuiſſe. Verum quicunque talionem interpretatur ſecundum literalem ſenſum tum divini cum etiam humani juris, juſtam quarumvis pœnarum menſuram dici non poſſe facile quis perſpiciet. Plurima enim crimina admittuntur, in quibus talio locum habere nequit, quin crimen crimine cumularetur. Quorum in numero ſunt adulterium, inceſtus, ſtuprum, crimen læſæ majeſtatis, calumniæ, veneficium, crimen falſi, plagium, ſacrilegium, aliaque id genus deteſtanda facinora. Cui etiam addi poteſt, quod juſtitia, quæ circa pœnas & præmia diſtribuenda verſatur, non ſolum factum per ſe, ſed relative ad perſonam agentis conſiderat. Quippe hominis conditio qui vel crimen admiſit, vel ejus qui illud paſſus eſt, pœnam vel aggravare vel imminuere poteſt, ut ſi quis privatus conſulem percuſſit, repercutiendus non eſt ſolum, ſed graviori animadverſione dignus. Et ſi infirmiori idem infligeretur vulnus quod robuſtiori, id ferre non poſſet ſine vi-

tæ

vitæ diſpendio, nam eo omnia declinant jura, ut in omnibus cauſis perſonarum conditiones, & rerum qualitates diligenter ſunt æſtimandæ, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa poſtulabit. *l. 4. ff. de incend. ruina, naufr.* Ita quoque Paulus *l. 3. ff. ad Senatusconſ. Turpil. Et in privatis & in extraordinariis criminibus omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur* Huc etiam pertinet lex Charondæ apud Thurios alia æquiore lege emendata. *Si quis cui oculum eruerit, oculum reo pariter eruito. Sed accidit ut quis uno captus oculo, alterum quoque per vim illatam amitteret, & ſic facultate videndi prorſus orbaretur. Hic etſi authori facinoris unus contra oculus excuſſus ſit, minus pœna tamen, quam par ſit, illum exſolviſſe arbitratur. Qui enim civem excæcaverit, etiamſi ſat luiſſe pro lege ſcripta videatur, non pari tamen damno affectum contendit. Æquum igitur eſſe, ut illi, qui uno præditum oculo tota viſione privarit, ambo ſimul oculi effodiantur, ſi æqualis injuriæ pœna luenda ſit. Dolore igitur & indignitate rei perculſus ille cæcus ad populum de calamitate ſua verba facere auſus, tum calamitoſam vitæ ſuæ conditionem deplorati, tum, ut legem illam corrigant, multitudini ſuadet. Tandem inſerto in funem collo, cum felicem ſuaſionis eventum impetraſſet, lex illa abolita fuit, emendatiorque in ejus locum ſurrogata, & ipſe ſtrangulationis necem effugit,* referente Diodor. *Sicul. lib.* 12. Et qui etiam fieri poteſt ut adeo rigide exerceretur talio? quomodo enim vulnus ab alio inflictum poſſet aliquis eadem præciſe menſura, vel longitudine vel latitudine aut altitudine compenſare, quamobrem Favorinus apud Gellium *lib. 20. cap. 1.* ne conſiſtere quidem legem talionis poſſe arbitratur, quoniam præter *ulciſcendi acerbitatem ne procedere quoque ex ſecutio juſta talionis poteſt. Nam cui membrum ab alio ruptum eſt, ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere poſſit rumpendi pariter membri æquilibrium, in qua re primum ea difficultas eſt inexplicabilis. Quid, ſi quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum eſt, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & conſultus non cadunt ſub ejuſdem talionis ſimilitudinem. Quonam igitur modo poterit imprudentem imitari, qui in exſequendo talione non licentiæ jus habet, ſed imprudentiæ? ſed & ſi prudens ruperit? nequaquam patietur aut altius ſe lædi, aut latius. Quod cujuſmodi libra atque menſura caveri poſſit non reperio. Quin etiamſi quid plus erit aliterve commiſſum; res fiet ridiculæ atrocitatis, ut contraria actio mutua talionis objiciatur, & adoleſcat infinita quadam reciprocatio talionum.* Verum ne ſummum jus ſive rigida talionis applicatio ſumma eſſet injuſtitia, notandum eſt, duplicem talionem ſcriptores excogitaſſe, *ſimplicem* quæ & Pythagori cavocatur, quando quis idem patitur, quod admiſit, & *Proportionatam*, quando damnum illatu non idem patiendo ſed juxta arbitrium & æſtimationem judicis alio pœnarum genere pro conditione tamen perſonæ, & rei, & temporis, adæquata delicto vel crimini, compenſatur, ſive, ut brevius dicam, cum non idem in ſpecie ſive ſimpliciter, ſed in genere ratione dictæ æſtimationis præſtatur. Quæ primo loco deſcripta eſt rariſſime locum habet, niſi vel ob frequentiam criminum, vel quando delictum ejus naturæ eſt, ut æſtimari nequeat, ideoque nulla ratione redimi niſi ſimilitudine ſupplicii, cujus generis eſt hominis vita ſive anima. In cæteris vero perpetratis delictis pœna ſæpiſſime pecuniaria obtinet, vel alia proportionata talione compenſatur. Hinc Hebræorum Magiſtri, *oculum pro oculo* interpretantur *pretium*, ſive *æſtimationem pecuniariam, oculi.* Sic furtum non furto, nec adulterium adulterio, vulnus vulnere ſemper plectendum divina lege ſancitum, verum furtum duplo vel quadruplo, adulterium morte, vulnus pecunia. Verum dicitur *Levit. 24. ſicut fecit, ſic fiet ei.* Sed reſpondent Commentatores, eorum verborum ſenſum eſſe, quod ſicut damnum intulit, ita damno afficiendus eſt, non eodem, ſed in genere aliquo damno ſive aliqua pœna delicto adæquata puniendus, quæ & talio analogice vocatur, ut patet ex *Jud. 15. 11. Sicut fecerunt mihi, ſic feci illis.* Id eſt non eodem malo nec eadem injuria eos affeci, ſed aliquid mali iis intuli, quippe ut conſtat, detinebant Philiſtæi uxorem Samſonis, eique ad eam aditum negabant, ad quam injuriam vindicandam in ſegetes eorum ignem immiſit. Quibus addi poteſt, quod Reipub. admodum noxia fuiſſet ejuſmodi talio, quia mutilis, cæcis, claudis, cicatricoſiſque, & infamiæ injuriæ illatæ notas circumferentibus, plena eſſet. Concludimus itaque legem divinam vel duodecim tab. non inducere repaſſionem ſimplicem & nudam ſecundum literam intellectam, ſed pœnam æqualem condignam crimini, ſecundum proportionem Geometricam, quæ in diſtribuendis pœnis & præmiis vulgo obſervatur. Sic enim ſupplicia dicuntur æqualia peccatis, ſi legitimam habent delicti & perſonarum conſiderationem. Sic voluit Moſes ut pro menſura delicti eſſet plagarum modus *Deut. 25. 2.* Cui adſtipulatur Marcianus *l. 11. ff. de pœnis*, cum inquit, *Perſpiciendum eſt judicanti, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit: nec enim aut ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt: ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt Plane in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent in gravioribus ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi*, unde canit Horatius *lib. 1. Satyr. 3.*

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas
Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Verum examinandum hic venit, an æquitas naturalis cuique e populo jus talionis tribuit, quod Author ſtatuere videtur. Si homines in ſtatu naturæ ante civiles conſtitutas civitates conſideramus ſibi æquales, & tamen humanæ ſocietatis ſummopere intereſſe ne delicta maneant impunita, dicendum videtur, dictare rationem, ut unumquodque membrum vi obligationis qua tenetur omnibus viribus ſocietatis conſervationi

incumbere, & conſequenter omnibus mediis uti quæ ejus ſaluti & conſervationi inſerviunt, facultatem habeat puniendi ſontes, impuuitas enim maxima peccandi illecebra, quid autem eſſet humana ſocietas niſi magnum latrocinium ſi cuivis impune peccare liceret. Poſita itaque puniendi neceſſitate, neceſſe quoque eſt uc homines criminum vindicatores conſtituamus, atqui omnes naturali iu ſtatu ſibi æquales, ita ut nulli in alium competat imperium, vel merum, vel mixtum, ergo omnibus tanquam ejuſdem ſocietatis membris idem puniendi jus & facultatem recta concedit ratio, idque propter conſervationem generis humani. Verum dicendum videtur quod jam toties dictum, in ſtatu naturali ſingulæ familiæ tanquam tot parvæ civitates conſiderandæ, cujus princeps pater, cui, ſi aliquod familiæ membrum damnum patitur, illud reparandi & vindicandi jus, non ſingulis membris, quemadmodum in ſtatu civili, non cuivis e populo competit, ſed magiſtratui demandatum. Itaque illud dictum Caïni procedit quidem ex ſenſu naturalls æquitatis, quatenus omnibus familiam conſtituentibus jus erat inferendæ talionis, ſed non cuivis obviam procedenti, nam ubicunque inveniretur poſſe judicari & affici pœna talionis dictabat ipſi recta ratio & naturalis æquitas, ſed non ab omnibus & quovis obvio ſine ulla judicii forma & cauſæ cognitione. Verum quod naturaliter licitum, cujuſmodi eſt delictorum coërcitio & punitio modo legitimo, Deus repreſſit & vetuit, eamque ſibi reſervavit. Quam vero ob cauſam non adeo certo conſtat ex ſacris litteris, an ob rationes ab Authore adductas, an aliam ob cauſam certo mihi definiri non poſſe videtur. Quamvis vero ipſius vitæ pareere Deus voluit, non tamen ab omni ſupplicio liberavit, quod enim gravius ſupplicium quam conſcientiæ ſtimulis hominem continuo admiſſi ſceleris accuſantis ad eas anguſtias redigi, ut vita ſupplicium & mors ſolatium videatur. Aliam impunitatis rationem adducit Muſculus *in Comment. ad h. l.* ubi inquit. *Dignus quidem erat Cain, qui acerbiſſimo mortis genere occideretur, & in quem omnes & homines & beſtiæ conſpirarent. Verum nullam ataxiam ferre volebat Deus in humano genere, ut cuivis liceret pœnas ſumere de Caino, & ſanguinem fundere hominis, etiam ſontis & multis modis mortem meriti, ſine ipſius verbo. Quare vitam hominis tam juſti quam injuſti voluit eſſe in ſua poteſtate, non in arbitrio humano. Ne autem impunita manerent homicidia legem tulit poſt diluvium, cujus auctoritate occidatur quisquis hominem occiderit. Et illius executionem poſtea mandavit magiſtratibus, quibus gladium vindicem & ultorem malorum commiſit.*

4. Ab uno facto illuſtri ſumta conjectura divinæ voluntatis in legem ivit, ita ut Lamechus quoque ſimili facinore perpetrato impunitatem ſibi ab hoc exemplo promiſerit, Gen. IV, 24.

COMMENTARIUS.

QUamvis nullum extitiſſe veroſimile eſt expreſſum ante diluvium divinum præceptum de homicida ultimo puniendo ſupplicio, quia ejus mentionem non faciunt ſacræ litteræ, ſine quibus hoc in caſu aliquid certi ſtatuere erubeſcimus, fuit tamen mentibus hominum infixa lex naturalis, quæ dictabat cædem hominis cæde homicidæ luendam, cum propter ſecuritatem publicam, tum etiam privatam, quæ haberi nequit niſi e medio tollantur hoſtes humani generis. Qui enim ſubſiſtere poſſet vel univerſa ſocietas humana, vel Reſpub. vel familia, cujus conſervationem tanquam propriæ ſalutis maximum munimentum ſummopere commendat illa fundamentalis naturæ lex qua cuique ſui conſervatio imperatur, ſi impunitæ forent hominum cædes, quippe vindicatio criminum eſt medium ſine quo antecedens haberi nequit. Quam legem edicto divino de Caïno minime abrogatam putamus, verum ejus executio tantum intuitu Caïni ob ſpecialem rationem divina voluntate interdicta. Quamobrem optime Doctiſſimus Gronovius in notis ſuis, *illud ſimile eſſet*, inquit, *illis reſcriptis Principum, quibus alicui ſine exemplo ſubveniunt, quæ perſonam non transgrediuntur*, ut loquitur Imperator §. 6. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Fuit itaque illa impunitas ab ordinaria pœna privilegium aliquod perſonale, quod & jus ſingulare vocatur, adverſus communes leges propter aliquam rationem peculiarem introductum, quod perſonam uon egreditur nec leges ante latas abrogat, ſed tantum in caſu ſingulari exequi impedit, quamobrem fruſtra alii ſimilem cuidam conceſſam indulgentiam vel impunitatem promittunt. Princeps enim cujus vult miſeretur. Hinc Juſtinianus Imperator *novel. ſua conſtitutione* 139. cum pœnas nuptiarum illicite contractarum benigne remitteret quibuſdam incolis Syndyos pagi & Hebræis Tyri inſulæ, expreſſe vetuit trahi in exemplum, vel ad ſpem ejuſdem impunitatis. Non video itaque quo fundamento ab illo peculiari exemplo poſſit deduci argumentum, quod in eam adducere potuiſſet homines opinionem, quaſi Deus voluiſſet remittendo Caïno ordinariam & naturalem homicidii pœnam jus commune abrogare, ut prorſus nullo vindicaretur ſupplicio homicidium, & hac ratione omnem ſecuritatem humano generi eripiendo, humanam quoque ſocietatem diſtrahere, & inducere leoninam quandam feritatem Deo placuiſſe, quod adeo divino decreto cjuſque attributis, ut charitati & amori erga humanum genus, tum etiam miſericordiæ contrarium eſt, ut plane impium videatur tale quid de Deo ſuſpicari.

cari. Quem enim in finem ſua ſceleribus conſtituta ſupplicia, niſi ut homines metu & formidine pœnæ deterrendo a flagitiis ſecum invicem commercium habere poſſent, ſine quo ſubſiſtere nequit humana ſocietas & naturalis illa, quæ homini cum homine intercedit, cognatio. Imo nonne erga Deum & creatorem ſuum maxime injurius eſt homicida, quem tollendo hominem injuſta occiſione e medio privat principe creatura, a ſe ad ſimilitudinem ſui conditum, qua injuria ſæpius afficeretur, niſi prona ad quæcunque patranda flagitia hominis natura adſpectu vindicati criminis ad honeſtam vitæ agendæ diſciplinam humanæ ſocietatis conſervationi conſentaneam revocaretur. Non eſt magni momenti exemplum Lamechi ab Authore allegatum, ſimilis perpetrati facinoris ſibi impunitatem pollicentis, ut videre eſt *Gen.* 4. 24. De horum enim verborum ſenſu variæ ſunt Doctorum interpretationes; id vero certum ex ſacris litteris, illud argumentum, quod Lamech ab exemplo Caïni deducit, quo ſimilem ſibi impunitatem pollicetur, vel ſaltem uxoribus perſuadere conatur ſeſe eadem gaudere gratia & impunitate ſui admiſſi delicti, non expreſſo divino nititur edicto, verum tantum Lamechi cerebrinum figmentum, vel ſaltem vana eſt illatio, allegata, ut ſe vitamque ſuam in ſecuritatem aſſereret, & liberaret a juſta homicidii pœna. De Caïno extat expreſſum Dei edictum; de Lamecho nil niſi in ſuum favorem ejus edicti detorta interpretatio. Sunt quidam Interpretes, qui negant a Lamecho admiſſum fuiſſe homicidium. Quamobrem non legunt, *quoniam occidi virum*, verum, *ſi occidero virum, faciet ad vulnus meum. Et ſi occidero adoleſcentulum, erit mihi in livorem*, ſcil. non ero impunis. Alii, *Non occidi virum*, ut ejus cauſa portarem reatum, ſive pœnam metuerem, neque adoleſcentulum, ut ejus cauſa perderetur ſemen meum. Denotans effectum & eventum, quaſi jure talionis eadem pœna ſibi eſſet metuenda. Alii ſentiunt Lamechum fuiſſe homicidam, verum diſſentiunt in eo, quod alii unum tantum ab illo occiſum volunt, intelligentes per virum & juvenem non duos, ſed unum aliquem, qui fuerit & vir & juvenis. Alii duos & virum & juvenem injuſta occiſione occiſos affirmant. Verum quomodo interpretanda ſunt Lamechi verba, Criticis decidendum relinquimus. Veroſimilior tamen nobis videtur eorum ſententia, qui opinantur Lamechum fuiſſe virum violentum & impium homicidam, eumque ad uxores ſuas ſermonem habere de homicidio a ſe admiſſo non pœnitentia ductum patrati ſceleris quod latebat adhuc, verum de manifeſta cæde, atque ex ſingulari & minaci quadam arrogantia adjeciſſe illa quæ de Caïno tradit, ut minis iſtis efficeret, ne quis ſibi propter perpetratas cædes necem intenderet, ut ſtatim dicere incepimus. Quamvis velit Chryſoſtomus Lamechum fuiſſe virum pium & religioſum occiſionis & homicidii peccatum uxoribus confitentem: quatenus pœnam Caïni evaderet, qui peccatum ſimulare quam fateri malebat.

5. At cum jam ante diluvium, gigantum ætate, promiſcua invaluiſſet cædium licentia, inſtaurato poſt diluvium humano genere, ne mos idem invaleſceret, ſeverius occurrendum Deus cenſuit: & repreſſa prioris ſæculi lenitate, quod natura non iniquum eſſe dictabat & ipſe permiſit, ut inſons eſſet qui homicidam occidiſſet: quod poſtea inſtitutis judiciis ſummas ob cauſas ad judices ſolos reſtrictum eſt; ita tamen ut moris priſtini veſtigium manſerit in jure ejus qui occiſum ſanguine proximi attingeret, etiam poſt Moſis legem, qua de re infra fuſius agetur.

COMMENTARIUS.

Ante diluvium gigantes fuiſſe ſupra terram teſtatur ſacra Scriptura *Geneſ.* 6. 4. qui reliquos excederent & ſtatura & viribus & ſcelere. Quanquam quidam volunt dicto loco Moſem eos non tam corporis mole a cæteris hominibus diſtinguere, quam graſſandi libidine. In Hebræo eſt הנפילים, quam vocem ſignificare volunt interpretes *proſternentes*, *ſupprimentes*, *irruentes*, homicidas ſcil. violentos ac plebis vulgique oppreſſores. Philo Judæus dictum locum *Genes.* allegorice intelligendum putat, cum inquit, *μῦθον μὲν οὖν οὐδένα περὶ γιγάντων εἰσηγεῖται προφήτης, βούλεται δὲ ἐκεῖνο παραστῆσαι ὅτι οἱ μὲν γῆς, οἱ δὲ οὐρανοῦ, οἱ δὲ θεοῦ γεγόνασιν ἄνθρωποι.* Quæ verba ita interpretantur. *Nullam igitur de gigantibus adfert fabulam, ſed illud te docere vult alios eſſe terræ, alios cœli, alios Dei homines.* Alii putant, ut jam dicere incepimus, gigantes dictos eſſe, non tam ratione molis, quam potentiæ & roboris, quamobrem magnitudinem Nimrodis, quæ *Geneſ.* 10. prædicatur, interpretantur de tyrannica ejus ſupra cæteros dominatione, & oppreſſione hominum. Hinc vocatur *venator robuſtus* non tam ferarum quam hominum, ſolent quippe Tyranni venatores vocari, ut videre eſt *Pſalm.* 90. 3. *Ezech.* 33. 30. Cum enim ante hunc in qualibet familia primus natu etiam erat primus authoritate & honoris gradu familiam regens, tanquam paterni imperii proximus ſucceſſor, & ſi quæ lites oriebantur, diri-

dirimebat, ut toties diximus. Hic vero imperium in alios arripuit & tyrannidem exercuit. Quamobrem Iſidorus *lib. 7. Etymolog. cap. 6. Nimrod* interpretatur tyrannum. Alii affirmant quidem fuiſſe gigantes non tantum homines impios & admodum potentes, ſed etiam corporis mole & proceritate inſignes, verum eos non ab hominibus ſed angelis ſatos eſſe ſibi perſuadent, alii a dæmone generatos, de cujuſmodi generatione paſſim apud ſcriptores occurrunt cerebrina commenta plane ridicula, quæ vanæ ſuperſtitioni ſua debent incunabula. Quod Philonis opinionem attinet, eam nulla niti ſacræ Scripturæ authoritate plurima evincunt, quæ ex ea deduci poſſunt, teſtimonia, & imprimis quæ memorantur de gigantibus in terra Canaan, *Num. 13. v. 32. & 33. Detraxeruntque terra, quam inſpexerant, apud filios Iſrael, dicentes: terra, quam pertranſivimus & luſtravimus, devorat habitatores ſuos, populus, quem aſpeximus, procera ſtatura eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enach de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Eſt autem locuſta animal ex inſectorum genere, quæ Græcis vocatur *ἀκρὶς*, Gallis *ſauterelle.* vid. Plin. *lib. 11. cap. 29.* Bochart. *Hierozoic. parte lib. 4. cap. 1.* Sic quoque *Deut. 2. v. 11.* fit mentio quorundam hominum, qui corporis proceritate ſimiles erant filiorum Enakim, *ita ut gigantes haberentur etiam ipſi ut Enakim.* Et paulo poſt *verſ. 20.* legimus de Ammonitarum ſedibus. *Terra gigantum reputata eſt, in ipſa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim. Populus magnus & multus, & procera longitudinis, ſicut Enakim.* Qui vero admittunt fuiſſe gigantes, verum id nomen inditum non propter molem & proceritatem corporis, ſed potentiam & robur, qua præ cæteris hominibus pollebant, ex hiſce jam adductis locis facile erroneam ſuam opinionem perſpiciunt, quibus addi poſſunt quæ habentur *Deut. cap. 3. v. 11.* ubi memoratur quod Og erat de ſtirpe gigantum, & quod in *civitate Rabbath inveniebatur lectus ejus ferreus, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* Ergo, ut animadvertant Interpretes, ipſe ſexcubitalis fuit, lectos enim tertia parte longiores hominibus fieri ſolere tradit Maimonides. Alii novem fuiſſe cubitorum volunt, non habentes ejuſmodi proportionis, quam in lectis faciendis obſervatam vult dictus Author, rationem. Si itaque juxta Solinum cubiti menſura fuit duorum pedum, hujus proceritas fuit duodecim pedum, quæ certe mira hominis longitudo eſt. Alii duo cubita tres tantum pedes fuiſſe tradunt. Ita ut ejus longitudo novem pedum fuiſſet, quod tamen non tantum communem hominum, ſed & aliorum, quæ in Hiſtoriis tanquam miræ poceritatis homines reputantur, menſuram & longitudinem ſuperat. Quamobrem hominem ſeptipedem dicebant Veteres pro maximo, quod iſta menſura eſſe crederetur hominis proceriſſimi. Cujus proceritatis plerique ſcriptores Herculem fuiſſe tradunt uno pede & 4. cubitis adjecto, quod facit 4. cubita & unum pedem. Quamobrem non mirum quod in gigantum numero tanquam longe ſuperantem hominis longiſſimi proceritatem ſacræ Litteræ ponant Goliath, utpote cujus altitudo deſcribitur fuiſſe ſex cubitorum & palmi. Plurima hiſce exemplis addi poſſum ex profanis Hiſtoriis de mira quorundam hominum proceritate & longitudine teſtimonia. Sic teſtatur Auguſtinus quibuſdam in locis inventos fuiſſe homines, qui communem cæterorum ſtaturam & magnitudine & proceritate corporis longe exceſſerunt. *Imo ipſe*, inquit, *non ſolus, ſed aliquot mecum Uticenſi in littore vidi molarem hominis dentem tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur centum nobis videretur facere potuiſſe. Sed illum gigantis alicujus fuiſſe crediderim.* Joſephus *lib. 5. Antiq. cap. 2.* de Hebronitis olim ab Iſraële bello devictis ſermonem habens, *Apud hos*, inquit, *in eam diem, ſuperſtites erant quidam e gigantum genere, ſtatura & ſpecie cæteris mortalibus diſpares, viſu ſimul, & auditu horribiles, quorum oſſa adhuc oſtenduntur, qualia vix credunt qui non viderunt ipſi.* Tradit idem *lib. 18. cap. 6.* Artabanum Tiberio miſiſſe *filium Darium obſidentem cum multis muneribus, inter quæ etiam virum ſtatura cubitorum quinque, genere Judæum, Eleazarum nomine: qui propter vaſtitatem gigas cognominatus eſt.* Scribit quoque Solinus Romanis temporibus ſub Divo Auguſto Puſionem & Secundillam, denos pedes & amplius habuiſſe proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in conditorio Saluſtianorum videntur. Et paulo infra, *Priſcorum autem molem teſtantur etiam Oreſtis ſuprema, cujus oſſa Olympiade quinquageſima & octava Tegea inventa, a Spartanis oraculo monitis didicimus impleſſe longitudinem cubitorum ſeptem. Scripta quoque*, pergit, *ex antiquitate memoria accerſunt in fidem veri, quibus receptum eſt, quod bello Cretico cum elata flumina impetu plus quam vi amnica invecta terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluminum inter plura humi diſſidia humanum corpus repertum cubitorum trium atque triginta, cujus ſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum impendio admodum captos miraculo, quod auditu refutaverant oculis potitos.* Adde Plinium *lib. 7. cap. 16.* qui licet non eandem, ut vult Salmaſius *Exercitat. Plin.* refert Hiſtoriam, attamen ſimile quid tradit. vide & Homer. *Odyſ. 11.* & Philoſtratum *in lib. Heroic.* Quod vero attinet eorum opinionem, quam tertio loco deſcripſimus, qui ſtatuunt fuiſſe quidem gigantes, verum eos non ab hominibus ſed angelis vel dæmonibus ſatos, plane ridicula mihi videtur. Quod Gentiles olim in erroneam hanc opinionem fuerint adducti non mirum, utpote quæ ſolebant quicquid illuſtre aut eximium erat ejus originem referre ad Deos. Verum quod in eundem lapidem impingunt Chriſtianorum ſacris initiati vix condonandum videtur. Quamobrem volunt, qui dicto loco *Geneſ. 6.* nominantur *filii Dei*, ſpiritibus, ſive angelis, ſeu bonis ſeu malis, quemadmodum Satan *Job. 1. filiis Dei*, id eſt, angelis annumerandi. Opinatur Lactantius *Div. Inſt. lib. 2. cap. 18.* eos qui ex

ſpiritibus

ſpiritibus procreati ſunt, neque in angelorum neque hominum numero habendos, ſed mediam ipſis; attribuendam naturam ita enim ſonant verba: *Quum ergo numerus hominum cœpiſſet increſcere, providens Deus, ne fraudibus ſuis diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet vel diſperderet homines quos in exordio fecerat, miſit angelos ad tutelam cultumque generis humani; quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cœleſtis amitterent dignitatem. Scilicet id eos facere prohibuit, quod ſciebat eſſe facturos, ut veniam ſperare non poſſent. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallaciſſimus conſuetudine ipſa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congreſſibus inquinavit. Tum in cœlum ob peccata, quibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei ſuos fecit ſatellites ac miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati, quia neque angeli neque homines fuerunt, ſed mediam quandam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cœlum parentes eorum.* Euſebius hæſitare videtur ad quam naturam, vel humanam, vel aliam quandam potiorem, eorum procreatio & ortus referri debet, cum inquit *lib. 7. cap. 3. de Præparat. Evang. Nam & gigantes illi, qui per ora omnium volitant impiis factis, quod adhuc uſque prædicatur, Deo pugnam, id eſt virtuti & veritati, non erubuerunt inferre. Et qui eos produxerunt, ſive immortales quidam, ſive mortales, malefica quadam artificia & magicam pravitatem primi excogitaſſe dicuntur.* Huic errori cauſam præbuiſſe annotarunt Interpretes textum *Geneſeos cap.* 6. a quibuſdam perperam intellectum. Ubi legitur: *Et factum eſt quod cœpit homo multiplicari in ſuperficie terræ, & filiæ natæ ſunt illis, videruntque filii Dei filias hominum, quod eſſent forma eleganti: & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Quo loco *Nephilim*, quod *filios Dei* ſignificat, alii angelos tranſtulerunt, nam & ipſa Scriptura hoc nomen magnatibus & primoribus populi, tum etiam hominibus juſtitia & virtute conſpicuis tribuere videtur; ſic dicitur *Dominus meus Rex eſt ſicut angelus Dei. 2 Sam. 19. v. 27.* Quod homines juſti etiam angeli ſunt nuncupati, ſacra ſcriptura locupletiſſima teſtis eſt, inquit Aug. *de Civ. Dei lib. 15. cap. 23.* Nonne & de Joanne Scriptum eſt? *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Marc.* 1. Et Malachias Propheta propria quadam, id eſt ſibi proprie impertita gratia, dictus eſt Angelus. *Mal.* 3. Dictus eſt Angelus Joannes Baptiſta, propter vitæ ſanctimoniam, & officii dignitatem, ſacramento baptiſmi præparando domino plebem perfectam, non adauctis ceremoniis, ſed ſtudio juſtitiæ & pietatis, continentiæ & agnitionis Chriſti. Tollebat enim e via impedimenta pietatis, immunditias ebrietatis, commeſſationum, libidinum, aggeres ſuperbiæ demoliebantur, incredulitatis ſcrupos elapidabat, & ſpinas ſolicitudinum hujus ſæculi eradicabat. Ut inquit Pellican. *ad h. l.* Perperam itaque nonnulli hoc Prophetæ teſtimonium interpretantes, aſſeruerunt Joannem Baptiſtam revera fuiſſe angelum, ſed humano corpore veſtitum, ut videri poſſet ab hominibus & eis prædicare., contra optimi & falli neſcii interpretis Jeſu Chriſti doctrinam *Math.* 11. Hujus quæſtionis meminit quoque Aug. *in Geneſim quæſt.* 3. *Hoc movet*, inquit, *quomodo vel ex hominum concubitu nati ſint gigantes, vel fœminis ſeſe miſcere potuerint, ſi non homines ſed angeli fuerunt. Sed de gigantibus nimium grandibus atque fortibus puto non eſſe mirandum, quod ex hominibus naſci potuerint, quia & poſt diluvium tales quidam fuiſſe reperiuntur; & quædam corpora hominum ad incredibilem modum ingentia noſtris quoque temporibus extiterint, non ſolum virorum, ſed & fœminarum, unde credibilius eſt, homines juſtos appellatos vel filios Dei concupiſcentia lapſos peccaſſe cum fœminis, quam angelos carnem non habentes uſque ad illud peccatum deſcendere potuiſſe.* Aliorum interpretatio veritati magis conjunctior, qui per Dei filios intelligunt filios Seth, qui pietatem patris æmulati ſunt, & filios Enos, cujus tempore cœptum eſt invocari nomen Domini. Ita enim Auguſt. dicto loco: *Potuerunt ergo gigantes naſci, & priuſquam filii Dei, qui & angeli dicti ſunt, filiabus hominum, hoc eſt ſecum hominum viventium, miſcerentur, filii ſcil. Seth filiabus Cain.* Sic etiam Theodoret. *quæſt. in Geneſim: Poſteri igitur Seth, cum utrumque parentem agnoſcerent, dicti ſunt in Scriptura filii Dei, potiſſimum Enoch, qui primus divinam appellationem ſortitus eſt, & a cognatis vocatus eſt Deus.* Alii, quorum opinioni libens ſubſcribo, *filios Dei*, opinantur fuiſſe *filios judicum & potentum*, vel principum; unde Symmachus, cum viderent filii potentum filias hominum, vel, ſi lubet, per filios Dei ipſos inter populares ſuos potentes & primores intelligamus, Dii enim & Divi vocantur judices & aliorum gubernatores. Ita enim Pſalmiſta *Pſal. 82. v. 6. Dixi, Dii eſtis & filii Excelſi vos omnes.* Filii autem vocabulum, ut annotat Caſtalio, ſæpe idem eſt quod homo: ut *filii Iſraël* i. homines, quæ interpretatio præ cæteris mihi arridet. Senſum itaque illius loci *Geneſ.* quem ſupra adduximus hunc eſſe putat Joan. Doug. *in analect. ſacr. excurſ.* 5. Quod filii Dei, id eſt, principes ſive primarii inter populares ſuos, alienigenas fœminas videntes pulchriores prorſus aſpectu, conjunctionem cum eis flagranter appetierunt, appetitamque ſunt conſecuti. Atque inde ſtatim monſtroſa illa gigantum progenies, de qua inquiritur, initium occepit. Alii ſic exponunt, quod filii principum, potentum, ac magnatum, majorum ſuorum potentia abutentes, uſque adeo inſoleſcere cœperint pro libidine, qua flagrabant erga puellas, ut ruptis omnis pudicitiæ & honeſtatis legibus rapuerint ſibi violenter, e filiabus vulgi ac plebis, quas ſibi quiſque delegiſſet, ſive eſſent maritatæ, ſive virgines, ſive cognatæ, ſive alienæ, idque non alia ratione, quam ut ad ſaturandam libidinem illis abuterentur. Quippe Hebræa vox נשים non uxores & conjuges legitimas hoc loco, ſed ſimpliciter mulieres, a viris cognitas

gnitas denotat. Merito itaque rejicimus aniles fabulas iſtas de ſpiritibus incubis, vel ſuccubis, unde provenerint gigantes. *Quanta*, inquit Chryſoſtomus, *dementia plenum fuerit, dicere angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus, neque enim poſſibile eſt incorpoream naturam talem unquam concupiſcentiam habere. Quis enim niſi valde inſanus comprobaret talia verba dementiæ plena, quod incorporea & ſpiritualis natura corporis complexum ferret.* Cui addi poteſt quod Scriptura non dicit filios Dei abuſos eſſe filiabus hominum, ſed aperte teſtatur, *ſibi accepiſſe uxores ex omnibus quas elegerant.* Quod clarum eſt, de creaturis ſpiritualibus non ſolum ſpecie ſed etiam genere differentibus dici non potuiſſe, ut inquit Torniel. *Annal. ſacra. & profan. Quod ſi enim*, pergit, *angeli boni & mali cum filiabus hominum commiſti eſſent; non modo homines Deum non offendiſſent, ſed ipſi potius ab angelis injuriam paſſi, de Deo quodammodo conqueri potuiſſent, quod permiſiſſet filios ſuos a dæmonibus fradulenter impuneque violari. Atqui contra factum legimus, ſiquidem non de Deo homines, ſed de hominibus Deus merito conqueſtus eſt, & hac de re, non angelos aut dæmones punire, ſed homines diluvio delere dignum duxit. Ergo ſignum eſt, ipſos eſſe, qui peccatis ſuis Deum ad juſtam iracundiam provocarunt, ut in eodem Gen. cap. 6. Patet igitur*, concludit, *per filios Dei nequaquam accipi poſſe angelos neque bonos neque malos.* Verum idem Author negat nomine filiorum Dei ſignari nobiliores filios, ſcil. principum judicumque, qui quandoque Dii nuncupari ſolent, his potiſſimum rationibus in hanc opinionem adductus. 1°. Quia, quod filii principum ſive potentum ſeu judicum diligerent mulieres forma eleganti, ut ſibi matrimonii vinculo jungerent, res videatur per ſe licita, ideoque ſine peccato fieri poſſe, & conſequenter tanta pœna, quæ univerſi humani generis interitum ſecum trahebat, quemadmodum diluvium feciſſe conſtat, non digna videri poteſt. Quod ſi autem dixeris, pergit, ut quidam Hebræorum magiſtri opinantur, illos principum ſeu judicum filios immoderata libidine flagrantes, illas mulieres formoſiſſimas violare cœpiſſe, antequam viris ſuis traderentur. Reſpondeo ejus admiſſi delicti nullum plane textum mentionem facere, quin potius totum oppoſitum, videlicet; *Videntes quod eſſent pulchræ, elegerunt ſibi ex ipſis uxores.* Deinde dato quod intempeſtivo amore correpti, contra honeſtatis regulas peccaſſent; & conceſſo item quod ob peccata principûm ſæpiſſime plectentur Achivi, ut ſæpius contigiſſe ex ſacris & profanis conſtat hiſtoriis. Non tamen videntur hujuſcemodi peccata adeo enormia, ut punitionem tam horrendam atque univerſalem meruiſſe dicamus. 2°. Quid ſi demus, per filios Dei intelligi viros proceræ magnitudinis, admodumque formoſos. Nam quid peccaſſent illi, ſibi eligentes uxores forma & magnitudine pares. Dices, pergit, peccabant ex prava intentione, quia hoc faciebant, ut poſſent procreare filios robore validos, & eorum ope atque auxilio opprimere ceteros, qui ſibi æquales erant jure & conditione, quemadmodum omnes ſibi invicem ſunt homines in naturæ ſtatu. Quis vero judicet hoc peccatum tam grande eſſe, ut puniri diluvio univerſali debuerit? aut quis unquam dicere audeat, Deum, qui, ut non ſemel in Pſalmis legimus, judicat populos in æquitate, voluiſſe ſimul & injuſte opprimentes & inique oppreſſos interimere, atque noxios juxta & innoxios perdere. Quod ſi ejuſmodi imperandi injuſta cupido tanta pœna vindicanda, certe & hiſce temporibus ejuſmodi diluvium merito foret exſpectandum, quibus hoc vitium pro natura inoleviſſe videtur. Verum vellem ut mihi ſtatim allegatus Author, vel quiſquam alius in ſacris litteris verſatus, ex iis demonſtraret, interdicta fuiſſe filiis Sethi ejuſque poſteris legitima conjugia cum poſteritate Caïni, & conſequenter ejuſmodi conjugiis adſcribendam malitioſam illam tot vitiis inquinatam progeniem, quaſi propter hanc rationem Deus contrahentes, & tandem univerſum genus humanum extirpare juſto judicio voluiſſe univerſo & celeberrimo diluvio. Nullum, quod ſciam, tunc temporis aliquod divinum præceptum ſancitum legimus, quo juſtum matrimonium contrahere cum poſteritate Caïni Sethi poſteris interdictum fuit. Si nullo jure divino voluntario interdictum, multo minus morali ſive naturali, id eſt divino neceſſario vetitum. Quippe cum matrimonium ſit res per ſe licita, imo honeſta & ad propagandum & conſervandum genus humanum maxime neceſſaria, dummodo legitime & juſte contrahatur, nequaquam huic juri repugnat. Quamobrem rationem, cur gigantes geniti, eam quidam tradunt, quod filii Seth erant integerrimis viribus, & præ ardore libidinis erga uxores natura omnem ſuam vim exſeruit, inde homines vaſtiſſimi & validiſſimi. Verum quis negabit & antea aliquos gigantes tum corporis proceritate, tum etiam potentia validos & famoſos, idque prima ab origine mundi. Quare dicuntur ſuiſſe *a ſeculo*, id eſt, *a mundi principio & initio:* alii interpretantur *gigantes æternos.* Hi itaque cum eſſent potentes & fortes tum opum magnitudine, tum etiam corporis mole, ſe a naturæ manu quaſi factos putabant, ut cæteris ſibi & viribus & opibus longe imparibus imperarent, quamobrem alios opprimendo tyrannidem exercebant, imo cum nulla legum reverentia & pœnarum metus valebat coërcere pravas machinationes atque libidines, innocentem & invalidam plebem miſere tractabant, non ſequentes rationis dictamen, ſed depravatæ naturæ inclinationibus obtemperantes. Hinc violentia, rapina, cædes, ſtuprum, inceſtus, adulteria, aliaque id genus deteſtanda facinora & vitia admiſſa. Quibus vitiis paulatim & aſſueſcere cœpit vulgus, cum propter conſuetudinem, tum etiam, ſi velis, contracta matrimonia, quæ ipſi cum potentibus intercedebant, vel promiſcuos & vagos concubitus, ex quibus corrupta poſteritas, cum liberi prava educatione imbuti inſiſterent veſtigiis parentum, vulgus potentum exempla ſequi

de-

Digitized by Google

decorum putabant. Principum enim ad exemplar totum orbem, ſcil. omnes cives & ſubjectos, qui cujuſque imperio parent, ſeſe componere vetus ait proverbium, & conſequenter eorum vitia tanquam a capite ad cetera deſcendunt membra, atque totum corpus quaſi quædam contagio corripiunt. Flexiles enim quamcunque in partem ducimur a Principe, atque, ut ita dicam, ſequaces ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus, eoque obſequii cootinuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Plin. *Panegyr. cap.* 45.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Principum diſciplinam capit etiam vulgus, ut idem inquit *cap.* 46. Atque ſic tandem *omnis caro corruperat viam ſuam ſupra terram, ita ut pœnituerit Deum creaviſſe hominem. Dixit itaque Jehova, delebo hominem, quem creavi, de ſuperficie terra*; quemadmodum contigiſſe conſtat univerſali & celeberrimo diluvio, quo, excepto Noë ejuſque familia, totum genus humanum penitus extirpatum eſt atque perditum. Huc pertinere videntur quæ Græci tradiderunt de ſingulari diluvio, quod in Theſſalia cootigit, regnante ibi Deucalione: refert enim Lucianus *de Dea Syria. Apud Gracos autem, quod illi de Deucalione dicunt, audivi. Sicque ſe habet fabula. Hanc hominum generationem, qua nunc eſt, ab initio nequaquam fuiſſe, ſed eam, qua tunc fuit, totam interiiſſe. Hos autem homines, qui nunc ſunt, ſecundi generis eſſe, quod rurſus a Deucalione in multitudinem excrevit. De illis autem hominibus hoc tradunt, eos, cum eſſent admodum contumelioſi, nefaria perpetraſſe juramentum non obſervando, hoſpites non recipiendo, ſupplices non ferendo. Quam ob cauſam in magnam calamitatem incidiſſent. Quum terra protinus aquam multam effudit, imbres magni ingruerunt, fluvii majores decurrerunt, tantum intumuit mare, ut omnia eſſent aqua, & omnes perierint. Deucalion autem ſolus hominum relictus eſt in ſecundam generationem, prudentia & pietatis gratia. Servatus autem hoc fuit pacto. Magnam quandam arcam, quam ipſe habebat, liberis & uxore in eam impoſitis, conſcendit. Ingredientem ſecuti ſunt, apri, equi, leones, ſerpentes, & alia quacunque in terra paſcuntur, bina cuncta. Qua omnia excepit, nec ipſum lædebant, ſed magna inter eos divinitus erat concordia, unaque in arca omnes navigarunt, quamdiu aqua ſuperavit.* Deſcribit quoque hominum ante diluvium malitiam & pœnam, quam eos excepit, Ovid. 1. *Metam.* ubi ita canit:

- - prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto; non hoſpes ab hoſpite tutus.
Non ſocer a genero; fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita noverca:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas: & virgo cade madentes
Ultima cæleſtum terras Aſtraa reliquit.

Et unde tot mala, tot deteſtanda facinora & ſcelera, quam ab iis originem habuiſſe videntur, quos

Affectaſſe ferunt regnum cæleſte gigantas.

Verum acerba fuere vindicata pœna, quam canere pergit Poëta:

Qua pater ut ſumma vidit Saturnius arce;
Ingentes animo & dignas Jove concipit iras.
Pœna placet diverſa genus mortale ſub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere cælo.

Verum obſervandum, quod ea, quæ de promiſcua gigantum ætate cædium licentia diſputat Author, quaſi huic cauſam præbuiſſet impunitas a capitali ſupplicio edicto divino homicidis conceſſa, nuſpiam in divinis litteris occurrunt, quippe ſupra demonſtravimus edictum illud ultra perſonam Caïn non producendum ad conſequentias, ideoque eo non abrogatum quod licet naturæ jure, ſed ab ordinaria tantum homicidii pœna exemptus Caïn interdicendo ne quis jure ſuo uteretur in homicidam. Sed adſcribenda potius videtur tot cædium & ſcelerum frequentia illorum tyrannorum, quique ab his geniti ſunt, malitiæ & audaciæ; nam ut idem canit Poëta:

- - - ſed & illa propago
Comtemptrix ſuperum, ſævaque avidiſſima cadis,
Et violenta fuit: ſcires e ſanguine natos.

Quibus coërcendis cum impares cæteri eſſent, occaſionem quæſiverunt ſocietates incundi, & cœtus celebrandi, ot coadunatis viribus reſiſtere poſſent, quos ſinguli propter imbecillitatem oppugnare non poterant, unde videtur poſſe concludi metus mali imminentis ſocietatis civitatis cauſam atque originem fuiſſe. Quamvis non veroſimile ſit non etiam aote ſocietates capitalia judicia exercita fuiſſe, ſi noo a magiſtratu, ſaltem a patribusfamilias, qui tanquam principes ſuæ familiæ ſummum illudque monarchicum imperium, & conſequenter quoque jus vitæ & necis habebant non ſolum in familiæ membra, ſed in quoſcunque alios gravis criminis reos in ſuo quiſque territorio, ubi lares & penates ſuos habebant, ſorte fortuna captos. Verum illud jus ſæpiſſime non exercere auſos fuiſſe credo, propter metum majoris imminentis periculi, quod vel reus nimis potens erat, vel ope, vel potentia, & ſociorum conſpiratione, ad necem ſocii vindicandam. Quamobrem ſatius eſſe ducebant renunciare juri ſuo, quam illud exequi cum damno & ſæpiſſime ruïna ac interitu totius familiæ: præſertim cum potiſſima pars hominum vitiis inquinata ad nocendum eo eſt proclivior, quo majorem ſpem habeant impunitatis. Impunitatem enim ſibi pollicebantur propter toties allegatum divinum edictum, quod in ſui ſavorem interpretabantur, quaſi eo interdicta pœna capitalis in homicidas, nemini facultas erat, neque divino jure voluntario, neque neceſſario, pœna talionis homicidam afficiendi. Unde facile reus ſibi ſocios conciliabat, qui propter naturam ad vitia pronam idem ſecum ſentientes ipſum a capitali ſupplicio liberandum arbitrabantur. Quo itaque altius in animos hominum hæc opinio radices egerat, eo magis deterrebantur juſti, qui tunc temporis admodum rari fuerunt, a puniendis homicidis. Et ſic tandem io conſuetudinem abiiſſe

videtur homicidæ a capitali ſupplicio immunitatem. Quamvis jure naturæ munitus, ſalva conſcientia, communis ſalutis conſervandæ cauſa, impune quiſque paterfamilias judicis partibus fungens haberet facultatem animadvertendi gladio in homicidii reos. Verum poſt diluvium inſtaurato humano genere, Deus mederi volens cædium licentiæ, omnem impunitatis allegandæ rationem ſuſtulit, permittendo ut inſons eſſet qui homicidam occidiſſet. Quæ permiſſio occaſionem dedit ut homines ſe majori fiducia ligarent ad occurrendum ſeverius cædium licentiæ, & deterruit quodammodo homines violentos & alienæ vitæ inſidiatores ab illarum frequentia, metuentes ne omni prorſus excuſationis velo ſublato ſimile quid ſibi metuendum foret. Habetur lex illa, ad quam reſpicit Author, *Num.* 35. *v.* 19. ubi ita ſeſe habent verba: *Propinquus occiſi homicidam interficiet, ſtatim ut apprehenderit eum interficiet.* In hac lege lata judiciis jam vigentibus, qua proximo ſanguine facultas tribuitur vindicandæ cædis propinqui, perſpicimus rectæ rationis & æquitatis naturalis multa veſtigia. Imo explicare videtur, quid juris fuerit in naturæ ſtatu circa vindicanda homicidia, nam hac lege jus illud naturæ non abrogatur, ſed limitatur, ita ut quod omnes in naturæ ſtatu habuerant, vigentibus judiciis certis quibuſdam perſonis tribuitur ad omnem confuſionem & tumultum evitandum. Quod ob ſanguinis conjunctionem propinquo homicidam interficiendi jus hac lege poſitiva conceditur, idem rectæ rationis dictamen & naturalis æquitas tribuere videtur omnibus hominibus in naturali ſtatu, própter naturalem illam cognationem, quæ homini cum homine intercedit, ab ipſa natura conſtitutam, quo itaque magis ſibi homines devincti, eo arctius obligati injuriam ſocio illatam vindicare, ita ut ad omnes pertinere videatur, quod ſingulari alicui humanæ ſocietatis membro infertur, ſive ſocio, ſive conſanguineo, ſive ejuſdem familiæ membro. Quemadmodum propinquus in elocatis agris & vineis habet jus redemptionis, ita quoque ulciſci permittitur fratrem aut alium conſanguineum interfectum. Quamobrem iſta ultio vocatur *redemptio*, & propinquus *redemptor ſanguinis*, etiamſi propinquus occiſus ad poſſeſſionem revocari non poſſit, ſicut ager elocatus, aut filius in ſervitutem venditus, iterum recuperatur. Verum poſtquam in gentes & ſocietates coaluerunt mortales, huic juri quoque renunciantes, ad ſolos judices reſtrictum eſt, ut omnia meliori ordine fierent & omnis tumultus, ut dixi, evitaretur, quo publica tranquillitas & pax, quæ ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, perturbari poſſet. Quamobrem Paulus Jctus *l.* 175. *de R. J. Non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poſſit fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi.* Niſi quod in Repub. Hebræorum priſtini moris veſtigium manſerit.

6. Magnum habemus auctorem noſtræ interpretationis Abrahamum, qui cum legem Noæ datam non ignoraret, arma ſumſit in reges quatuor, ut quæ plane crederet cum ea lege non pugnare. Sic & Moſes Amalecitis populum oppugnantibus arma juſſit opponi, naturæ ſcilicet jure uſus: nam Deum de hac re ſpeciatim conſultum non apparet, Exod. XVII, 9. Adde jam quod capitalia ſupplicia nec in homicidas tantum, ſed & in alios facinoroſos uſurpata apparet, non modo apud populos extraneos, ſed apud ipſos piæ doctrinæ alumnos, Gen. XXXVIII, 24.

COMMENTARIUS.

SUpra ad §. 2. de exemplis ab Authore hic iterum adductis egimus, atque demonſtravimus juſtam fuiſſe jure naturæ Abrahamo bellandi cauſam, cum nihil ſit magis naturæ conveniens quam ſocios oppreſſos armis tegere, & ope aliena indigentibus ſubvenire, & auxilium ferre adverſus injuſtos oppreſſores & hoſtes etiam cum effuſione ſanguinis, ſi nulla ſit alia ratio ſalutis expediendæ. Ex ejuſmodi cauſa ſuſcepiſſe bellum Abrahamum ex ſacris conſtat litteris. Nec minus juſtam ſuſcipiendi belli cauſam Moſes habuit, quando juſſit Amalekitis populum oppugnantihus arma opponere; vim enim vi repellere omnia permittunt jura. Non prius bellum intentat populus, ſed laceſſitus ab hoſte Amalech, qui in Rephidim caſtra Iſraëlitica obruere meditabatur; populus itaque coactus erat ſeſe tueri adverſus injuſtam hoſtium vim atque impetum, quod non ſolum permittit ſed imperat recta ratio, dum cuique ſeſe conſervandi imponit obligationem. Argumentum, quod nulla lege vetitum fuerit, neque naturali, neque jure divino poſitivo, vi & armis uti in homines violentos, vitæ noſtræ inſidiatores, publicæ pacis perturbatores, communis ſalutis hoſtes. Quamobrem non ſolum populos extraneos, quibus nulla niſi naturæ jura tanquam agendorum norma fuit, ſed etiam ipſos piæ doctrinæ alumnos capitalia ſupplicia non in homicidas tantum, ſed & in alios facinoroſos homines uſurpaſſe conſtat *Gen.* 38. *v.* 29. Verum occaſione hujus ab Auctore adducti exempli duæ moventur quæſtiones. 1°. An illa verba,

ba, *Ejicite ut comburatur*, Juda pronnntiat tanquam legitimus judex, aut tanquam accuſator. 2°. An pœna combuſtionis non fuerit nimis atrox, profecta ex nimia iracundia Judæ erga Thamar. Quod primam quæſtionem attinet, putant quidam Judam fuiſſe magiſtratum inter Cananæos, & conſequenter judicis authoritate ejuſmodi verba protuliſſe, quod non veriſimile videtur, propterea quod erat advena & peregrinus, quibus non adeo facilis patebat aditus ad ſummos honores. Alii volunt quemque patremfamilias jus vitæ & necis habuiſſe in ſuos domeſticos & familiæ ejuſdem membra, & conſequenter Judam ut patrem familias & judicem ejuſmodi tuliſſe ſententiam. Sed huic obſtare quidam dicunt, quod Thamar tunc habitavit apud parentem ſuum Cananæum, non ſocerum Judam, in cujus tamen familiam nubendo tranſiverat, & conſequenter ſeſe cum marito eidem poteſtati patriæ ſubjecerat, maritum enim ſequi debebat, & ejuſdem conditionis ac ſtatus participem fieri. Verum videtur ſocerum Thamar filio mortuo ablegando in domum patris renunciaſſe juri ſuo, quod in viduam filii defuncti ejuſdemque deſcendentes juſtis nuptiis ſibi acquiſiverat. Vel an potius dicendum videtur Judam jus vitæ & necis in Thamar tanquam poteſtati ſuæ ſubjectam, & familiæ civem vel membrum, non habuiſſe, propterea quod conſtat apud omnes fere gentes, exceptis Romanis, apud quos patria poteſtas neque finem neque modum habuiſſe dicitur, quod poſtea tamen mutatum, patriam poteſtatem, vel annis, vel matrimonio, vel dignitate finiſſe, & conſequenter vi patriæ poteſtatis Thamar non potuiſſe a Juda tanquam legitimo judice judicari; qnod mihi etiam veroſimilius videtur. Quamobrem in eorum ſententiam libens pedibus eo, qui ſtatuunt, Judam hic accuſatoris partibus functum, atque ejus verba hoc modo impliciter interpretanda cenſent. *Educite illam ad locum judicii, ut cauſa cognita & quæſtione habita comburatur me irrogante ut accuſatore, & judicibus ex lege decernentibus.* Ita enim Calvin. *in Geneſ. ad h. l. Quæritur tamen, cum privatus fuerit Juda, qui tam audacter ſibi jus gladii uſurpet: imo quum inquilinus ſit, unde illi tanta libertas, ut arbiter ſit vitæ & necis? Reſpondeo non ita debere accipi verba, quaſi pro imperio jubeat nurum ſuam ad mortem rapi, vel quaſi præſto ſint ad nutum lictores. Sed quia deprehenſum erat crimen ac cognitum, libere accuſator de pœna pronuntiat, ac ſi jam lata eſſet a judicibus ſententia. Equidem non dubito, conventus tunc haberi ſolitos, in quibus fierent judicia. Ideoque ſimpliciter interpretor Judam mandaſſe Thamar in publicum produci, ut cauſa demum cognita pro more plecteretur. Sed pœna expreſſio huc pertinet, quaſi jam non ſit litigandum: quia Thamar antequam citetur rea peracta ſit.* Ita ut evidentia facti majorem probationem non exigeret. Quanquam vero hoc ab Authore allegatum exemplum non videtur probare quod probandum erat, attamen nullus dubito quin capitalia ſupplicia etiam in alios facinoroſos quam homicidas non tantum ab extraneis ſed etiam piæ doctrinæ alumnis uſurpata fuerint. Niſi ſtatuamus quod abſurdiſſimum eſt, prima ob origine mundi, antequam in gentes coïverunt mortales, vel ſocietates civiles excitarunt, nullos extitiſſe viros pietate & probitate inſignes, quorum & ſacræ & profanæ Hiſtoriæ mentionem faciunt, & ſi quidem ejuſmodi piæ doctrinæ alumni fuerint, eos vel non habuiſſe facultatem ultimo ſive capitali ſupplicio quædam graviora ſcelera, ne quidem ab ipſis domeſticis perpetrata, puniendi, vel non exercuiſſe, atque ita ſcelera ſceleribus cumulaſſe, quod de viris piis atque juſtis nullo modo ſuſpicari poteſt, niſi quis ſibi contradicere velit. Si quis reſpondet Deum ſibi hoc jus reſervaſſe, facile reponi poteſt id nuſpiam conſtare, ſed contrarium potius dicendum, quia ſine pœnarum formidine atque diſtributione nulla ſocietas inter homines conſiſtere poſſe jam ſupra demonſtravimus, & conſequenter eo ipſo quo Deus hominem animal ſociabile creavit, etiam obligavit eum ut ſocietatem coleret, eamque tueretur, tueri autem nequit niſi pœnarum metu coërceantur qui eam diſtrahere atque perturbare vel animum induxerunt, vel cum effectu puniantur qui jam ipſo facto hoſtilem adverſus eam animum declararunt, ut eorum exemplo alii deterrerentur. Sed examinanda reſtat altera quæſtio de pœna combuſtionis, qua vindicandum Juda cenſuit crimen a Thamare admiſſum, an ea non fuerit nimis atrox, quia magis proportionata videatur nimiæ accuſatoris iracundiæ, quam delicto. 1°. Quia non videtur commiſiſſe adulterium, quoniam nondum erat matrimonialiter juncta cum Sela filio Judæ, quamvis deberet eum accipere, & forte ſponſalia erant inter Selam & Thamar contracta. 2°. Dato quod adulterium perpetraſſet, non tamen ob hoc comburi, ſed leviori morte puniri promeruit. Præſertim ſi non quorundam fabulis & ſomniis fidem habeamus, qui exiſtimant Thamar fuiſſe filiam Melchiſedech regis atque ſacerdotis, quoniam filia ſacerdotis fornicans ſive adulterans erat comburenda juxta legem, quæ habetur *Levit.* 21. nam conſtat Melchiſedech longe ante natum Judam mortuum fuiſſe, ideoque non potuiſſe eum ad Thamar dixiſſe (*eſto vidua in domo patris tui.*) Reſpondeo, quamvis Thamar matrimonialiter non erat conjuncta Selæ filio Judæ, attamen erat ipſi deſponſata, licet non per verba, ſaltem per mandatum legis de ſuſcitatione ſeminis, & conſequenter rem habens cum Juda adultera erat, quoniam ſtatim ab ipſis ſponſalibus puella obſtricta erat marito habere fidem, cum divino, tum etiam jure civili. Hinc *Hoſeas cap.* 4. *v.* 13. *Filiæ veſtræ fornicabuntur, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt.* Sunt igitur ſponſæ quaſi initiatæ conjuges, quas qui violat conjugium ipſum violaſſe merito judicatur. Huic juri ſuffragantur quoque leges civiles. Nam Ulpianus in *l.* 13. *ad L. Jul. de Adult.* teſtatur D. Severum & Antoninum reſcripſiſſe etiam in ſponſa adulterium vindicandum: *quia neque matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonii violare permittitur.* Quamobrem eadem

pœna qui ſponſalia violant afficiuntur, qua puniuntur qui vere adulterium commiſerunt. *Deut. 22. l. 7. Cod. ad L. Jul. de Adult.* Sed quare non lapidabatur Thamar, ut lege cautum erat. Reſpondeo, quia lex illa eo tempore nondum data erat. Ideoque videtur punita per leges municipales illius terræ, mandantes comburi adulteros, forte ut jure talionis qui impuro amore flagrans alienum thorum, vel proximi ſponſam violaſſet, flammis traderetur ad crimen illud expiandum. Ita Calvin. *ad dict. loc. Cæterum quod pœna tam atroci ſubjicit Juda nurum ſuam, ideo fit, quod adulterii ream agat. Nam idem tunc conſuetudine viguiſſe inter homines apparet, quod Dominus poſtea lege ſua ſancivit, ut ſtatim a ſponſalibus puella marito obſtrictam haberet fidem. Nupſerat Thamar in familiam Juda, tertio filio tunc deſponſa erat. Non vocatur itaque in judicium ſimplex & vulgaris ſcortatio, ſed adulterii crimen, quod jure ſuo perſequitur Juda, quia in perſona filii læſus erat. Porro ſupplicii genus quantopere ſeculis omnibus diſplicuerit adulterium documento eſt. Lapidari adulteros lex jubet. Antequam ſcripto ſancita eſſet pœna, communi omnium conſenſu adultera mulier ad ignem vocata fuit. Hoc divino inſtinctu factum eſſe conſtat, ut natura duce & magiſtra quaſi firmis cuſtodiis munita eſſet conjugii ſanctitas.*

7. Nimirum conjectura divinæ voluntatis ipſa naturali ratione adjuvante a ſimilibus ad ſimilia proceſſerat, ut quod in homicidam conſtitutum erat, in alios quoque eximie nocentes non iniquum videretur. Sunt enim quædam quæ vitæ æquiparantur, exiſtimatio, pudor virginalis, fides matrimonii; aut ſine quibus vita tuta eſſe non poteſt, ut imperii ſocietatem continentis reverentia: adverſum quæ qui faciunt, ii homicidis meliores non videntur.

COMMENTARIUS.

PErperam quidam Commentatores Authorem noſtrum erroris accuſant, ſtatuentem in iis quæ ſunt juris divini voluntarii conjecturis locum eſſe naturali ratione adjuvante, & conſequenter recte a ſimilibus ad ſimilia procedi poſſe. *Quaſi ejuſmodi proceſſus, ubi ex voluntate legiſlatoris omnia pendunt, non poſſet admitti, ſed ad illam unice reſpiciendum, quicquid ſit de proceſſu ratiocinativo. Quippe ſi inter homines ſtricte ſit explicandum mandatum mandantis; quanto magis mandatum divinum, præſertim in iis quæ ſanguinem hominis concernunt.* Diſtinguendum enim inter leges divinas neceſſariam relationem habentes vel cum Repub. Hebræorum, cujus generis Ceremoniales & Forenſes; vel quarum ſubjecta materia nullam extenſionem ſive proceſſum ad ſimiles caſus admittit, quod duce ratione facillime ex ipſius ſubjecti, de quo lex agit vel diſponit, natura perſpicitur. Et inter eas quæ concernunt humanæ ſocietatis conſervationem ac ſalutem tranquillitatemque ſive ordinem hominnmque mores & honeſtatis, quæ arctiſſimum ſocietatis vinculum eſt, commercium ſive exercitationem. Certiſſimum enim eſt omnes leges divinas ex libera legiſlatoris voluntate proficiſcentes, quatenus hominum mores, actiones, & mutuæ ſocietatis culturam, ordinem, & conſervationem ſpectant, adeo amplam interpretationem pati poſſe, quam late patent media, quibus ſalus & conſervatio humani generis, & conſequenter etiam ſingulorum membrorum, e quibus conſtat humanæ ſocietatis fabrica, continetur. Quæ quoniam non poſſunt certis quibuſdam cancellis concludi, ſed arripi & applicari debeant, prout caſus inciderint. Hinc quoque non omnia legibus ſive divinis ſive humanis expreſſa & definita, ſed hominum ratiocinandi facultati eorum applicatio videtur relicta. Quoniam vero ad conſervationem ſocietatis humanæ maxime pertinet vindicatio & punitio criminum, quæ in ejus interitum ac damnum ab hominibus facinoroſis vel machinantur, vel perpetrantur, ſcelera vero varia ſunt, & diverſæ eorum, ut dicitur vulgo, circumſtantiæ, quæ omnes judici ponderandæ, hinc diverſa quoque ea puniendi ratio. Poſſunt quidem certis criminibus certa conſtitui ſupplicia, ut patet Deum voluiſſe homicidia morte puniri, quod ultimum vocatur ſupplicium, quia vitæ amiſſio eſt ultima linea rerum, ſed non eadem pœna decerni poteſt iis delictis, quæ non per ſe & ſua natura adeo gravia videntur, niſi propter quaſdam circumſtantias, quæ eadem aggravari poſſunt & ideo non minus lædere videntur ſocietatem quam ipſum homicidium, quare eadem vindicanda quoque pœna. Quæ enim ratio pœnæ in homicidam conſtitutæ alia poteſt excogitari, quam quod ea potiſſimum videatur medium quo tanta hominum malitia coërceri & conſequenter ſalus & conſervatio humanæ ſocietatis procurari poteſt. Nam quatenus illa ſpectat forum externum, ſcil. quatenus ad deterrendos homines a delictis, quæ non ſolum perturbant ſocietatis tranquillitatem ſecuritatemque, ſed etiam eam funditus evertunt, adhibetur, utpote ſine qua nullum homini cum homine commercium intercedit, nullum habet alium finem atque ſcopum, quam hac ratione ſocietatis & generis humani conſervationem, ſecuritatemque ſingulorum, integram atque interruptam ſervare atque tueri. Quippe pœna, quæ ab humana poteſtate excercetur, quamvis ex lege divina procedat, nihil aliud corrige-

re

re poteſt quam actus hominis quatenus ad forum externum pertinent, qui ab homine profi-ceſcuntur tanquam ſocietatis humanæ membro, & conſequenter qui obligatus eſt ratione hujus conditionis ac ſtatus ejus commoda & ſalutem tueri, quod ſi ſecus faciat ſe reddit obnoxium pœnæ in humani generis hoſtes ſancitæ legibus, vel naturalibus ſeu moralibus, vel poſitivis ſeu divinis ſeu civilibus. Idque, ut diximus, ad deterrendum, non ad puniendum peccatum in ſe conſideratum; quippe omnis pœna delicto proportionata abſtracte ſine relatione, vel ad perſonam quæ læditur, vel ſocietatem humanam quæ damnum patitur in perſona ſui membri, reſervatur Deo, quia ejuſmodi pœna non tam corpus quam quidem animam afficit tanquam vitii proprium ſubjectum, utpote quæ ſola rationis capax, cujus vi bonum a malo ſecernere poteſt, & conſequenter ei inhæret culpa, ſi bonum deſerit & malum quis ſequitur. Et idcirco tanquam peccati rea pœnam patitur, non quidem corporalem, ſed ſpiritualem. Quamobrem non adeo metuendum judicium humanæ poteſtatis, utpote quæ tantum corpus puniendi facultatem habeat, ſed verenda maxime divina juſtitia, quæ & corpus & animam ſempiternis cruciatibus afficere valeat. Ut memini me nuper erudite admodum hac de re diſſerentem audiviſſe *nobiliſſimum & ampliſſimum virum, in omni diſciplinarum genere verſatum, cum imprimis juris Romani, tum etiam ejus, quod apud nos viget ſcientia florentiſſimum, Præſidem Curiæ ſupremæ Traject. digniſſimum*, JOANNEM VAN SOMEREN, cum aliquando in ſermonem de pœnæ in homicidam jure divino vel humano conſtitutæ objecto, fine, & infligendæ ratione incidiſſemus. Ex quibus præmiſſis colligo, jus divinum voluntarium certam quibuſdam delictis pœnam, vel meritis præmia decernendo per homines exequenda & factis applicanda, nullum alium habere finem, quam ſocietatis humanæ conſervationem, ſecuritatem utilitatemque, & idcirco eaſdem pœnas ex conjectura divinæ voluntatis etiam aliis delictis & criminibus, quæ recta ſive naturalis ratio judicat ſocietati humanæ non minus nocitura, quam quæ legibus divinis expreſſa ſunt, applicari poſſe ab eo qui jus habet animadvertendi in facinoroſos, quaſi ex eadem divina voluntate profectas, & ita a ſimilibus ad ſimilia procedendi jus hominum ratiocinandi facultati videtur relictum. Nam ex generali voluntatis declaratione, qua conſtat Deum ſocietatis humanæ conſervationem ſecuritatemque tueri velle, etiam patet eum velle ut omnia adhibeantur media, ſine quibus illa haberi nequit, atqui ſcelerum & criminum vindicatio huic conſervationi maxime inſervit, hinc in genere crimina punienda ſancivit ſummus legiſlator, quibuſdam ipſe quidem ſua decrevit certa ſupplicia, ſed non ea mente ut prohiberet idem ſupplicium etiam ad æque gravia crimina & delicta, præeunte rectæ rationis lumine, accommodare, verum ut certum pœnarum genus & menſuram homini præſcriberet, qua hoc vel illud crimen, quod tanquam exemplar in lege pœnali exprimitur, expiari voluit, includens etiam tacite ea delicta, quæ eodem modo ſocietatem lædunt, quippe pro menſura læſionis conſtituitur pœnæ proportio. Ubi itaque eandem ex perpetrato delicto ſocietas patitur læſionem ac idem damnum, ibi eadem obtinet juris ratio. Nunquam enim leges, ſive divinas, ſive humanas, naturales, vel voluntarias debemus interpretari, ut nocerent ſocietati & hominum ſecuritati, aut ordinem qui ſervari debet interverterent, vel honeſtati, quæ in totius vitæ curſu nobis eſſe debet agendorum norma, officerent, & naturalem cognationem læderent, imo penitus tollerent, & officia, quæ homo homini debet, quorum commutatio arctiſſimum ſocietatis naturalis vinculum, mutarent in maleficia, quæ ſocietatem plane diſtrahunt, ſtatum belli introducendo: niſi ſimul ſtatuamus Deum contraria velle, inhoneſta ſcil. & humanæ ſocietati noxia, quod abſurdiſſimum dictu. Quod ſi omnia hæc incommoda metuenda forent, ſi quorundam facinorum, ut adulterii, ſtupri, inceſtus, rapinæ, frequentia invaleſceret, & conſequenter humanæ ſocietati non minus damni ex iis immineret delictis, quam ex homicidiis, non immerito ſtatuimus eodem quoque poſſe in homicidas ſtatuto vindicari ſupplicio, & idcirco neutiquam neceſſitate humana exigente a ſimilibus ad ſimilia in puniendis delictis proceſſum vetitum dicendum perſuaſi ſumus.

8. Huc pertinet vetus, quæ apud Hebræos exſtat, traditio, leges plures Noæ filiis datas a Deo, quæ non omnes a Moſe narratæ ſint, quia ſatis erat ad ipſius inſtitutum eas poſtea in lege peculiari Hebræorum eſſe comprehenſas. Sic adverſus nuptias inceſtas legem veterem, quanquam a Moſe ſuo loco non memoratam, exſtitiſſe apparet Levit. XVIII. Inter ea autem, quæ Noæ liberis Deus edixit, hoc quoque ajunt fuiſſe, ut non homicidia tantum, ſed & adulteria, & concubitus inceſti, item violentæ rapinæ morte punirentur. Quod ipſum confirmant Jobi verba XXXI, 11.

COMMENTARIUS.

SUpra ad §. 16. *cap.* 1. de commento ſeptem præceptorum, quæ Noæ data fuiſſe a ſummo legiſlatore ſomniant Hebræorum magiſtri, egimus, nuſpiam enim eorum mentionem fieri in ſacris litteris luce clarius conſtat, niſi duorum, quæ occurrunt *Gen.* 9. Non major habenda quoque fides veteri huic Hebræorum traditioni, de qua hic Author, quaſi plures adhuc a Deo datæ fuiſſent leges Noæ, quæ certas definierunt quorundam criminum pœnas & ſupplicia quibus expiari deberent, non quidem narratæ a Moſe, ſed comprehenſæ tamen poſtea, conſtituta jam Hebræorum Repub. in peculiari eorum lege forenſi. Sine authoritate enim ſacræ Scripturæ aliquid certi ſtatuere de numero vel promulgatione legum, quas a Noa ejuſque poſteris obſervari ſummus legiſlator voluit, erubeſcimus. Præterquam quod antequam Deus ſibi Hebræos in peculiarem populum adſciviſſet, & in rempub. coaleſcere voluerit, quam ſuis peculiaribus cum ceremonialibus tum etiam forenſibus legibus fundavit, longe ab exterarum gentium ſtatutis vel legibus diverſis, nulli populo præter inſculptum naturale jus, aliqua præcepta ad criminalem vel civilem aliquam juriſdictionem vel reipub. ſive familiæ adminiſtrationem pertinentia, dediſſe patet; verum vel patresfamilias vel gentes poſtea, ſi quas habuere poſitivas leges civiles vel judiciarias, duce recta ratione ſibi juri naturæ vel addendo vel detrahendo quaſdam conſtituerunt, ut ante dictum. Quamobrem Pſalmographus *Pſal.* 147. *Indicat Deus verba ſua Jacobo, conſtitutiones ac jura ſua Iſraël: non ita fecit genti ulli. Ideo jura iſta non noverunt.* Quod ſi Gentiles adulterium etiam grave & capitale crimen judicaverint, ut patet ex Jobi verbis *cap.* 31. hoc non confirmat traditionem Hebræorum ſive potius figmentum. Verum oſtendunt hæc verba crimen adulterii adeo enorme & turpe eſſe, ac ſocietati humanæ, quæ ſancte ſervanda, contrarium atque damnoſum, ut etiam Gentilibus recta dictaverit ratio ante legem Dei per Moſen, quem Job præceſſiſſe videtur, in adulteros latam, ejus reos capitali pœna afficiendos. Præterquam quod & ipſi non addant Judæi, pœnæ illud genus, ut vult Author, ſcil. mortis, legibus Noæ liberis a Deo datis ſtatutum in homicidia, adulteria, inceſtas nuptias, rapinas, quod neceſſario a Noachidis velut ex præcepto adhibendum erat, ut inquit Seldenus *de jur. nat. & gent. lib.* 7. *cap.* 5.

9. Jam vero data per Moſem lex ſanctionibus capitalibus rationes adjicit, quæ apud alios populos non minus quam apud Hebræum populum valent: ut Levit. XVIII. 24, 25, 27, 28. Pſal. CI, 5. Prov. XX, 8. Et peculiariter de homicidio dicitur terra non poſſe expiari niſi ſanguine homicidæ fuſo, Num XXXV. 31, 33. Præterea abſurdum cogitatu eſt, Hebræo populo indultum, diſciplinam & ſalutem publicam ac ſingulorum munire pœnis capitalibus, ac ſe bello tueri, cæteris autem regibus gentibuſque idem eodem tempore non licuiſſe: neque tamen reges eos aut gentes unquam a prophetis admonitos, improbari a Deo uſum capitalium ſuppliciorum ac bella omnia, ſicut de aliis peccatis admoniti ſæpe ſunt.

COMMENTARIUS.

POſſum a ſanctionibus pœnalibus, quibus quædam crimina vindicanda Deus per Moſen edixit, effundendo rei ſanguinem, idque in ſecuritatem & conſervationem tum univerſæ ſocietatis humanæ, tum cujuſque familiæ vel etiam perſonæ qua membrum ſocietatis, ejuſmodi conſequentiam formare, ſcil. ſi Deus voluit conſtituta repub. Hebræorum, ut quædam crimina fuſo ſanguine expiarentur de terra, ut homicidium aliaque id genus graviſſima delicta, cum ob diſciplinam publicam & ſalutem ſingulorum, (nam alium finem non poſſe excogitari, quamobrem pœnæ facinoroſis hominibus infligendæ ſint per homines in foro humano ſive exteriori, paulo ante demonſtravimus) ergo nec extraneis gentibus, quatenus ſunt homines & quidem ſociabiles, ejuſdem generis & conditionis cum Hebræo populo participes, eadem deneganda ſecuritas, idem ſocietatis commercium auferendum, quæ haberi ac coli nequit, niſi graviſſima ſcelera & delicta graviſſimo quoque vindicentur ſupplicio, ideoque quandoque gladio animadvertatur in facinoroſos, ſi delictum ultimum hoc mereatur ſupplicium. Imo quod eadem iiſdem criminibus decernendi ſupplicia facultatem habuere etiam exteræ gentes, patere videtur ex *cap.* 18. *Levit.* præſertim cum rationes, quas capitalibus ſanctionibus adjicit Moſes, univerſales ſint, ideoque ad omnes gentes & nationes relationem habentes, quod veriſſimum de homicidio; illud enim

de

de terra non peculiari Hebræorum, ſed cujuſcunque nationis, vel gentis, niſi ſanguine homicidæ expiari poſſe tradit Moſes. Idque, ut diximus, indefinite & indeterminate; ubi vero eadem ratio ibi idem jus obtinet, ut jam diximus, imo videtur exteris gentibus, quæ terram Chanaan incoluerant, atque diu tanquam ſibi hereditariam poſſederant, reprobatur criminum licentia & delinquendi impunitas, eamque cauſam fuiſſe, quod terra tandem ſuos evomuerit habitatores, ut teſtatur Moſes. Præterea ſanctiones iſtæ capitales non fuere peculiares tantum concernentes facinoroſum & criminis reum origine Hebræum, idque ex eo liquet, quod etiam ea comprehendat incolam & peregrinum, quia cauſa ſanctionis univerſalis, univerſalis autem, quoniam ex ipſo rectæ rationis fonte promanat, ideoque æque peregrinum quam Hebræum obligat ad homicidium in terra Hebræorum, ſive quem e populo Hebræo in terra aliena; capitali vindicandum pœna, id eſt fuſo ſanguine, & etiam ad patiendum ut ſanguis ejus pro expiatione homicidii, vel alterius etiam delicti, quod alteri æquiparatur, effundatur; non itaque perſonæ ſed criminis qualitas attenditur. Quamvis non auſim dicere, ut quemadmodum mortis pœna neceſſaria eſt ſequela homicidii non tantum apud Hebræos, ſed omnes gentes & nationes, ita etiam omnes teneri eadem pœna vindicare cætera crimina, ut adulterium, inceſtum, violationem pudicitiæ, aliaque hiſce paria delicta, qua Deus ea voluit puniri ab Hebræis admiſſa. Quippe dicendum videtur, quia Deo eos ſibi in peculiarem populum adſciſcere placuit, etiam voluit ut honeſtate & morum integritate ac vitæ ſanctitate a cæteris gentibus ſeſe deſtinguerent, atque ſeſe gererent ut dignos cives & ſubjectos tanti Principis & Regis decet, quamobrem ſevere animadverti voluit in eorundem criminum reos, ut ſcil. metu & formidine pœnæ juris divini & honeſtatis religioſiſſimi ſervatores exiſterent Judæi, & ad virtutis cultum magis magiſque excitarentur adigerenturque. Ratio, quare mihi perſuadeo alias nationes non eodem juris vinculo-eademque neceſſitate teneri a Deo in adulteros, ſtupratores, inceſtuoſos legibus ſancita, pœnam recipere, (quamvis eam recipiendo minime contra juſtitiæ normam & regulam peccent) qua obligati ſunt punire eodem ſupplicio homicidium, ea mihi eſſe videtur. Quod homicidium procedens ex odio erga univerſum humanum genus ſocietatem & naturalem illam cognationem non ſolum diſtrahit atque violat, ſed plane tollit, imo totius generis humani interitum portendit, & revera accelerarет, niſi graviſſimo eoque ultimo ſupplicio, id eſt jure talionis, vindicaretur: quoniam vero nulla gens vel natio eſt, cujus non intereſt, ut ſocietas humana conſervetur, quia, ut ſæpius diximus, ab ea cujuſque ſalus pendet. Hinc æquum eſt, ue interitus alicujus ſocietatis membri manibus vel opera alterius membri compenſetur tantundem patiendo, quia interitus partis eſt initium & principium interitus totius, & conſequenter omnes nationes tanquam partes totius tenentur providere ne malum ad cætera perveniat, illud autem præcaveri nequit niſi ſublata mali cauſa, id eſt tollendo e medio a quo admiſſum. Cui etiam accedit, quod maneat ſocietatis violatio atque diſtractio manente cauſa diſtractionis, ea vero ſublata jam demum priſtina viget concordia arctiſſimum ſocietatis vinculum. Contra adulterium, ſtuprum, aliaque id genus crimina, quæ ex amore, quamvis impuro & illicito inordinatoque, ideoque puniri digno, proficiſcuntur, quæque potius hominem homini copulant & arctius conjungunt, non videntur ſocietatem inter homines diſtrahere, ſed arctiorem efficere, imo ad multiplicandum ideoque conſervandum humanum genus maxime neceſſarium medium, & conſeqnenter non eadem pœna, quæ in homicidas ſtatuitur per ſe digna cenſeri debent. Verum quia non tantum invertunt propagandi a Deo ordinem conſtitutum, ſed etiam honeſtati contraria ſunt, atque offendunt maxime charitatem, qua proximum amplecti tenemur, obligans hominem ne ſocio faciat quod ſibi fieri nolit, tum etiam fides matrimonii, qua nihil ſanctius ſervandum, violatur, & prolium confuſionem inducunt, oportet ſevere quoque ejuſmodi crimina puniri, imo quia ſæpe homicidiis, parricidiis, ac fratricidiis cauſam præbuiſſe ex ſacris & prophanis conſtat Hiſtoriis, non abs ratione alienum puto, ut quoque atrociſſimo ſupplicio vindicentur, id eſt fuſo rei ſanguine. Exemplo nobis eſſe poſſunt Uria, Ammon, & caſtiſſima virgo Lucretia. Hinc Catonis dictum, *Nullam adulteram non & veneficam eſſe.* Cui conveniunt quæ apud Ciceronem legimus *Rhetor. ad Herenn. lib.* 4. ubi inquit. *Majores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici judicio multorum maleficiorum damnatam exiſtimabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam judicarant, eam veneficii quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? quia neceſſe eſt eam, quæ ſuum corpus addixit turpiſſima cupiditati, timer permultos. Quos iſtos? virum, parentes, cateros, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut quodammodo poſſet, veneficio petat. Cur? quia nulla eſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam. Quid veneficii damnatam? quid? putabant impudicam quoque neceſſario. Quare? quia nulla facilius ad id maleficium cauſa quam turpis amor & intemperans libido commovere potuit; cum cujus animus mulieris eſſet corruptus, ejus corpus caſtum eſſe non putarint. Quid in viris? idemque obſervabant? minime. Quid ita? quia viros ad unumquodque maleficium ſingula cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia una ducit cupiditas.* Vid. Tacit. *Annal.* 9. *cap.* 3. Velim tamen ut in decernendis ſuppliciis caute procedat princeps vel ſummus magiſtratus cui leges ferendi eſt poteſtas, etiam diligenter criminis præponderet naturam & acceſſoria, tum etiam civium & ſubjectorum indolem & ingenia maturo judicio & animo omnibus præjudiciis vacuo examinet, eorumque frequentia apud eum magni momenti ſit atque ponderis. Idem ſuadeo judici in pœnis ſceleribus applicandis & reo

inſligendis, ne quid nimis in judicando præceps ad pœnitendum properet. Multi enim quandoque caſus incidere poſſunt, qui idem crimen eadem pœna ordinaria expiandum prohibent; nec difficile nobis eſſet ejuſmodi deſcribere caſus, qui occaſione illorum criminum, quæ recenſuimus ſtatim, exiſtere poſſunt, quibus judex æquitatis ſacerdos idem crimen non ſemper eadem, id eſt ordinaria atroci pœna, ſed mitiori vindicare commoveri poſſet. Sed ſortaſſe alias nobis dabitur opportunior occaſio. Nullus dubito quin ex hiſce jam facile perſpiciamus vim argumenti, quod Author adducit, quo probare conatur illam licentiam & facultatem, quam Deus concedit Hebræo populo, effundendi ſanguinis humani, vel ſuppliciis capitalibus domi vel foris in bello ad tuendam publicam & conſequenter etiam ſingulorum civium ſalutem, etiam exteris nationibus & gentibus ob eandem rationem non denegandam, cum etiam, quod ejuſmodi conceſſio evincit legem Noæ datam, qua prohibita ſanguinis effuſio, non tollere juſtam belli gerendi & criminum etiam fuſo rei ſanguine expiandorum facultatem, quia ipſe legiſlator contrarium permiſit populo Hebræo, cujuſmodi permiſſio interpretari videtur legem anteriorem.

10. Imo contra quis non credat, cum lex Moſis de judiciis expreſſam habuerit divinæ voluntatis imaginem, recte ac pie facturas fuiſſe nationes quæ inde ſibi exemplum peterent? quod certe Græcos, Atticos præſertim, feciſſe credibile eſt. Unde tanta in jure veteri Attico & quod inde ſumtum eſt Romano XII tabularum cum legibus Hebræis ſimilitudo eſt. Sufficere hæc videntur, ut appareat legem Noæ datam non eum habere ſenſum quem volunt, qui bella omnia eo argumento impugnant.

COMMENTARIUS.

CUm nihil æquius nihilque rectæ rationi magis conſentaneum fingi vel excogitari queat, quam quod ab ipſo æquitatis & omnis rectitudinis atque juſtitiæ fonte procedit, a quo nihil proficiſci poteſt, quam quod æquum & juſtum eſt, quin eſſe non oporteret quod eſt. Hinc merito ſtatuit Author recte ac pie facturas nationes, ſi leges Moſis de judiciis ſibi tanquam optimum exemplar proponunt, ad quas & ſuas componere conantur. Quod etiam nonnullas feciſſe gentes ex convenientia, quam earumdem leges, quas ſibi fecere proprias, de judiciis, cum divinis legibus habent, admodum veroſimile eſſe perſpicimus. In primis Græci. Refertur enim Ægyptiorum Principem olim Mercurium Triſmegiſtum leges condidiſſe ad exemplar legum Moſaïcarum, quas ab ipſo Moſe de manu in manum accepiſſe tradunt, ab Ægyptiis vero Græci leges petivere. Teſtatur Plato in Timæo Athenienſes ſacras Ægyptiorum leges e tenebris in lucem protraxiſſe, nec fidem denegandam Platoni quidam putant. Dum tradit Auguſtinus fide dignus ſcriptor *lib.* 2. *de doctrin. Chriſt. cap.* 18. eum in Ægyptum profectum tempore Jeremiæ Prophetæ, ibique ſacris litteris imbutum. Idem fere tradit Ambroſius *ad Pſalm.* 118. nempe eruditionis gratia in Ægyptum eſſe profectum, ut Moſis geſta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognoſceret. vid. Hugo de Roy *de eo quod juſt. lib.* 1. *cap.* 8. Verum vid. Auguſt. *de civ. Dei lib.* 9. *cap.* 11. Non una eademque Patrum de Platone ſententia. Quidam eum libros Moſis & Prophetarum legiſſe autumant. Alii opinantur Platonem non potuiſſe ſacros legiſſe libros, quod ejus ætate nondum Græca lingua donati eſſent. vid. *Comment. ad dict. loc.* Auguſt. Nullus tamen dubito, quod leges Græcorum attinet, quin habuerint puriorem fontem, quam Gentilium figmenta & corrupti mores ac conſuetudines, idque manifeſte conſtare videtur ex mirabili juris Romani a Græcis mutuati, miſſis in Atticam legatis, qui ejus populi jura deſcripta Romam transferrent, cum divino jure harmonia & convenſentia, quam viri docti ex collatione legum Moſaïcarum & Romanarum annotarunt. vid. Pithœ. *de collat. Moſaïc. & Rom. leg.* Unde Ambroſ. ad *Roman. cap.* 7. *Comprehenderunt*, inquit, Romanos intelligens, *naturalem juſtitiam partim ex ſe, partim ex Græcis, ſicut & Græci ex Hebræis.* Unde vero Hebræorum jura, niſi ab ipſo Deo; eadem itaque origo, quæ Hebræorum, Græcorum, tum etiam Roman. legibus adtribuenda. An vero opera & cura Platonis, vel alius cujuſque e Græcorum Philoſophis & Sapientibus, ſtudio & diligentia ad juris divini notitiam pervenerint, parum refert, modo conſtet ejuſmodi leges apud illos obtinuiſſe, quæ divini juris, cujus unicus cuſtos populus Hebræus fuit, veram & expreſſam referunt imaginem.

VI. 1. Speciem majorem habent quæ ex Euangelio contra bellum adferuntur: in quibus examinandis non illud mihi ſumam quod ſumunt multi, in Euangelio extra præcepta credendi & ſacramentorum

nihil

nihil eſſe quod non ſit juris naturalis: id enim, quo ſenſu a pleriſque ſumitur, verum non puto.

COMMENTARIUS.

QUæ Author hic de Euangelio ejuſque præceptis diſputat, plane contraria ſunt Reformatæ Religioni & puræ fidei dogmatibus, ut ex ſequentibus manifeſte patebit. Ratio enim, cur ſtatuat majoris ponderis & momenti eſſe argumenta, quæ ex Euangelio contra bellum adferuntur, quam quæ huc uſque a jure naturali ſive morali vel divino poſitivo petivimus, poſita potiſſimum in diſcrimine antiquæ & novæ legis per Chriſtum promulgatæ, qua obligamur ulterius quam ad ea ad quæ jus naturæ per ſe nos obligat, ideoque Chriſtianis imprimis ejus habenda ratio in omnibus, quæ vel ſuſcipiunt vel agunt, quaſi correctione vel additione aliqua opus habuiſſet lex moralis, & conſequenter imperfectione laboraret, quod abſurdum & ab omni ſana ratione alienum recte ſentientibus merito videtur, ut ſupr. ad *Prolog* §. 48. dicere incepimus. Quamobrem annotandum, non eodem ſenſu hic ab Authore ſumi *præcepta credendi*, quæ in Euangelio habentur, quo a Reformatæ Religionis Antiſtibus ſumuntur. Per præcepta credendi, *fidem legalem*, qua hominem juſtificatum volunt Sociniani, intelligens, quæ operibus nititur, quaſi fides nihil aliud eſſet quam obedientia mandatorum Dei. Quod non obſcure teſtatur quidam Socinianorum diſciplinæ addictus, quando tertium fidei gradum in obedientia mandatorum Dei collocans inquit, *Tertius eſt Chriſto confidere, perque ipſum Deo, atque adeo ſpe immortalitatis ſubnixum, totum ſe ad Dei ſtudium accommodare, id eſt Chriſti, & ſic etiam Dei præceptis obtemperare.* Concedimus Euangelium præceptum, & mandatum credendi nobis præſcribere; ut patet 1 *Joan.* 3. 23. & *Act.* 6. 30. *Crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſervaberis.* Quæ verba cum contineant ipſam ſtipulationem, non perperam mandatum ſive *lex fidei* appellatur *Rom.* 3. 27. revera obligans omnes & ſolos reſipiſcentes, non eo pacto, quaſi mandatum *crede* illud obſervando ſibi poſſent mereri, & ejuſmodi obedientia obtinere juſtitiam, verum quia ſine fide vera nemo poteſt juſtificari, id eſt veram obtinere juſtitiam, quæ eſt ex fide per Jeſum Chriſtum, tenemur prius per fidem amplecti gratiam Dei in Jeſu Chriſto. Non juſtificat igitur nos fides tanquam actus mandatus, & a Deo nobis præſcriptus, nam hoc ſenſu nihil a cæteris operibus lege juſſis differrent, verum per eum actum juſtificamur, in quantum eo apprehendimus Chriſtum, illi unimur, ejuſque juſtitiam amplectimur. Ita celeber. Witſ. *OEconom. fœd. lib.* 3. *cap.* 8. *Fides in negotio juſtificationis non debet reſpici tanquam δικαίωμα meritum aut bonum opus, quo mereamur remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Nec dici debet nova conditio fœderis, per quam, ſi eam obſervamus, mereamur.* 1. *Quia ſalus noſtro merito, noſtraque obedientia, non Chriſto adſcribenda eſſet.* 2, *Juſtitia eſſet ex lege præſcripta, adeoque ex operibus: ita autem Chriſtus fruſtra mortuus eſſet Gal.* 2. 21. 3. *Juſtitiæ Dei non eſſet ſatis factum, cum unicus actus obedientiæ, qualis eſt fides, non ſatis faciat, ſed obedientia totius legis, ſine ullo peccato &c. Eſt igitur fides in negotio juſtificationis noſtræ, tanquam inſtrumentum, & quaſi manus per quam amplectimur remiſſionem peccatorum & vitam æternam, quæ nobis gratuito offeruntur, ut, quemadmodum dicimur nutriri per os, non quod ipſum os ſua natura nos nutriat, ſed quod nutrimentum accipiamus per os, ita quoque dicamur juſtificari per fidem, non quod fides nos ſua dignitate juſtificet, ſed quod per eam amplectamur juſtitiam Chriſti, quæ nobis gratis offertur,* ut erudite diſputat Joan. Braun. *Doctrin. fœder. vol.* 1. *part.* 3. *cap.* 9. Ab hac opinione non aliena quæ habet Joann. Cloppenb. *in Operibus Theologicis. diſp.* 23. *de gangr. Theolog. Anabapt.* cum ſtatuit. In novo fœdere gratiæ mandatum illud *Crede* non flagitare novum aliquod opus fidei, cujus intuitu Chriſtus donat vitam æternam: ſed tantum ut per fidem & per τὸ credere agnoſcatur donata Chriſti ſatisfactio, qua pro nobis ipſe & noſtro loco juſtitiam lege operum mandatam implevit. Vide & Clariſſ. Burman. *Synopſ. lib.* 6. *cap.* 5. Ita quoque ſentit Turretin. *Inſtitut. Theolog. loc.* 15. *quæſt.* 13. ubi inquit. *Licet τὸ credere ſit obedire mandato credendi, præſcripto in Euangelio* 1 *Joan.* 3. 23. *Non ideo fides bene dicitur obedientia mandatorum Dei, ex ſenſu Adverſariorum, qui per mandata hic intelligunt præcepta legis, quæ nobis facienda & implenda ſunt bonis operibus, non mandatum Euangelii, quod præſcribit nobis fidem in promiſſionibus gratiæ.* Quidam cavillantur in eo, quod fides *Joan.* 6. 29. *opus* vocatur ab ipſo magiſtro Chriſto. Verum reſpondet idem Author huic cavillationi dicendo, quod hoc *ſit potius μιμητικῶς ratione habita ad petitionem turbarum, quæ rogaverant quid ſibi faciendum eſſet, ut operarentur opera Dei, quia fides dare ipſis poterat, quod fruſtra quærebant in operibus legis. Ut alibi Euangelium nomine legis donatur, & opera charitatis & beneficentiæ jejunium vocantur Iſ.* 58. 6. 7. *quia præſtant re ipſa quod fruſtra quærebant Judæi in jejuniis ſuis hypocriticis.* Expreſſe enim dicit Apoſtolus *Rom.* 3. 28. *Homo juſtificatur fide ſine operibus*, id eſt ſine merito & virtute operum legis, opponitur itaque fides operibus, argumentum certiſſimum quod fides non conſiderari poteſt tanquam opus bonum a nobis profectum vel operatum, quo æternam ſalutem acquirere valemus. Gratis enim juſtificamur, quod reſpuit omne laboris ac operis noſtri pretium. Optime argumentatur Apoſtolus *Rom.* 11. 6. *Quod ſi per gratiam, non*

jam ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia. Si ex operibus, jam non eſt gratia: alioquin opus jam non eſt opus. Quòd vero per gratiam juſtificamur teſtatur *Rom.* 3. 24. Non tamen excludit bona opera, atque virtutum, quæ nobis lege præcipiuntur, exercitationem & commutationem, fides; ſunt enim bona opera fructus fidei, verum nullam habent efficaciam & vim merendi, quia ſunt imperfecta etiam optima, imo etiamſi eſſent perfecta, tamen ob peccatum, quod nobis inhæret ab ipſo nativitatis momento, non poſſent hominem liberare ab ejus reatu. Si vero nullum opus meritorium, ergo nec fides eo ſenſu ſumpta, *propterea quod non juſtificabitur ex operibus ulla caro Gal.* 2. 16. Cui accedit quod quemadmodum fidem non habemus a nobiſmetipſis, ſed donum Dei eſt gratuitum, ita nec ullum opus bonum noſtrum dici poteſt, Deus enim operatur in nobis & *τὶ velle & perficere, cap.* 1. *ad Philip.* vid. 1 *Corinth.* 4. 7. *Joan.* 3. 27. *Jacob.* 1. 17. *Philip.* 3. 13. Si igitur opera non ſunt noſtra, quomodo iis aliquid mereri poſſumus. E quibus perſpicimus neutiquam fidem poſſe conſiderari tanquam opus aliquod meritorium, nt actus noſter eſt, ex ſe habens efficaciam ad juſtificandum peccatorem, ſed virtus ejus tota procedit ex ipſius objecto, nempe Chriſto, cujus virtutem & meritum fides, ut medium a Deo inſtitutum, applicat peccatori ad juſtificandum. Quod autem ſacramenta attinet, neque ea conferre gratiam affirmamus *ex opere operato*, id eſt, nt Orthodoxorum ſententia eſt, Phyſicè per infallibilem vim ſacramentis inhærentem gratiam conferri iis omnibus, qui ſacramenta recipiunt, negamus. Verum non aliam eorum potentiam agnoſcimus, quam moralem, qualem in ſignis & verbis eſt, Clariſſ. Burman. *Synopſ. lib.* 7. *cap.* 4. ad rem non efficiendam & producendam, ſed ſignificandam & obſignandam. Quamobrem vocantur ſigna & ſigilla, quæ in uſu legitimo gratiam obſignant & exhibent fidelibus, Deo per Spiritus Sancti virtutem vere præſtante & implente in fidelibus quicquid ſignis promittit & figurat, Turretin. *loc.* 19. *quæſt.* 8. Oportet itaque nt accedat fides utentis, quæ & hic eodem modo debet conſiderari, nt ſtatim diximus, & conſequenter in fidelibus tantum, iiſque qui non ſolum illum qualemcunque mortalis peccati obicem removerunt, ſed & pios ſanctoſque motus habent, illa valent, cujus plane contrarium adverſarii, ſtatuentes *ſacramenta conferre gratiam ex opere operato, ſic quod præter exhibitionem ſigni foris, non requiritur bonus motus in ſuſcipiente.* Quam opinionem tam audacter defendunt Pontificii, ut definitum fuit in Concilio Tridentino: *Si quis dixerit per ipſa nova legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, Anathema ſit.* Quamvis contrarium doceat *Pet.* 1. *epiſt. cap.* 3. *v.* 21. cum inquit, *Cui rei nunc reſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſervat, non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Quorum verborum, quando cum præcedentibus conferuntur, ſenſus eſt, ut quemadmodum aqua diluvii arcam ſublatam eique incluſos fideles ſuſtinuit atque ſervavit, ita Baptiſmus fideles in Eccleſiam collectos ſervat ſalute æterna. Sed notandum quod hic ſalus non tribuitur Baptiſmo, ut cauſæ per ſe & ex natura ſua efficaci, ſed ut ſigno & inſtrumento ad noſtram ſanctificationem a Chriſto inſtituto. Negat itaque Apoſtolus externam illam ſordium carnis ablutionem ſalutis eſſe cauſam efficacem, ſed ſtipulationi bonæ conſcientiæ attribuendam. Eſt autem ſtipulatio *contractus conſtans interrogatione & reſponſione certis verbis conceptus.* Reſpicit itaque Apoſtolus ad interrogationes, quæ in ceremoniis Baptiſmi fieri ſolebant, cum Catechumenus interrogabatur de iis, quæ pertinebant ad internum fidei ſenſum, vel ſtipulabatur. *Renuntias Satanæ? Credis in Chriſtum?* Reſpondebat baptizandus, *Renuncio, credo.* Oſtendit itaque Petrus quid præcipuum ſit in Baptiſmo; docetque fidem internam exteriori profeſſione, dum quis baptizatur, expreſſam, id eſſe, quod in baptiſmate nos ſalvat; concludimus itaque nullam externæ actioni ſacramentorum ineſſe vim ſalvificam, fide & pietate vacuam, & conſequenter negamus aliquam hominibus ſibi gratiam acquirere eorum uſu externo, niſi accedat fides, devotio, & internus motus utentis vel accipientis. Quamobrem Petrus *Act.* 2. 38. *Reſipiſcite & baptiſetur unusquiſque veſtrum in nomen Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* vide *Corinth.* 11. 27. Recte vero ſentire mihi videntur, quamvis contrarium ſtatuat Author, quicunque extra præcepta credendi & ſacramentorum ſumpta eo ſenſu, qui vitio caret, nihil præcipi in N. T. quod non ſit juris naturalis, vel moralis, a Moſe tanquam internuncio & miniſtro ſummi legiſlatoris populo Hebræo propoſiti, ideoque nulla dari alia mandata vel præcepta ad virtutes, atque naturalem honeſtatem aut bona opera vel officia, quæ homo vel Deo proximo debet, pertinentia, quam quæ decalogo tanquam brevi juris naturæ compendio prohibentur, vel præcipiuntur ſive expreſſe ſive tacite. Quippe multa dictat rectæ rationis dictamen facienda, vel omittenda, quæ quamvis non omnia exprimantur, tamen propter convenientiam cum virtutibus & vitiis expreſſe vetitis vel præceptis a ſummo legiſlatore Deo, tacite quoque prohibita atque præcepta intelligi debent; cardinalibus enim virtutibus propoſitis, non opus eſt ut ceteræ ex illis defluentess propter neceſſariam conſequentiam & ſimilitudinem depingantur. Utpote quæ vi rationis facillime indagari poſſunt, præſertim cum ſint omnes virtutes & officia ejuſdem generis & naturæ ejuſdemque qualitatis, ita ut una prodat alteram, quia uno eodemque nexu & vinculo inter ſeſe cohærent & quidem neceſſitate quadam immutabili, nam quamvis in noſtra idea poſſunt a ſe invicem diſtingui & ſeparari officiorum atque virtutum varia nomina & ſpecies, omnia tamen uno eodemque ſingulari virtutis & officii nomine continen-

Digitized by Google

tinentur, quia eſſentia & qualitate nihil a ſe invicem differunt, ideoque eandem ſaciendi quoque neceſſitatem moralem continent, quoniam una immutabilis & ſimpliciſſima immediate & quidem neceſſario ac perfectiſſima cauſa, unde omnia defluunt & dimanant, non ſeparatim & diverſo tempore, ſed ſimul tanquam una eademque omnium virtutum compage, quippe cum ſimpliciſſima ſit cauſa, ideoque dividi nequeat in ſua attributa, quamvis propter ingenii noſtri imbecillitatem & imperfectionem ad clariorem divinæ eſſentiæ intellectum nobis multiplicata & quaſi ſeparatim Sacra Seriptura revelare & proponere voluerit. Quamobrem virum juſtum & honeſtum dicimus, qui virtutem ſectatur, & fugit vitium, ſingulari numero, quia una virtus includit alteram, & ſic quoque vitium, conſequenter una eademque obligatio faciendi omnibus inhæret virtutibus, fugiendl omnibus vitiis. Quamobrem optimus & fallere neſcius interpres legis moralis Chriſtus una virtute unoque præcepto, ſcil. *diligendi Deum & proximum*, totam legem ejuſque diverſa præcepta comprehendit. *Math.* 22. 37. 39. Et *Epiſt. ad Rom.* 13. 9. 10. ubi inquit Apoſtolus: *Nemini quicquam debeatis, ni ſi ut invicem vos diligatis. Nam qui diligit alterum, levit. Siquidem illa, Non adulteraberis, Non occidem explendes, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod aliud præceptum, in hoc ſermone ſummatim continentur nempe Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximo malum non operatur, conſummatio itaque legis eſt dilectio proximi,* Quaſi diceret ex univerſalibus particularia proſluere, & poſito uno cetera præcepta naturalia atque perpetua neceſſitate conſequentiæ innoteſcere. Ita quoque de amicitia Tullius: *Si homines amici eſſent, vel ſe mutuo amarent, non indigerent lege, nec coactione juſtitiæ, ſed ipſimet obſervationem omnem præſtarent.* Hinc etiam Juriſconſulti tria tantum juris ſtatuunt præcepta, ſcil. *Honeſte vivere, alteri non lædere, ſuum cuique tribuere,* cum tamen multo plura nobis dictet ratio, & lex moralis contineat, verum cum cetera neceſſitate quadam morali ex principalibus hiſce præceptis immediate emanent, non opus ut omnes enumeret, imo unum poſuiſſe ſatis fuiſſet, quia ſe invicem includunt, ita ut qui unum obſervat cætera qnoque impleat, honeſte enim non vivit, qui ſocium lædit & ſuum cuique non tribuit, alterum vero lædit, qni non honeſte vivens ſuum cuique non tribuit, ſuum vero cuique non tribuit, qui alterum lædit, & conſequenter honeſte non vivit, nam honeſte vivere eſt jus ſuum cuique tribuere, quia honeſte vivere eſt legibus naturæ conſentaneum vivere, nihil autem magis naturæ legibus convenienter, quam ut Deo & ſocio tribuendo quod ipſi debemus juſtitiam colamus. Hinc olim Megarici dicebant unam eſſe virtutem, quæ variis nominibus appellaretur. Tradit Laërtius de Apollophane eum aſſeruiſſe unicam virtutem prudentiam. Fuit Stoïcorum dogma, virtutes adeo inter ſeſe colligatas atque nexas eſſe, ut omnes habeat qui unam habet. Quamobrem Chryſippus apud Plutarchum virtutes connexas eſſe non ſolum docet, *quod qui unam habet, omnes habet, verum etiam, quod qui ſecundum unam aliquid, idem agat ſecundum omnes, & neque vir perfectus ſit, qui non omnes virtutes habeat: neque actio perfecta, quæ non fiat ſecundum omnes.* Quoniam vero virtutes præcipiuntur, quia moralem habent in ſe bonitatem, vitia vero prohibentur, quoniam continent moralem turpitudinem, hinc eadem omnibus virtutibus & vitiis ineſt obligatio, qua tenemur illas ſequi, hæc fugere; illarum præceptum, horum prohibitio tam late patet quam idea boni vel mali, ita ut quemadmodum bonitas & turpitudo intrinſeca utriuſque eſt cauſa prohibitionis & præceptionis, nihil excogitari queat, vel ſub idea boni vel mali, virtutis vel vitii nobis repræſentari, quod non contineat obligationem, qua, propter præceptionem, vel prohibitionem naturæ virtutis vel vitii, ſive boni, vel mali inhærentem, tenemur hoc fugere, illud ſequi. Cum autem natura virtutis per ſe, vel vitii, nullum poteſt pati augmentum, vel extenſionem, quoniam quomodocunque virtutem conſideres, ſemper nobis repræſentatur ſub idea boni, recti ſive juſti, vitium ſub idea mali, injuſti, inhoneſti, cui nihil addi poteſt, vel detrahi, quod aliquo modo mutaret naturam boni, vel mali, & conſequen-quenter neque obligationes ex utroque deſcentes, vel ſtrictiores, vel laxiores eſſe poſſunt, neque etiam multiplicari lapſu temporis, quia virtutum nequit dari major numerus, quam fuit ab æterno, id eſt quam ex ipſo boni & mali fonte atque origine deſluentes, noſtræ naturæ ſive ideæ propter communicationem imaginis divinæ impreſſæ ſunt atque connatæ, quemadmodum enim ſummum illud ens, quod Deum vocamus, ſemper idem eſt & fuit, neque augmentum vel diminutionem pati poteſt, quia perfectiſſimum ac ſimpliciſſimum eſt, ut jam ante demonſtravimus, ita quæ immediate ex natura iſtiuſmodi entis defluunt, ejuſdem quoque naturæ eſſe neceſſe ſtatuendum. Immediate ab illo profluere ea dicimus, quæ cum entis eſſentia ac natura ita coadunata ſunt, ut ab ea ſeparari nequeant, & conſequenter ab illo dimanantia non aliquam diminutionem vel mutationem ejus naturæ adferunt, verum communicando ſuam imaginem poſitam in illa rectitudine ſive amore virtutis & honeſtatis, juſti & recti, cujus innata principia creaturis, tanquam ſol calorem ſuum, ſemper unum idemque manet. Semper ſummum bonum, honeſtatis, juſtitiæ, & quicquid ſub idea virtutis nobis obvenit, perfectiſſimum exemplar, quia unicus fons & origo nulli mutationi obnoxium, ita ut jam ſit quod fuit ab æterno, & in æternum manſurum quod eſt hodie, ejuſdemque naturæ omnia attributa, unde omnes virtutes, quas morales vocamus, quarum nobis innata principia & notio, nec non facultas eas amplectendi & ſequendi. Ex quibus concludimus, nihil novi in Euangelio præceptum eſſe, quod non ſit juris naturæ vel moralis, a Deo etiam populo Hebræo in decalogo, qui ipſi fuit norma & regula agendorum, conti-

nente omnes virtutes omniaque officia, cum quæ Deo, tum etiam quæ debemus ſocio, propoſiti, ut haberet quotidie ob oculos ſcriptis conſignata, quæ cæteris gentibus ex naturali lumine deducere neceſſe habebant. vid. §. 9. 48. *Prolegom.*

2. Illud libens agnoſco, nihil nobis in Euangelio præcipi quod non naturalem habeat honeſtatem: ſed non ulterius nos obligari legibus Chriſti quam ad ea ad quæ jus naturæ per ſe obligat, cur concedam non video. Et qui aliter ſentiunt mirum quam ſudent, ut probent quæ Euangèlio vetantur ipſo jure naturæ eſſe illicita, ut concubinatum, divortium, matrimonium cum pluribus feminis. Sunt quidem hæc ejuſmodi ut eis abſtinere honeſtius eſſe dictet ipſa ratio; at non talia ut abſque lege divina nefas in illis appareat. Ad illud vero quod Chriſtiana lex præcipit, ut alii pro aliis mortis periculo nos objiciamus, 1 Joh. III, 16. quis dicat ipſo naturæ jure nos obligari? Juſtini dictum eſt: τὸ κατὰ φύσιν βιοῦν ἰδίωμα μὴ πεπιστευκότος ἐστίν: *ſecundum naturam vivere ejus eſt qui nondum credidit.*

COMMENTARIUS.

SI diligenter examinemus & maturo judicio ponderemus, atque conferamus cum antecedentibus, quæ hic concedit Author, non ſibi ſatis conſtare videbitur. Quippe cum in præcedenti §. rejicere videtur opinionem eorum, qui ſtatuunt in Euangelio extra *ſacramentorum & credendi præcepta nihil præcipi quod non ſit juris naturalis*, hic iterum amplectitur, cum inqnit, *ſe libens agnoſcere nihil præcipi in Euangelio quod non naturalem habeat honeſtatem*: quod idem eſt quaſi dicerem, quod non eſt juris naturalis vel moralis; nam quod recta ratio dictat naturaliter honeſtum eſſe, id etiam dictat naturaliter juſtum, bonum, rectum, & æquum; ita ut omne quod eſt naturalis honeſtatis etiam ſit juris naturalis, & vice verſa, quamobrem nomen honeſtatis tam late patet, quam ſe extendit verbum juris, atque eadem officia & præcepta comprehendit, quæ jus naturale continet, idcirco qui honeſte vivit, dicitur ſecundum naturam vivere, id eſt jure vel legibus naturæ convenienter, ut ſtatim diximus. Nullum officium, nullas virtutes jus naturæ imperat, quas non honeſtas ſua latitudine complectitur, cum & ipſum univerſalem juſtitiam comprehendat, quæ eſt obedientia & adimpletio omnium legum, continens omnia omnino officia omneſque virtutes quæ dictat naturalis ratio, in naturæ itaque obſequio potiſſimum conſiſtit honeſtas, id eſt in convenientia actionum, quæ a nobis proficiſcuntur, cum naturæ legibus, & conſequenter eadem vetat, eadem imperat quæ jus naturæ jubet prohibetque, eandem habens obligandi vim, quia circa eadem verſatur objecta moralia, quibus ineſt illa immutabilis & indiſpenſabilis neceſſitas, qua tenemur illa facere, hæc fugere vel omittere. Si itaque nihil præcipiatur in N. T. quam quod naturalem habeat honeſtatem, id eſt convenientiam cum jure & legibus naturæ, ſequitur nihil novi additum vel adjectum legi morali a Chriſto tanquam novo legiſlatore, propterea, quia, ut ſtatim dicere incepimus, quæ ſunt juris naturalis, ſive honeſtatis, ea quoque ſunt juris moralis, quæ inter ſe adeo colligata atque implicita ſunt, atque unnm ad alterum adeo neceſſariam relationem habet, ut quod de uno dicitur prædicetur etiam de cæteris omnibus. Ita ut nullum præceptum novum aliquod excogitari poſſit, qnod non contineatur in decalogo, quamvis non expreſſe promulgatum. Quamobrem docet Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 3. eſſe duo genera præceptorum, quæ quamvis non expreſſe inter præcepta decalogi computantur, tamen præceptis decalogo expreſſis inſunt atque iis continentur. Eorum in numero 1°. haberi poſſunt prima & communia, quorum non oportet aliquam editionem eſſe, niſi quod in naturali ratione ſcripta ſint, quaſi per ſe nota; ſicut, quod nemo lædendus vel malo aliquo afficiendus. 2°. Illa quæ per diligentem inveſtigationem ſapientum inveniuntur rationi convenire, quæ proveniunt a Deo mediante doctrina ſapientum. Utraqne tamen præceptis decalogi comprehenduntur. Prima in eo continentur ſicut principia in concluſionibus proximis; poſteriora ſicut concluſiones in principiis ſuis. Rivet. *Prælect. in decal.* Revera igitur decalogum tanquam perfectiſſimam agendorum normam, quo vel expreſſe vel tacite omnes virtutes omniaqne officia, quæ vel Deo vel ſocio debemus, continentur ac præcipiuntur, vitia autem vetantur, nobis proponere poſſumus, cui nihil deficit, ideoque nihil addi poteſt, vel quoad materiam, vel quoad obligandi vim. Quamobrem perperam Authorem ſtatuere putamus ulterius nos obligari Chriſti legibus, quam naturalibus ſive moralibus. Quæ enim ſunt Chriſti leges? Chriſti leges ſunt, ut ipſe Author in præcedentibus verbis, quæ cum naturali

turali honeſtate conveniunt, atqui omnia quæ naturalem honeſtatem habent per ſe & ſua natura, habeant neceſſariam vim obligandi, ergo Chriſtus docens ea quæ ſunt naturaliter honeſta, non nova præcepta vel novas leges condidit, verum repetit quæ ſunt naturalis honeſtatis ſive juris naturæ, neque ulteriorem induxit obligationem, quam iis, quæ naturaliter juſta vel honeſta dicuntur, ineſt, ſeſe tam late extendens quam nomen juris vel honeſti, ſive recti & boni. Omne enim bonum, vel quod venit nomine juſti vel recti, id eſt quod convenit cum legibus ſive jure naturæ, per ſe perfectum eſſe oportet, cui nihil addi poteſt vel detrahi, ita ut non detur aliquid juſto juſtius, vel recto rectius, neque una virtus ſit alia major, & conſequenter neque ſtrictior vel laxior obligatio ex diverſo virtutum gradu procedit. Optime Cic. *in Paradox. Quod ſemper unum & idem eſt, quæ ex eo naſcuntur, æqualia eſſe oportet. Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe & vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facile poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum nullo teſte, cum lucrari impune poſſet, auri pondo decem reddiderit, ſi idem in decem millibus idem non fecerit, aut temperantem eum, qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus eſt conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. Nihil huc addi poteſt quo magis virtus ſit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim ſi bene facta recte facta ſunt, & nihil recto rectius: certe ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt. Sequitur igitur, ut & omnia vitia paria ſint, ſi quidem pravitates omnes recte vitia dicuntur.* Sic quoque Seneca *epiſt. 72. Virtus non poteſt major aut minor fieri. Unius ſtaturæ eſt.* Et poſtea. *Non intenditur virtus. Idem eſſe dicebat Socrates veritatem & virtutem, quomodo illa non creſcit, ſic nec virtus quidem. Habeat numeros ſuos, plena eſt.* Unde itaque novæ Chriſti leges, unde ulterior obligatio ex novis legibus deſcendens, qua tenemur exactiorem vitæ inſtituendæ & agendæ normam Chriſti legibus præſcriptam ſequi, ad quam Hebræi non obſtricti erant lege morali vel naturali, ſi non dentur vel majores virtutes, vel plane alia officia excogitari nequeant, quæ vel Deo vel ſocio exhibere atque præſtare non præcipit cum lex moralis, tum etiam naturalis. Quippe ſi quædam novæ a Chriſto fuiſſent promulgatæ leges, neceſſario illæ debuiſſent verſari circa eas virtutes eaque officia quæ moralia ſunt, id eſt quæ intrinſecam habent bonitatem, & conſequenter neceſſitatem per ſe & ſua natura obligantem, ut actiones noſtræ huic reſpondeant atque conſentaneæ ſint, atqui ejuſmodi obligatio ejuſdem debet eſſe naturæ, cujus eſt ſubjectum, ſcil. virtus cui inhæret, ergo cum eadem quoque exiſtere incepiſſe neceſſe eſt, atqui omne illud, quod morale eſt, exiſtit cum prima origine, id eſt divina eſſentia, a qua immediate & quidem neceſſario profluit, ut toties diximus, ergo ab æterno aliquo principio obligatio, vel lex obligationem moralem inducens, eſſe cœpit, & conſequenter non nova, id eſt ulterior quam quæ ex ipſa moralitate ex divina ſcil. natura, dimanat, obligatio veteri addi potuit, quoniam, ut jam diximus paulo ſuperius, omnis moralitas ſimul & ut ita dicam unico actu profluit a divina eſſentia, eaque tam late patet, quam ſanctitas divina, cujus typus eſt lex moralis ſive naturalis, & conſequenter perfecta & omnibus numeris abſoluta, hominem obligans ad illa omnia quæ ſub idea vel alicujus virtutis ſive honeſtatis aliqua ratione nobis repræſentari poſſunt. Exempla, quæ adferuntur de *polygamia, divortio, concubinatu*, nihil minus probant, quam quod intendit probare Author. Concedimus illa per ſe & ſua natura neutiquam illicita eſſe, & conſequenter jure naturæ non vetita, quoniam conſtat ex ſacris litteris Deum aliquando ea permiſiſſe in veteri Teſtamento, & circa ea diſpenſaſſe, & idcirco potius videri juris eſſe voluntarii, cujus diſpenſatio a legiſlatoris voluntate pendet, ſequitur perperam a quibuſdam poni & haberi in eorum numero quæ jure naturæ vel morali prohibita ſunt, quia per ſe illicita. Quippe ſi intrinſece mala eſſent, id eſt cum divina juſtitia & ſanctitate pugnarent, non potuiſſet circa ea diſpenſare Deus. Atqui contrarium conſtat, ergo juri & lumini naturæ non repugnant, tanquam per ſe & ſua natura illicita, de quo latius inferius nobis diſputandi dabitur occaſio. Verum negamus illa in veteri Teſtamento permiſſa a Chriſto tanquam novo legiſlatore interdicta vel prohibita, ab initio ſive mundi primordio indifferentia, & idcirco arbitrio hominum relicta. Nam Chriſtus tanquam optimus interpres voluntatis divinæ docet & explicat, quod nulla expreſſa legis ſanctione, ſed tacite continebatur ipſa divina conjugii inſtitutione, imo & ipſa hominis creatione, plurali quidem numero quoad corporalem eſſentiam & exiſtentiam, ſingulari vero quoad animorum concordiam, amorem, voluntatem, unionem conſtante. Quamobrem Chriſtus revocat Phariſæos ad primævam matrimonii inſtitutionem, tanquam ad voluntatis divinæ de ordine & modo, quo voluit propagari & multiplicari genus humanum, declarationem, quæ nobis agendorum norma & conſequenter legis inſtar habenda; declarat itaque & interpretatur Chriſtus voluntatem divinam circa matrimonii inſtitutionem, ſcil. Moſen ex divina auctoritate permiſiſſe polygamiam & divortium ob rationes peculiares, quibus ceſſantibus reviviſcit jus priſtinum, atque circa matrimonium eandem obſervandam voluntatem ſive legem divinam, quæ primæva inſtitutione continetur, & idcirco tanquam alter Moſes vobis annuncio, *quod quicunque repudiaverit uxorem ſuam niſi ob ſtuprum, & aliam duxerit, is tanquam adulter coram Deo habendus*, & hunc divinæ voluntatis circa conjugii inſtitutionem ab initio fuiſſe ſcopum vobis interpretor, rectumque & verum ſenſum eſſe teſtor, & conſulite rationis dictamen, ea vobis quoque hanc propagandi & cohabitandi rationem longe præferendam uxorum pluralitati cum propter honeſtatem, tum

commoditatem tranquillitatemque atque ordinem, ideoque quis poſſet revocare in dubium ipſum honeſtatis fontem, & omnis ordinis authorem, & ſalutis & vitæ humanæ beatitudinis, quæ maxime a tranquillitate & concordia animorum dependet, ſoſpitatorem non idem velle, non neceſſitate quadam morali, ſed melioris ordinis introducendi & conſervandi intuitu, qui ex liberrima pendebat voluntate. Quis enim negare poteſt innumera incommoda, graves moleſtias, querelas, domeſtica diſſidia polygamiam producere, atque ſemper produxiſſe, thorum enim atque imperium conſortis impatiens eſt. Sed ulterius inſtat Author, atque objicit nobis illud 1 *Joan.* 3. 16. ubi novam legem Chriſtianam promulgatam arbitratur, qua illi qui Chriſtianorum ſacris initiati ſunt, tenentur *animam pro fratribus ponere*, ad quod neminem dicturum putat jure naturæ nos obligari. Nullus dubito quin omnes de lege & jure naturæ ejuſdemque obligatione, qua homines propter naturalem illam a natura cognationem ſibi invicem devinciuntur, ut alter alteri omnia præſtet, quæ quiſque ſibi ab altero præſtari velit, recte ſentientes, etiam nos hoc jure obligatos cum damno propriæ vitæ ſocii ſalutem non minus, quam propriam tueri & quærere ſint arbitraturi, *omnia ergo quæ vultis ut præſtent vobis homines, ſic & vos facite ipſis: hæc enim eſt lex & Prophetæ. Math.* 7. 12. Eadem obligatio quæ imponit cuique ſocietatis humanæ membro neceſſitatem, qua tenetur omnibus ſuis viribus conſervationem humani generis tueri, ſi quiſque ſalvus eſſe velit, etiam arctiſſimo juris vinculo hominem devincit homini, ut ſibi invicem præſtent ea, per quæ cujuſque ſalus & conſervatio ſalva eſſe poſſit, nam cum totum conſervari nequeat ſine parte, neque pars ſubſiſtere queat ſi totum intereat, hinc propter illam neceſſariam relationem totius cum partibus, ex quibus conſtat, una obligatio includit alteram. Quod ſatis manifeſte apparet ex ſociali hominis natura, quæ relationem habet ad ſui ſimilem, cujus indiget auxilio & opera, ſi beate vivere velit, & ſic mutua ſocietate conſervatur privatorum ſalus & beatitudo. Quamobrem homines hominum cauſa generatos inquit Romanæ eloquentiæ princeps M. Tullius. Homo enim non ſibi natus, verum 1. ad gloriam ſui creatoris, deinde ut pars eſſet communis illius ſocietatis, quam Deus hominem creando excitare & ſubſiſtere voluit, donec ipſe aliter diſponeret. Hinc amor naturalis ipſi innatus, quo fertur ad conſervationem ſui, non debet abſtracte ſine relatione ad creatoris ſui gloriam celebrandam & communem illam ſocietatem conſervandam conſiderari, quaſi legem naturæ impleret quicunque ex innato illo amore erga ſe ipſum ſui conſervationi diligenter incumbit, ſocii ſalutem negligens: nam hac ratione non conſervaretur communis ſocietas, ſed potius tolleretur, ſi quiſque amorem erga ſe ipſum ſolummodo iſtius ſuitatis, ut ita dicam, cancellis vel terminis concludere vellet. Cui accedit, quod penes me, qua homo ſum, reſidet, quamobrem memetipſum cæteris mei ſimillimis magis diligerem, nam ejuſdem imaginis divinæ, ejuſdem conditionis & originis omnes ſumus participes, omnes ad unum eundemque finem creati, omnes coram Deo æquales, & conſequenter quia diligimus noſmet ipſos propter Deum ad cujus imaginem ficti ſumus, proximum æquali amore amplecti debemus, quem quiſque habet erga ſe ipſum. Nam quemadmodum nos ipſos diligere tenemur, quia ſumus opus Dei, quem debemus ante omnia amare, ita quoque eodem amore proximum proſequi, quia nobis æqualis, ſcil. ejuſdem originis, ad quem amor noſtri referri debet. Hinc Cic. apud Lactant. *lib.* 5. *cap.* 8. *Sicut una eademque natura, mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret ac nititur, ſic omnes homines inter ſe natura confuſi pravitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubjectos omnes ſub unam eandemque tutelam. Quod ſi teneretur, deorum profecto vitam homines viverent.* Et idem *lib.* 6. *inſt.* 10. *Si ab uno Deo inſpirati omnes & animati ſumus, quid aliud quam fratres ſumus, & equidem conjunctiores qui animis, quam qui corporibus.* Hinc canit Lucretius:

Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi
Omnibus idem ille pater eſt.

Sin amor æqualis, eadem quoque pro ſocii ſuſcipienda, quæ pro noſtra ſalute vellemus ſubire pericula, nam amoris æqualitas poſcit etiam officiorum æqualem præſtationem, hinc non novum præceptum quod Author putat a Joanne dicto jam loco proponi Chriſtianis, quo tenetur alius pro alio ſubire mortem. Patet enim ipſos Gentiles hoc officium propter hanc amoris æqualitatem rectæ rationis dictamen docuiſſe, hinc dulce atque decorum pro patria mori exiſtimaverunt. Et ut canit Ovidius:

Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas,
Membra ſumus corporis magni.

Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum juſtumque compoſuit, ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi, & illius imperio parata ſunt ad juvandum manus. Habeamus in commune quod nati ſumus, ſocietas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. Senec. *Epiſt.* 95. Et docet Cic. *Maxime ſecundum naturam eſſe pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſervandis ac juvandis maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere.* Quamobrem inquit. *Vehementer iniquum eſt, vitam quam a natura acceptam propter patriam conſervaveris, ſi natura cogat reddere patriæ, cum coget non dare, & cum poſſis cum ſumma virtute & honore pro patria interire, malle per dedecus & ignaviam vivere, & cum pro amicis ac parentibus & ceteris neceſſariis adire periculum velis, pro Repub. in qua & hoc & illud ſanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen venire.* Et Plato *in Critone* omnia pericula pro patria ſubeunda docet, *& agendum quicquid juſſerit, ac patiendum patienter, ſi quid pati imperaverit. Et ſeu verberari, ſeu vinciri coegerit, ſive in bello ſauciari*

&

& necari faciendum. *Jus* enim, inquit, *ita ſtatuit*. Sic Decii, Codri, ſeſe pro patria devoverunt. Sic nec amici pro amicis mortem obire recuſarunt, ut nobis docent exempla Damonis pro Pythia. Niſi pro Euryalo. vid. Valer. Max. Virg. Si ſacras paginas evolvamus, inveniemus etiam non fuiſſe ignotum ſub V. T. mandatum quod Joannis repetit de ponenda vita pro fratre, ut patet ex exemplo Moſis mori optantis pro populo, & Davidis pro Abſalom 2 *Sam*. 19. tum etiam Heroum, qui pro Davide libenter vitam cum morte commutare parati erant, *ib. cap*. 23.

3. Sed ne illos quidem ſequar qui aliud ſibi ſumunt non exiguum, Chriſtum ſcilicet in tradendis præceptis quæ extant Matthæi v, & deinceps, interpretem tantum agere legis per Moſem datæ. Aliud enim ſonant verba toties repetita; *Audiſtis dictum fuiſſe veteribus*: *Ego vero dico vobis*: quæ oppoſitio: ſed & Syriaca & aliæ verſiones oſtendunt, illud *veteribus* ſignificare ad veteres, non a veteribus; ut *vobis*, eſt ad vos, non a vobis. Veteres autem illi non alii fuerunt, quam qui Moſis tempore vivebant; nam quæ ut veteribus dicta recitantur, non legiſperitorum ſunt, ſed Moſis, aut verbo tenus, aut ſenſu: *Non occides*, Exod. xx, 30. *Quiſquis occiderit tenebitur judicio*, Levit. xxi, 21. Num. xxxv, 16, 17, 30. *Non mæchaberis*, Exod. xx, 30. *Quiſquis dimiſerit uxorem, det ei libellum divortii*, Deut. xxiv, 1. *Non pejerabis, ſed reddes Domino quæ juraveris*. Exod. xx, 7. Num. xxx, 2. *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (ſupple, repoſcere liceat in judicio) Levit. xxxiv, 20. Deuteron. xix, 21. *Diliges proximum tuum* (id eſt Iſraëlitam) Levit. xix, 18. *& odio habebis inimicum tuum*, puta ſeptem populos quibuſcum amicitiam colere quorumque miſereri vetantur, Exod. xxxiv, 11. Deut. vii, 1. His addendi Amalecitæ, in quos Hebræi jubentur bellum habere implacabile, Exod. xxvii, 19. Deut. xxv, 19.

COMMENTARIUS.

Nihil rectæ rationi & orthodoxæ fidei ac religionis dogmatibus magis conveniens ac conſentaneum eſt, quam dicere Chriſtum tradendo præcepta, quæ Author hic ex *cap*. 5. *Matth*. adfert, interpretari & explicare tantum leges per Moſen datas Populo Hebræo. Verba autem illa toties a Chriſto in dicto capite repetita, *Audiſtis dictum fuiſſe veteribus, ego vero dico vobis*, fruſtra nobis opponuntur ab adverſariis, quaſi Chriſtus ſe authorem ferat novæ alicujus ſanctionis ſive legis non datæ veteribus, vel non ita præciſe & exacte inculcatæ. Quippe quocunque ſenſu illud *veteribus* accipias, vel ut idem valeat quod *dictum eſt a veteribus*, vel ut innuat *dictum eſt ad veteres*; non ſequitur iſta dicta eſſe a Moſe tanquam ſummi legiſlatoris miniſtro Iſraëlitis ſui temporis. Quia vox iſta refertur promiſcue ad quoſvis majores. Et quid ſi concedamus Authori *veteres* ſive *antiquos* illos non alios fuiſſe, quam qui Moſis tempore vixerunt, cui ſententiæ nonnulli accedunt Interpretes. Primo quod vox illa ἀρχαῖοι, plerumque apud Græcos, longævam quandam vetuſtatem ſignificat, & a N. T. ſcriptoribus eodem ferme ſenſu ſumitur: nam, ut quidam annotarunt, excepto *Act*. 21. 16. alibi ad Prophetarum aut Moſis ætatem, aut etiam ulterius, refertur, quem in finem allegant *Luc*. 9. 8. *Act*. 15. 7. 21. 2 *Cor*. 5. 17. 2 *Pet*. 2. 5. Secundo etiam quia verba, quæ recitat Chriſtus, ea ipſa ſunt, quæ in lege reperiuntur. 3°. Quod plerumque Apoſtoli comparationem inſtituunt inter eos qui Moſen doctorem ducemque habuerunt, & Chriſti ſectatores, & ita quidem ut his majorem multo quam illis lucem aſſulſiſſe teſtentur, 1 *Cor*. 10. *Heb*. 2. Exinde tamen nihil concludi poteſt, quod evinceret Chriſtum ſua verba opponere verbis Moſis, legemque ab ipſo latam corrigere, vel addendo, vel detrahendo. Sed explicationem legis, quam ipſe tanquam optimus interpres tradit, opponit ei, quam jam audierant toties a Phariſæis multis corruptelis implicitam & innumeris erroribus involutam. Ita ut ſenſus Domini non alius ſit, quam Judæorum Magiſtros legis corruptores præceptis a ſe depravatis ſolitos fuiſſe prætexere proœmium iſtud ſpecioſum, *dictum eſt antiquis*, quaſi præcepta quæ inculcare ſolebant non in eorum cerebro noviter conficta, ſed ab immemoriali jam tempore obtinuiſſent, & multis ante ſeculis majoribus Judæorum tradita fuiſſent. *Antitheſis ergo a Chriſto inſti-*

tritur non inter ſe & Moſem, aut legem ab ipſo traditam, ſed Scribarum ac Phariſæorum gloſſas ſuper lege Moſis, quibus legem nimis reſtringebant & perperam interpretabantur, ut doceat ſolvi ab ipſis legis literam & ſenſum, non vero a ſe, quamvis id ſibi ab hoſtibus ſuis impingeretur, ut inquit Theologus celeber Turretin. *Loc.* XI. *Quæſt.* 3. *Inſt. Theolog.* Vel ut ſummus Theologus Joan. Coccejus *de fœdere* verborum ſenſum explicat. *cap.* 12. Vos, qui nunc eſtis, a præceptoribus veſtris nuperis & hujus temporis ita informati eſtis, dicta eſſe ad veteres, apud montem Sinaï, hæc & illa verba. A quibus unum audiviſtis, ab iis debuiſſetis & alia audire, ſed illi hoc, quod ego dico, non dixerunt & inculcarunt vobis, quia graviora legis omiſerunt. Cum igitur dicit Chriſtus, *dictum eſt ab antiquis* vel *ad antiquos*, non reſpicit ad ſcripturam V. T. ſed interpretationes Phariſæorum. Quamquam autem ipſa legis recitentur a Chriſto verba, non alleguntur ſenſu Moſaïco, ſed Phariſaïco; legis enim ſenſum per ſe bonum & rectum Phariſæi perverſe interpretabantur, quo ſeducebant populum, utpote a quorum auctoritate pendebat vulgus. Quippe qui eruditi ſive magiſtri & legis periti inter Judæos erant, etiam cum iſta dignitate & doctoris nomine auctoritatem ſibi vindicabant, quod viſum eſſet docendi, & credi ſibi volebant.. Optandum ſane eſſet, ut inter Chriſtianos ejuſmodi dogmatum quorundam auctores, atque ſacræ Scripturæ ſuperciliosi interpretes non invenirentur, qui ſua ſæpiſſime figmenta & erroneas opiniones tanquam divina oracula vulgo obtrudunt, a quibus recedere vel diſſentire nemini fas eſſe volunt. Quaſi illi ſoli ſaperent, & divino ſpiritu afflati eſſent. Vellem ne plus de facultatibus ſuis ſperantes & ſibi perſuadentes, quam in illis quandoque eſt, adeo graviter ſæpiſſime, non dicam inſanirent, ſed errarent, & utinam quidam ſanæ religionis antiſtites quod in adverſariis culpant, non in ſemetipſis laudarent. Ab hoc errore non immunes Phariſæi, ſuis quoque erroribus propter magnam illam auctoritatem, quam ſibi vana quadam opinione vindicarant, innocentem plebem involverant, quæ doctorum ſuorum traditionibus adeo inhærere putabat, ut tanquam ſuperſtitione conſtricta & veluti ſacramento rogata ab illorum ſententia recedere nefas duceret, utpote quæ didiciſſet a ſuis doctoribus neminem cœlum intrare poſſe niſi illis aperientibus & docentibus. Ut vero Chriſtus ab hoc errore liberaret populum, docet ſeductores & impoſtores agere Phariſæos & Scribas legem & præcepta divina falſa & prava interpretatione a ſenſu Moſis longe aliena multis corruptelis contaminando, verum itaque & genuinum legis ſenſum aperiundo, in veritatis viam reducere conatur. Proponit itaque Chriſtus doctrinam Scribarum quoad 6. Decalogi præceptum & deinceps quoque cætera, utpote qui tantum literalem ſenſum & verborum corticem proponebant, non interiorem ſenſum & præcipuam legis intentionem explicabant. Interpretabantur illud præceptum, *Non occides*, de homicidio externo, cujus pœna in foro ſoli capitalis erat. Sed Chriſtus illud extendit ad internos iracundiæ motus & ad convitia ſermonis, non aliquid novi addendo legi morali, verum exponendo verum præcepti ſexti ſenſum, quod perperam Phariſæi reſtringebant ad actualem cædem, quaſi in foro Dei extra legis pœnam eſſent dicta atque cogitata; nullus enim coram judice cœleſti ignorantiæ locus erit, ibi & animus homicidæ, & voluntas nocendi proximo æternas dabit pœnas. Præterquam quod convitium atque ira ſæpiſſime mater eſt cædis atque homicidii, quamobrem iram ejuſque propagines e cœlo miſſus Præceptor & Interpres Patris ſui Chriſtus ad præceptum hoc refert. Idem dicendum de ſeptimi præcepto, quo adulterium prohibetur, illud non correxit Chriſtus, ſed verum ejus ſenſum exponit, cum extendat etiam ad aſpectum & cupiditatem, id eſt ad internos ex impuro amore, quo quis flagrat, proficiſcentes animi motus. *Sunt enim oculi in amore duces.* Quamobrem Plato *aſpectum dicit amoris initium.* Et intrat *concupiſcentia per oculos*, ipſi etiam Gentiles non ignorarunt ipſam concupiſcentiam lege vetitam, ita ut qui fœminam vel matronam aſpiciat ad concumbendum cum ea, adulterii reus ſit, etſi non corpore, corde tamen ſive voluntate lædi ſe puellam videtur. Eleganter Propertius *Eleg.* 2. 12. licet Ethnicus canit:

Qui videt, is peccat. Qui non te viderit ergo,
Non cupiet, facti crimina lumen habet.

Hinc Quintilianus: *Tu alienam matronam aliter quam leges permittunt aſpexiſti. Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum*, Seneca. Et Cicero de finibus: *In libidine eſſe peccatum certum eſt, etiam ſine effectu.* Et *pro Milon: Non exitus rerum, ſed & hominum conſilia legibus vindicantur: minus quidem dolendum eſt re non perfecta, ſed puniendum certum nihilominus.* Huc pertinere etiam videntur illa JCti Tryphonii, *l.* 225. *ff. de V. S.* ubi inquit, *furem, adulterum, aleatorem, quanquam aliqua ſignificatione ex animi propoſitione ſolaquis dicere poſſet, ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito domino ſubtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, ſi modo ejus mentis ſit, ut occaſione data commiſſurus ſit.* Et ut Sabinus apud Gell. *lib.* 11. *cap. ult. Sed meminiſſe debemus, ſecundum ea quæ ſupra ſcripſi, furtum ſine ulla quoque attrectatione fieri poſſe, ſolamente atque animo, ut furtum fiat, annuente, quo circa ne id quidem Sabinus dubitare ſe ait, quin dominus furti ſit condemnandus, qui ſervo ſuo, uti furtum faceret, imperavit.* Nam ut inquit Seneca: *Latro eſt etiam ante inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* Quippe ut inquit Tertullianus: *Voluntas facti origo eſt, quæ ne quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercepit; ipſa enim ſibi amputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infelicitatem operata quod ſuum fuerat.* Quod attinet præceptum de *uxore non dimittenda extra adulterii cauſam* non novum eſt, a Chriſto promulgatum, oppoſitum præcepto Moſis

quod

quod extat *Deut.* 24. 1. 2. 3. 4. Quo imperatur marito uxorem dimittere volenti ut ei det libellum repudii, verum non jubetur repudiare uxorem, ut Phariſæi legem interpretabantur, non dicitur verbis imperativis, verum verba Moſis hypothetica ſunt, ideoque non præcipiunt divortium, verum ſuppoſito eo ordinem præſcribunt & modum quem obſervare maritus tenebatur, uxorem dimittens atque repudians. Cui accedit, quod hæc permiſſio & divina diſpenſatio, qua conceditur marito dimittendi uxorem facultas dato ei libello repudii, non recte vocatur nova quædam legiſlatio abrogans legem priorem, qua Deus copulando ipſa creatione virum & marem, ut eſſent *duo in carne una*, voluit tam arctiſſima conſuetudine & neceſſitudine ſibi invicem devincere conjuges, ut nulla ratione matrimonii vinculum diſſolvere debeant. Quamobrem definitur a Juriſconſultis, *quod ſit viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens.* Verum potius quædam remiſſio & ſuſpenſio obligationis eſt, manente ipſa lege, cui tenebatur quiſque e populo obtemperare, vel pœnam lege conſtitutam ſubire in foro externo, quæ remiſſio peculiaris erat reſpectu iſtius populi, cujus cauſam ipſe Chriſtus teſtatur fuiſſe duritiem cordis, & conſequenter Phariſæi divortium tanquam licitum lege divina extra cauſam a Chriſto allegatam perperam populum docebant. Quando igitur inquit Chriſtus, *ego vero dico vobis*, exponit & interpretatur initium ſic a Deo inſtitutum conjugium, ut eſſet indiſſolubile, niſi ex cauſa fornicationis vel adulterii, & adhuc eandem divinam voluntatem circa conjugium eſſe, ſed propter duritiem cordis veſtri permiſit Deus in foro politico uxorem repudiare, ne ſcil. obedire coacti voluntati divinæ circa primam conjugii inſtitutionem majora perpetraſſetis mala, ut veneficia, uxoricidia. Non mandavit nec probavit itaque ut vos dicitis Phariſæi, nec primam abrogavit legem, non dicit enim Moſes, *ſi acceperit homo uxorem dimittet eam ſi libuerit*, ſed rem veſtro reliquit arbitrio, non expreſſe prohibendo nec permittendo, niſi quod Moſes præſcribendo modum, qui in caſu divortii obſervandus, aliquo modo tacite permittere videtur divortium. Verum conceſſo lege repudiandi uxorem facultatem marito tributam, non tamen majorem vim habere poſſet, quam aliæ leges forenſes & civiles reipub. Hebræorum, quæ omnes cum ejus interitu evaneſcerunt, ideoque non trahi poſſunt ad conſequentias. Sin vero fuerit permiſſio, neminem, cui mens ſana eſt, mihi negaturum perſuadeo Chriſtum illam potuiſſe revocare, atque præcipere ne in Chriſtianis ſocietatibus ſit locus, neque eo diecndum novam legem quæ ad exactiorem nobis vivendi regulam obligat condidiſſe, nam novum hoc præceptum nihil aliud eſſet, quam expoſitio veteris legis, ſi non moralis, cujus generis non mihi videtur dici poſſe ejuſmodi copulatio & conjunctio viri & mulieris, quam in matrimonio cernimus, ſaltem juris divini voluntarii, ad quod Chriſtus vel revocat vulgum ſuo præcepto, vel potius præcipiendo declarat & exponit divinam ab ipſo mundi primordio circa conjugii inſtitutionem voluntatem, quam ſequendi neceſſitatem omnibus impoſitam vult, qui dictis & factis ſe Chriſti profitentur diſcipulos atque ſectatores. Quod vero ad doctrinam juramenti attinet, non obſcure teſtatur Author ſe Socini, & qui eum ſequuntur, partibus addictum, allegando locum *Exod.* 20. *v.* 7. & *Num.* 30. 2. quaſi illo præcepto Iſraëlitis ſolum perjurium fuiſſet prohibitum, unde conſequentiam deducunt, *in lege veteri fuiſſe permiſſum quodvis juramentum per nomen Dei, modo caveretur perjurium*, ut ipſa Chriſti verba probare volunt, *audiſtis dictum fuiſſe antiquis, non pejerabis, ſed reddere domino quæ juraveris.* Quaſi hiſce cancellis Moſis & Prophetarum doctrina de jurisjurandi religione concludebatur, atque ille unicus abuſus divini domini hoc præcepto vetitus, vid. *Levit.* 20. 12. ſcil. ut ea ratione probaret Chriſtum ejus legis, dicto *Matth.* loco, non tantum interpretem agere, ſed ei aliquid addidiſſe, quod non ſolum intellectum non fuerit a Doctoribus iſtis, verum quod etiam lege non fuit comprehenſum, & conſequenter ratione additionis non perperam legiſlatorem dici Chriſtum. Fuit quoque Judæorum opinio, non peccari jurando, dummodo ſervaretur veritas, & præſtare frequentius jurare, ſolummodo perjurium, quo falſo jurabatur, lege vetitum. Idem ergo docebant Phariſæi & Scribæ reſtringentes præceptum, DE NON ASSUMENDO IN VANUM NOMME DEI, *ad ſolum perjurium illius qui juraſſet per nomen Dei, & laxabant fbulam juramentis levibus & temerariis in quotidiano ſermone, & juramentis per creaturas, quaſi non peccaretur in legem vel legiſlatorem jurando temere vel leviter, vel falſo etiam, modo non per nomen Dei, ſed per nomen alicujus creaturæ; ſed pejerando tantum, & non adimplendo vel non reddendo jurata, & obſtrictius quidem eſſet qui juraſſet per nomen Dei vel per donaria Deo ſacra, ſed non qui per templum, per altare, per ſimilia juraſſet*, *Matth.* 23. 16. 17. 18. *talia juramenta impune fieri poſſe & violari.* Turretin. *loc.* 11. *q.* 3. *Inſt. Theolog.* Huic erroneæ & falſiſſimæ Scribarum opinioni atque legis interpretationi ſuam opponit expoſitionem Chriſtus, tradens multo latius patere illud præceptum quod extat *Exod.* 20. ideoque etiam prohibere juramenta non neceſſaria, vana & temeraria, nec non ea quæ concipiuntur per creaturas, qualeſcunque illæ ſint. Quippe non eſt credibile, Deum in V. T. levitatem in jurando permiſiſſe, vel pro peccato non habuiſſe, cum ipſe omnis levitatis ſit hoſtis, & ſemper voluerit ut hominem frænaret linguam ſuam. Rivet, *Prælect. in cap.* 10. *Exod.* Quamobrem *Levit.* 19. 12. non tantum dicitur, *Non pejerabis in nomine meo.* Sed adjicitur, *Non pollues nomen Dei tui irreverenter & leviter*, quacunque ratione tractando. Nec per creaturas jurandum conſtat ex *Deut.* 6. 13. & 10. 20. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.* Quæ ultima verba ſignificant, quod, quemadmodum ſoli Deo jubemur ſervire, ita

etiam per illius tantum nomen jurare debemus, quando cauſæ neceſſitas exigit juramenti præſtationem, ne honor ſoli Deo debitus alteri cuicunque deferatur, atque invaleſcat mos jurandi per idola, vel creaturas alias, quæ vel nihil ſunt vel caduca. Summam itaque æſtimationem, reverentiam, religionem atque juſtitiam nulli tribuas, quod ſit jurejurando per nomen alicujus, niſi mihi tantum, qui ſum ſolus omniſciens & potens, juſtus & ſanctus. Et expreſſe damnantur apud *Jerem.* 5. 7. juramenta concepta per eos qui non ſunt Dii, cum inquit Propheta ſpiritu Dei afflatus, *Jurant per eos qui non ſunt Dii.* Itaque tanquam maximum peccatum reprobatur populo, quod jurabant per ea quæ non ſunt Dii, oſtendentes ſe nec Dominum timere nec colere, ſed idola, juramentis ſuis, in nominibus non Dei, ſed Deorum, qui non ſunt Dii, jurantes. *Mihi enim curvabitur omne genu, jurabit omnis lingua Eſa.* 45. 1. Dicendo itaque Chriſtus, *Ego autem dico vobis ne juretis omnino*, non corrigit veterem legem vel abrogat, ſed ejus tantum verum & genuinum ſenſum exponit, eumque multo latius patere atque ſeſe extendere docet, quam Scribæ & Phariſæi intepretabantur. Non tollit jurandi neceſſitatem, ſed damnat primo juramenta temeraria, quæ fiunt extra caſum neceſſitatis, & in quibus Dei ſanctum nomen magna cum illius profanatione temere & incaute uſurpatur. Deinde damnatur illa conſuetudo jurandi per creaturas, docebant enim, ut ſtatim dicere incepimus, Phariſæi non metuendum eſſe peccatum in uſu juramenti, niſi quando ex veritatis defectu admitteretur perjurium. Deinde cenſebant juramentum per creaturam non eſſe proprie juramentum, & conſequenter non obligare ad perjurium, vel etiam ad præſtandum quod ejuſmodi juramento adhibito præſtare pollicitus quis fuerat, excepto juramento per aurum templi & donaria, quamquam per ipſum templum jurare licitum cenſerent, ut ipſe Chriſtus perhibet *Matth.* 23. 16. *Qui dicitis, quicunque juraverit per templum, nihil eſt*, ſcil. hac ratione ſerviebant avaritiæ ſuæ. Quippe ad quæſtum pertinebat quam ſanctiſſima ejuſmodi dona habere & veluti Dei loco ponere, ut ad majores largitiones populum inducerent, quod præcipue illis Deus gauderet. Non ignota Gentilibus hæc Scribarum circa jurisjurandi religionem doctrina. Quamobrem Martialis de Judæo ſermonem habens. *lib* XI. *Epigram.* 95.

Ecce negas (inquit) *juraſque mihi per templa Tonantis,*
Non credo: jura, Verpe, per Anchialum.

Id eſt, non credam tibi, niſi juraveris per Deum viventem quem colis. Concludimus itaque omiſſis aliis argumentis, quæ paſſim apud Theologos occurrunt, nihil hic dicere Chriſtum quin veteri lege fuerit comprehenſum, ideoque nihil ei addere, ut ex diverſis V. T. locis demonſtrare conati fuimus, neque etiam antiquare voluiſſe juramenta, quibus exigente neceſſitate juratur in nomine Domini, quippe nullus dubito quin eo caſu inter prohibitas formulas, quas recenſet, non omiſiſſet hanc principalem, qua juratur in nomine Domini, in earum ponere numero. Sed admonere nos voluit, ut abſtineamus ſemper omni juramento, niſi ad illud neceſſitate cogamur, idque legitime, judice interveniente. Quippe quod habetur *Deut.* 6. *per nomen illius*, ſcil. Dei, *jurabis*, intelligendum caſu neceſſitatis, & poſita conditione, ſi jurandum ſit per nomen illius jurabis, nunquam vero temere, & multo minus per creaturas. Eodem modo interpretatur hæc Chriſti verba Catechiſmus Trident. referente Rivet. *dict. loc. part.* 3. *ad præcept.* 2. *Non eſt*, inquit, *dicendum his verbis jusjurandum univerſe damnari, ſed perverſum Judæorum judicium Dominus redarguere voluit, quo ſibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum eſſe præter mendacium; itaque de rebus leviſſimis & nullius momenti & ipſi jurabant frequentiſſime, & ab aliis jusjurandum exigebant. Hunc morem Salvator reprehendit, docetque a jurejurando omnino abſtinendum eſſe, niſi cogat neceſſitas.* Neque hoc ipſum incognitum gentilibus ex naturalibus iſtis tabulis. Hinc Quintilianus, *In totum jurare, niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Et apud Platonem 11. *de LL. Deorum nomina facilene polluas.* Hinc inquit Socrates apud Platonem *in Phileb. interprete Ficino. Reverentia vero mihi ſemper erga Deorum nomina eſt, non humana quædam, ſed maximum quemque timorem exuperans.* Et idem fere ad exemplar legis divinæ ſuæ reipub. talem tulit. *Nemo Diis invocatis mendacium dicat aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquam audeat, niſi Deo velit odio eſſe. Cui quidem odio eſt, qui falſo jurat, Deos parvipendit, De LL. lib.* 11. Et paulo poſt: *Quicunque enim in foro aliquid adulterat, mentitur, certe & decipit, Diiſque advocatis adverſus rerum venalium curatores, eorumque jura pejerat. Quæ certe in re nec homines veretur, nec Deos colit.* Cui adjicit quaſi ex Moſis deſcriptum tabulis: *Æquum profecto eſt nomina Deorum non falſo inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere; ſed omnia quæ ad Deos pertinent pure caſteque ſervare.* Et Cicero 3. *Offic.* de jurisjurandi religione ſermonem habens, *Nullum*, inquit, *vinculum ad adſtringendam fidem majores noſtri arctius eſſe voluerunt.* 3. Nec recto ſenſu ab Authore quoque allegatur lex talionis, quæ extat *Exod.* 21. *Levit.* 24. *Deut.* 19. quam ſuſtuliſſe quoque putat Chriſtum *Matth.* 5. cum inquit, *Dictum eſt antiquis oculum pro oculo, dentem pro dente. At ego dico vobis, ne reſiſtatis malo, ſed quiſquis impegerit alapam in dextram maxillam, obverte illi & alteram*, &c. Quippe non Moſem aut legem reprehendit, & tanquam injuſtam vel iniquam tollit, ſed falſam Scribarum interpretationem, qui quod de vindicta publica lege Moſis ſancitum erat etiam trahebant ad privatam vindictam, quæ vetita lege a Moſe lata, *Levit.* 19. 18. *Non quæres ultionem, nec obſervabis filios populi tui.* Manſuetudinem lex nobis commendat atque docet, ut noles etiamſi poſſes vindicare injuriam quam paſſus es: quin vincere ſtudeas malum animum,

&

& patienter feras lædentis improbitatem & injuriam illatam nobili quadam animi fortitudine, ut docet Chriſtus *dict. loc.* *Nocendum nemini, ne ei quidem, qui prior nocuerit*, ut inquit Lactantius. Non vetat itaque Chriſtus omnem vindictam omnemque declinare injuriam, nec eam obſervato inculpatæ tutelæ moderamine propulſare, ſed magiſtratibus eam committendam docet, ac malo reſiſtendi & ſeſe defendendi adverſus vim vel injuriam cuique etiam privato facultatem tribuens. Sic & ipſe Chriſtus atque Apoſtoli fecere, innocentiam ſuam tuendo, & redarguendo injuſtitiam adverſariorum. *Joan.* 18. 23. *Act.* 23. 3. Verba itaque illa, *de obvertenda maxilla percutienti, & pallio relinquendo petenti*, non intelligenda tanquam præceptum aliquod novum, quo nobis ejuſmodi maxillæ oblatio & pallii jactura injungitur, verum tanquam adhortatio quædam ſive conſilium, ut potius ferienti unam maxillam alteram quoque obvertamus, quam noſmet ulciſci, malum malo penſando. Imo & hunc legis per Moſem latæ ſenſum fuiſſe non dubitamus, ut patet ex loco ſtatim allegato. Cui addi poteſt illud Salomonis *Proverb.* 20. 22. *Ne dicas, rependam malum: Exſpecta Jehovam, & ſervabit te.* Nam, ut ipſe ait Jehova *Deut.* 32. 35. *mea ultio eſt, & ego retribuam in tempore.* Graviſſime quoque fallitur Author, quod præceptum de *diligendo proximo* ad Iſraëlitas tantum pertinere ſtatuit, & conſequenter ei aliquid additum a Chriſto, dum illud ipſum jus latius, ſcil. ad quoſcunque homines, cujuſcunque nationis & generis ſunt, etiam inimicos extendit. Quia omnes ſumus ejuſdem generis & originis, ab iiſdem parentibus orti, itaque ejuſdem conſanguinitatis participes, nobis invicem æquales, ut paulo ante dicere incepimus, & naturali quodam ſocietatis vinculo conjungimur, atque devincimur officiorum commutatione mutuam neceſſitudinem & amicitiam colere atque tueri, & mutuas neceſſitates ſublevare, optime Lactantius *Inſt. Divin.* 11. *Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis? pro homine tibi habendus, quiſquis precatur, ideo quia te hominem putat.* Perperam Sadducæi & Scribæ interpretabantur legem illam *Levit.* 19. 18. de diligendo proximo, dum eam reſtringebant ad propinquum nobis ſanguine, vel etiam vicinitatis & amicitiæ vinculo conjunctum, ad proximum in lege, civem & popularem, quo ſenſu vox illa ſumitur *dict. loc.* Itaque Judæi hoc arripientes humanam illam & naturalem cognationem & ſocietatem, quæ homini cum homine intercedit, negligebant obſervare atque tueri, ut ne communia quidem illa officia, quæ & ipſi Gentiles ſibi invicem præſtanda dictante recta ratione exiſtimabant, advenis & peregrinis exhibenda putarent. Cujus generis ſunt, *Erranti viam monſtrare, lumen de lumine accendere, non prohibere aqua profluente pati ab igne ignem capere, ſi quis velit, conſilium fidele deliberanti dare.* Judæi vero hæc omnia præſtare extraneis declinabant, ideoque ipſis Gentilibus eo deteriores, quod rectæ rationis dictamini non obtemperantes, extra civilem illam ſocietatem, quæ inter eos tanquam ejuſdem fœderis & civitatis membra & ſocios obtinebat, aliarum gentium & nationum quam inhumani hoſtes erant, dirimentes communem humani generis ſocietatem. Cic. 3. *Off. cap.* 6. Hinc Tacitus *Hiſt. lib.* 9. *cap.* 5. de Judæis ſermonem habens: *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu, ſed adverſus omnes hoſtile odium.* Et Juvenal. Sat. 14. 105.

Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere Verpos.

Quod apud Athenienſes erat piaculum. Carmen erat apud ipſos, quod in publicis cantabatur ſacris pronunciabaturque, eos eſſe impios & exſecrabiles, qui viam non monſtrarent. Hinc Cic. 3. *Off.* *Quid enim eſt aliud erranti viam monſtrare, quod Athenis exſecrationibus publicis ſancitum eſt.* Quaſi omnem prorſus humanam exuiſſet naturam, quæ hoc præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam quod is homo ſit, conſultum velit. Optime M. Antoninus *lib.* 3. *Meminit etiam, cognatum eſſe rationale omne & natura ipſius humana rationem ab unoquoque hoc exigere, ut hominum quorumvis curam habeat.* Non fugit me, quemadmodum cognationis atque neceſſitudinis, ita quoque officiorum gradus eſſe, quorum rationem habendam in collocandis atque diſtribuendis beneficiis vult ipſa lex naturalis atque moralis. *Optime autem ſocietas hominum conjunctioque ſervabitur, ſi, ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Cic. 3. *Off.* Et paulo poſt: *Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. Ut enim ab infinita illa diſcedatur*, (ſcil. a communi illa quæ cuivis homini intercedit cum homine) *propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis.* Ita ut pro conjunctionis menſura debeat eſſe charitatis regula, & officiorum tribuendorum ratio, ex qua deducimus, quantum cuique debetur. Sic quando Deus præcipit diligere proximum ut noſmetipſos, non ſolvit ordinem in diligendo ſervandum, qui ipſe eſt Deus ordinis, ut v. gr. parentibus quam alienis, & amicis potius quam ignotis ſubveniamus. Et conſequenter quemadmodum Judæus Judæo arctiori nexu conſanguinitatis, & gentis, ac ejuſdem ſocietatis civilis vinculo erat conjunctior, ita non a recta ratione & ſenſu legis alienum erat, ut ſe invicem magis diligerent, quam proximum quemvis extraneum, in tribuendis officiis. Verum perperam legis ſenſum interpretabantur in detrimentum proximi extranei, quaſi nulla plane cum ipſo intercederet ſocietas, & conſequenter communia humanitatis officia ipſi exhibere non obligarentur vi legis. Cujuſmodi interpretatio legis contraria erat divinæ ſanctitati, utpote quæ tolleret antiquiſſimam communem illam ſocietatem & cognationem quam lex naturæ inſtituit. Huic itaque falſæ interpretationi Chriſtus opponit ſuam explicationem, & latius docet legem ſeſe extendere, ita ut omnes homines, peregrinos & extraneos cujuſcunque gentis, vel nationis, quia ejuſdem ortus cujus ipſi Judæi, etiam inimicos tanquam proximos diligere

teneamur ut noſmetipſos, juxta verum & genuinum legis ſenſum. Hoc ſenſu *Ægyptii* vocantur proximi, *Exod.* 11. 2. & *Philiſtæi Jud.* 14. 21. Imo & *inimicus* proximi nomine venit *Levit.* 19. 18. Quin & ipſe Deus præcipit, *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere ſuo, non deſines adjuvare eum, ſed auxiliando ſublevabis cum eo.* Si ejuſmodi auxilium & charitatis officium jumento inimici noſtri præſtandum jubet ſummus legiſlator, quanto magis obſtricti charitatis officia præſtare homini quamvis inimico, qui longe cæteris animalibus præſtat, ſic jubet Regum ſapientiſſimus *Proverb.* 25. 21. *eſurientem inimicum cibare: ſitientem potare.* Quod vero a Chriſto adjicitur quaſi altera pars legis, *Et odio habebis inimicum tuum*, non intelligendum, quaſi ejuſmodi lex a Deo populo Hebræo data fuiſſet, nam quis ſibi perſuadere poteſt, Deum velle contraria, & ut ita dicam ſeſe ipſum abnegare, ſuamque imaginem odio hominum exponere, quod idem eſt quaſi ſemetipſum odiſſet. Nam quamvis inimicus tamen ejuſdem ortus, ejuſdem imaginis nobiſcum particeps, & conſequenter nobis proximus eſt. Præterquam quod odium per ſe & ſua natura eſt vitium, oppoſitum charitati, quæ ſumma virtus eſt per ſe & ſua natura bona, idcirco ex ipſa divina natura dimanans, tanquam ens aliquod poſitivum habens neceſſitatem moralem, qua ad ejus exercitationem obligamur. Odium contra eſt aliquid privativum, ideoque nec a Deo profluere nec etiam Deus velle poteſt, quia non poteſt eſſe objectum divinæ voluntatis, qui enim poteſt Deus velle quod non eſt, quippe cum nihil velle poteſt quam ſe ipſum ſuaque attributa, quæ ſingula eſſentiam divinam repræſentant uno eodemque ſimpliciſſimo ac perfectiſſimo modo, non poteſt velle ſuæ eſſentiæ atque attributorum abſentiam ſive non exiſtentiam, quippe oporteret tunc voluntatem priorem eſſe ſubjecto ad quod fertur, quod impoſſibile juxta & abſurdiſſimum eſt. Nam volendi actum, ut ita dicam, neceſſario præſupponit & ſubjectum cui ineſt, & objectum ad quod refertur, oportet itaque ea ſimul exiſtere antequam aliqua voluntatis operatio in actum deduci poteſt. Sic odium eſt privatio actus charitatis & dilectionis, qua proximum amplecti debemus, & conſequenter non poteſt a Deo præcipi, quia Deus non vult ſe ipſum privare ſuis attributis, & conſequenter in nobis delere ſuæ imaginis veſtigia, cujus generis ſunt virtutes omnes quarum nobis innata ſunt ſemina propter divini luminis ac mentis communicationem, habentes in ſe neceſſitatem moralem, quæ nos obligat eas in actum deducere, quia neceſſario Deus vult quod poſitivum eſt, ideoque quod exiſtit, & ipſo actu eſt, omnis autem virtus conſiſtit in actione & operatione, nam operando producitur. Sic non exercendo charitatis officia teſtamur odio habere proximum, nam abſentia charitatis ſive illud actionis ſeu operationis interſtitium & ceſſatio videtur eſſe generatio odii. Allegat ita atque repetit Chriſtus dicta verba non tanquam præceptum aliquod legis divinæ, ſed additamentum & falſam interpretationem Phariſaïcam, quam merito corrigendam duxit, quoniam contraria erat lumini naturali atque rectæ rationis dictamini, & conſequenter divinam ſanctitatem commaculabat, quam intactam, puram atque integram ſervare Chriſtus ſe non poſſe a Phariſæorum corruptelis perſpiciens, niſi ſuam expoſitionem opponendo illorum figmentis & falſis additamentis, explicare aggreditur *legem de proximo diligendo.* Cum inquit, *Ego dico vobis, diligite inimicos*, &c. Jubet enim hoc ipſum naturæ lex, & communis ortus, qui omnem hominem omni homini devincit & neceſſitudine quadam cohærentem facit, ac propterea vult neminem eſſe cui non data occaſione communia humanitatis officia præſtemus, quæ cum immutabilis ſit, qui contrarium poſſet lex divina ſive moralis ſive poſitiva imperare. Dictavit hoc ipſum quoque Gentilibus ratio, quamobrem tot egregia hujus officii præſtandi monita eorum ſcriptis conſignata. Commune id Stoïcorum præceptum fuiſſe Seneca teſtatur, *de otio Sapientis cap.* 21. *Adjuvare ſingulos, opem etiam ferre inimicis.* Et idem *de ira lib.* 2. *cap.* 34. *Iraſcetur aliquis? tu contra beneficiis provoca.* Et Plutarch. *de capienda ex inimicis utilitate*, verbis ita ſonantibus Latine, *Cæterum oblata occaſione ulciſcendi inimicum, eum miſſum facere, æquanimitatis eſt. Qui vero & miſeratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, & filiis ejus ac familiæ adverſo ipſorum tempore operam ſuam ſtudiumque defert; hunc qui non amat ob animæ humanitatem, neque ob probitatem laudat,*

Huic pectus atrum eſt, atque adamantinum,
Efficta ferro viſcera vel rigent.

Non obſtat quod legimus *Exod.* 34. 12. ubi vetantur Iſraëlitæ fœdus ferire, vel pactum aliquod inire, vel affinitatem jungere cum ſeptem populis Cananæorum, neque etiam quod jubeantur delere de terra Amalekitas, ut nulla illis extet poſteritas: nec bonorum memoria, ſed tantum malorum 1°. enim non odium imperatur, nec miſericordia tollitur erga proximum qua hominem, verum executio divinæ juſtitiæ demandatur populo Iſraëlitico, ut divina authoritate excideret gentes, quæ horrendis criminibus & flagitiis ſuis juſtam Dei iram in ſe provocantes, tandem Deus veluti publicos hoſtes de terra delere & exitio devovere voluit. Quod itaque fecerunt Hebræi, non ex amore vindictæ vel internecino odio ſingulari proceſſiſſe præſumendum, ſed ex divina authoritate & neceſſitate obſequendi Deo exequi tenebantur quod exigebat divina juſtitia, quæ cum naturæ lege maxime convenit: quid enim rectæ rationis dictamini & æquitati naturali, cum potiſſimum ſanctitati divinæ, magis conſentaneum, quam ut ſontes puniantur. Sicut enim quælibet poteſtas publica habet facultatem animadvertendi in homines facinoroſos, ita in Reges & populos Rex Regum Deus: qui hanc pœnæ exſecutionem populo Hebræo potius tanquam ſuo miniſtro demandare voluit, quam ipſe exequi. Quare hoc jus, ut annotant Interpretes, non ex communi aliqua lege odium erga inimicum imperante, ſed ſpeciali Dei ſententia & auctoritate, ac proinde in cæteras alienigenas quamvis inimi-

cos

eos idem non licuiſſe dicendum. Deinde non ſimpliciter mandatum illud, quo excidium illarum gentium imperatum, datum populo Hebræo, verum conditionaliter, ſcil. ſi declinaſſent pacem oblatam accipere, ut conſtat *Deut. cap.* 20. 10.

4. Sed ad intelligentiam verborum Chriſti omnino notandum, legem per Moſem datam dupliciter accipi: aut ſecundum id quod commune habet cum aliis legibus, quæ ab hominibus condi ſolent, quatenus ſcilicet graviora delicta pœnarum aſpectabilium formidine coërcet, Hebr. II, 2. & populum Hebræum hac ratione in ſtatu civilis ſocietatis continet, quo ſenſu dicitur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς, Hebr. VII, 13. & lex factorum, Rom. III, 27. aut ſecundum id quod legis divinæ eſt proprium, quatenus ſcilicet etiam mentis requirit puritatem, & actus aliquos, qui ſine temporali pœna omitti poſſunt: quo ſenſu vocatur νόμος πνευματικὸς, Rom. VII. 14. exhilarans animum, Pſalm. XIX. qui Latinis XVIII, 9. Legis periti & Phariſæi, priore illa parte contenti, ſecundam, quæ prior eſt, inſuper habebant, neque inculcabant populo: quod verum eſſe non ex noſtris duntaxat libris, ſed ex Joſepho quoque & magiſtris Hebræorum oſtendi poteſt.

COMMENTARIUS.

Legem per Moſen datam & generaliter conſideratam duplicem habere finem cui inſervit negari nequit: vel enim concernit civilem hominis ſtatum ac conditionem, ut in eo beate & tranquille vivere liceat, unde exigat certa quædam officia, etiam in foro ſoli exercenda, partim generalia & omnibus gentibus communia, partim populo Iſraëlitico peculiaria, ad conſervandam ſocietatem in iſto populo neceſſariam, ſub comminatione pœnæ ſi quis legis transgrediendo præcepta civilem ſocietatem perturbaret. Hunc finem communem habet cum aliarum gentium inſtitutis ac legibus. Vel ſpiritualem hominis ſtatum pro objecto habet, quo pertinent omnia præcepta moralia, quo ſenſu legem Moſaïcam ſpiritualem vocat Paulus *Rom.* 7. 17. quia præcipit quæ hominem ſpiritualem redderent & juſtum, atque ſpiritualem obedientiam poſtulat, quæ conſiſtit in ſummo erga Deum amore, & cordis immunditie, ac mentis ſinceritate & puritate, non tamen excludit externum Dei cultum, & externam obedientiam reipſa virtutes ſectando & fugiendo vitia, verum oportet ut ea ab interiori cordis ac mentis puritate producantur, quemadmodum bona opera tanquam fructus producuntur a fide. Itaque ratione duplicis finis legem per Moſem datam dupliciter accipi poſſe Authori concedimus. Sed non eo ſenſu quo ipſe intelligit, utpote qui videtur ſeparare mentis puritatem a legibus vel divinis vel humanis quatenus concernunt ſocietatis humanæ vel civilis ordinem & conſervationem, atque actiones hominum dirigunt ad illum finem in foro externo, quoniam divinæ legis eam tantum propriam eſſe ſtatuit. Quod neutiquam applicari poteſt legi Moſaïcæ, ſive eam generaliter, ſive ſpecialiter conſideres, quippe quocunque ſenſu accipias, manet lex divina moralis. Quamvis lex moralis, quam ſpiritualem ſtatim diximus, illud non tantum cum forenſi Moſaïca, ſed & aliis legibus, quæ ab hominibus condi ſolent, commune habeat, ut quatenus præſcribit homini agendorum normam tum reſpectu eorum quæ debet ſuo creatori, cum etiam quæ debet proximo & communi ſocietati humanæ, ſi non expreſſam, implicitam habens pœnam, quæ ſæpe in foro externo ſive ſoli exercetur a ſummo legiſlatore ad coërcenda graviora delicta, quæ ſi ſerperent latius, omnem & civilem & naturalem ſocietatem diſtraherent, ille tamen nunquam legis divinæ ſive moralis finis, ut pœnarum formidine homines efficiat bonos, quippe vir bonus & honeſtus coram Deo non eſt, qui a malo abſtinet metu pœnarum, nam quamvis legi obtemperat virtutem ſectando & vitiis abſtinendo pœnæ formidine, neutiquam tamen juſtus habendus, ſi mentis puritas non accedat. Quod perſpicimus ex iis quæ ad expoſitionem legis Moſaïcæ Chriſtus tradit, docens ſpiritualem eſſe legem, nec externas ſolum actiones moderari, ſed intus hominem affari, cunctoſque animæ motus & cogitationes cœleſti imperio in ordine continere. Franciſſ. Burman. *Synopſ. lib.* 9. *cap.* 5. Itaque quanquam non contra legem peccem in foro externo, quoties factum quod a me proficiſcitur cum legis præcepto conveniat, pecco tamen contra eam, ſi mente concupiſco contrarium vel facere inclino, ſed propter pœnarum metum in actum deducere non audeo. Itaque quanquam lex per Moſen data coërcet graviora delicta pœnarum aſpectabilium formidine, ut hac ratione in ſocietate contineat populum Hebræum, & ad officiorum præſtationem, quæ imperat exercenda, impellat, atque

hac

hac ratione ſocietatem humanam conſervat, illa tamen externa ad pœnam obligatio legis ſcopus primarius uon eſt, nec obligationis vis unica, verum interiorem hominem & mentem reſpicit, requirens ejus puritatem bonamque conſcientiam, quod enim facto externo imperat producendum, id ipſum requirit peragendum prius intus, id eſt poſtulat primo ad bonum amplectendum animi veram & ſinceram propenſionem, & ſpontaneam ex amore erga virtutem & odio erga vitia legis obedientiam, deinde tanquam neceſſarium conſequens purioris mentis fructus, ſcil. externa quoque legi conſentanea opera requirit. Ita ut nunquam qua lex divina accipi queat eo ſenſu, quo ſignificat præceptum externum ſive regulam obligantem tantum ad id quod rectum eſt in foro ſoli, verum inhæret ipſi tanquam qualitas inſeparabilis & quidem primaria interiorem mentem obligandi vis, qua tenetur homo eam puram ſervare ab omnibus pravis, id eſt legi morali repugnantibus, animi cupiditatibus & cogitationibus, quibus mens pura neceſſario ad id quod bonum, rectum & juſtum, ideoque quod cum moralibus præceptis, id eſt ſanctitate divina ejuſque imagine convenientiam habet, inclinat, cujuſmodi inclinatio eum impellit, ſe talem etiam in humana ſocietate ipſis dictis & factis præſtare, qualem intus eſt, ſcil. virtutis amore ſe ſectari virtutes, & odio peccati vitia fugere, & hoc ipſum eſt obtemperare legi divinæ, ſive morali vel naturali mentis puritatem requirenti, quæ quaſi mater producit omnem officiorum præſtationem, omnem externam legis obedientiam parit: itaque pari paſſu hæc ambulare oportet ſecundum legis moralis ſcopum, quin etiam hæc duo requiſita nulla ratione a lege ſeparari poſſe exiſtimo, propterea quod illa ad utrumque obligatio neceſſario ex divina ſanctitate immediate profluit. Perperam itaque ab Authore diſtinctio inter legem Moſaïcam generaliter conſideratam & ſpecialiter eo ſenſu, niſi fallor, excogitata, quaſi illa ſecundum quid conſiderata non haberet pro objecto ſuo illud proprium divinæ legis, ſcil. mentis puritatem, ſed tantum externa hominis facta concerneret, eaque dirigeret ad commodum ſocietatis hnmanæ, & coërcendo ſcelera metu pœnarum hominem ad officia revocaret, atque impelleret præſtanda quæ ipſi incumbunt qua ſocietatis, vel naturalis, vel civilis, membro, quatenus cum ea relationem habent. Loca S. S. quæ ad confirmandam ſententiam ſuam adducit Author, contrarium potius affirmare videntur, niſi ea cum Authore in alienum ſenſim detorquere velimus. Quemadmodum interpretatur locum, qui habetur *Hebr.* 2.2. ubi inquit Apoſtolus. *Etenim is qui per Angelos dictus fuerat ſermo, fuit firmus, & omnis tranſgreſſio & inobedientia juſtam præmii repenſationem accepit, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem.* Per ſermonem ſive verbum intelligit Apoſtolus legem quæ per Angelos dicta eſt, *Exod.* 19.20. ideoque legem moralem datam in monte Sinaï in omni ſua latitudine, quæ ex neceſſitate morali ſingulis virtutum præceptis inhærente neceſſario profluit, & conſequenter lata a legiſlatore Deo, cujus oculum nihil fugit, & qui externam ſpeciem non tam moratur, quam cordis puritatem. Quamobrem non ad externam modo honeſtatem, ſed ad interiorem ſpiritualemque juſtitiam hominis vita iu lege informatur. Loquitur enim Apoſtolus de ſermone illo, qui inter Angelos tum temporis dictus. Qui vocatur a Stephano *verba vitæ Act.* 7.38. Quippe cujus præceptis qui obedierit vivet & particeps erit vitæ & felicitatis. Quemadmodum æternam divinam pœnam, conſiſtentem in privatione hujuſmodi vitæ felicitatis, non effugiet, qui legi in monte Sina promulgatæ obtemperare recuſat. Argumentum, quod Apoſtoli verba non tam terrenam eamque brevem, quam ſpiritualem & æternam pœnam ſignificant. Quamquam negari nequeat ad duplicem legis violatæ pœnam referenda ejus verba, temporalem & terrenam, cœleſtem & æternam, quia condigna utraque peccatis pœna vel animo ſolo vel ipſis factis & dictis admiſſis. Sic perperam quoque tanquam opinionis ſuæ munimentum adſert locum *Hebr.* 7.16. Quippe mandatum carnale non vocat Apoſtolus legem moralem, verum legem Moſaïcam de carne circumcidenda & luſtranda, eo quod non animam, ſed carnem tantum a quadam immunditie & irregularitate legali & politica in hominum opinione conſiſtente purgabat & ſanctificabat, idque per carnales ceremonias, ſcil. lotiones, ſacrificia, ſuffitus, & cætera quæ carnem tantum, non autem animi fibras attingunt, conſequenter ceremonialem legem denotat, ceremonias Levitici Sacerdotii & omnes qni eo ſpectabant ritus præcipientem. Sic quoque ſenſu a mente Apoſtoli alieno mihi videtur Author locum adducere *Rom.* 3.27. Nam lex operum ibi denotat legem Moſaïcam, ſive legem Decalogi, nou ſolum quatenus præcipit opera externa ad civilem vitam pertinentia, ſed etiam quatenus imperat cordis puritatem & interiorem mentis obedientiam, quam legis finem primarium eſſe diximus, unde tanquam ex fonte ſuo & origine bona opera profluunt; intelligit itaque Apoſtolus *legem factorum*, non ſpecialem illam legis partem, quæ externa imperat opera, abſtracte ab ea quæ ad interiorem honeſtatem & ſpiritualem juſtitiam præcipit, ſed totam legem decalogi ſive moralem opera præcipientem tanquam neceſſarium conſequens interioris juſtitiæ ſpiritualis atque legis obſervantiæ. Præcipuum itaque legis eſt animæ & mentis ac voluntatis obſequium exigere, quod externam obſervantiam atque operum præſtationem neceſſario includit. Utrique itaque legis fines intelligi debent, ita ut obligatio ad unum includat & obſignationem ad alterum, quibus ſeparatim intellectis omnis corruit legis moralis vis, imo tota lex tollitur, quia omnem divinitatis characterem amittit, qua deſtituta, omne obligandi vinculum diſſolvitur. Nam eo obligat quia moralis, moralis vero eſt, quia ex ipſa divina dimanat natura, ſi vero ex divina eſſentia derivatur, neceſſario interiorem hominis volnntatem & mentem afficit,

nam

nam cum imago divina non in corpore ſed animæ rectitudine conſiſtat, rectitudo iterum in convenientia noſtræ voluntatis, quæ animæ tanquam ſubjecto ſuo inhæret, cum imagine ſeu divina ſanctitate, ſequitur omnia moralia, quia ex illa ſanctitate & imagine, cujus participes nos facere Deo placuit, profluentia, proprium legis moralis objectum eſſe, ideoque interiorem mentis ac voluntatis puritatem & conformitatem cum divina ſanctitate ſpectare, a qua ſi vel minime diſcedimus declinando verſus objectum ei contrarium, ideoque moralem turpitudinem habens, peccamus moraliter & mortaliter, quamvis nondum perpetratum in foro ſoli, quod animo concepimus. Putant quidam Interpretes, legem Moſaïcam legem factorum ab Apoſtolo vocari, præſertim quantum ad præcepta ceremonialia, ſic quippe erat graviſſimum & laborioſiſſimum jugum innumeris obſervantiis plenum. Sed & commode etiam dici poſſe videtur *lex factorum*, quatenus lex moralis in monte Sinaï promulgata etiam comprehendebat legem illam, cujus obſervantia & adimpletio, poſtquam Deus fœdus cum primo homine erexiſſet, iſti præſtitiſſet vitam, tum etiam eo potiſſimum, quia Deus vi legis moralis populo Hebræo datæ exigebat ab eo præſtationem & obſervantiam omnium præceptorum non interiorem tantum, ſed & externam, quæ conſiſtebat in externis operibus & actionibus. Secundum Auguſt. lex Moſis lex factorum dicitur, quia minando imperabat, ſed gratiam faciendi non præſtabat. Errorem vero Author errore cumulat, dum inquit, *legem divinam ſecundum id, quod legis divinæ proprium eſt, requirere etiam mentis puritatem, & actus aliquos qui ſine temporali pœna omitti poſſunt*. Primo, ut bene annotavit Oſiander, non explicat qualem puritatem requirit nam non qualemcunque puritatem exigit, ſed ſummam, quæ cadere poteſt in naturam humanam, cujuſmodi tamen reipſa propter infirmitatem humanam non in eam cadit. Imo Angelicam puritatem requiri, quæ omnibus carnalibus ſordibus abſterſa, nihil quam ſpiritum ſapiat, inquit Calvin. *dict. loc.* Præter hanc puritatem etiam actus aliquos exigere, ſcil. externos, ponit Author; quod veriſſimum, nam ubi talis eſt mentis diſpoſitio, requiritur etiam & immediate præcipitur actionum externarum cum ea convenientia, conſiſtens in præſtandis officiis, quæ Deo & proximo debemus; quippe circa ea lex moralis verſatur, non tanquam opera, quibus meremur gratiam & vitam cœleſtem, ſed tanquam neceſſarium conſequens, ut jam ſæpius diximus, illius puritatis, quæ in mente & voluntatis interiori obſequio & ſpontaneo ex amore Dei & virtutis proficiſcens. Ex hujus interioris & ſpiritualis juſtitiæ atque mentis puritatis, non actunm quorundam lex ſpiritualis ab Apoſtolo vocatur *Rom.* 7. 14. Ideoque, ut bene annotavit ſtatim allegatus Commentator, *quamvis lex exigat actus externos, non tamen quocunque modo exigit, ſed ut procedant a radice ſanctitatis internæ; adeoque in ſpiritualitate cum internis communicante.* Dicit itaque legem ſpiritualem, quia ad præſtandam perfectam juſtitiam, quam exigit, non ſolum externa opera ſancta, ſed omnes etiam internos animi motus & affectus exigit ſpirituales & totos ſanctos. Hinc inquit, *Diliges Deum ex toto corde, & non concupiſces; non itaque verſatur circa externas hominum actiones, ſed & in ipſas hominum mentes penetrat, & hoc requirit, ut totis animis Deo conſecrati vitam vere ſpiritualem, id eſt ſanctam & vere cæleſtem, degamus.* Ut vero explicat Chryſoſt. haſce ob rationes lex ſpiritualis dicitur. 1°. Quia præſcribit ea quæ ſpiritus & luminis ſpiritualis ſunt, ſcil. virtutes ſequi & vitia fugere. 2°. Quia lex hominem dirigit ad Dei unius cultum, qui puriſſimns eſt ſpiritus, a quo etiam data eſt. 3°. Quia lex congruit cum ſpiritu hominis, ſpiritum enim hominis dirigit & ordinat, tam circa Deum, quam circa ſe ipſum & proximum. Cui 4°. adjungi poteſt, quia impleri non poteſt, niſi per ſpiritum & gratiam a viris ſpiritualibus. Alii alias adhuc allegant rationes, quas paſſim ſacrarum literarum Interpretes recenſent. Priori, inquit Author, parte legis, ſcil. quæ externa facta & obedientiam atque impletionem in foro ſoli exigebat, & populum tantum aſſuefaciebat ad civilem vitam agendam, contenti Phariſæi & Juriſperiti, ſecundam, quæ potior habenda eſt, utpote quæ interiorem mentem, nobiliſſimam hominis partem, dirigit & inſtruit genere illo ſcientiæ, quæ ad æternam ſalutem obtinendam neceſſaria eſt, inſuper habebant, ideoque non inculcabant populo. Quemadmodum ex Joſepho atque Hebræorum magiſtris conſtare affirmat. Verum nullus dubito quin plus affirmet Author quam probare poſſet. Quippe cum Phariſæi atque Juriſperiti in cathedra Moſis ſedentes popnlo publice, vel privatim diſcipulis legem & doctrinam Moſis interpretarentur, eorum officium potiſſimum conſiſtebat in erudiendo populum in iis, quæ concernebant conſervationem civilis ſocietatis. Hæc enim provincia iis demandata qui ſummæ rerum in ſocietate civili præſunt, ſed Theologicis.

5. Sed etiam ſecundam hanc partem quod attinet, ſciendum eſt, virtutes, quæ a Chriſtianis exiguntur, etiam Hebræis aut commendari, aut præcipi, ſed non præcipi in eo gradu ac latitudine, quo Chriſtianis. Utroque autem hoc ſenſu Chriſtus ſua præcepta opponit veteribus: unde liquet, verba ejus non continere nudam interpretationem. Hæc autem ſciri non ad hoc tantum, quod nunc in manu eſt, re-

P fert,

fert, ſed & ad multa alia, ne legis Hebraïcæ auctoritate ſupra quam æquum eſt utamur.

COMMENTARIUS.

ADducit Author in Notis ſuis locum Chryſoſt. *lib. de virginitate cap.* 44. quo probaret, non a ſua opinione ipſos Patres alienos fuiſſe, nam & ibidem affirmat, olim non tantam nobis injunctam fuiſſe virtutis menſuram, atque plurimis in rebus temporum illorum multam indulgentiam fuiſſe. At vero per Chriſti adventum multo arctiorem factam eſſe viam, atque exactiorem vivendi regulam præſcriptam. Sic & *de virginitate cap.* 94. *Major*, inquit, *nunc virtus oſtendenda eſt, quia multa nunc ſpiritus oſtendenda gratia eſt, & ingens eſt donum Chriſti.* Et idem *eod. tract. Non eadem virtutis menſura a nobis & ab illis*, ſcil. Judæis, *exigitur.* Sic & Tertull. *lib. 9. adverſus Marcion. Novam plane patientiam docet Chriſtus, etiam vicem injuria cohibens, permiſſam a creatore, oculum exigente pro oculo & dentem pro dente, contra ipſe alteram maxillam offerri jubens, & ſuper tunicam pallium quoque cedi: plane hac Chriſtus adjecit, ut ſupplementa diſciplinæ creatoris.* Verum cum & homines fuerint, qui anterioribus vixere ſeculis, ut nos, & idcirco multis quoque erroribus obnoxii, quamvis aliter pietate inſignes veræ fidei ac religionis antiſtites, non vereor tamen dicere in quibuſdam cœcutiſſe atque erraſſe, miror hominem Chriſtianum, ſana ratione utentem, aliquo modo verſatum in ſacris litteris, tam miſere labi & errare in illis divinæ doctrinæ dogmatibus, quæ ipſi Gentiles omni revelatione & ſacrarum litterarum notitia atque ſcientia deſtituti tanquam per ſe notam & falli neſciam veritatem amplexi fuerint, ut conſtat ex iis quæ de natura virtutum a nobis adducta *n. 2. hujus §. 6.* pares enim virtutes eſſe, iiſque nihil addi vel detrahi poſſe opinabantur, propterea quod una tantum virtutis natura eſt & origo, eaque perfectiſſima atque ſimpliciſſima, ideoque eam nec augmentum nec diminutionem pati poſſe, veritas eſt omni exceptione major. Quæſo ſi virtutes neque majores neque minores fieri poſſunt, qui poteſt dici ab Authóre in majori gradu & latitudine Chriſtianis, quam olim Hebræis præcipi, quippe cum virtutes præcipiantur, quia habent in ſe neceſſitatem moralem, ex ipſa virtutis natura præceptum profluit, tanquam aliquod neceſſarium conſequens, ſi ergo ipſa virtus non poteſt augeri, quia per ſe & ſua natura perfecta eſt, ergo nec præceptum, quod ab ipſa tanquam effectus a ſua cauſa producitur diverſis temporibus, vel latius vel ſtrictius extendi non poteſt, quam patet ipſa virtutis natura, ſcil. per ſe addendo aliquid præcepto, quod antea eo non erat comprehenſum, nam eo ipſo virtus augmentum pateretur. Quoniam vero virtutes reſpectu originis ſuæ, quæ ab ipſa divina eſſentia deducenda & quidem immediate ac neceſſario, non magis mutari poſſunt, quam ipſa eſſentia divina, hinc etiam nec augmentum pati poſſunt, & conſequenter uno eodemque præcipi debent gradu & latitudine, nam gradus & latitudinis menſuram quod ad præcipiendi neceſſitatem augere eſt vera mutatio per additionem. Sed quoniam hæc omnia ſatis late ſup. annotavimus, non opus eſſe ducimus ut hic iterum repetamus. Et idcirco concludimus omnes virtutes, quæ lege morali continentur, æquali gradu atque latitudine & Hebræis & Chriſtianis præcipi, & conſequenter Chriſtus legem dilatando & extendendo non ſolum vetita lege (nempe facta) ſed & concupiſcentias illorum prohibendo, ut cum pro eo, quod eſt, non mœchaberis, dixerit, non concupiſces, pro eo, quod eſt, non occides, ne iraſci quidem, non in majore gradu, quaſi lege non comprehenſo, virtutes præſtare præcipit, ſtrictiorem a vitiis abſtinentiam diſcipulis ſuis injungens, verum dilatando & extendendo legem etiam ad primos animi impuros motus, docet etiam legis virtutem ultra quam literas extendendam, & plura comprehendere, quam literis expreſſa. Requirit quidem Chriſtus, hic omnibus numeris abſolutam & perfectiſſimam omnium virtutum exercitationem, verum non perfectiorem quam lege imperatam olim populo Hebræo. Quippe cum lex moralis ſit verus divinæ ſanctitatis typus, immutabilem & ſemper ſibi conſtantem oportet eſſe, & conſequenter quod olim exigit, etiamnum præcipit in eodem gradu ac latitudine & perfectione, ſin autem ſanctitatis & imaginis divinæ typus, virtutes imperat in ſummo & perfectiſſimo gradu, cui nihil poteſt addi, nam quoniam immediate ex divina eſſentia profluant, imo cum ea adeo coadunatæ ſint, ut non tanquam ſeparabiles ab ea, ſed unam eandemque conſtituentes eſſentiam conſiderari debeant, ut jam ſupr. demonſtravimus, conſequenter nulla acceſſione vel perfectiores vel majores & latius patentes effici queant, quod enim lex verbis non exprimit, ſenſu includit, cui aperiendo incumbit Chriſtus, quoties dilatat atque extendit moralium virtutum præcepta, decalogo comprehenſa. *Plus enim ſemper in præceptis & interdictis ineſt quam verbis exprimitur.* Calvin. *Inſt. lib. 2. cap.* 8. Præterea nonne omnis Chriſti doctrina eo collimat, *Sancti eſtote ut pater veſter in cælis*, in quo autem ſanctitas noſtra conſiſtit, niſi in convenientia non ſolum actionum, quæ a nobis proficiſcuntur, ſed & omnium animi motuum & cogitationum harmonia cum lege morali, utpote quæ ſanctitatis divinæ typus eſt, & conſequenter norma & regula agendorum, non externam modo honeſtatem, ſed interiorem quoque hominis juſtitiam poſtulans atque exigens, nam cum ſpiritualis ſit legiſlator, animam non minus quam corpus reſpicit. At-

qui

qui Dei ſanctitas, ad quam noſmetipſos efformare debemus, neque augmentum neque diminutionem pati poteſt, quia nulla in eam cadit mutatio, ergo nec lex moralis, quæ verus ejus typus eſt, immediate & neceſſario ex ea dimanans, neque quoad obligandi neceſſitatem, neque virtutum exigendarum rationem. Sed quæ ſemel exigit uniformiter & ſemper eodem modo, eodem gradu ac latitudine imperat, ſi non expreſſe, ut diximus, ſaltem tacite, nam quouſque ſeſe extendit virtutis vel vitii idea, eouſque præceptum illius, & hujus prohibitio patet. Optime celeberr. Theologus ſæpius a nobis allegatus Franciſc. Burman. *Synopſ. lib.* 9. *cap.* 5. de lege morali ſermonem habens ait: *Præcepta ejus latiſſimæ eſſe explicationis; cumque tantum ſummarerum capita exprimat, eo immenſam rerum ſummam includere, & virtutes vitiaque omnia cognata, & quomodocunque ea attingentia, eo referri poſſe. Sicut Chriſtus ſub adulterio etiam oculorum adulterium, aſpectuſque lubricos & inceſtos comprehendit. Matth.* 5. 28. Concludimus itaque in tradendis virtutibus earumque intrinſeca obligatione extendenda ac dilatanda, nihil legi morali addidiſſe Chriſtum; ſed eam illis factis & dictis applicaſſe, quibus per ſe & ſua natura applicari debet, cum falſis Phariſæorum & Scribarum interpretationibus reſtringeretur ad ſenſum literalem, multiſque involveretur corruptelis, a quibus eam vindicavit Chriſtus genuinum legis aperiendo ſenſum, & conſequenter neutro ſenſu ab Authore adducto præcepta ſua veteribus oppoſuiſſe ſtatuimus, verum nudam eamque veriſſimam ejus verba continere interpretationem.

VII. 1. Omiſſis ergo argumentationibus, quæ minus ſe nobis probant, primum ac præcipuum teſtimonium, quo bellandi jus a Chriſti lege non plane tolli probamus eſto, Pauli illud 1. ad Timotheum II, 1. 2. 3. *Hortor ergo ante omnia ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro quibuſvis hominibus: pro regibus & quibuſvis in eminentia conſtitutis: ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac ſanctitate. nam id bonum gratumque eſt apud Deum ſervatorem noſtrum, qui omnes homines vult ſervari, & ad agnitionem veritatis venire.* Tria enim hinc docemur: Gratum eſſe Deo ut reges fiant Chriſtiani: ut Chriſtiani facti reges maneant: quod ita expreſſit Juſtinus Martyr: εὐχόμεθα τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι. *Hoc precamur, ut Reges & Principes ſimul cun regali poteſtate etiam ſanam mentem conſequantur*: & in libro, cui nomen *Conſtitutiones Clementis*, precatur Eccleſia Χριστιανὰ τὰ τέλη. id eſt magiſtratus Chriſtianos: deinde & hoc Deo gratum eſſe, ut Chriſtiani reges Chriſtianis aliis vitam tranquillam præſtent. I.

COMMENTARIUS.

SEriem hic argumentorum producit Author, quæ jus bellandi etiam Chriſti lege ſive potius doctrina non plane tolli demonſtrant, & præcipuum quidem argumentum & teſtimonium Paulum adducere putat 1. ad *Timoth.* 2: 1. 2. 3. quod facile concedimus. Commendat ibi Apoſtolus tanquam opus bonum natura honeſtum, præceptum juſtumque, pro proximo qua homini, ideoque nobiſcum ejuſdem naturæ participi preces noſtras & ſundere, atque deprecationibus & interpellationibus intercedere pro quibusvis hominibus, etiam pro apertis pietatis hoſtibus, infidelibus, & hæreticis. Vult autem Deus omnes ſalvos fieri, cujuſcunque ſunt generis, nationis & fidei, omnibus vult Evangelii doctrinam proponi, ut ad veritatis agnitionem perveniant, ſcil. ut ſincera atque integra fide Chriſtum unicam ſpem ſalutis noſtræ amplectentes, fiant Reges Chriſtiani. Verum licet velit Deus omnes ſalvos, conditio tamen divinæ voluntati ineſt, ſcil. ſi accedant ad eum. Salvari vult, ſi & ipſorum voluntas reſpondeat divinæ voluntati. Atqui illud τὸ velle etiam in nobis Deus operari debeat. Hinc poſtulat charitatis officium, qua ſocium proſequi debemus tanquam ejuſdem nobiſcum originis, ut quos ſalvos Deus velit, eorum ſalutis curam ſtudiumque ſuſcipiamus, & conſequenter Deum precibus noſtris fatigemus, ut quoſcunque ſua vocatione amplectitur, & ſalutis participatione dignari vult, in iis operari ipſi placeat & velle & perficere. Ut Spiritu ſuo velit eorum mentes, qui a vera fide alieni ſunt, illuminare, & ad agnitionem Evangelicæ veritatis ac doctrinæ, quæ eſt ſincera fides in Chriſtum, perducere. *Imitare Deum tuum: ſi omnes ille vult ſalvos fieri, merito oportet pro omnibus orare. Si omnes ipſe ſalvos fieri cupit, illius & tu concorda voluntati, quod ſi & ipſe vis ora, quippe volentium eſt orare.* Chryſoſt. *in* 1. *Epiſt. Pauli ad Timoth. cap.* 2. Verum ſi id nutus eſt divini, quid opus habet precibus meis? Si Deus dare vult, quid me neceſſe eſt orare. Re-

ſponde, hæc charitatis lex & officium poſtulat, quæ me indiſſolubili vinculo devinctum habet, ut proximum ejuſdem ſalutis participem precibus & orationibus efficere cupiam, ad quam Dei ſumma erga nos miſericordia adducti ſumus. Quoniam vero novimus Deum juſtorum preces permagni facere, easque tum ad noſtram ſalutem tum etiam aliorum, maxime valere, contra legem charitatis pecco, ſi omitto piis votis & ardentibus ac aſſiduis precibus teſtari meum ſtudium, quo vehementer ejus ſalutem deprecari cupio: nominatim vero addit Apoſtolus pro Regibus & omnibus qui in ſocietate civili ſummum obtinent imperium, licet eo tempore erant quaſi jurati Chriſti ejuſque Eccleſiæ hoſtes, opes ſuas conferentes ad oppugnandum Chriſti regnum, fidelium & ſanctorum perſecutores crudeliſſimi, nam & illi in eorum numero incluſi, quos Deus ſalutis participes eſſe velit. Indicare igitur vult Apoſtolus non conſiderandum eſſe quales tunc Principes eſſent, ſed quales Deus eſſe vellet, vult autem omnes ſalvari, ideoque gratum acceptumque ei eſt, ut ad notitiam veræ fidei in Chriſtum perveniant, nulla vero extra Chriſtum ſalus, & conſequenter ut Chriſtiani fiant, idque noſtris precibus Deo quotidie commendamus. Sed addit Apoſtolus alteram rationem, quæ nos impellere debet ad effundendas preces noſtras pro Regibus & omnibus qui in eminentia conſtituti ſunt, nulla habita ratione cujus ſunt nationis, generis, ac fidei, nam univerſalis eſt ratio, quam tradit Apoſtolus, utilitatem humani generis ſpectantem, ſcil. ut quietam & tranquillam degamus vitam. Videtur Apoſtolum, recenſendo fructus, qui a ſummis imperantibus in ſubjectos ac cives redundant, voluiſſe nobis ſtimulum addere, quo magis incitaremur ad ſuſcipiendum quod doctrina ſua nobis inculcat. Regna enim & principatus Deus inſtituit ad conſervationem humani generis, ſcil. ut tranquille & in pace, a qua ſalus cujuſque ſocietatis civilis, & conſequenter etiam ſingulorum membrorum dependet, ut ſæpius diximus, vitam degere nobis liceat. Illorum itaque ſalus & ſecuritas, noſtra ſecuritas atque tranquillitas eſt. Hinc civitatis ordo & pax publica pendet, gladio enim armati ſunt magiſtratus, ut nos in pace contineant. Niſi enim compeſcerent improborum audaciam, latrociniis & cædibus omnia eſſent plena, docet itaque hic etiam Apoſtolus politico magiſtratui, maxime vero Chriſtiano, ſcopum propoſitum eſſe debere, ut populus ei ſubjectus tranquillam & quietam vitam agat, id eſt tutus ab invaſione & a latronibus, quod cum ſæpius præſtari nequeat niſi vim repellendo, & arma armis propulſando, ſubjectorum officium eſſe indicat Paulus, ut publicas preces effundamus pro iis noſtri cauſa pericula & labores ſubeuntibus, argumentum non interdici bella pro ſalute populi ſuſcepta, ſed licita, imo neceſſaria, tanquam medium ſine quo vitam tranquillam & quietam tranſigere non poſſumus. Hinc Chryſoſt. ut Latine ſonant verba Eraſmo interprete: *Deus enim pro utilitate communi hujuſmodi principatus inſtituit. Quam igitur abſurdum, quum illi idcirco militent & arma circumferant, ut nos in tranquillitate atque otio ſimus, nos pro periclitantibus ac noſtri cauſa labores ſubeuntibus preces effundere detrectemus? Non igitur aſſentandi gratia hujuſmodi mandatum dedit, verum juſtitia ſervavit leges: niſi enim illi ſervarentur, atque inter bella & hoſtes proſpere agerent, neceſſario & noſtra omnia turbis tumultibuſque plena eſſent. Nam nos aut militare opus fuiſſet, ac per noſmet eadem ſubire pericula conciſis illis, aut fugere, vagoſque per orbem terrarum ferri. Sunt enim,* inquit, *hujuſmodi velut obices quidam hoſtibus oppoſiti, per quos nos in pace ſervamur.* Et Tertull. *Illuc* (in cœlum ſcil.) *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Et ut alius inquit: *Precare pro pace regni, niſi enim eſſet timor ejus, homines ſe invicem vivos deglutirent.*

2. Quomodo vero? Alibi id explicat Rom. XIII, 4. *Dei miniſter eſt tuo bono. quod ſi feceris quod malum eſt, metue; non enim fruſtra gladium gerit: nam Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.* Jure gladii per complexionem omnis quidem coërcitio intelligitur, quomodo etiam apud Juriſconſultos interdum, ſed ita tamen ut pars ejus ſumma, id eſt verus gladii uſus, non excludatur. Huic loco illuſtrando non parum ſervit Pſalmus ſecundus, qui quanquam in Davide ſuam habuit veritatem, plenius tamen & perfectius ad Chriſtum pertinet: ut diſcere eſt Actor. IV, 25. XIII, 33. Hebr. V, 5. Is autem Pſalmus Reges omnes hortatur ut Dei filium venerabundi ſuſcipiant: hoc eſt, ut ſe miniſtros ei exhibeant, qua Reges ſunt ſcilicet, ut recte explicat

Contra Creſ. Auguſtinus, cujus verba ad hanc rem pertinentia apponam: *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in*

in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem. Et alibi: *Quomodo ergo Reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea quæ contra juſſa Domini fiunt religioſa ſeveritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſervit qua homo eſt, aliter qua rex eſt.* Mox: *In hoc ergo ſerviunt Domino Reges in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.*

Gram. lib. III.

Ad Boniſ. Epiſt. 50.

COMMENTARIUS.

QUoniam pax & tranquillitas ſit ſocietatis arctiſſimum vinculum, qua ſublata introducitur ſtatus belli, in quo homines in mutuam conſpirant perniciem, ſibique invicem diffidentes nunquam hoſtilem erga ſe mutuo animum exuunt, manente mutuis diſcordiis atque bellis diſtracta ſocietate, & interrupto officiorum commercio. Atqui hominum natura quamvis ſociabilis, attamen multis inquinata pravis animi agitationibus ad vitia ſæpius deflectit, & viribus, quas ad pacem & ſocietatem colendam & conſervandam ipſi natura largita eſt, quandoque ad eam perturbandam atque diſtrahendam abutitur, hinc ſummum aliquod imperium conſtitutum & ordinatum a Deo, qui pacem & tranquillitatem amat, oditque diſcordias, bella, ſcelera, & quæcunque flagitia quæ ſtabilitam pacem & conſequenter ſocietatem humanam non ſolum lædunt, ſed plane tollunt, interveniente diſpoſitione hominum. Verum cum ſimplex imperii nomen & conſtitutio nihil confert ad coërcendos pacis perturbatores & ſocietatis humanæ hoſtes, niſi preſentis alicujus mali metus adſit quod diſcordiarum authorem & ſceleris reum excipit, & malevolorum pravas machinationes coërcet, ne in perniciem ſocietatis, vel alicujus membri in actum deducantur, vel jam patrata digna vindicentur pœna, ſummis imperantibus facultas animadvertendi in humani generis, & ſingulorum membrorum hoſtes quocunque modo idoneo ad quietam & tranquillam civibus vitam præſtandam eamque conſervandam. Cum vero ſint pacis perturbandæ & communis ſocietatis diſtrahendæ varii modi, ita diverſi coërcitionis gradus, & plures publicæ tranquillitatis hoſtes puniendi rationes. Quas omnes Paulus Apoſtolus comprehendere videtur loco ab Authore hic adducto ſub poteſtate & jure gladii, tanquam ſumma & potiore ſummi imperii parte, cui ineſſe præſumi debent omnes coërcitiones minores, ejuſmodi tamen, quæ nulli competant niſi cui merum competat imperium, ſive jus gladii, ideoque graviores dicuntur reſpectu modicæ coërcitionis, quæ JCti juriſdictionem habenti tribuunt. Gladius materialis ſignum eſt poteſtatis occidendi, ideoque qui habet poteſtatem gladio animadvertendi in facinoroſos, ei jus vitæ necisque competit, ſic Romani Imperatores pugionem gerebant, quod geſtamen *jus vitæ neciſque civium* interpretatur, Tacitus *Hiſt.* 3. Idem jus denotat Apoſtolus, ita tamen ut ſub poteſtate occidendi comprehendat omnia criminum coërcendorum genera, gladius itaque admonere debet Principem ſui officii, ſcil. ut eo utatur puniendo malos & defendendo bonos, ut coërcendo crimina præſtat civibus ſecuritatem illam, quæ in cauſa fuit, ut jacturam facientes libertatis naturalis ſummum imperium in unum vel plures Reipub. cives collocarint, qui gadio armati poſſent a ſe depellere illa incommoda & pericula, quibus in ſtatu naturali erant expoſiti, ut inquit Apoſtolus *dict. loc. Timoth.* 2. ſub cujus tutela & cura tranquillam & quietam vitam degere poſſent, & tuti ab hoſtibus & latronibus & publicæ tranquillitatis perturbatoribus, a qua ſocietatis conſervatio & idcirco ſingulorum quoque membrorum pendet, vivere poſſent. Quamobrem jus animadvertendi gladio in facinoroſos non tantum reſpicit unum vel alterum privatim lædentem ejuſdem ſocietatis membrum vel civem, quaſi hoſtem domeſticum, ut ita dicam, ſed plures, etiam qui publice vim inferunt, qui armis & telis alienos fines invadendo, poſſeſſiones devaſtando, bona civium deripiendo, & alia quacunque ratione hoſtilem ſuum erga nos animum declarant, Princeps gladium ſtringere & poteſt & debet adverſus reipub. hoſtes & invaſores ac publicæ pacis perturbatores, ſi officii ſui partes implere velit. Quoniam vero ſeſe vi & armis ſubducat ejuſmodi in alterius populi perniciem advolantium improborum hominum ſociata multitudo, gladii jure uti dicitur, quando vi & armis eos perſequitur magiſtratus. *Nam Dei miniſter eſt & vindex ad iram, gladium non gerens fruſtra.* Atqui bella legitima ſunt pars publicæ vindictæ: ergo ſi Princeps vel ſummus magiſtratus gladio armatus in latrones animadvertendi jus habeat, multo magis ipſi conceſſa videri debet eadem facultas ſive poteſtas gravius conſulendi in eos, qui publica latrocinia exercent. Quamobrem Cicero S. C. illud ultimæ neceſſitatis, *Darent operam Coſſ. nequid Reſp detrimenti caperet*, gladium in *prima Catilinaria* vocat; quo S. C. jus omnibus modis coërcendi tum domi tum etiam foris Romano magiſtratui permitti ex Salluſtio aliiſque ſcriptoribus conſtat. Ita enim *Bell. Catil. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, Senatus decrevit, darent operam Conſules, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more Romano, magiſtratui maximo permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque cives, do-*

mi militiaque imperium atque judicium ſummum habere. Et Cic. *pro Milone*: *Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cum Senatus ei commiſerit, ut videret ne quid Reſp. detrimenti caperet (quo verſiculo ſemper ſatis armati Conſules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exſpectaturum fuiſſe, in ejus conſiliis vindicandis, qui vel ipſa judicia tolleret.* Ex quibus perſpicimus gladii poteſtate ſummum imperium & domi & foris commode denotari eſt, & jus quocunque modo vindicandi & coërcendi crimina, & delicta, vel admiſſa privatim a cive & ſubjecto in civem, vel publice ab iis, qui extra territorium, alieno imperio ſubjecti, jus dicenti impune non pareant, ſed tamen vim inferentes juſte vi perſequi & coërceri, poſſunt omnibus modis etiam vitæ interitu, qui verus gladii uſus eſt. Confirmatur, quod ſtatim diximus, Prophetia Davidis, regnum Chriſti & quidem excluſive ſpectante *Pſ.* 2. quippe qui plane nullam habuiſſe veritatem in Davide, ſed unice de Meſſia intelligendus videtur propter multas rationes, quæ nullius niſi Chriſti perſonam reſpiciunt. 1°. Quod Dei filius abſolute dicitur *v.* 7. (ſicut etiam *Matth.* 3. & 17. 15.) quod uni Chriſto competere Paulus teſtatur, *Hebr.* 1. 4. 5. 2o. Propter æternam generationem, *Hodie genui te. Cui enim unquam Angelorum dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te.* 3o. Propter dominii ejus amplitudinem, *regi omnes gentes, & reges ipſos.* At imperium Davidis intra Judæorum terminos finiebatur. 4°. Tum etiam quod ipſi attribuitur Dei cultus *v.* 11. 12. 50. Quia ipſi Apoſtoli optimi & mentiri neſcii interpretes V. T. ſoli Chriſto applicant quæ *Pſalm.* cecinit, ut patet *Act.* 4. 25. & 13. 33. Et *Hebr. dict. loc.* Occurrunt plura argumenta paſſim apud Theologos, quæ omnia hic recenſere non opus eſſe duxi. Adducitur tantum eum in finem Pſalmus, ad confirmandum quod dictum eſt ſuperius, ſcil. hortari Reges, ut Chriſto ſe ſubmittant & eidem ſerviant quatenus Reges, ſerviunt autem ei mala prohibendo & impediendo, & bona jubendo, atqui exequi hoc nequit niſi coërceantur vi qui legibus obtemperare recuſant, ita ut & ſub Chriſti regno noxio puniendi neceſſitas incumbat Regibus atque ſummis magiſtratibus, vel domi, ſi in poteſtate habeant delinquentes, vel foris vi & armis perſequendi, ſi publice vi & ferro pacem publicam perturbare aggrediantur. *Hoc ergo & naturalis æquitas & officii ratio dictat, armatos eſſe Principes, non tantum ad privata maleficia judiciariis pœnis coërcenda, ſed ad ditiones quoque fidei ſuæ commiſſas, bello defendendas, ſi quando hoſtiliter impetantur.* Calvin. *Inſtit. lib.* 4. *cap.* 20.

11. 3. Secundum argumentum præbet nobis is ipſe locus, cujus partem citavimus, ad Rom. XIII. ubi poteſtas ſumma, qualis eſt regia, a Deo eſſe dicitur, & Dei ordinatio vocatur; unde infertur, ei & parendum & honorem exhibendum, & quidem ex animo: & qui ei reſiſtit, eum Deo reſiſtere. Si ordinationis voce res intelligeretur quam Deus tantum non vult impedire, quomodo ſe Deus habet circa actus vitioſos, jam inde nulla honoris, nulla obedientiæ, ad animum maxime pertinentis, obligatio ſequeretur: nec quicquam diceret Apoſtolus, ubi hanc poteſtatem tantopere prædicat atque commendat, quod non latrociniis & furtis conveniret. Sequitur ergo ut ordinata hæc poteſtas voluntate Dei approbante intelligatur: unde porro infertur, cum Deus ſibi contraria non velit, hanc poteſtatem cum voluntate Dei per Euangelium revelata, & omnes homines obligante, non pugnare.

COMMENTARIUS.

OMnis principatus omniſque poteſtas vel Regia ſive Monarchica, vel Ariſtocratica, vel Democratica, a Deo tanquam primo principio & cauſa & anthore derivanda, non quidem immediate per ſe, ſed interveniente diſpoſitione humana. Quoniam natura humana ita comparatum eſt, ut ſingulis rebus indita atque innata ſit facultas ſeſe non ſolum conſervandi, ſed etiam reſiſtendi iis quæ ſibi nocere poſſint. Hanc autem hominis facultatem cum non ſufficeret ad illam conſervationem tuendam, ſi non mutua ope, & mutuo commercio ac conſuetudine ſe invicem adjuvarent, indidit iis naturam ſocialem, id eſt cupiditatem gregatim vivendi, & cœtus celebrandi, in ſocietates coëundi, non quidem civiles, ſed naturales, ſcil. conjugales, unde familiæ, deinde etiam fœderales, unde plurium familiarum ſibi æquarum imperio & poteſtate conſociationis, manente cuique patrifamil. ſalvo ſummo imperio quod natura ipſi tribuebat.

Atqui

Atqui ejuſmodi conſociationes & naturales ſocietates non ſufficere perſpiciebant ad conſervationem propriis viribus tuendam, vel quia ſingulæ familiæ impares erant depellendis a ſe malis & periculis, quæ ab aliis ſibi imminebant, vel conſociatæ & coadunatæ, quia ſibi æquales, id eſt quiſque pater famil. ſui juris, non obſtante ſociali fœdere, manebat; & conſequenter alter ad præſtandum alteri quod conventum cogi non poterat, aliud medium ipſis dictabat ratio adhibendum, ſcil. ut in ejuſmodi ſocietatem coïrent, quæ omnibus illis incommodis atque periculis mederi poſſet: cujuſmodi eſt ſocietas civilis plurimarum familiarum ſegreges viventium, ut jam ſæpius annotavimus, ſub uno eodemque ſummo imperio coadunata multitudo. Quemadmodum vero illi ſtimuli ſingulis hominibus innati, & indita facultas ſeſe conſervandi in ſtatu ſuo Deo adſcribenda, ita quoque divinæ voluntati & diſpoſitioni tribuenda illa quorumcunque mediorum applicatio, quæ recta nobis dictat ratio ad tuendam conſervationem noſtri adhibenda, atqui tanquam neceſſarium medium, quo ſalus & conſervatio noſtri in tuto collocari debuit, dictabat eſſe ſocietatis civilis inſtitutionem, ſocietatis vero conſervationem ſine ſummo aliquo imperio haberi non poſſe, unde ſequitur non humanum eſſe inventum, ſed Dei ſanctiſſimam ordinationem regium imperatoriamque cæterorumque magiſtratuum poteſtatem auctoritatemque, quoniam antecedens Deus non poteſt velle, & conſequens declinare ſine quo antecedens haberi nequit. Ex quibus perſpicimus quomodo ſummæ poteſtates dicuntur eſſe a Deo, & ordinatio divina, ut revera ſunt, ab Apoſtolo vocantur, ſcil. non quod immediate ſunt a Deo, ſed mediate per homines, qui divinitus per rectæ rationis dictamen eruditi ſibi præfecerunt a quibus reguntur. Huic conveniunt quæ juris publici ſcientia florentiſſimus Puſendorfius habet *de jur. nat. & gent. lib. 7. cap. 3. Id tamen extra omne dubium eſt*, inquit, *ſanam rationem ſatis dictitaſſe, poſt multiplicatum genus humanum, decus, pacem atque incolumitatem ejuſdem ſubſiſtere non poſſe niſi conſtitutis civitatibus, quæ ſine ſummo imperio intelligi nequeunt. Quo ipſo etiam civitates & ſummum imperium a Deo, tanquam legis naturalis Authore, profecta cenſentur. Nam non tantum a Deo ſunt, quæ ipſe immediate & citra ullum factum humanum interveniens inſtituit: ſed & quæ homines ductu ſanæ rationis pro conditione temporum atque locorum recepere ad implendam obligationem ſibi abs Deo injunctam.* Conf. 1 *Timoth.* 2. 2: Verum latius de hiſce inferius diſputandi erit locus. Si igitur omnis poteſtas a Deo, quid magis rationi conſentaneum & homini Chriſtiano conveniens, quam obedientiam & reverentiam ac honorem præſtare atque exhibere, qui bene & legitimis viis ad ſummum imperium pervenêre. Hinc Tertull. *in Apologet. Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit.* Et idem *ad Scapulam: Chriſtianus nullius hoſtis eſt, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitutum neceſſe eſt ut & ipſum diligat & revereatur & honoret & ſalvum velit*, & quidem ex animo & propenſa voluntate divinæ voluntati parendo, & exhibendo honorem magiſtratibus, & poteſtatibus humanis obtemperando. Eſt enim Deus cordium ſcrutator, & maxime rationem habet eorum quæ intus fiunt, & interiorem mentis voluntariam obedientiam maxime cupit in exequendis ſuis mandatis. Quippe fallitur quicunque putat ſummas poteſtates non divina voluntate approbante, obligationem parendi & reverentiam ac honorem exhibendi ſubjectis imponente, ſed permittente conſtitutas atque inductas, & idcirco præſtationem obedientiæ & debitæ magiſtratibus reverentiæ exhibitionem potius ab humana voluntate pendere quam aliquam neceſſitatem & obligationem conſcientiam & animum hominis devincientem inducere. Nam ipſe Apoſtolus inquit, *qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit:* id eſt voluntati divinæ diſpoſitivæ, activæ, quæ obligationem producit, quæ ordinat legiſlative, quæ jubet & mandat ſummis imperantibus eorumque legibus ſive Edictis juſtis & mandatis Dei non contrariis obedire, utpote cui hoc modo mundum gubernare placuit. Et quoniam id ipſum ſibi placere nobis conſtat, neceſſario eſt ut omnibus viribus & ex toto corde ipſius voluntatem exequamur ſubjiciendo ſemetipſos ſummis poteſtatibus tanquam ejus vicem gerentibus, niſi velimus ipſi Deo eorum Authori reſiſtere atque rebelles eſſe, & conſequenter ſubire judicium quod minatur obedire recuſantibus, & Dei providentiæ & voluntati ſeſe hac in parte opponentibus. Sermonem non ſolum habet Apoſtolus de temporali pœna, quæ duntaxat a magiſtratu infligitur, verum quamlibet Dei ultionem & animam & corpus ſpectantem intelligit. Quod ſecus in iis quæ non obligant animum, & adiaphora ſunt quia permiſſa tantum, reſpectu divinæ voluntatis. Quod etiam ſatis patet ex ſeqq. Quoniam vero divina voluntas ſimpliciſſima eſt, quia Deus non poteſt ſibi velle contraria, ſequitur hanc poteſtatem humanam inſtitutam & ordinatam a Deo mediate per homines, ut ſocietatem civilem, a qua hominis conſervatio & ſalus potiſſimum pendet, poſſet gubernare, hoſteſque, quorum pravis machinationibus & inſultibus, dolis ac inſidiis expoſiti erant boni in ſtatu naturali, propulſare, & malefactorum audaciam cohibere, non pugnare cum divina voluntate in Evangelio declarata & revelata, ideoque nec cum doctrina Chriſtiana aliquam diſconvenientiam continere, nam ipſe Apoſtolus divino ſpiritu illuminatus, & conſequenter voluntatis divinæ & doctrinæ Chriſtianæ, quæ illi nunquam contraria eſſe poteſt, optimus & falli neſcius interpres, nobis & parendi & omnibus ſe in totum ſubjiciendi magiſtratibus neceſſitatem & obligationem injungit, propterea quod ita ſummo legiſlatori placuit, cujus voluntatem vobis juxta ipſam doctrinam Evangelicam expono atque denuncio, ut veſtri vos admoneam officii, tam Judæos quam Chriſtianos.

4. Ne-

4. Neque eliditur hoc argumentum eo, quod qui in imperiis erant eo tempore, cum hæc Paulus ſcriberet, dicuntur alieni fuiſſe a Chriſtiana pietate: nam primum id ita univerſim verum non eſt, nam Sergius Paulus Cypri Proprætor Chriſto nomen pridem dederat, Actor. XIII, 12. ut jam taceam quod de Edeſſenorum rege vetus fama tradidit, nonnihil forte falſo inquinata, ſed ut videatur ex vero originem trahere. Deinde non de perſonis quæritur, an impiæ fuerint, ſed an illa functio in illis impia fuerit: quod dicimus ab Apoſtolo negari, quando illam functionem dicit a Deo inſtitutam etiam pro illo tempore, ac propterea honorandam etiam intra animi receſſus, quibus proprie ſolus Deus imperat. Potuit ergo & Nero, & rex ille Agrippa, quem ad Chriſti religionem amplectendam Paulus tam ſerio invitat, Act. XXVI, Chriſto ſe ſubjicere, & retinere hic regiam, ille imperatoriam poteſtatem: quæ ſine jure gladii & armorum intelligi nequit. Sicut ergo olim pia erant ſacrificia ſecundum legem, quamvis ab impiis ſacerdotibus celebrata; ſic pia res eſt imperium, quamvis ab impio teneatur.

COMMENTARIUS.

NUllius ponderis eſt hoc argumentum, quod ab adverſariis ad omnem humanam poteſtatem inter Chriſtianos evertendam atque e medio tollendam adducitur, quaſi Paulus tantum ſermonem haberet de poteſtatibus ſua ætate imperium obtinentibus, quæ omnes erant a veri Dei notitia & multo itaque magis a Chriſti doctrina alienæ. Cum ea, quæ de poteſtate humana diſputat generaliter intelligi debeant, quoniam generaliter enunciata verba, & univerſalis etiam ſit cauſa conſtituti ſummi imperii, & finis quare inſtitutum eſt, a quo ſingulorum ſalutem & conſervationem pendere ſæpius diximus, qui eſt conſervatio publicæ tranquillitatis & pacis, atque illa tam inter fideles quam infideles conſervanda: conſervari autem nequit niſi perturbatores & maleficos ſcelerumque authores, cujuſmodi homines in numero fidelium plures inveniuntur, coërceat ſummus imperans: quippe ſimplex profeſſio fidei ad nomen *fidelis* acquirendum ſufficit, verum neminem a vitiis & pravis cupiditatibus immunem præſtat; hinc non minus ſumma poteſtate opus habent fideles ſæpe nomine tenus, quam vera fide & veri Dei notitia deſtitutæ gentes, ubi itaque eadem mala & incommoda metuenda, ibi & naturalis ratio dictat iiſdem uti remediis, & conſequenter eadem divina voluntas, eadem diſpoſitio & ordinatio ſibi locum vindicare poteſt. Imo quia ipſum imperium in humani generis ſalutem ordinatum a Deo, ita ut & bello arcere & vim vi repellere, & ceteris malis remedia quærere propter conſervationem noſtri, cujus cura a lege naturæ divinoque imperio imperata cuique homini qua homo eſt, hinc Apoſtolus magiſtratuum jus & imperium, tanquam humano generi utile, ſponte & libenter a nobis etiam Chriſtianis ſuſcipi & coli jubet. Secundo non univerſaliter verum eſſe, cum Apoſtolus hæc ſcriberet, omnes fuiſſe Reges atque principes & magiſtratus Ethnicos & a veri Dei notitia alienos, probat Author exemplo *Sergii Pauli Cypri Proprætoris*, de quo *Actor.* 13. & *Edeſſenorum Regis.* Quod primum exemplum attinet, teſtantur ſacræ literæ Sergium illum converſum fuiſſe & credidiſſe Evangelio: neque tamen ſe abdicavit magiſtratu, tanquam re impia, & Chriſti doctrinam amplectenti illicita, idcoque declinanda. Proprætorem eum vocat Author, quia, teſte Strabone *lib.* 4. Cyprus non conſularis, ſed prætoria erat provincia, ideoque a prætore, non proconſule, ut Evangeliſta tradit, adminiſtrari debuit. Cui difficultati reſpondent Commentatores; Quod, hic erat proconſul Ciliciæ, cui etiam Cyprus jam ſuberat, ut teſtatur Sigoo. *de antiq. jur. prov. lib.* 1. *cap.* 14. *Quanquam autem*, inquit, *Cyprus ſeparata provincia, ut inquit Strabo, eſt inſtituta, placuit tamen Senatui, quo honos, credo, P. Lentulo, Ap. Claudio, & M. Ciceroni, proconſulibus haberetur, ut iidem cum Cilicia Cyprum quoque tenerent. Poſt Ciceronis autem Conſulatum, ut a Cilicia præſide tres Aſiaticæ Diœceſes, ſic etiam Cypri adminiſtratio eſt ablata, ac proprius, ut ex lege debuit, prætor cum ſuo quæſtore in eam miſſus eſt.* Nom eodem veritatis fundamento niti videntur ea, quæ de Abagaro Edeſſenorum rege dici poſſunt. Invenimus apud Euſebium exemplum Epiſtolæ Scriptæ a Rege Abagaro ad Jeſum, & reſcriptum Jeſu ad Abagarum Regem, cui fidem habendam alii negant, alii affirmant. Suppoſititias eſſe illas Epiſtolas con-

contendunt recentiorum plurimi ſacrarum litterarum doctores, tum Pontificii, tum etiam reformati, ex illis *Coſterus*, *Bellarminus*, *Canus*, & idem quoque cenſet *Eraſmus*. Ex his *Cocus*, *Rivetus*, *Hoornbeckius*, *Spanhemius junior* Verum, inquit. Summus Theologus Gulielm. Cave. *Eccleſiaſt. Script. Hiſtor. ego non adeo temere abjiciendum eſſe cenſeo tam venerandæ vetuſtatis monumentum. Primo enim nullum in toto Epiſtolæ contextu apparet fraudis, vel ſobrietur veſtigium; nihil quod domini noſtri ſapientiæ, bonitati, dignitati non apprime convenit; non inficiante Riveto, non eſſe aliquid in iis, cur rejiciantur.* Cui & alias rationes & argumenta adjicit quibus opinionem ſuam adſtruit *vir Ampliſſimus*, quæ hic deſcribere non opus eſſe ducimus, cum doctiſſimi viri ſcripta omnium fere eruditorum manibus terantur.

5. Tertium argumentum petitur ex Joannis Baptiſtæ verbis, qui ſerio interrogatus a militibus Judæis (cujus gentis multa millia Romanis militaſſe ex Joſepho & aliis ſcriptoribus manifeſtiſſimum eſt) quid haberent faciendum ut iram Dei effugerent: non eos militia abire juſſit, quod facere debebat ſi ea erat Dei voluntas, ſed abſtinere concuſſionibus & fallaciis, ſtipendiiſque eſſe contentos, Luc. III, 14. Ad hæc Baptiſtæ verba, cum apertam ſatis militiæ approbationem contineant, multi reſpondent, quæ Baptiſta præſcripſit ita diſcrepare a Chriſti præceptis, ut aliud docere potuerit Baptiſta, aliud Chriſtus: quod quo minus admittam hæc obſtant. Joannes & Chriſtus eodem exordio doctrinæ quam afferebant ſummam indicarunt. *Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. III. IV, 2. 17. Chriſtus ipſe regnum cœleſte (id eſt legem novam: nam legem regni nomine appellare Hebræis mos eſt) dicit cœpiſſe invadi a diebus Baptiſtæ, Matth. XI, 12. Joannes dicitur prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Marc. I. 4. Tantundem feciſſe dicuntur Apoſtoli Chriſti nomine, Actor. II, 38. Exigit Joannes fructus dignos pœnitentia, & iis qui talem fructum non proferunt excidium minatur, Matth. III, 8. & 10. Exigit opera dilectionis ſupra legem, Luc. III. II. Lex dicitur duraſſe uſque ad Joannem, id eſt ab illo incepiſſe doctrina perfectior, Matth. XI. 13. Et principium Euangelii a Joanne ducitur, Marc. I, I. Luc. I, 77. Ipſe Joannes hoc nomine major Prophetis, Matth. XI, 9. Luc. VII, 26. miſſus ſcilicet ad dandam cognitionem ſalutarem populo, Luc. II. 77. ad Euangelium annuntiandum, Luc. III, 18. Neque uſquam Joannes Jeſum a ſe diſtinguit præceptorum diſcrepantia, (quanquam quæ generalius & confuſius, & rudimentorum more a Joanne ſunt indicata, eadem diſerte tradidit Chriſtus vera lux) ſed eo quod Jeſus eſſet promiſſus ille Meſſias, Actor. XIX, 4. Joan. I, 29. rex ſcilicet regni cœleſtis, qui daturus eſſet in ſe confidentibus vim Spiritus Sancti, Matth. III, II. Marc. I, 8. Luc. III, 16. III

COMMENTARIUS.

QUamvis opportune ab Authore adducatur argumentum petitum ex Joannis Baptiſtæ verbis, quæ habentur *Luc.* 3. 14. multa tamen huic admiſcet quæ ſaniore explicatione indigent. Serio Joannes interrogatus a militibus, ſcil. Judæis, (cujus gentis multa millia Romanis militaſſe, ut & Alexandro Macedoni, teſtatur Joſephus. In Ælii Galli exercitu 500 fuiſſe Judæos tradit Strabo *lib.* 16. Sic etiam in Pompeii caſtris fuiſſe Judæos teſtatur Appian. *bell. civil. lib.* 2.) quid faciendum ipſis incumbebat, ad iram futuram fugiendam, & vitam æternam conſe-

quendam, reſpondit, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Non jubet itaque abjicere militiam, quod omnino facere debuiſſet, ſi Chriſtianæ diſciplinæ erat contraria, quippe cum erat Chriſti præcurſor, qui viam domini præpararet, & unicuique præſcriberet quomodo ſe gereret conſequenter ipſos admonere debuiſſet ut abſtinerent militia, ſi eſſet per ſe vitioſa & illicita, ideoque divinæ voluntati contraria. Quamobrem Auguſt. *Epiſt.* 5. *ad Marcell. Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, ſeque militia omnino ſubtraherent.* Et paulo poſt: *At quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit. lib.* 20. *contra Fauſtum. Niſi bella a bonis ſuſcipi poſſent, Joannes cum ad eum baptiſandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? reſponderet eis, arma abjicite, militiam illam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite neminem. Sed quia ſciebat eos cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis, neminem concuſſeritis.* Verum reſpondent ad hæc verba Adverſarii, Joannem Baptiſtam non fuiſſe miniſtrum N. T. ac doctrinam & inſtitutionem, quam tradidit, non Evangelicam fuiſſe, ſed Legalem, ita ut Eccleſiæ Novi Teſtamenti non liceat pariter ſtare reſponſis Joannis, quæ a ſe baptizandis dedit, quam Chriſti præceptis, qui fuit vera lux mundi, docens ea quæ Chriſtianorum ſacris initiandis facienda incumbunt, ita ut aliud docere potuerit Chriſtus, aliud Baptiſta. 2°. Milites non interrogaſſe eum de via ſalutis & æternæ vitæ, ſed tantum de fugienda ira futura, ideoque petiiſſe *quid faciemus.* Nec etiam ſermonem habere de officio canditatorum vitæ æternæ, ſed tantum loqui de officio belli gerendi & militari officio. Reſpondent ad haſce objectiones Reformatæ religionis & orthodoxæ fidei Antiſtites. 1°. *Joannes a matris utero divinitus ſegregatus, ut Evangelii de Chriſto exhibito miniſter, miniſterio ſuo fungens prædicavit, adeſſe jam natum ex muliere Meſſiam promiſſum, ad tollendum peccata ſui corporis ſacrificio, ut verum agnum Dei olim adumbratum typo agni aliarum victimarum mactatarum ad promiſſionem de ipſo venturo obſignandam. Atque hoc Evangelium obſignabat Baptiſmo ſuo Johannes.* Cloppenb. *diſputat. Theolog. diſp.* 40. Quod alteram reſponſionem attinet, nimir. non attigiſſe præcepta quæ ad vitam æternam contendentium propria ſunt, id falſiſſimum ex eo patet, quod Joannes & Chriſtus ſummam doctrinæ quam afferebant eodem exordio indicarunt, & conſequenter etiam corruit quod velint adverſarii aliud quid potuiſſe docere Baptiſtam, aliud Chriſtum; quod patet ex locis ex S. Scriptura allegatis. *Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Verum perperam addit Author, per *regnum cæleſte* intelligendum *legem novam*, nam neque Chriſtus neque Joannes legem novam promulgarunt, ideoque nec præceptis a ſe invicem diſcrepare poſſunt. Significat itaque, ſaniori ſenſu ſumpto regni cœleſtis vocabulo, *regnum gratiæ*, quod jam inſtare *adventu Meſſiæ* prædicabat præcurſor Joannes, qui ex ſumma Dei erga peccatorem miſericordia, ſuis meritis, ſuo ſanguine hominem æternæ mortis reum redimeret ab ea, atque remiſſionem peccatorum conſecutum ſua morte æternæ vitæ atque gloriæ participem faceret, qui itaque hanc humano generi oblatam gratiam amplecti, atque ſumma beneficia Meſſiæ participare velint, hortatur eos, & præſertim Judæos, ut vitam emendent, mentem mutent, deponant falſas opiniones, quas de juſtitia operum, de traditionibus, de reſurrectione, ſive a Phariſæis ſive Sadducæis imbibiſſent, omniaque amoverent impedimenta, quorum in numero ſunt omnia crimina quæ ipſos tantis beneficiis & bonis indignos reddebant; & ut paucis dicam, admonet eos ut ſeſe ab erroribus & vitiis ad veram doctrinam & fidem pietatemque converterent. *Matth.* 3. 2. Quod de dilectione ſupra legem, & de perfectiori doctrina tradit Author, illud ſupra a nobis annotatum.

IV. 6. Quartum hoc eſt argumentum, quod mihi ponderis non exigui videtur. Si tollatur jus capitalium ſuppliciorum, & armis cives tuendi adverſus latrones ac prædones, maximam inde ſecuturam ſcelerum licentiam & quaſi diluvium malorum, cum nunc quoque conſtitutis judiciis ægre reprimatur improbitas. Quare ſi mens Chriſti fuiſſet, talem rerum ſtatum, qualis auditus nunquam fuerat, inducere, haud dubie verbis quam maxime diſertis ac ſpecialibus edicendum ei fuerat, ne quis de capite judicaret, ne quis arma ferret; quod feciſſe nuſquam legitur: nam quæ adferuntur, aut valde ſunt generalia, aut obſcura. Docet autem ipſa æquitas & communis ratio, non tantum verba generalia contrahi, & ambigua commode explicari, ſed & a proprietate uſuque recepto verborum diſcedi nonnihil, ut is ſenſus evitetur qui maxima ſecum incommoda ſit allaturus.

CO M-

COMMENTARIUS.

Nihil verius quam quod Author hic tradit, ſi eripiatur ſummis imperantibus facultas gladio animadvertendi in facinoroſos, & jus armorum ſuſcipiendorum, quibus tuentur cives & ſubjectos adverſum prædones atque latrones, omnia protinus peſſum ire neceſſe eſt: ſcelera ſceleribus cumularentur, & omnia cædibus implerentur, quippe rerum uſus docet quoſdam adeo perditos & improbos eſſe, ut vix nunc, conſtitutis capitalibus judiciis, innocentes ab eorum libidine & protervia ac ſanguinolentis manibus protegi poſſint. Oportet itaque vel omnium ſcelerum & cædium licentiam permittere, & bonorum tranquillitatem, cui proſpectum vult ſummus legiſlator, deſerere, eoſque improborum hominum libidini exponere, & hac ratione nos profiteri generis humani hoſtes: vel ſua ſceleribus ſupplicia etiam capitalia decernendo malorum furori obviam ire, qua ratione ab interitu vindicatur humanum genus, & bónorum incolumitas & pnblica tranquillitas, a qua cujuſque privati pendet ſalus, conſervatur, nnicus finis & ſcopus quamobrem Deus ſummas poteſtates inſtituit, atque legibus armatas & armis decoratas eſſe voluit, ut cives adverſus latrones & hoſtes tam publicos quam privatos tueretur, & non minus in hoſtilibus præliis victor exiſtat, atque per legitimos tramites calumniantium iniqnitates expellat, ut inquit Imper. *in Proœm. Inſt.* Quod ſi vero Chriſtus pœnas capitales e Repub. Chriſtiana tollendo & ejuſmodi confuſionem & rerum ſtatum inducere voluiſſet, in quo neque urbes, neque domus, neque agri, neque forum conſiſtere poſſunt, ſed omnia ſimul ſubverti, & imbecilliores ac innocentes a potentioribus impune devorari, & omnibus affici malis neceſſe eſt, a quali ſtatu ipſa & ſocialis & rationalis hominis natura abhorret, quia naturali impetu ad ſe conſervandum fertur, oportuiſſet id diſertis & ſpecialibus verbis, ut inquit Author, interdictum fuiſſe, ne quis de capite judicaret, vel arma ferret. Cujuſmodi ſpeciale mandatum, primum gubernandi mundi a Deo introductum ordinem intervertens, & omnem tollens ſocietatem, nuſpiam a Chriſto legimus datum. Argumenta enim quæ adverſarii adferunt omnia ex falſa ſuppoſitione proficiſcuntur, & admodum generalia ſunt & obſcura quia falſis eorum interpretationibus involuta. Quemadmodum illud quod in lege habetur, *Non occides*, in ſenſum plane a mente ſummi legiſlatoris alienum detorquent, dum illud generaliter interpretantur & quævis capitalia ſupplicia hac lege interdici arbitrantur, cum ſana & recta dictat ratio legem exceptionem admittere, prohibitionem limitandam ad injuſtas cædes & privatam vindictam, qua ratione etiam obligat magiſtratus jus gladii habentes, ne ex ira vel odio, quæ ſæpiſſime animum a juſtitiæ tramite deflectunt, in innocentes, vel criminis reos ſæviant, & injuſtus judex exiſtat, pœnam delicto graviorem in reum ſtatuendo. Verum non eripitur magiſtratui tanquam perſonæ publicæ facultatem & jus gladio adnimadvertendi in publicæ tranquillitatis hoſtes, & latrones ac ſcelerum authores. Quis enim poſſet dubitare, quin mens legiſlatoris fuerit conſervationi humani generis & cujuſque hominis proſpicere, ideoque eo ſenſu interpretari debemus, qui intentioni legiſlatoris convenit, atqui ſublatis capitalibus ſuppliciis, omnia illa incommoda metuenda, quæ non ſolum hnmano generi maxime pernicioſa, ſed ejus interitum accelerarent. Dictat recta ratio, quamvis verba legis generaliter concepta, legiſlatorem tamen voluiſſe limitare eorum ſenſum & ad certos tantum caſus pertinere, eoque ſenſu accipienda quæ intentioni quamobrem lex lata convenit, atqui lata eſt ut ab interitu & damno vindicetur humanum genus, ergo eo ſenſu intelligi nequit, qui ipſi noceret. *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione & contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem*, inquit Modeſtinus *l. 25. ff. de ll.* Quo contigit ut generalia aliquando contrahi, ambigua commode explicari, & a proprietate uſuque recepto verborum nonnihil diſcedi debeat. *Ita in ambigua voce legis ea potius accipienda eſt ſignificatio quæ vitio caret. l. 19. ff. de ll.* ne quid male & abſurdum conſtitutum videatur, quippe cum leges propter publicam ntilitatem feruntur, ita interpretandæ ſunt, ut ea ſemper adjuvetur, & proinde credendum nihil a legiſlatore conſtitutum, quod abſurdi aliquid aut iniqui haberet & publicæ utilitati noceret.

7. Quintum ſit, quod nullo argumento oſtendi poteſt lex Moſis, V.
quæ ad judicia pertinebat, deſiiſſe priuſquam urbs Hieroſolyma exſcinderetur, & cum ea tum ſpecies tum ſpes reipublicæ concideret: nam neque in lege Moſis ullus terminus iſti legi præfinitur, neque Chriſtus aut Apoſtoli uſquam de iſtius legis ceſſatione loquuntur, niſi quatenus id comprehenſum videri poteſt in reipublicæ (ut diximus) deſtructione: imo contra Paulus ſummum pontificem ait conſtitutum ut judicium ferret ſecundum legem Moſis, Act. XXIV, 3. Chri-

ſtus ipſe in præfatione præceptorum ſuorum ait, non veniſſe ſe ad ſolvendam legem, ſed ad implendam, Matth. v, 17. quod quem de ritualibus ſenſum habeat non obſcurum eſt: implentur enim lineamenta adumbrantia cum perfecta rei ſpecies exhibetur: de legibus autem ad judicia pertinentibus quomodo verum eſſe poteſt, ſi Chriſtus, ut quidam exiſtimant, adventu ſuo ea ſuſtulit? Si autem manſit obligatio legis quamdiu ſtetit Hebræorum reſpublica, ſequitur ut Judæi etiam ad Chriſtum converſi, ſi ad magiſtratum vocarentur, eum defugere non potuerint, & ut judicare non aliter debuerint quam Moſes præſcripſerat.

COMMENTARIUS.

JAm olim prædixerat Patriarcha Jacob, *ſceptrum de Juda non ablatum iri, neque legiſlatorem de medio pedum ejus, donec veniat Siloh*, id eſt Meſſias, Author felicitatis & abundantiæ rerum omnium, donec veniat ſoſpitator pacificus & quietus, eouſque tribum Judam habiturum primatum regni, doctrinam legum & ſacerdotium, ſcribas & doctores, judices ac duces, cujus regni Metropolis & Regum Judæ, & omnis divini cultus, & ſummi tribunalis, ſedes fuit Hieroſolyma, extructa, ut volunt, a Melchiſedecho, a Jebuſitis poſtmodum occupata, & a Joſua iterum expugnata, interfecto Rege Adoniſedeck, cum quinque aliis Principibus, ac tandem Rex David ſuo adjecit imperio, inditor ei nomine *civitatis Sion*. Imperio devoluto ad filium Salomonem, cum inſignibus ædificiis, tum etiam magnificentiſſimo templo exornata eſt. Poſtea variis bellorum factis jactata fuit, & interjecto tempore denuo ab Antiocho Epiphane occupata, a Machabæo tamen brevi recuperata. Pompeji deinde ceſſit armis. Et poſt eum Herodes Aſcalonita alienigena regnum ad ſe traxit, cujus potentiam atque audaciam in dies magis magiſque contra leges inſurgentem cum non ſeveri, judices in tempore ſatis repreſſiſſent, Deo ita res diſponente, Hyrcanum, Antigonum ejuſque filium legitimos regni heredes, & cum illis omnes ſcribas, omnes doctores legis, omneſque ſenatores interemit. Atque ita regnum & judiciaria poteſtas videtur ablata Judæorum genti. Et conſequenter leges ad judicia pertinentes irritæ redditæ, nondum exciſis atque deſtructis Hieroſolymis, nec diſparſa Judæorum gente, inſtante vero tempore quo jam ipſa Sybillina prædixerant oracula naturam parturituram, ſcil. ut ſemetipſam ſuo partu ab interitu conſervaret vindicaretque. Verum quamvis Herode Magno a Romanis renitentibus & ſceptrum ſuæ genti vindicantibus Judæis rege dato, multum de auctoritate Senatus Hieroſol. imminutum, & Politia Judaïca eo tempore priſtino ſplendore amiſſo ad interitum ſuum vergere cœpit, tamen manebat quædam imago & umbra veteris Reipub. ſublatis nondum legibus & moribus patriis quæ ad judicia pertinebant. Surrogatis in locum peremptorum ab Herode aliis, ab ejus fortaſſe nutu pendentibus, qui Senatum conſtituerent, & jus dicerent ſecundum leges a Moyſe præſcriptas, tam de civilibus, quam capitalibus rebus, uſque ad Auguſti tempora, utpote ſub cujus imperio potior pars Judææ in provinciam redacta, conſtitutum quidam volunt, & quidem ipſe Author in *comment.* ad verba *Johan.* 18. 31. ut in ceteris provinciis Romano imperio adjectis, ne Senatus in quenquam gladio animadvertendi ultimoque ſupplicio afficiendi jus eſſet, niſi Romani Præſidis conſenſu; cetera ei reliqua ſervata judiciaria poteſtate. Quamobrem ajunt Talmudici, *judicia animarum*, i. e. capitalia, *ablata fuiſſe ab eo Senatu 40 annis ante urbis excidium*, quod & Author approbat in ſuis comment. ad *cap.* 5. 22. *Matth.* Et conſequenter ſuo proprio ſe gladio jugulat, dum ipſe ſentire videtur Chriſti tempore, etiam ante excidium urbis Hieroſolymæ, gladii poteſtatem ac jus vitæ & necis Senatui Hieroſol. fuiſſe ablatum, cum tamen legem Moyſis ad judicia cum civilia tum etiam capitalia (nam de hiſce ſermonem habet, quoniam pro jure gladii hic argumentatur) pertinentes duraſſe ſtatuit uſque ad deſtructionem urbis Hieroſolymæ, cum nec ſpecies nec ſpes reipub. eſſet reliqua. Ita enim commentatur ad verba *Johan.* 18. 31. *Dicit ergo eis Pilatus, accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo Judæi, nobis non licet interficere quemquam. Tacite*, inquit, *innuunt Jeſum tantorum criminum teneri, ut omnino morte luenda ſint. Id autem non erat ipſorum poteſtatis. Nam ſi qui aliquando a Judæis ſunt interfecti, id factum eſt motu populari, quanquam interdum præjudicium quoddam interceſſerat Senatus eos reos declarantis.* Huic opinioni & plurimi alii ſubſcribunt Interpretes. Et inter Patres quoque Chryſoſtomus, ut colligi poſſe videtur ex ejus verbis Latine ita ſonantibus. *Quare Judæi Chriſtum non occiderunt? cauſa erat, quod parte maxima dominationis ſuæ fuerant privati, quum eſſet eorum Reſpub. in Romanorum poteſtate.* Sunt vero e Patribus & in eorum numero Cyrillus qui exiſtimant, Judæos ea ratione dixiſſe ſibi non licere quenquam interficere, quia eo die volebant comedere Paſcham.

Quippe

Quippe Judæos pœna capitali aliquem afficiendi jus habuiſſe patet *Actor.* 7.57. ubi legimus Stephanum lapidaſſe, niſi dicamus hoc potius per tumultum factum violata præſidis auctoritate, quam legitima judicum ſententia. Si hanc quæſtionem diligenter examinemus, dicendum videtur. Quod quemadmodum non uno momento corruit Reſpub. Judæorum, ſed varias antequam deſtructa eſt mutationes ſubiit, ita quoque eorum leges a Moſe ipſis præſcriptæ, totaque regiminis forma non ipſis integra manſit & immutata, ſed nunquam in totum ſublata, niſi cum ipſo urbis interitu. Alio enim tempore interitus Reipub. incepit, ſub Pompejo anno 60. ante Chriſtum, alio promotus eſt, ſcil. anno 10. poſt Chriſtum, Archelao Vienam relegato, Judæa in provinciæ formam redacta eſt. Alio conſummatus eſt captis & combuſtis a Tito Hieroſolymis, tota Judæorum Politia tum ſacra tum civilis radicitus evellitur, ipſa gente pene deleta, nam quamvis, ut diximus alieni, jam eſſet juris, a Romanis in provinciæ formam redacta, conceſſum tamen Judæis ut ſuis legibus viverent, ſuaque ſecundum proprias leges judicia haberent, ſed qualia, civilia puto & capitalia, cum hoc tamen diſcrimine, quod civilia judicia propria auctoritate, id eſt ſine conſenſu Præſidis provinciæ exequebantur, imo & flagellare & bonis privare poterant. De criminibus capitalibus vero cognoſcendi & judicandi poteſtatem habuiſſe non obſcure patet, *Marc.* 14. 64. verum ſententiam executioni mandare non poterant niſi accedente auctoritate, & approbatione ipſius Præſidis. Quia penes eum reſidebat merum imperium & jus gladii animadvertendi in delinquentes. Sumpto jus animadvertendi eo ſenſu vocabulo, quo ſignificat pœnæ infligendæ & exequendæ arbitrium ac poteſtatem qua vita adimitur. Quippe vix nomine Senatus Hieroſolym. poterat executio, quæ ſupremæ poteſtatis nota, fieri redacta jam in provinciam Judæa, niſi ex ſpeciali conceſſione hanc poteſtatem integram ſibi reſervaſſent. Penes Pontificem vero & Senatum poteſtas cognoſcendi & judicandi ſecundum leges ipſis a Moſe præſcriptas, id eſt forenſes & ad judicia pertinentes: verum videtur hæc Synedrii poteſtas cognoſcendi & judicandi de crimine capitali tantum locum habuiſſe ſi quis ex Judæorum gente crimen aliquod admiſiſſet pœna mortis dignum contra leges eorum forenſes ad divinum cultum vel Politiæ Judaïcæ regimen peculiare pertinentes. Quippe crimina, quæ contra publicam tranquillitatem, & quæ Cæſaris majeſtatem lædebant ac violabant & vindicandi & de iis cognoſcendi omnino penes Præſidem reſidebat poteſtas, quia ipſi ſummo imperio ornato cura incumbebat providere, ne quid provincia cui præerat detrimenti caperet, & Cæſaris majeſtas contaminaretur improborum hominum pravis machinationibus atque concuſſionibus. Quamobrem ad Præſidem Pilatum Chriſtum ſeditionis accuſantes Judæi deducunt. Quippe cum Reſpub. Judaïca fuerit diſtincta ab aliis gentibus & nationibus, ita etiam peculiarem habuit regiminis formam, & ſuos magiſtratus, ſuaſque leges quæ peculiariter Judæos ſpectabant, pro conditione loci & temporis Judaïcæ, quæ ſummo Synedrio juriſdictionem & civilem & criminalem tribuebant in ejuſdem gentis cives. Hinc Paulus volens cum Feſto Hieroſolymam aſcendere, & illic judicari de criminibus, quæ adminiſſe illum falſo accuſabant Judæi, Excipit quia erat civis Romanus, neque in Hebræorum legem peccaverat, ſe invitum non poſſe cogi illos judices agnoſcere. Quamvis & ipſe Judæus erat, validius tamen erat jus civitatis Romanæ. Nam & alias ipſe Paulus fatetur, *ſummum Pontificem conſtitutum, ut judicium ferret ſecundum legem Moſis. Actor.* 23. 3. Certiſſimum documentum quod non dum ſublata erat lex Moſes pertinens ad judicia. Et ad hunc locum ipſe Authör *Manebat lex judicialis, quamdiu manebat Reſpub. & ſecundum eam judicare tenebantur Hebræi judices, intra eos cognitionis limites, quos Romani ipſis concedebant.* Quam late autem illi patebant ſtatim diximus. Adducit & alterum argumentum Author ex *Matth. cap.* 5. Ubi Chriſtus teſtatur ſe veniſſe ad legem implendam, non vero ſolvendam, per legem intelligens omnem doctrinam a Moſe traditam, quinque libris comprehenſam, in quibus Judæis præſcribuntur, tum ea quæ jus naturale ſive morale, quod & divinum neceſſarium vocatur, exigit præſtanda officia; tum etiam quæ partim ſpectabant ceremonias & ritualia in divino peragendo cultu obſervanda, partim pertinebant ad civilem ſocietatem. Quamobrem lex Moſaïca in tres dividitur ſpecies, vel enim *moralis*, vel *ceremonialis*, vel *forenſis* dicitur. Hanc legem implevit Chriſtus quoad omnes partes: *Moralem*, ei ſatis faciendo; *Ceremonialem*, hoc, quod in figura erat, in corpore & in ipſa rerum ſpecie exhibendo; *Judicialem*, adimpletis iis, quæ in ea typica erant, & confirmatis illis, quæ erant juris communis & perpetui, vel ad civium concordiam alendam & conſervandam pertinebant: cujus generis ſunt præcepta judicialia, quibus & ipſe paruit & iis parendum ſuos docuit diſcipulos, tanquam veræ pacis Author. Quamdiu itaque ſtetit Politia Judaïca, voluit etiam Deus ut obſervarentur mandata, quæ ad communem pacem & tranquillitatem ejus pertinebant, quanquam ad Chriſtum converſi quidam Judæi non ſolvebantur tamen neceſſitate parendi legibus, quæ ſuum cuique tribuendo civium inter ſe concordiam & pacem & communem ac publicam tranquillitatem ſecuritatemque conſervabant, & conſequenter non poterant defugere magiſtratum, ad quem vocabantur juſtitiæ adminiſtrandæ cauſa ſecundum leges a Moſe ad genium populi & Reipub. fabricam atque conſtitutionem accommodatas. Quod jus, quatenus peculiariter Judæos atque regiminis formam ſpectabat, emortuum eſt, extincta eorum Reſpub. Sublato enim eo quod principale eſt, tollitur & acceſſorium: ſed ipſa tamen judiciorum habendorum legumque cujuſque Reipub. forenſium obſervandarum manet neceſſitas in quibuſvis civitatibus, quam & divina voluntas & Chriſti doctrina imponit omnibus in ſocietatem aliquam coalitis.

8. Ego ſane omnia expendens ne leviſſimam quidem conjecturam reperio, qua motus vir aliquis pius illa tunc Chriſti loquentis verba audiens aliter exiſtimare potuerit. Illud agnoſco, ante Chriſti tempus quædam fuiſſe permiſſa, ſive quoad impunitatem externam, ſive etiam quoad animi puritatem (nunc enim iſta diſtinctius exquirere, nec opus, nec otium eſt) quæ Chriſtus ſuam diſciplinam ſectantibus licere noluit, ut ob qualemcumque offenſam uxorem dimittere, ab eo qui læſerit in judicio exigere ultionem: ſed inter Chriſti præcepta & illas permiſſiones eſt diverſitas quædam, non eſt repugnantia. nam qui uxorem retinet, qui ultionem ſibi privatim debitam remittit, nihil facit contra legem; imo hoc facit quod lex maxime vult. Longe aliud eſt in judice, cui lex non permittit, ſed imperat ut homicidam morte puniat, reus ipſe futurus apud Deum ni fecerit. Huic ſi Chriſtus interdicit ne homicidam morte puniat, omnino contrarium legi præcipit, ſolvit legem.

COMMENTARIUS.

IN Repub. Hebræorum quædam a Deo permiſſa fuiſſe propter genium iſtius populi vel regiminis formam, quæ Chriſti doctrinam amplectentibus illicita certiſſimum, noo quia per ſe & ſua natura vetita, nam ea nunquam permitti poſſunt illæſa divina ſanctitate, verum cum nobis major lux affulſerit adventu Meſſiæ, quæ veram nobis virtutis viam, quam & lex moralis ac naturalis exigit, monſtravit, ejus verum & genuinum ſenſum interpretando, cique perfectiſſime ſatis fecit, quoad omnes ejus partes, ut ab comminata legis transgreſſoribus pœna liberaret, quos ſibi elegit ut ſalutis & vitæ æternæ participes eſſent, non mirum quod pro menſura iſtius lucis etiam exactioris vitæ agendæ & inſtituendæ rationem ſequi teneamur, non ratione legum moralium exequendarum perfectiori modo, verum ut imitemur ſalutis noſtræ perfectiſſimi authoris doctrinam divinæ voluntatis veram imaginem, ita ut ea ipſa quæ in prima eccleſiæ infantia permiſſa fuere propter rationes peculiares, jam orto ipſo ſole juſtitiæ, & perfectiſſimo omoium virtutum complemento ac exemplari nato, nobis negata, noo quia major animi puritatem in novo Teſtamento, quam veteri requiritur, verum quia tenemur quantum humana fert natura noſmet componere & convertere ad illud exemplar, cujus doctrinam profitemur, quam doctrinæ profeſſionem in totius vitæ curſu omnibuſque quæ a nobis proficiſcuntur actionibus exprimere debemus. Ita ut etiam illa quæ lex moralis, neque vetat, neque prohibet, & conſequcoter hominum arbitrio videntur relicta, etiam nobis illicita ſequi, ſi modo eorum abſtinentia exactiorem, in majori cum rectæ rationis dictamine ſive lege morali convenientia quæ Chriſtianæ doctrinæ ſumma eſt, conſiſtentem, vitæ agendæ ratiooem demonſtrat. Quamobrem non omnia quæ Hebræis licita oobis permiſſa, licet nihil permiſſum illis quod per ſe malum & honeſtati contrarium eſt, nam multa illis conceſſa, vel ratione politici regiminis, vel reſpectu indolis & genii populi Hebræi, quæ quamvis per ſe & ſua natura oon ſunt illicita, attamen tanquam perfectiſſimæ divinæ ſanctitati non omnino, ſcil. exactiſſimo modo convenientia ſuam doctrinam ſequentibns commendat declinare Chriſtus, vel jam ſublata cauſa conceſſionis allegata, vel temporis, vel regiminis conditione, ipſa quoque tollitur permiſſio.

V. 9. Sextum ſit argumentum ab exemplo Cornelii Centurionis, qui & Spiritum Sanctum, ſignum indubitatum juſtificationis, a Chriſto accepit, & in nomen Chriſti a Petro Apoſtolo baptizatus eſt: militiam autem abdicaſſe aut ad eam abdicandam a Petro monitus non legitur. Sunt qui reſpondeant, cum de religione Chriſtiana a Petro ſit inſtitutus, ſimul cenſeri debere inſtitutum de militia deſerenda. Hi, ſi quidem certum eſſet atque indubitatum inter Chriſti præcepta contineri interdictum militiæ, aliquid dicerent: ſed cum id nuſquam alibi diſerte exſtet, certe de ea re aliquid hoc ſaltem loco, qui id maxime

me poſcebat, dicendum fuerat, ne poſt ventura ætas officii ſui regulas ignoraret. Neque vero ſolet Lucas, ubi perſonarum qualitas ſpecialem quandam vitæ mutationem deſiderabat, id ſilentio præterire, ut videre eſt tum alibi; tum Actor. cap. XIX, 19.

COMMENTARIUS.

MAgni eſt hoc argumentum ponderis ab exemplo Cornelii Centurionis præfecti cohortis Italiæ petitum ad probandum non interdicta fuiſſe bella Chriſtianiſmum amplectentibus. Quippe quamvis in ſtatu militari viveret, tamen & Spiritum ſanctum a Chriſto accepit, & in nomen Chriſti a Petro Apoſtolo baptizatus eſt, & nuſpiam legimus jam doctrina Chriſti imbutum, vel militiam ſponte abjeciſſe, vel a Petro ei fuiſſe injunctum, ut ſe militari functione tanquam dignitate Chriſtianorum ſacra colentibus illicita abdicaret. Quod Adverſarii reſpondent, eum a Petro fuiſſe admonitum & inſtitutum de militia deſerenda, nunquam probabunt, niſi ſimul probent præceptum de militia deſerenda expreſſe a Chriſto datum fuiſſe, quod alibi a Chriſto factum nunquam demonſtrabunt. Sane ſi aliquid tale a Chriſto fuiſſet conſtitutum, oporteret hoc ſaltem loco ejuſmodi præcepti & conſtitutionis mentionem fieri, expoſcentibus id omnibus ſubjectæ materiæ, de qua hic ſermo, circumſtantiis, *ne poſt ventura ætas*, ut Author inquit, *officii ſui regulas ignoraret.* Cui addi poteſt quod nec ſoleat Lucas talia omittere, quando perſonarum qualitas ſpecialem quandam vitæ rationem deſiderat, ut nominatim videre eſt *Actor.* 19. *v.* 19. ubi meminit converſionis eorum, qui apud Epheſios exercuerant *curioſas artes*, quo nomine denotantur magia aliæque diabolicæ artes. Hinc *curioſæ viſiones* ſunt *apparitiones magicæ.* Quibus pravis ſtudiis maxime deditam Epheſum civitatem fuiſſe ante omnes alias tradunt veterum monumentorum Authores. Hinc literæ Epheſiæ notulæ erant magicæ & ſuperſtitioſæ, quibus utentes in omni negotio victores ſeſe evaſuros non dubitabant.

10. Septimum huic ſimile petitur ex eo quod de Sergio Paulo cœpimus dicere: nam in ejus converſi hiſtoria nullum eſt indicium ejurati magiſtratus, aut admonitionis factæ ut ejuraretur. Quod autem non narratur, cum narrari, ut diximus, maxime attineat, id nec factum cenſendum eſt. VII.

COMMENTARIUS.

ALiud argumentum nobis præbet exemplum Sergii Pauli, cujus & ſuperius meminit Author, Proconſulis, qui & ad Chriſtum converſus non legitur ejuraſſe præfecturam, neque ut ejuraret admonitum, quod tamen ſi fuiſſet factum, non omiſiſſet enarrare Lucas, quoniam illud narrari maxime attineret, & conſequenter factum non fuiſſe cenſendum eſt.

11. Octavum eſſe poteſt, quod Paulus Apoſtolus, intellectis Judæorum in ſe inſidiis, Tribuno indicari eas voluit; & cum Tribunus milites ei addidiſſet, quorum præſidio in itinere adverſus vim omnem tutus eſſet, nihil contradixit, neque Tribunum aut milites monuit, Deo non placere, ut vis vi repellatur. Atqui is erat Paulus, qui nullam occaſionem edocendi officii aut omitteret ipſe, aut omitti ab aliis vellet, II Timoth. IV, 2. VIII.

COMMENTARIUS.

SIc etiam Paulus intellectis Judæorum inſidiis, ut ſalutem ſuam & incolumitatem militari præſidio tueretur id ipſum voluit indicari, tribuno a ſororis ſuæ filio, & nihil contradixit, cum tribunus ei milites dediſſet, quorum præſidio munitus adverſus omnem vim & impetum, qui ſibi imminebat a conjuratis Cæſaream deductus eſt, neque Paulum, vel tribunum, vel milites monuiſſe legimus, Deo non placere, ut vis vi repelleretur. Nam ſi ejuſmodi patientiam Deus poſcat ab homine, & imprimis Chriſti doctrina exigat ab iis, qui ſuam ſectantur diſciplinam, in

dubium

dubium revocari nequit, quin Paulus, qui nullam occaſionem prætermittebat edocendi officii, quod vel jam ad Chriſtianiſmum converſis, vel ad eum convertere ſuis conantem prædicationibus, & admonitionibus incumbebat, non ſolum peccaſſet omittendo hanc optimam milites officii ſui admonendi occaſionem, verum cum, ſeſe in eorum permittens fidem plane videatur re ipſa & facto confirmare & approbare eorum officium, quod conſiſtebat in vim vi depellendo, peccatum peccato cumulaſſet, quod nemo facile ſibi perſuadebit, de viro & pietate in Deum & morum integritate inſigni, atque ſummo ardore & Zelo ad Chriſti propagandam doctrinam, cujus acerrimus adverſus quoſcunque impoſtores vindex erat, inflammato, qui ad Chriſti eccleſiam ædificandam omnes ſuas cogitationes omneſque operas conſerebat. Sic enim ipſe alias hortatur 2 *Tim.* 4. *v.* 2. *Inſta tempeſtive*, inquit, *intempeſtive*, *argue*, *objurga*, *exhortare cum omni lenitate & doctrina.*

IX. 12. Nonum accedat, quod rei honeſtæ ac debitæ finis proprius non poteſt non eſſe honeſtus ac debitus. Tributa ut ſolvamus honeſtum eſt, atque etiam præceptum conſcientiam obligans, ut Paulus Apoſtolus explicat: tributorum autem finis eſt, ut poteſtates publicæ habeant unde ſumtum faciant ad bonos tuendos ac coërcendos malos, Rom. XIII, 3. 4. 5. Tacitus appoſite ad hanc rem: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Cui dicto ſimile eſt Auguſtini illud: *Ad hoc tributa præſtamus, ut propter neceſſaria militi ſtipendium præbeatur.*

Hiſt. IV.
Lib. XXII. contra Fauſtum. cap. 74.

COMMENTARIUS.

QUem enim in finem tributa magiſtratibus exigendi jus, & ſubjectis ea ſolvendi neceſſitas impoſita ab ipſo Chriſto *Matth.* 22. 21. & commendata eorum ſolutio a Paulo *Rom.* 13. quam ut magiſtratus ab illis rebus poſſent eſſe parati, quibus proborum tranquillitatem tueri ac conſervare illæſam, & coërcere poſſunt ejus perturbatores & hoſtes. Id vero efficere nequeunt niſi potentia & firmis muniti præſidiis. Præſidia vero haberi nequeunt ſine militibus, neque milites ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis. Jure itaque penduntur tributa ad ſuſtinendos belli ſumptus neceſſaria. Cum igitur honeſtum eſt & Dei voluntati conveniens tributa ſummis imperantibus ſolvere, finis tributorum non poteſt eſſe malus, ut inquit Author. Atqui præcipuus tributi finis eſt, ut armis parandis, aliiſque neceſſariis ad depellendam vim hoſtilem & armatam a ſuis ſubjectis atque civibus oneribus ſolvendis ſufficerent magiſtratus, ergo eo ipſo quo imperatur tributorum ſolutio, etiam approbatur finis, & conſequenter bella juſta ob juſtas cauſas & præcipue defenſionem ſuſcepta. Excipiunt Adverſarii, etiam tributa tempore pacis exigi atque ſolvi, & idcirco jus belli non ſequi ex tributorum debito. Verum facile huic reſpondemus, tributa potiſſimum ſolvi, ut, quemadmodum jam diximus, Reges vel ſummi imperantes eſſent inſtructi præſidio ad ſuorum defenſionem, ea autem præſidia ſunt milites, munitiones, arma, claſſes, quæ licet non ipſo actu in ſtatu belli uſui ſunt, tamen & pacis conſervationi maxime inſerviunt, & ad ejus defenſionem maxime pertinent quando illis præſidiis muniti ſimus ſubito bello exoriente, vel etiam ut deterreantur a bello inferendo Reipub. hoſtes quam totam præſidio munitam ſciunt, utroque caſu maxime ad defenſionem publicæ tranquillitatis pertinent præſidia, & conſequenter eo ipſo quo tributa ſolvenda vult Apoſtolus ad ejus generis præſidia acquirenda, probat omnis vis injuſtæ illatæ repulſionem, vel armorum uſum ad deterrendos homines improbos a ſceleribus & flagitiis quæ bonis inferre meditantur.

X. 13. Decimum argumentum præbet locus ille Actor. XXV, 11. ubi Paulus ita loquitur: *Si injuria quenquam affeci, & dignum aliquid morte commiſi, non recuſo mori.* Unde colligo ita cenſuiſſe Paulum, etiam poſt publicatam Euangelii legem quædam eſſe crimina, quæ morte plecti æquitas ferat, aut etiam exigat: quod & Petrus docet, 1 Epiſt. cap. II, 19. 20. Quod ſi ea tum fuiſſet Dei voluntas, ut capitalibus judiciis abſiſteretur, potuerat quidem purgare ſe Paulus, ſed non debuerat in hominum animis eam relinquere opinionem, quaſi capite plectere

ctere nocentes nunc non minus quam olim liceret. Probato autem capitales pœnas poſt Chriſti adventum recte exerceri, ſimul probatum arbitror, bellum aliquod licite geri, puta adverſus nocentes multos & armatos: qui ut rei fiant, acie vincendi ſunt. Vires enim & ad reſiſtendum audacia nocentum, ſicut in prudenti deliberatione ſuum habere momentum poteſt, ita de jure ipſo nihil imminuit.

COMMENTARIUS.

VErba Apoſtoli, quæ hic refert Author, ſatis manifeſte indicant, neque ſeſe declinare velle tribunal ſui legitimi judicis, neque negare ipſi facultatem & jus eſſe animadvertendi gladio in facinoroſos, & capitalia exercendi judicia, imo & ipſe non recuſat mori, ſi coram ſuo judice convictus aliquid morte dignum commiſerit, certiſſimum teſtimonium Chriſti adventu non ſublata capitalia judicia, & quædam crimina morte vindicandi ſummis imperantibus licet ad Chriſtianiſmum converſis erepta facultas, ſuffragante & Petro Apoſtolo loco ab Authore allegato. Quippe ſi ea tum fuiſſet Dei voluntas & Chriſti doctrina a ſuam diſciplinam ſectantibus exegiſſet, ut capitalibus abſtineretur judiciis, ſane incumbebat Apoſtolis hominum mentibus eam inſtillare, idque non minus ſuo exemplo quam prædicatione. Atqui cum neutrum feciſſe, ſed potius contrarium, & factis, & verbis docuiſſe ſacræ teſtantur litteræ, recte colligimus & olim in V. T. & poſtea in N. T. Deum voluiſſe, ut ſua ſceleribus conſtituerentur ſupplicia, & quidem capitalia, quando adeo grave aliquod crimen commiſſum eſſe a judicibus, quibus & de criminibus cognoſcendi, eaque plectendi facultas in ſocietate civili conceſſa & tributa eſt, judicaretur. Si vero capite plectendi nocentes etiam poſt Meſſiæ adventum ſummis imperantibus facultatem & jus eſſe ex ſacris conſtet litteris, ergo ſimul probatum recte Author arbitratur, bellum aliquod licite geri adverſus conglobatam nocentium & armatorum multitudinem, non tantum perditorum quorundam civium & ſubjectorum, ſed etiam extraneorum, quippe quod in cives licet, multo id magis licet in extraneos, in quos proprie bellum geritur. Sed quatenus & armis ac præliis ſæpiſſime vincendi ſunt ut rei fiant, & dent pœnas quas merentur, ſpeciem & imaginem belli habet ejuſmodi nocentum & armatorum punitio. Quamvis autem ejuſmodi puniendi jus in extraneum ſive in Principem qui belli Author eſt, ſive in cives qui ejus ſub auſpiciis belligerant, ſummis imperantibus non competat, cum par in parem nullum imperium habeat, & conſequenter jure imperii, quod jus vitæ & necis in ſubjectos ſummo imperanti tribuit, in alieni imperii cives idem jus nequeat concedere, tamen eo ipſo quo conceditur jus effundendi ſanguinis civis & ſubjecti, etiam permittitur effundere ſanguinem extranei, qui ob damnum illatum mihi tribuit facultatem ſe &, perſequendi & puniendi, non ob vindictam privatam, ſed ne mihi in poſterum noceat, vel etiam ut ipſum puniendo alios deterream ne quid ſimile in perniciem aliorum ſocietatis humanæ, cujus ſaluti inſervire quiſque obſtrictus eſt, membrorum patrare meditetur: nam ille capitalium judiciorum ſimul & bellorum finis eſt, ut boni ab improborum violentia & injuriis tuti vitam tranſigere poſſent, ut jam ſæpius a nobis dictum; conceſſo itaque capitali pœna plectendi civem jure conceditur ſimul ſummo imperanti eadem pœna plectendi extraneum in civem ſui territorii vel contra rempub. aliquid morte dignum admittentem, vel jure belli, vel ſummi imperii, quod ipſi competit in omnes qui in ſuo territorio capiuntur, & inveniuntur, criminum reos, ſecundum tritum illud, *ubi te invenio, ibi te judico*, nulla habita ratione cujus eſt ditioni, vel imperio ſubjectus, aut civitatis incola. Nam puniendi jus non deſcendit ex ſubjectione aliqua, quæ civi vel incolæ imponit neceſſitatem parendi ſummo imperanti, vel ſi ſecus faciat, ferendi pœnas, ſed ex jure ſummi imperii, quo qui ornatus eſt, ei cura incumbit providere ne quid Reſpub. cui præeſt detrimenti capiat, atque ut illud præſtare poſſet, cum ipſo imperio ſummo imperanti delata quoque eſt poteſtas omnia adhibendi media, ſine quibus reipub. ſaluti proſpicere nequit, & idcirco jus plectendi malos, ſive cives, ſive extraneos, vel capite domi obſervando ordinarium judiciorum habendorum modum, vel foris jure belli ferro & armis perſequendo reipub. & civium hoſtes, ex ſummo deſcendit imperio.

14. Undecimum eſſe poteſt, quod Chriſti lex ſolam legem Moſis, XI.
qua gentes ab Hebræis ſeparabat, ſuſtulit, Epheſ. 11, 14.

15. Quæ autem natura & bene moratarum gentium conſenſu honeſta cenſentur, adeo non ſuſtulit, ut ſub generali præcepto omnis honeſti ac virtutis comprehenderit. Phil. IV, 8. 1 Cor. XI, 13, 14. Jam vero criminum pœnæ & arma, quæ injuriam arcent, natura habentur laudabilia,

& ad juſtitiæ & ad beneficentiæ virtutem referuntur. Atque hic obiter notandus eorum eſt error, qui Iſraëlitarum jus ad bellum deducunt ex eo ſolo quod terram Cananæam illis Deus dediſſet. Eſt enim hæc juſta quidem cauſa, ſed non unica. Nam & ante ea tempora pii rationis ductu bella geſſerunt: & ipſi Iſraëlitæ poſtea aliis de cauſis, ut David ob legatos violatos. Tum vero quæ humano jure quiſque poſſidet, non minus ejus ſunt, quam ſi Deus donaſſet: id autem jus per Evangelium non tollitur.

COMMENTARIUS.

ANnotavimus ſuperius Chriſtum non ſuſtinuiſſe perſonam legiſlatoris, ideoque veniſſe ut novas leges promulgando legem Moſaïcam, ſive moralem, ſive ceremonialem, vel forenſem, vel corrigeret, vel ampliaret & perfectiorem redderet, ſive etiam abrogaret, aut in totum vel pro parte ſolveret tolleretque, verum ut illam impleret, quamobrem non ſatis dextre inquit Author *Chriſti legem ſolam legem Moſis, qua gentes ab Hebræis ſeparabat, ſuſtuliſſe* arg. *Epheſ.* 2. 14. 15. Ubi dicitur Chriſtum *interſtitium maceriæ diruiſſe, & legem mandatorum ſolviſſe*, ſcil. Chriſtum legem ceremonialem, quæ multa dura habebat mandata, & intolerabilis erat populo, quemadmodum maceries ex multis duriſque lapidibus conſtat, ſuſtuliſſe, cujuſmodi ceremoniæ tanquam paries & medius intergerinus ſeparabat & dividebat Judæos a ceteris gentibus. Nam circumciſio, ſacrificia, ablutiones, certorum ciborum abſtinentia, aliæque ceremoniæ quid aliud erant quam ſanctificationis ſymbola, quæ Judæos admonerent, ſortem ſuam a reliquis eſſe diverſam, ut inquit Calvin. ad dictum locum. Haſce ceremonias & hanc legem præceptorum in placitis conſiſtentem Chriſtus abolevit, parietem hunc intergerinum diruit, ſed quomodo, non novam legem promulgando, quæ tolleret priorem, ſed adventu ſuo in carnem eam adimplendo, cum rem ipſam pro umbris ſubſtituerit, ut jam annotatum. In quantum vero Paulus hic tantum & ſpecialiter de lege ceremoniali habet ſermonem, recte ab Authore locum allegatum concedimus, quippe lex moralis non eſt interſtitium & paries intermedius, qui nos & alias gentes a Judæis ſepararunt: quum ea comprehendat quæ dictat naturalis ratio, ideoque generalem & univerſalem doctrinam & obligationem omnibus hominibus, qua homines & rationis participes, communem, quæ æquali juris vinculo humanum genus devinctum habet ad præſtanda & exequenda rectæ rationis dictamina, quæ & moralia præcepta recte vocari jam a nobis ſatis demonſtratum ſperamus. Itaque quæ natura honeſta ſunt, quæ decora, neque ſuſtulit Chriſtus, neque mutavit aliquo modo, verum omnis eo ſua collimavit doctrina, ut homines incitaret ad ea facienda & exequenda in totius vitæ curſu, in omnibus factis dictiſque, atqui criminum vindicatio & armorum uſus ad coërcendos latrones & hoſtes & arcendam omnem vim atque injuriam natura juſta ſunt & laudabilia, ergo Chriſti doctrinæ non repugnat vim vi repellere, & crimina punire etiam effundendo reorum ſanguinem. Merito hic erroris arguit Author qui Iſraëlitarum jus belli gerendi, ex eo ſolo deducunt, quod Deus ipſis aſſignaverat terræ Cananææ poſſeſſionem. Nam quamvis hæc juſta fuerit belli ſuſcipiendi cauſa, non tamen unica cur juſte ſuſcipi poſſit. Multis enim aliis de cauſis & ante illa tempora, & etiam poſtea Iſraëlitæ aliique viri pietate & vitæ ac morum integritate inſignes bella geſſerunt, & in prælia deſcenderunt. Sic Abrahamus ad eripiendum hoſtium manibus Lothum bellum ſuſcepit, *Geneſ.* 14. dictante ipſi ratione nihil magis æquitati & juri naturæ conſentaneum quam ſocium vi & injuria oppreſſum, ſublevare, ut annotavimus ſuo loco. Sic & ipſi Judæi pugnarunt cum fratribus, annuente Deo, ob injuriam Levitæ illatam *Jud.* 20. Et David contra Hammonitas ob legatos violatos. Cui accedit, quod ea quæ quis humano jure & juſto titulo vel naturæ jure ut & civili introducto poſſidet, etiam a Deo donata & ſibi conceſſa eſſe dicendum eſt. Ideoque non minus Chriſtianis quam Judæis limites & poſſeſſiones ſuas contra vim hoſtium atque latronum tuendi jus & facultas eſt. Quoniam nuſquam per Evangelium ſublatum legimus jus Dominii vel poſſeſſionis aut proprietatis, quo cuique propria ſibi facit quæ hoc titulo acquiſivit, eaque retinendi & etiam defendendi, vel recuperandi injuſte ablata vi & armis, ſi nulla alia ſuperſit ratio.

VIII. Videamus nunc etiam quibus argumentis ſe fulciat adverſaria ſententia, quo facilius judicet pius æſtimator utra præponderent.

I. 1. Primum adferri ſolet vaticinium Eſaiæ, qui futurum dicit, ut populi gladios contundant in ligones, & lanceas in falces, neque gladium

dium ſumant alius in alium, neque bellum ultra addiſcant, 11, 4. Sed hoc vaticinium aut ſub conditione quadam accipiendum eſt, quemadmodum multa alia; ut nimitum intelligamus talem fore rerum ſtatum, ſi omnes populi Chriſti legem ſuſcipiant atque impleant; quam ad rem Deus nihil ſua ex parte paſſurus ſit deſiderari: certum autem eſt, ſi omnes ſint Chriſtiani, & Chriſtiane vivant, nulla fore bella: quod Arnobius ita enuntiat: *Si omnes omnino qui homines eſſe ſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus ejus pacificiſque decretis aurem vellent commodare pauliſper, & non faſtu & ſupercilio tumidi ſuis potius ſenſibus quam illius commonitionibus crederent, univerſus jamdudum orbis, mitiora in opera converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœderum ſanctionibus conveniret.* Lactantius vero hoc modo: *Quid fiet, ſi omnes in concordiam conſenſerint? quod certe fieri poterit, ſi pernicioſo & impio furore projecto innocentes ac juſti eſſe velint.* Aut intelligendum eſt pure; quomodo ſi accipiatur, docet res ipſa impletum hoc nondum eſſe, ſed implementum ejus, ut & converſionis generalis Judæorum, adhuc exſpectandum. Utrovis autem modo ſumas, nihil hinc inferri poteſt adverſus bellorum juſtitiam, quamdiu ſunt qui pacis amantes pace frui non ſint, ſed vim eis intentant.

COMMENTARIUS.

AGgreditur Author, propoſitis argumentis bellandi licentiæ faventibus, recenſere & proponere argumenta, quibus adverſarii ſuam ſententiam fulcire conantur. Primum argumentum ipſis præbet vaticinium *Eſaia* 11.4. qui prædicit affore tempus, quo populi *conſlarent gladios ſuos in ligones, & lanceas in falces, nec gens contra gentem gladium ſtringeret, nec exercerentur ultra ad prælium.* Cui convenit illud *Zachar.* 9.10. *Meſſias evertet curru in ex Ephraim, & equum de Jeruſalem, & diſcindetur arcus militaris.* Non uno eodemque ſenſu ſacrarum litterarum Interpretes hæc verba accipiunt atque interpretantur, nec vaticinii applicationem faciunt; alii enim adimpletum dicunt, alii impletum nondum eſſe ſtatuunt; nos diverſas eorum interpretationes referendo ſubſiſtemus, judicium penes lectorem eſto utra præferenda tanquam vero magis conſentanea. Verum non prætermittere poſſum quin notare debeam quorundam meo judicio Theologorum ſummam arrogantiam & temeritatem, qui nimiam de doctrina, ingenio, & judicii ſui acumine fiduciam habentes, in nullum fere incidunt vaticinium, quin nulla interpoſita mora hanc vel illam ejus applicationem & interpretationem innocenti ſæpe vulgo obtrudunt; tanquam infallibilem veritatem, quaſi divinitus ipſis eſſent revelata omnium vaticiniorum arcana & myſteria. Vera & falli neſcia applicatio & interpretatio eſt, quam nobis Chriſtus ejuſque Apoſtoli divino Spiritu afflati tradunt eorum vaticiniorum, quorum mentem & ſenſum oportebat intelligi a Chriſtianam doctrinam amplectentibus, ne ſeducerentur a Phariſæis & falſis Prophetis. Quæcunque de aliis vaticiniis dicuntur, quorum peculiaris interpretatio & applicatio non occurrit in N. T: ſed excogitata a quibuſdam Interpretibus veroſimili quidem eſſe poſſunt, verum ſæpiſſime etiam tanquam divinationes & humani ingenii figmenta conſidero; ſed e diverticulo in viam. Quidam igitur dictum Eſaiæ vaticinium non abſolute, ſed ſub conditione intelligendum putant, quorum in numero & Author noſter. Quippe ſi abſolute intelligatur de eo quod poſt adventum Meſſiæ eventurum erat, quaſi nulla omnino futura eſſent bella, Judæis favebit, inferentibus Chriſtum non eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum, quia poſt ejus adventum neque ſeditiones & inteſtina bella ſublata, neque ab armorum uſu & re bellica ceſſatum; nam & ipſe Chriſtus teſtatur ſe *non veniſſe mittere pacem, ſed gladium. Matth.* 10.34. Sub conditione itaque verba Prophetæ accipienda ajunt, nempe ſi omnes amplectuntur ſincero animo Chriſti doctrinam, hominum mentibus non bellum, ſed pacem inſtillantem, tum fore ut bella depellantur ex hominum ſocietate, & non ultra diſcerentur homines ad prælium exercendi, ſub ejuſmodi ſcil. conditione. Verum objiciunt fortaſſe Adverſarii, ſi hæc eſt doctrina Evangelii, ſequitur ſaltem illis abſtinendum bello, & arma abjicienda, qui eam profitentur. Cui reſpondit doctiſſimus Theologus Andr. Rivet. *Oportere quidem eos qui Evangelio nomen dederunt alienos eſſe ab omni proximi offenſio-*

ne, ita ut nullam dent belli cauſam: verumtamen non ſequitur, ſi quis injuſte eos adoriatur, vel qui Evangelium & ipſius profeſſores odio proſequatur, vel qui ſub nomen Evangelii nihil minus quam Evangelice vivat, omnem juſtam defenſionem innocentis per Evangelium eſſe ablatam, dummodo non tranſgrediatur vocationis ſuæ limites, & ad id munitus ſit ea authoritate quam ex Evangelio probavimus. Sui enim defenſio adverſus vim illatam eſt juris naturalis, quod perpetuum & immutabile eſt, ideoque nec per Evangelium nec alio quocunque modo abrogari vel immutari & tolli poteſt. Cui adde rationes ſup. adductas, ubi de fonte & origine hujus juris egimus. Qui vero pure dicti vaticinii verba interpretantur, *ajunt vaticinia de regno Chriſti ſuam habere latitudinem, nec ſemper intelligi debere de eo quod vel continuo vel omni tempore fieri debet, ſed de aliqua periodo temporis, quæ & ſi nondum advenerit, adveniet nihilominus.* Itaque quamvis impletum non ſit, implementum tamen ejus, ut & converſio generalis Judæorum, adhuc exſpectandum. Vid. Rivet. *Prælect. in cap. 20. Exods.* Alii putant hujus oraculi non alium eſſe ſenſum, quam propagationem regni Chriſti non carnalibus armis, ſed ſola Evangelii prædicatione & Spiritus ſancti virtute perficiendam; unde inferri nequit, ſummis imperantibus Chriſti doctrinam profitentibus non licere propter juſtas & neceſſarias cauſas bella ſuſcipere, & armis uti ad depellendam vim & injuriam a civibus & ſubjectis ſuis, & imperii fines ab aliorum invaſione tuendos, quippe Evangelii doctrina nec civiles ſocietates nec ſummas poteſtates ſuſtulit, ſed ſtabilit potius, ut annotavimus. Et conſequenter etiam omnibus favet mediis ſine quibus nec ſocietas ſubſiſtere poteſt, nec ſummæ poteſtates, a quibus ſocietatis civilis pendet conſervatio, haberi. Alii dictum vaticinium & de pace politica & eccleſiaſtica N. T. accipiunt; neminem enim fugere poteſt, qui in Hiſtoriis non plane hoſpes eſt, Servatoris noſtri nativitatem in illud incidiſſe tempus, quo Auguſtus Janum Quirinum clauſit, ſignum pacati ubique orbis; unde Horat. *lib. 4. od. ult.*

- - - & vacuum duellis
Janum Quirini clauſit: - - -

Vid. *Suet. in Aug. cap.* 22. Manſitque ſic obſeratus fere per duodecim annos ad Varianam uſque cladem. Si de eccleſiaſtica pace intelligamus, conſtat Evangelium propagatum fuiſſe non armis corporalibus, ſed ſpiritu oris Dei Filii, nec ferro & armis exciſæ, quæ idolorum cultum ſequebantur, ſed prædicatione Evangelii converſæ gentes, quæ olim alienatæ a fœderibus & alieniſſimæ a Judæis in peculiarem Deo populum adſcitis, ad unum Deum, unam fidem & Evangelii doctrinam, & in unum quaſi corpus unamque eccleſiam coalitæ, profligatis idolis omnibus, & erroribus, quibus ad tempus nati Regis & ſummi Pontificis Servatoris noſtri miſere involutæ erant, ſaniori doctrina ſublatis, nulla jam amplius ob fidem in unum Deum bella futura ſunt. Itaque gentes converſæ & auditores Evangelii, quæ pacis ſunt & charitatis amplectentes ſemper, non certabunt inter ſe injuriis & maleficiis, ſed manſuetudine & charitatis *officiis paratiores cedere, quam loco pellere, pati quam inferre injurias, contenti conſcientia tranquillitate, & unius Dei ſpiritualis cultu felices & mundi triumphatores fide, patientia, beneficiis, non ferro & armis.* Itaque jam videtur vaticinium impletum, factis gentibus prius hoſtilibus amicis, quamvis non ſublatis omnino bellis, nam & illa erunt donec homines & vitia, quibus natura humana inquinata ſæpiſſime in proximi perniciem multa & meditatur ſcelera & patrare flagitia conatur, quibus noſtram defenſionem opponere non Evangelii doctrinæ contrarium eſſe jam diximus; nos hic ſermonem habemus de ſtatu ſpirituali diverſarum nationum & gentium fidelium temporibus N. T. qui doctrinam Evangelii amplecterentur, tanquam agendorum normam & regulam vitæ inſtituendæ & tranſigendæ in pace & tranquillitate, ut decet ejuſdem religionis & fidei ſocios, ejuſdemque eccleſiæ membra, & ejuſdem ſpiritus participes, qui fidelium mentibus nil niſi pacem & concordiam inſtillat, cum omnibus hominibus colendam.

2. Ex quinto Matthæi capite plura argumenta depromi ſolent, ad quorum dijudicationem opus eſt animo repeti quod paulo ante diximus: ſi Chriſto id fuiſſet propoſitum omnia capitalia judicia & jus bellorum tollere, facturum id fuiſſe verbis quam maxime expreſſis ac ſpecialibus, ob rei magnitudinem ac novitatem; eoque magis, quod nemo Judæus aliter cogitare poterat, quam leges Moſis ad judicia & rempublicam pertinentes vim ſuam in homines Judæos habere debere quamdiu ſtaret illa reſpublica. Hac ergo de re præmoniti locorum ſingulorum vim ordine exploremus.

COMMENTARIUS.

Argumenta, quæ Adverſarii putant depromi poſſe ex quinto capite Matthæi ſimilibuſque locis, non probant bellum juſta de cauſa ſuſceptum illicitum eſſe, quaſi Chriſti nova lege & doctrina

doctrina in Evangelio propoſita omnia omnino bellandi licentia magiſtratibus, vel iis quibus jus belli gerendi competit, abrogata & erepta. Quippe, ut ſuperius demonſtravimus, nihil præceptum novi in Evangelio, quod non mandatum in V. T. Atqui in hoc approbantur bella juſta. Ergo nec interdicuntur vel tolluntur a Chriſto in N. T. Cui etiam addi poteſt, quod quæ ibi dicuntur, ad privatos pertinent, qui ſuis perturbationibus nimis indulgentes, dum proximum ex vindictæ cupidine ac ex odio & inimicitia lædunt, quaſi juſtitiæ amore eum correxiſſe videri volunt. Non dirigit vero Chriſtus ſua verba ad magiſtratus & ſummas poteſtates, quæ a Deo conſtitutæ ſunt ad iram ei qui malum fecerit, ut videre eſt *Rom.* 13. Vel ut aliis placet, vult Chriſtus ſuos ad conſtantem patientiam formare, ne offenſi deficiant, commendatur itaque hic ſummæ moderationis atque patientiæ ſtudium injuriis perferendis, quibus obnoxios fore prædicit perſeverantes profiteri Evangelium Chriſti diſcipulos, atque ejus doctrinam ſequentes.

3. Adverſariæ ergo ſententiæ munimentum ſecundum ex iſtis verbis petitur: *Audiſtis dictum fuiſſe, Oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne obſiſtite injurioſo,* (לרשע, quod Græci vertunt τῷ ἀδικοῦντι, Exod. 11, 13.) *ſed cædenti te in dexteram maxillam, alteram quoque obverte.* Hinc enim inferunt quidam, nullam injuriam aut repellendam, aut vindicandam, ſive publice, ſive privatim. Atqui non hoc dicunt verba: neque enim magiſtratus hic alloquitur Chriſtus, ſed eos qui impetuntur; nec de quavis agit injuria, ſed de tali, qualis eſt alapa; ſequentia enim verba reſtringunt præcedentium generalitatem. II.

COMMENTARIUS.

PErperam hinc colligunt Adverſarii nullam injuriam aut repellere aut vindicare, vel publice, vel privatim, licitum. Nam neutrum hic interdicitur. Non magiſtratui, quia ex verbis Chriſti perſpicimus eum non habere ſermonem de magiſtratibus, quoniam ipſos non alloquitur, ſed Apoſtolis & populo quem docet, quænam incumbunt cuique officia erga proximum, prohibetque vindictam privatam, atque ſatius eſſe admonet perferre injuriam ſibi illatam, quam compenſare, ſocium æquali damno cupidine vindictæ exercendæ afficiendo. Nec interdicit cuique privato injuriam declinare, nec eam obſervato inculpatæ tutelæ moderamine propulſare, quando illam per magiſtratus vindicandi mihi nulla eſt occaſio, ſed privatam tantum vindictam prohibet, ut dictum, ne malum malo repellas, id eſt convitium pro convitio, vulnus pro vulnere: *Nemini malum pro malò reddatis*, ait Paulus *Rom.* 12. 17. Quippe nec ipſe Chriſtus nec ejus Apoſtoli percuſſi obverterunt & alteram maxillam percutienti. Sed malo reſtitit Chriſtus, innocentiam ſuam tuendo, & redarguendo injuſtitiam adverſariorum *Joh.* 18, 23. eo ipſo oſtendens legitimam & juſtam defenſionem adverſus injuriam illatam, vel verbis, vel factis, Evangelii doctrinæ, quæ nihil abrogat quod juris eſt naturalis, non repugnare. Sed putat Author Chriſti verba non de quavis injuria accipienda, ſed de tali, qualis eſt alapa, quæ non atrox, ſed levis tantum injuria videtur. Sed verius puto de omni injuria, ſive atroci, ſive levi, Chriſtum agere. Quippe cum omnis vindicta privata prohibeatur, prohibitio non minus ad vindicationem atrocis quam levis injuriæ pertinet; eadem enim in utraque vindicanda prohibitionis ratio, ergo & idem jus; nullam injuriam vindicandam authoritate privata verba Chriſti inferunt, ergo nec atrocem. Nam quo atrocior injuria, eo magis ad illam vindicandam incitamur, & conſequenter prohibitio magis ad atrocem quam levem referenda videtur. Præterquam quod ejuſmodi injuria, qualis eſt alapa, ſatis atrox videatur viro bono & honeſto, & idcirco non adeo manifeſtum eſt, an ſub ratione levis injuriæ alapa a Chriſto proponatur. Quippe cum hac ratione propter ſummam, quam ex inflictione alapæ patior, omnium honeſtorum virorum judicio contumeliam fama mea, quæ ex aliena, imo vulgi potiſſimum dependet opinione, res inæſtimabilis & inter humanas felicitates non in poſtremo locanda gradu, ſed quibuſcunque rebus pretioſiſſimis præferenda, maxime lædatur, dicendum videtur, Chriſtum alapam tanquam atrocem injuriam proponere: ſed docere eam, quamvis atrox ſit, perferendam potius, & alteram maxillam præbendam, quam vindictam ſumendo privatam jura magiſtratus violare, & pacem publicam perturbare, quæ ſubſiſtere nequit, ſi cuique privato liceret ſibi læſo jus dicere & exequi, quod publice per magiſtratum fieri debet.

4. Sic in præcepto ſequente: *Qui velit tecum litigare, ut tunicam accipiat, dimitte illi etiam pallium*: non omnis provocatio ad judicem aut arbitrum

prohibetur, Paulo interprete, qui lites non omnes prohibet, 1 Cor. VI, 4. ſed vetat Chriſtianos in prophanis auditoriis inter ſe litigare, idque ad Judæorum exemplum, apud quos recepta erat ſententia, *Qui adducit negotia Iſraëlitica ad extraneos, polluit nomen Dei:* ſed vult Chriſtus ad exercendam patientiam noſtram de rebus, quæ facile ſunt recuperabiles, ut tunica, aut cum tunica, ſi opus ſit, pallium, non contendi judicio, ſed quamvis optimo jure nitamur, omitti juris perſecutionem. Apollonius
Philoſtr. II. 15. Tyanæus negabat Philoſophi eſſe περὶ χρυσίου διαδικάζεσθαι *de pecuniola litigare. Non improbat Prætor* (inquit Ulpianus) *factum ejus qui tanti habuit re*
L. Item §. 1. & D. de alien. Jud. mut. cauſa facta. L. 1. c. XIV. *carere, ne propter eam ſæpius litigaret. Hæc enim cogitatio ejus, qui lites exſecratur, non eſt vituperanda.* Quod hic probari a probis ait Ulpianus, hoc Chriſtus imperat, ex rebus honeſtiſſimis & probatiſſimis deligens præceptorum ſuorum materiam. At non hinc recte colligas etiam parenti, etiam tutori nefas fore, id, ſine quo liberi, ſine quo pupilli ſuſtentari nequeant, ſi cogatur, apud judicem defendere Aliud enim eſt tunica & pallium, aliud totum illud unde vivitur. In Clementis conſtitutionibus de homine Chriſtiano dicitur, ſi litem habeat, σπουδαζέτω διαλύεσθαι κἂν δέῃ βλαφθῆναί τι, *det operam ut tranſigat, etiamſi quid damni accipiendum ſit.* Quod ergo de moralibus dici ſolet, hic quoque locum habet, non conſiſtere hæc in ſed habere ſuam quandam latitudinem.

COMMENTARIUS.

CHriſtus hiſce verbis iterum ſuos diſcipulos ſuamque doctrinam profitentes hortatur ad perferendam potius injuriam, quam proximum ad judicem provocare, præſertim ſi agitur de rebus levibus, quarum eſt facilis recuperatio, ut tunicæ; non tamen quamcunque repetitionem rei ablatæ prohiberi ex eo conſtat, quod ipſe Paulus non omnem provocationem ad judices arbitros prohibet 1 *Cor.* VI. 4. Sed perperam colligit Author non quidem ibi omnes lites prohiberi, ſed vetari ne Chriſtiani coram magiſtratu Ethnico certent judicio, idque ad Judæorum exemplum, qui cenſebant, ſi quis Iſraëlitam adduxerit ad tribunal gentium, eum profanare nomen Dei. Quippe & ipſe Paulus provocavit ad Neronem, neque alii etiam Chriſtiani declinarunt tribunalia judicum Gentilium, ſecum reputantes quod omnis magiſtratus a Deo conſtitutus eſt, ut juſtitiam adminiſtret, & jus ſuum cuique tribuat, tam Gentilibus quam Chriſtianis. Sed Paulus vult rebus βιωτικοῖς ad vitam quotidianam, lucra, ideoque temporalia bona pertinentibus, potius arbitri conſtituerentur ii, qui in eccleſia ἰδιῶται. Comparate hic Paulus loquitur, exiſtimans potius ot viliſſimis & ſimpliciſſimis eccleſiæ membris committatur dirimenda ſi inter fideles de rebus levibus oriatur controverſia, quam in prophanis aoditoriis contendere, quod ſæpiſſime ſine opprobrio Chriſtianæ doctrinæ eamque profitentium perfici non poterat. Sed in ſequentibus ſeſe explicat, & jubet ut ſapientes, ſi qui ſint, huic officio deputentur. Si vero nulli eſſent ad hoc munere fungendum idonei, ſatius tamen eſſe vobis commendo ait, ut ad judicandum contemptiſſimos deligatis, quam Ethnicos adeatis judices. Ex dictis itaque Chriſti colligimus commendari quidem patientiam, & admoneri ſuos diſcipulos & omnes qui Evangelio nomen dederunt, ne faciles ſint ad levibus de rebus judicio contendendum, ſed omnis juſta tam juris ſui vel etiam alieni perſecutio non tollitur, ita ot pareoti vel tutori denegata ſit facultas, neceſſitate coactis, apud judicem etiam Ethnicum defendendi id ſine quo liberi, ſine quo pupilli ſuſtentari nequeunt; tria injuriarum genera Chriſtus ponit; primum, quod infertur corpori ut alapa: alterum, quod contra jus dominii & proprietatis committitur, ut tunicæ ablatio: tertium, quod libertatem aufert, vel ſaltem imminuit, ut coactio, qua aliquid facere quis adigitur, ut hic. Sed injurioſa, violenta, & ex odio vel ira profecta oppoſitio prohibetur.

5. Sic in eo quod deinceps ſequitur, *Qui angariabit te ad milliare unum, abi cum eo duo:* non dixit Dominus de centum milliaribus, quod iter hominem a ſuis negotiis longius abduceret, ſed de uno, & ſi ita uſu veniat

niat de duobus; quæ deambulatio quaſi pro nihilo ducitur. Senſus ergo eſt, in his quæ nobis non multum ſunt incommodatura non urgendum nobis eſſe jus noſtrum, ſed cedendum plus etiam quam alter poſtulet, ut & patientia & benignitas noſtra omnibus innoteſcat.

COMMENTARIUS.

ANgariare ſignificat adigere ad aliquid & maxime ad currendum. Hinc *ἀγγαρεύω*, *adigo ad currendum*, vel *ferendum aliquid*, eſt verbum origine Perſicum, ſed formatione Græcum. Angari Perſis dicebantur Regum nuncii ſive tabellarii, qui certis ſtationibus diſpoſiti Regias Epiſtolas alter alteri ſuccedendo ferunt, ut eo celerius perferrentur. Quos vulgus *poſtas*, quaſi poſitas curſorum ſtationes, appellat. Verum, ut docti annotarunt, hoc intereſt, quod hodie certis ſpatiis collocati ſunt, qui Principum ſtipendiis aluntur, ut equos habeant ad curſum paratos. Perſarum vero curſoribus ſive *Angaris* fas erat ad curſum rapere cujuſvis equos, vel naves, vel plauſtra, vel ipſos etiam homines. Huc Æſchylus reſpiciens *in Tragœd.* *ἄγγαρον πῦρ*, eleganter vocat ignem illum quo in littoralibus pharis conſtituto ſignum dabatur, quoties quiddam celerrime nuntiatum eſſet neceſſe quaſi *curſorem ignem*. Angariabantur itaque homines, vel in proprio corpore, vel in animalibus cæteriſque rebus quæ ad angariam præſtare adigebantur. Quod maximum onus erat, quod & olim perferre Hebræi coacti fuerant, ex quo Oriens Perſarum ceſſerat dominationi & imperio, cujus immunitatem tandem a Demetrio obtinuiſſe prodit Joſeph. Annotat ad *h. l.* Salmaſius Angariæ locum fuiſſe præcipue expeditionis tempore, cum exercitus per vias militares tranſibant. Tum jus erat militibus capiendi ex municipiis & villis viæ militari proximis animalia ac jumenta ſarcinis ſuis portandis ac vehendis idonea. Quod cum facerent *ἀγγαρεύειν* dicebantur, & *ἀγγαρεύεσθαι*, qui hoc pati cogebantur, id eſt *angariari*. vid. quæ ibi plura diſſerit. Adde & *l.* 30. *&* 28. *Cod. Theodoſ. de curſ. publ.* Et *Impp. C. de ſacroſanct. Eccl. Neminem ab angariis, vel perangariis, vel plauſtris, vel quolibet munere excuſari præcipimus cum ad feliciſſimam expeditionem noſtri numinis omnium Provinciarum per loca, quæ iter arripimus, debebant ſolita nobis miniſteria exhiberi, licet ad ſacroſanctas Eccleſias poſſeſſiones pertineant.* Et Hermogenianus Jctus. *l.* 11. *ff. de vocat. & excuſat. muner. Sunt munera*, inquit, *quæ rei propriæ cohærent: de quibus neque ætas, nec merita militiæ, nec ullum aliud privilegium jure tribuit excuſationem, ut ſit prædiorum collatio, viæ ſternendæ angariorumve exhibitio* &c. vid. & *l.* 4. *ff. de veteran.* Et Cœlius Rhodigin. *lect. antiq. lib.* 18. *c.* 8. De hac *angaria* etiam Arrianus in *Epict. diſſert.* 3. 8. *Si angaria ſit, & miles apprehendat animal tuum, ne renitaris neque obmurmures.* Quod durum erat ſervitutis jugum, ſed patienter & æquo ferendum animo, quia a ſummo imperante impoſitum, cui obtemperandum, etiamſi imperat quæ dura nobis videntur. Senſus itaque hujus loci videtur eſſe, *ſi quis ſe angariaverit*, id eſt onere impoſito adegerit vel coëgerit ut eas. Si tuo ſervitio, vel bajulando, id eſt portando, vel currendo, vel comitando uti voluerit, ad unum milliare, vade cum illo duo; eſt enim milliaris unius deambulatio non tanti oneris, quin facile ſine incommodo præſtari poſſit, ideoque non recuſandum, etiamſi per injuriam exigatur, imo potius duplum concedere extorquenti ſatius eſt, quam ut temet ei opponas vel vi, vel in judicio, levis enim hæc injuria videtur, ideoque toleranda potius, quam ut ejus cauſa iram odiumque concipias erga proximum, & vindictam mediteris, non tamen hoc incommodum quamvis leve declinare prohibemur placidis rationibus.

6. Sequitur porro: *Petenti abs te dato, & volentem a te mutuo ſumere ne rejice.* Si in infinitum hoc producas, nihil durius. Qui domeſticorum curam non agit, infideli eſt deterior, inquit Paulus I Tim. v, 8. Sequamur ergo eundem Paulum optimum legis herilis interpretem, qui Corinthios excitans ad beneficentiam in Hieroſolymitanos exercendam, *Non*, inquit, *ut aliis ſit laxamentum, vobis res anguſtæ, ſed ut æquabiliter veſtra copia ſuccurrat illorum inopiæ*, II Cor. VIII, 13. id eſt (Livii verba in re non diſſimili uſurpabo) ut ex eo quod adfluit opibus veſtris ſuſtineatis neceſſitates aliorum: qui ſenſus eſt & in Cyro Xenophontis: ἃ ἂν ἴδω περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ χρημάτων, τούτοις τὰς ἐνδείας τῶν φίλων ἐξακοῦμαι. Similem æquitatem adhibeamus interpretando præcepto quod jam a nobis recitatum eſt.

COMMENTARIUS.

CUm enim homines hominum cauſa nati ſunt, ut ſibi mutuo prodeſſe poſſint, quid magis æquitati, atque decreto divino, & rectæ rationi conſentaneum eſt, quam ſublevare egentes ſubminiſtrando ea, quibus eorum neceſſitati ſubvenire poſſumus. Eſt enim hoc beneficii genus adeo neceſſarium ad communem ſocietatem colendam, cujus cuſtodiam & conſervationem quiſque propter conſervationem ſui maxime cupit, ut ſublato eo tolli videtur ipſa ſocietas, quam homini cum homine intercedere voluit hujus univerſi moderator & arbiter. Imo maximum in ſe peccatum admittit, qui ſocium egentem deſerens, nullam charitatis, qua proximum ut noſmetipſos proſequi tenemur, rationem habet. Solent vero egentes duorum eſſe generum. Aut enim ſunt adeo omnibus fortunæ donis deſtituti, ut nullam ſpem habeant reddendi quod ipſis largimur. Vel caſu quodam ad eas anguſtias redacti ſunt, ut non donatam, ſed mutuam pecuniam petant. Utrique ſubveniendum docet Chriſtus, & poſtulant a nobis humanitatis officia, nulla habita ratione cujus ſit nationis, & fidei, nam hoc homini ab homine præſtandum qua homo. Hinc Lactant. *lib. 6. Inſtit. divin. cap. 2. Verum eſt illud Ciceronis, quod ait, hominem natura obedientem homini nocere non poſſe; ergo ſi nocere homini contra naturam eſt, prodeſſe homini ſecundum naturam ſit neceſſe eſt. Quod qui non facit hominis ſe appellatione ſpoliat, quia humanitatis officium eſt neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire.* Et idem: *Si virtus mercedem non exigit, ſi propter ſe, ut dicitur, expetenda eſt, ergo juſtitiam principem matremque virtutum ſuo pretio, non tuo commodo æſtima, eique potiſſimum tribue, a quo nihil ſperes. Quid perſonas eligis? quid membra inſpicis. Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis precatur, ideo quia te hominem putat.* Quibus addit paulo poſt: *Largire cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis, quibus niſi largiare moriendum eſt, inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Fove quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit.* Sed habet hoc Chriſti dictum ſuos limites, quippe ſi in infinitum hoc produceres, nihil durius, ut recte Author annotavit. Eſt enim modus in rebus, oportet quidem ſuccurrere egenti, ſed ita ut ipſe non egeam. Petenti itaque abs te dato ſecundum æqui bonique regulam, quatenus & noſtræ facultates ferunt & ipſorum neceſſitas poſtulat, ut docet Paulus ad Corinthios *cap.* 8. 13. Non enim Deus a nobis poſtulat, ut aliorum inopiæ ſuccurrendo ipſi ad anguſtias redigamur, ut alii noſtra liberalitate diffluant. Habet enim beneficientia & liberalitas ſuas cautiones, quas tranſgredi nequit, quin virtus in vitium degeneret. Nam ut optime Cic. *Videndum primum ne benignitas major ſit quam facultates. Qui enim benigniores volunt eſſe, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injurioſi ſunt in proximos, quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos.* Hinc & Ambroſ. 1. *de offic. Eſt enim illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias.* Nam ut inquit Apoſtolus, ſi quis ſuorum curam non habet, & maxime domeſticorum, eſt infideli deterior 2 *Timoth. cap.* 5. 8. Suos enim tueri nec ipſi Gentiles omittunt. Habet enim charitas ordinem ſuum, quem Chriſtus obſervare haud dubie voluit, primum enim charitatis, a qua omnis liberalitas deſcendit, officium eſt, ut proſpiciam prius qui mihi ſanguinis vinculo proximi, antequam erga extraneos liberalitatem exerceam, & ſi quando hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, oportet id fieri moderate, ne ipſe egeam vel noceam iis quos tueri debeo, nam ut inquit Cicero, multi patrimonia effuderunt inconſulte largiendo. Ridicula itaque hæc Phanaticorum liberalitas, qui nihil actum putant, niſi ſe ſibique arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctos penitus omnibus facultatibus ſpoliaverint, ut in commune conferant.

7. Lex Hebræa ſicut divortii libertatem indulgebat, ut ſævitiæ maritorum in uxores occurreret; ita etiam privatæ ultioni, ad quam gens illa valde prona erat, coërcendæ jus læſo fecerat ab eo qui læſerat, non manu ſua, ſed apud judicem exigere talionem: quod lex etiam XII tabularum ſecuta eſt; *Si membrum rupit, talio eſto.* Chriſtus vero majoris patientiæ magiſter tantum abeſt, ut illam in jam læſo probet vindictæ flagitationem, injurias quaſdam ne arceri quidem vult, aut vi, aut judicio. At quales injurias? tolerabiles ſcilicet, non quod non in atrocioribus quoque laudabile hoc ſit, ſed quod reſtrictiore quadam patientia contentus ſit. Ideo exemplum poſuit in alapa, quæ non vitam impetit, non corpus mutilat, ſed tantum contemtum quendam noſtri ſignificat, qui nos nihilo deteriores facit.

Seneca

Seneca, libro de conſtantia ſapientis, injuriam a contumelia dividit: *Prior illa*, inquit, *natura gravior eſt; hæc levior & tantum delicatis gravis, qua non læduntur, ſed offenduntur. Tanta eſt animorum diſſolutio & vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenias ſervum, qui flagellis quam colaphis cædi malit.* Idem alio loco: *Contumelia eſt minor injuria, quam queri magis quam exſequi poſſumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt.* Sic apud Pacuvium quidam: *Patior facile injuriam, ſi eſt vacua a contumelia*: & apud Cæcilium alius:

Facile ærumnam ferre poſſim, ſi inde abeſt injuria;
Etiamque injuriam, niſi contra conſtat contumelia.

Demoſthenes: οὐδὲ γὰρ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις δεινὸν καίπερ ὂν δεινόν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει, *Nec enim tam grave hominibus ingenuis verberari, quamquam & hoc grave, quam per contumeliam verberari.* Is quem dixi Seneca paulo inferius ex contumelia dolorem, affectum eſſe ait quem humilitas animi moveat contrahentis ſe ob factum dictumve inhonorificum.

COMMENTARIUS.

SUperius ad §. 6. *n.* 3. hujus capitis annotavimus, quo ſenſu accipienda quæ de dimittenda uxore occurrunt *Matth.* 5. Permiſſa quidem Judæis divortii libertas quo ad impunitatem in foro externo ob duritiem cordis eorum, ne conjux conjugis immineret exitio, vel duriori tractationi daretur occaſio; verum non a vitio liberavit ejuſmodi permiſſio conſcientiam ejus, qui leviſſima de cauſa uxorem dimittebat, peccabat enim & contra primævam Dei inſtitutionem, quæ tanquam matrimonii lex obſervanda, tum etiam legem charitatis, quæ tenerrimo amore jubet maritum amplecti arctiſſimo conjugii vinculo ſibi devinctam uxorem, tum etiam communes liberos. Quod vero privatam ultionem attinet, ei nunquam indultum, neque extra judicium, neque in judicio permiſſa cuique facultas exigendi talionem, omne enim ultionis ſtudium lex charitatis prohibet, quia tollit dilectionem proximi, qua ſublata ſimul omnis ſocietas humana, ad quam colendam homines nati ſumus, evaneſcit, omniaque officia, quæ homo homini præſtare tenetur jure naturali & morali, demerguntur mutuis diſſidiis, diſcordiis, ac præliis, quæ neceſſario excipiunt deſtructionem ſocietatis, quam natura inter homines erexit conſtituitque non tam arte aliqua, quam quod innata humanæ naturæ ad cœtus cum ſui ſimilibus celebrandos & commercium, ſine quo vita commode neque beate transſigi nequit, mutatione officiorum, quæ recta dictat ratio exhibenda proximo, conſervandum propenſio & inclinatio eos impellit, & conſequenter jure naturali vel morali prohibita omnia illa mala, quæ perturbant, imo plane tollunt ſocietatis culturam & conſervationem, & quidem in perpetuum: præcepta contra omnia quæ eam conſervant ac tuentur, ut dilectio proximi, quæ tanquam brevi compendio omnes omnino virtutes omniaque officia proximo debita continet, ut ſupra a nobis annotatum, atqui ſtudium ultionis illam erga proximum propenſam voluntatem & benevolentiam animo expellit; ſequitur vetitum omnis vindictæ privatæ & ultionis ſtudium privatum, ſive illud quis propriis manibus propriaque authoritate exequatur in ſtatu naturali, ſive coram judice in ſtatu civili jus ſuum ex illicita animi ægritudine injuriam ſibi illatam vindicandi inflammatus perſequatur, utroque modo peccat contra moralia & naturalis juris præcepta, quæ & charitatem erga ſocium & ſocietatis cum eo conſervationem atque commercium officiorum commutatione tuendam & promovendam volunt; cui juri accedit & alterum neceſſitatis vinculum conſiſtens in ejuſdem proximi nobiſcum divinæ imaginis communione, quæ illum reddit eodem amore dignum, quo noſmetipſos proſequimur, & idcirco quemadmodum nemo propriam carnem odio habet, ideo & proximum odiſſe, vel clam, vel manifeſte, leges prohibent, quæ noſtri amorem nobis inculcant. Unde enim ultionis ſtudium & cupido, niſi ex odio, ira, & infeſto erga ſocium animo. Optime itaque Chriſtus, non tanquam majoris patientiæ magiſter, ſed legis falli neſcius interpres, non eripit cuique læſo facultatem jus ſuum coram judice legitime perſequendi, ſed prohibet omnem juris perſecutionem ex animo vindictæ & ultionis ſtudio inflammato proficiſcentem, quod & in V. T. prohibitum. Cujuſmodi prohibitio non ſolum ad leves, ſed etiam atrociores injurias pertinet, quas perferre potius quam ulciſci & in V. T. & N. rationi & æquitati fuit conſentaneum: criminis enim atrocitas non poteſt licitum facere quod per ſe malum eſt, quale ultionis ſtudium, ut paulo ante a nobis notatum, ubi & de alapa tanquam atroci injuria a Chriſto allegata ſermonem habuimus.

8. In tali ergo circumſtantia patientiam Chriſtus præcipit; & ne quis tritum illud objiciat, *Veterem ferendo injuriam invitas novam:* addit, potius etiam ferendam eſſe alteram injuriam quam propulſandam priorem: quia ſcilicet nihil inde ad nos mali pervenir, niſi quod in ſtulta perſuaſione poſitum eſt. Maxillam obvertere in Hebraiſmo eſt patienter ferre, ut apparet Eſai. xxx, 6. Jerem. III, 3. præbere os contumeliis dixit Tacitus hiſtoriarum tertio.

COMMENTARIUS.

NOn diſtinguimus cum Authore injuriam a contumelia, ea mente, quaſi minorem injuriam pati arctiori obligationis vinculo obſtricti eſſemus, quam graviorem: quoad injuriæ menſuram poſſet ejuſmodi admitti diſtinctio, nequaquam vero quoad ulciſcendi prohibitionem, ea enim univerſalis eſt, ſeſe extendens ad utramque injuriæ ſpeciem, quia omne ultionis ſtudium per ſe malum eſt, ideoque nec augeri nec imminui poteſt ab objecto circa quod verſatur, nec ab ejus natura ſibi aliam qualitatem induere, quam quæ ſibi naturalis eſt; naturalem voco, quia dat rei formam, id eſt efficit ut rem aliquam eo modo cognoſcamus quo exiſtit, vel ſaltem ejus nobis ideam repræſentare poſſimus, & entia a ſe invicem diſtinguere valeamus ſecundum illorum naturam, qualitates, & attributa. Itaque quod hic ait Author velut Chriſti verborum interpres, ſcil. potius alteram injuriam ferendam quam propulſandam priorem, de leviori injuria unde nihil fere mali, niſi quod in ſtulta perſuaſione poſitum eſt, ad nos pervenit, intelligendum, quaſi in graviori ſe vindicandi libertas obtineret, (illa enim diſtinctio & verborum interpretatio non obſcure hunc Authoris ſenſum eſſe produnt) propter rationes jam adductas a veræ Chriſti mente alieniſſimum ſtatuimus.

III. 9. Tertium argumentum peti ſolet ex eo quod apud Matthæum ſequitur: *Audiſtis dictum fuiſſe, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benedicite eis qui vos exſecrantur, precamini pro eis qui infeſti vobis ſunt & vos perſequuntur.* Sunt enim qui exiſtimant cum tali dilectione & beneficentia adverſum inimicos & infeſtos pugnare tum judicia capitalia, tum bella. Sed facile id refellitur, ſi ipſum illud legis Hebraïcæ dictum conſideremus. Præcipiebatur Hebræis ut proximum diligerent, Hebræum ſcilicet: ita enim vocem proximi ibi ſumi oſtendit Levit. XIX comma 17, collatum cum commate 18. At non minus imperatum erat magiſtratibus occidere homicidas & alios graviter ſontes: non eo minus tribus undecim ob delictum atrox juſto bello perſecutæ ſunt tribum Benjamiticam, Jud. XXXI. non eo minus recte David, qui prælia Domini præliabatur, regnum ſibi promiſſum ab Isboſeto armis repetit.

COMMENTARIUS.

HUjus loci ſenſum explicavimus *n.* 3. §. 6. atque ibi annotavimus errorem Authoris ſtatuentis præceptum, quo jubemur *proximum diligere*, Hebræis tantum fuiſſe datum, & conſequenter nomine *proximi* intelligi non extraneum, ſed Hebræum, qui ejuſdem religionis & fœderis erat, fratrem, ut patet *Levit.* 19. 17. 18. quaſi non idem & in V. T. & N. dilectionis mandatum, idem objectum, eadem forma, eadem dilectio, idem finis. Lex naturalis, quæ & moralis, jubet diligere proximum qua hominem, id eſt ejuſdem mecum originis ejuſdemque rationis participem, ejuſdem generis & dignitatis, itaque non Iſraëlitis tantum, ſed toti humano generi dilectionis lex præſcripta, & conſequenter univerſalis eſt obligatio, qua omnes in univerſum tenentur homines ſeſe mutuo amore tanquam æquali proximitatis juris vinculo ſibi invicem devinctos proſequi atque amplecti, non ſecus quam quiſque ſemetipſum diligit. Hinc Philiſtæi & Ægyptii, quamvis extranei ab Hebræis habebantur, quia non ejuſdem civitatis, vel fœderis, aut religionis,

proximi

proximi tamen nomine cenſentur. Religionis enim diverſitas, vel fœderis, quo in peculiarem populum Deus ſibi præ aliis gentibus Hebræos adſcivit, neqoe regiminis vel reipub. peculiaris forma, efficere nequit, ut jura naturæ, quæ perpetua atque immutabilia ſunt, locum ſibi vindiceot in iis, quæ hominis cum homine naturalem cognationem & ſocietatem concernunt, cujus generis eſt illa mutua dilectio, qua ſocius amplecti ſocium tenetur. Et quid ſi demus, quod tamen falſiſſimum jam demonſtravimus, per proximum intelligi is qui erat ex eadem gente, ejuſdem religionis & fœderis, Iſraëlita nimir. inde ſequitur magiſtratui, vel ei, qui in Repub. Summæ rerum præeſt, non eſſe facultatem animadvertendi in reos & ſontes ex ſuo populo, vel eſſe jus belli gerendi adverſus proximum juſta de cauſa. Quippe & olim licebat ſtaote Repub. Hebræorum in Hebræos ſontes gladio animadvertere. Licebat undecim tribus Benjamitas proximos ſuos, etiam ſtricto illo ſenſu, ferro & armis perſequi & adverſus eos bellum ſuſcipere. Licebat Davidi regnum ſibi a Deo promiſſum armis ab Isboſetho repetere.

10. Sit ego nunc porrecta latius proximi ſignificatio ad homines quoſvis: omnes enim in communem gratiam ſunt recepti: nulli populi a Deo devoti: licebit tamen in omnes quod tunc in Iſraëlitas licuit, qui diligi æque tunc jubebantur, ut nunc quivis homines. Quod ſi etiam velis in Evangelica lege majorem dilectionis gradum imperari, concedatur & hoc, dum illud quoque conſtet, non omnes æqualiter diligendos, ſed magis patrem, quam extraneum. Sic etiam bonum innocentis bono nocentis, bonum commune privato antehabendum ordinatæ dilectionis lege. Ex dilectione autem innocentium nata ſunt & judicia capitalia & pia bella. Vide ſententiam moralem quæ exſtat Prov. XXIV, 11. Debent ergo Chriſti præcepta de ſingulis diligendis atque adjuvandis ita impleri, niſi major ac juſtior dilectio impediat. Notum eſt dictum vetus: *Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli.*

COMMENTARIUS.

EAdem proximi ſignificatio & in V. & in N. T. Quis enim proximi nomine denotari poteſt, quam qui ejuſdem origiois oobiſcum & ſanguinis, communis enim humani generis parens Adamus, cujus ex ſemine omnes gentes & nationes ortum ſuum derivare neceſſe habent, ideoque eadem ſanguinis jura æquali vinculo hominem devincunt homini ſeſe mutuo amore complecti. Fundatur itaque dilectio proximi in naturali cognatione & conſanguinitate, quæ ab uno eodemque omoibus hominibus naſcendi communi principio derivanda non latius extendi nec arctius reſtringi poteſt quam patet humana ſocietas, & cooſequenter perperam ſtatuit Author nunc ſcil. Chriſti adventu latius proximi ſigoificationem eſſe porrectam, quam olim in V. T. ita ut quemadmodum omnes in communem gratiam ſunt recepti, ſic etiam quoſvis homines cujuſque oatioois, Geotiles, extraneum & civem diligere tenemur æquali amore, ita ut nemo ſit cui non data occaſione & benevolentiæ & humanitatis officia præſtare debeamus. Conſtat enim *Luc.* 10, 29. jus propinquitatis non fundari in illa receptione in communnem gratiam, ſed in jure naturali & communi illa inter homines a natura conſtituta cognatione, quæ hominem obligat homini tanquam ſocio ſuo & ſanguinis vinculo ſibi juncto opitulari, prodeſſe, & in eum quæcunque humanitatis & benevolentiæ officia cooferre. Extrinſeca enim illa ſeu adventitia conditio, qua Judæi diſtinguebantur a Geotili & extraneo, non poterat immutare, ut jam diximus, ſanguinis jura, nec tollere ea officia quæ imperat recta ratio exhiberi propinquo, qua homo, inhæret enim hæc conditio ejus oſſibus, ideoque ab eo ſeparari nequit, nec mutari quacunque ratione. Itaque quemadmodum nobis communis cum omnibus hominibus recta ratio, ita etiam & naſcendi origo, quæ homines æquales efficit, & idcirco obligat, ut omnes homines præſtent illa officia tum benevolentiæ & amoris, tum etiam humanitatis, quæ ſibi invicem debent quia ejuſdem omnes conditionis & originis, id eſt qua homines. Et conſequenter Iſraëlitæ non minus diligere tenebantur extraneos, quam ejuſdem fœderis ac religionis participes cives, ſeu amicos & conſanguineos, quia quivis homo nobis proximus & in V. T. & in N. T. Errat quoqne Author dum in Evangelica lege majorem dilectionis gradum imperari ſtatuit, quem errorem ſupra refutavimus. Libenter tamen concedimus, dilectionem ſuos habere gradus, ita ut magis patrem amare debeam quam extraneum: eſt enim diligendi regula & ordo,

qui a ſe ipſo incipiens cæteros jubet diligere juxta menſuram conſanguinitatis, ita quo quis nobis arctiori ſanguinis vinculo junctus, eo magis diligendus & in collocandis beneficiis præferendus iis, qui a nobis remotiori gradu diſtant. *Omnes homines æque diligendi ſunt, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte junguntur.* Auguſt. *de doctr. Chriſt.* Huic autem charitatis legi minime repugnant ſupplicia capitalia & juſta bella, quæ ad tuendos innocentes, ne improborum ac facinoroſorum hominum pravis machinationibus ſeu flagitiis obruantur, ſuſcipiuntur. Pugnaret potius contra legem charitatis ſcelera impunita relinquendo Rempub. & bonorum ſalutem facinoroſorum & ſceleratorum inſidiis & flagitiis exponere. Qui proximum diligit tenetur quoque omni ratione omnibuſque mediis ejus ſalutem & ſecuritatem tueri adverſus omnem vim atque injuriam, puniendo ſontes, & coërcendo hoſtes atque latrones armis & ferro. Si enim liceat impune lædere, nullus erit tutus ab improborum violentia. Plut. *in Rom. apoph.* Ex dilectione innocentum derivanda videntur capitalia ſupplicia & pia bella, cum enim inquit Regum ſapientiſſimus *Proverb.* 24. 12. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* Quid aliud docet quam habendam de proximo curam, quem ut noſme ipſos diligere, ita etiam a periculis ſervare, ſi poſſimus, tenemur, charitatis lege, imo ut poſſimus annitendum, eum liberare a violentia & injuſtitia, a vi & injuria improborum, vix enim habendus pro ſocio qui hoſtilem ſuum erga ſocietatem humanam animum declarat, omnia jura divina & humana pervertens ſimul humanam naturam exuiſſe videtur, conſequentur omni amore ſeſe indignum reddit, & inhabilem efficit ad recipienda humanitatis & benevolentiæ officia.

11. Adde quod inimicos diligere jubemur Dei exemplo, qui malis Solem ſuum oriri facit. At idem Deus de quibuſdam malis & in hac vita pœnas ſumit, & olim ſumet graviſſimas. Quo argumento ſimul ſolvuntur ea que de lenitate Chriſtianis præcepta ad hanc rem adferri ſolent. Nam Deus lenis, miſericors, longanimis appellatur Jonæ IV, 2. Exod. XXXIV, 6. At ejuſdem in contumaces iram, hoc eſt puniendi voluntatem, paſſim deſcribunt ſacræ literæ, Num. XIV, 18. Rom. II, 8. Et hujus iræ miniſter conſtitutus eſt magiſtratus, Rom. XIII, 4. Moſes ab eximia lenitate prædicatur. At idem pœnas de ſontibus exegit, etiam capitales. Chriſti lenitatem & patientiam imitari paſſim jubemur. At Chriſtus eſt qui & Judæos inobedientes ſupplicis affecit graviſſimis, Matth. XXII, 7. & impios in die judicii pro meritis eſt damnaturus. Magiſtri lenitatem imitati ſunt Apoſtoli, qui tamen poteſtate ſibi divinitus data uſi ſunt ad pœnam facinoroſorum, 1 Cor. IV, 21. 1 Cor. V. 5. 1 Tim. 1, 20.

COMMENTARIUS.

DOcet Chriſtus *Math.* 5. legem charitatis a nobis efflagitare, ut non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligamus, (nam illud quod præcedit, *odio habebis inimicum tuum*, eſt additamentum Phariſaïcum, quippe in toto legis corpore non ſcriptum, ſed falſa traditio Scribarum, quibus viſum fuit hoc addendum eſſe) & benedicamus eis, qui devovent nos, ut oſtendamus filios eſſe patris noſtri qui eſt in cœlis: utpote qui faciat ſolem ſuum oriri non ſolum bonis, ſed etiam malis, & pluat ſuper juſtos & injuſtos, cujus exemplar ſequi debemus, ſi legi convenienter vitam inſtituere volumus. Quamvis qui hoſtili in nos ſunt animo, eos ſtatim dixerimus vix pro ſociis habendos, cum ſeſe inhabiles reddant ad recipienda humanitatis officia, id non eo ſenſu intelligendum, quaſi nulla plane humanitatis officia ipſis a nobis præſtanda, nulloque beneficio afficiendis. Verum ea exigi nequit tanquam ſibi debita, ut ſocio & proximo, qui a ſua parte jura conſanguinitatis & propinquitatis obſervans, idem a me ex mutua obligatione poſtulat, quaſi fas non eſſet ut injuriam a me arceam, & vim vi repellam. Verum quid ſi inimicus aliquando in neceſſitate conſtitutus opem noſtram implorat, vel poſteri ejus a nobis ſuccurri petant, an illos deſerere æquum? neutiquam. Oblata enim occaſione ulciſcendi inimicum, eum miſſum facere æquitatis eſt atque clementiæ. Imitemur Deum, qui ſolem ſuum etiam oriri facit ſuper malos. *Sceleratis etiam ſol exoritur*, inquit Seneca. Verum ejuſmodi iræ moderatio atque lenitas lege præcepta non tollit vel defenſionem ſui adverſus vim illatam, vel eripit

magi-

magiſtratibus facultatem puniendi ſontes & facinoroſos. Deus enim, qui lenis & miſericors eſt, ſimul eſt judex & vindex ſcelerum, atque in contumaces graviſſime ſæpe conſuluiſſe teſtantur paſſim ſacræ litteræ, imo ſe vindicaturum iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui ſeſe oderunt, minatur. Divinæ autem iræ miniſter conſtitutus legitimus magiſtratus, cui adde exempla ab Authore adducta.

12. Quartus locus qui objicitur eſt Rom. XII, 17. *Nemini malum pro* IV.
malo reddite: procurate honeſta in omnium conſpectu. Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viventes. Non voſmetipſos ulciſcentes, dilecti, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim; Meum eſt ulciſci: ego rependam, dicit Dominus. Itaque ſi eſurit inimicus tuus, ciba eum; ſi ſitit, da ei potum: hoc enim ſi feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus. Ne vincitor a malo, ſed vince bono malum. Sed hic quoque eadem quæ ad locum ſuperiorem patet reſponſio. Nam quo tempore dictum fuerat a Deo, Meum eſt ulciſci, ego rependam; eo ipſo tempore & judicia capitalia exercebantur, & de bellis ſcriptæ erant leges. Quin & beneficia inimicis (popularibus ſcilicet) exhiberi jubentur, Exod. XXXIII, 4, 5. Hæc tamen, ut diximus, neque pœnis capitalibus, neque bellis juſtis in ipſos etiam Iſraëlitas obſtabant. Quare ne nunc quidem verba eadem, aut præcepta ſimilia, quamvis latius patentia, in talem ſenſum rapienda ſunt: eoque minus quia capitum ſectiones non ab Apoſtolis ſunt, aut eorum ætate, ſed multo ſerius factæ ad dividendam lectionem & faciliorem locorum allegationem. Quare quod nunc XIII caput inchoat, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto*, & quæ ſequuntur, cum illis de ultione non expetenda præceptis cohæſit.

13. In hac autem diſſertatione dicit Paulus, poteſtates publicas Dei miniſtras eſſe, & vindices ad iram (id eſt ad pœnam) in maleficos: eo ipſo aperriſſime diſtinguens inter ultionem publici boni cauſa, quæ Dei vice exigitur & ad ultionem Deo reſervatam referenda eſt, & illam explendi doloris, quam paulo ante interdixerat. Nam ſi ultionem etiam illam, quæ boni publici cauſa exigitur, in illo interdicto comprehenſam velis, quid erat abſurdius, quam cum dixiſſet abſtinendum a pœnis capitalibus, deinde ſubjicere, in hoc poteſtates publicas a Deo conſtitutas, ut pœnas vice Dei exigant?

COMMENTARIUS.

SI nemini malum pro malo reddere, neque ſeſe ulciſci liceat, ſed quiſque obligatus eſt cum omnibus hominibus, & Græcis & Judæis; imo & idololatris, quia & nobis proximis pacem colere, ideoque dare locum iræ, & Deo vindictam relinquere, ergo prohibita omnis vis atque facultas jus ſuum armis perſequendi cuique Chriſtianam doctrinam profitenti: qui enim ſocietas coli & pax haberi poteſt ubi omne commercium & omnis conſuetudo inter homines armis & ferro interrumpitur, imo plane tollitur. Hoc modo ex dicto Pauli loco argumentantur qui omnem bellandi licentiam ſublatam volunt in N. T. Verum facilis eſt reſponſio, vindicta quidem hic prohibetur hominibus, ſcil. privatis, non item magiſtratui, qui vindex & miniſter eſt iræ divinæ, nec quæ ab Apoſtolo commendantur jus belli pii gerendi tollunt, exigente illud neceſſitate. Nam qui jubet ut pacem cum noſtri ſimillimis colamus, conditionem adjicit, *ſi fieri poteſt*; quo ſignificat non ſemper poſſibile eſſe, aut in nobis ſitum, propter hominum quorundam malitiam & ad quæcunque admittenda ſcelera pronam naturam pacem colere. Vult itaque Apoſtolus ut quæ noſtri ſunt officii præſtando pacem conſervemus, nemini, ne diſcordias & contentiones foveamus, demus anſam belli ſeu diſſidii, ſed contra omnia curemus, quantum in nobis eſt, quæ pacem promoveant.

veant. Si vero ea haberi nequit, utpote quando de pietate aut veritate agitur, vel etiam de ſalute & vita noſtra tuenda adverſus improborum hominum vim atque injuriam, non eſt præponenda concordia veritati neque propriæ ſaluti, verum ita inſtituenda defenſio utriuſque, ne implacabile concipiamus odium erga adverſarium, ſed facile cum eo redeamus in gratiam, ubi vel veritatem vel noſmetipſos oppugnando abſtinet. Patet etiam eo tempore quo dictum fuerat a Deo, *Meum eſt ulciſci, ego rependam*, judicia capitalia exercitata, bella geſta approbante Deo. Sic etiam inimicis, non tantum popularibus, ſed quibuſvis, benevolentiæ & humanitatis officia exhibere jubetur. Verum eo ne quidem privatis prohibetur juſtam defenſionem opponere in ſe impetum facientibus, licet & ipſe adverſarius ſit Iſraëlita, multo minus magiſtratui interdicitur gladii uſus in facinoroſos, vel belli gerendi jus ad tuendos innocentes & pacem publicam conſervandam, ut jam annotavimus. Sed modum tantum ponit lex inimicitiis, ne ſint admodum vehementes, ne afflicto inimico addamus afflictionem, ſed potius periculum ejus aut damnum arceamus & impediamus. Quod enim nobis fieri optamus vel optare deberemus, etiam proximo quamvis inimico obliti injuriæ qua nos affecit, faciendum. Quod autem lex moralis Iſraëlitis conceſſit, & nobis quoque Chriſtianam doctrinam ſequentibus licet, quia perpetua eſt atque immutabilis. Cui etiam accedit quod idem Apoſtolus initio *Capitis* 13. ſtabilire videtur vindictam publicam: quæ ſi prioribus verbis *cap. præcedentis* tolleretur, *neque abſurdius quicquam fingi poſſet quam id quod affingeretur Apoſtolo, qui poſtquam ex iſtorum ſenſu prohibuiſſet omnem vindictam, etiam publicam per capitales pœnas & bella immediate ſubjiceret, ad hoc ſupremas poteſtates eſſe inſtitutas, ut pœnas vice Dei exigerent*, ut inquit Rivet. *Prælect. in Decal.* Quod autem capitum diſtinctionem attinet, plurimi ſibi eam attribuunt, quorum nomina a quibuſdam recenſentur ſcriptoribus, novam vero eam eſſe & plane recentem cenſuit Heinſius, ſed quo tempore cœperit non ſatis conſtare alii non abſque ratione opinantur. Verum cum hæc controverſia nihil adfert momenti ad confirmanda quæ de ſenſu iſtius loci, quem Adverſarii adducunt, diſputavimus, aliis magis diligenter diſcutiendam relinquimus.

V. 14. Quintus quo nonnulli utuntur locus eſt II Cor. x, 3. *Quanquam in carne ambulantes, nequaquam carnis bella gerimus. Nam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed divinitus valida ad deſtructionem munitionum:* & quæ ſequuntur. Sed hic locus nihil ad rem facit. Oſtendunt enim tum præcedentia, tum quæ ſequuntur, carnis nomine a Paulo ibi intelligi imbecillam corporis conditionem, qualis in aſpectum veniebat, & cujus nomine contemnebatur. Huic opponit Paulus arma ſua, poteſtatem ſcilicet ſibi ut Apoſtolo datam ad coërcendos refractarios, quali uſus fuerat in Elymam, Corinthium inceſti reum, Hymenæum & Alexandrum. Hanc ergo poteſtatem negat eſſe carnalem, id eſt infirmam, imo contra validiſſimam eam eſſe aſſerit. Quid hoc ad jus capitalium ſuppliciorum, aut belli? Imo contra, quia Eccleſia eo tempore publicarum poteſtatum auxilio deſtituebatur, ideo ad ejus tutelam prodigioſam illam poteſtatam Deus excitaverat, quæ deficere ferme cœpit ex quo Imperatores Chriſtiani Eccleſiæ contigerunt, ſicut Manna defecit ubi in terras frugiferas populus Hebræorum pervenerat.

COMMENTARIUS.

HUic loco adjungi poteſt quod legimus *Epheſ. 6. 17. Aſſumite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Unde argumentantur Chriſtianos non oportere arma tractare. Apoſtolus enim ſermonem habet de poteſtate, & armis, quibus & ipſe & qui ſecum eodem munere fulgentes muniti contra Satanam, mundum, & carnem pugnare debebant: quia juſſi erant non externa vi, ſed ſolo verbi præconio, id eſt ſpiritualiter mundum debellare, & ad obedientiam Evangelii adigere, qui ab eo alieni erant, & Chriſti doctrinam oppugnabant. Aliqui etiam de extraordinaria Apoſtolica poteſtate, qua aliquando uſi ſunt Apoſtoli, accipiunt, in contumaces & ad impios coërcendos. Quemadmodum Petrus Ananiam & Saphiram morte, Paulus Elymam magum viſu orbavit. Quo autem ſenſu verba accipiuntur, neutrum ſequitur quod Adverſarii inferre volunt. Apoſtolorum & fidelium arma ſpiritualia quidem ſunt, verum inde non ſequitur magiſtratui non competere jus gladii & armorum corporalium. Quippe quemadmodum

modum vocatio Apoſtolorum & fidelium non tollit officium magiſtratus; ſic arma ſpiritualia quibus fideles pugnant, non tollunt temporalia ſeu corporalia, quibus magiſtratus utitur. Turretin. *Loc.* 11. *Quaſt.* 17. *Aliud eſt officium privatum fidelium, aliud publicum magiſtratus; fideles debent parati eſſe ad proprium ſanguinem fundendum potius quam alienum, quia ipſis jus gladii & belli non eſt conceſſum; ſed alia ratio eſt officii magiſtratus, quem cum Deus armaverit ad malorum vindictam & defenſionem Reipub. & Eccleſia, etiam bella gerere neceſſaria ipſi conceſſit.* Quæ tamen verba ſano ſenſu accipienda, ne poteſtatem in quibuſdam caſibus ſeſe propriis armis tuendi adverſus vim illatam tollant. Si verba ad extraordinariam poteſtatem referuntur, ſcil. ad cenſuram Eccleſiæ, quam ſæpe excipiebat corporalis pœna, minus ſequetur quod volunt. Si enim extraordinaria & miraculoſa poteſtate vindicandi quorundam Chriſtianæ doctrinæ oppugnatorum inobedientiam armati fuere Apoſtoli, eo magis affirmatur in Eccleſia, ſaltem inter Chriſtianos aliquam divinam vindictam fuiſſe neceſſariam, & etiam exercitam, ut conſtat ex exemplis ſtatim adductis. *Quæ tum miraculoſe fuit excitata, cum Eccleſia ſecularium poteſtatum auxilio deſtitueretur, deficere autem cœpit, ex quo Imperatores Chriſtiani curam Eccleſiæ ſuſceperunt.* Rivet. *dict. loc.*

15. Qui ſexto affertur locus, Eph. VI, 12. *Induite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus artes Diaboli; quia non eſt vobis lucta adverſus ſanguinem & carnem* (ſupple, *tantum*, more Hebræo) *ſed adverſus imperia*, & quæ ſequuntur: agit de pugna, quæ Chriſtianorum eſt qua ſunt Chriſtiani, non quam communem habere cum aliis hominibus certis eventibus poſſunt. VI.

COMMENTARIUS.

Nihil ſane ponderis habet argumentum ex adducto loco petitum: non prohibet enim Apoſtolus carnalibus armis uti adverſus homines carnales injuſte nos invadentes. Verum commendat & docet qualem armaturam inducre debemus adverſus artes Diaboli, quippe *non eſt nobis lucta*, inquit, *cum ſanguine & carne*, id eſt non eſt nobis pugnandum cum hominibus, quibus arma corporalia opponere, & quorum vim vi repellere & arcere a corpore, a vita, a capite poſſumus. Sed longe alia hic eſt debellandi ratio. Nam hoſtes ſunt, quos nulla humana virtus ſuſtinere queat. Imo ex hoc loco potius juſti belli gerendi licentiam ſtabiliri quam everti exiſtimamus, cum ex ipſa armaturæ diſtinctione liquet Apoſtolum in eam opinionem adductum, quod nobis adverſus homines uti armis corporalibus liceat, quemadmodum adverſus ſpirituale Diaboli bellum inducre debeamus armaturam Dei.

16. Jacobi locus, qui ſeptimo affertur, IV, 1. *Unde bella & pugnæ inter vos? nonne ex voluptatibus veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: invidetis & affectatis, nec poteſtis nanciſci: pugnatis & bella geritis, nec obtinetis, eo quod non petitis: petitis, & non accipitis, eo quod male petitis, ut in voluptates veſtras abſumatis:* nihil continet univerſale: tantum dicit bella & pugnas, quibus tum Hebræi diſperſi inter ſe miſere collidebantur, (cujus hiſtoriæ partem aliquam apud Joſephum videre eſt) ortum habuiſſe ex cauſis non probis: quod nunc etiam contingere ſcimus & dolemus. Senſum ab hoc Jacobi loco non alienum habet Tibulli illud: VII.

Ant. lib. XVIII. cap. 12. & ſeq.

Divitis hoc vitium eſt auri, nec bella fuere,
Faginus aſtabat cum ſcyphus ante dapes.

Et apud Strabonem non uno loco notatum videas, innocentiſſime agere eas gentes, quarum victus eſt ſimpliciſſimus. Non abeunt hinc iſta Lucani:

—— *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,

Et

Et quæſitorum terra pelagoque ciborum
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ:
Diſcite quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit ægros
Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus,
Non auro myrrhaque bibunt, ſed gurgite puro
Vita redit: ſatis eſt populis fluviuſque Cereſque.
Heu miſeri! qui bella gerunt.

Cui adjungi poteſt Plutarchi illud in Stoïcorum contradictionibus: οὐδεὶς γὰρ φύεται ἀνθρώποις πόλεμος ἄνευ κακίας. ἀλλὰ τὸν μὲν φιληδονία, τὸν δὲ πλεονεξία, τὸν δὲ φιλοδοξία τις ἢ φιλαρχία συῤῥήγνυσι. *Nullum inter homines bellum non ex vitio naſcitur: aliud ex voluptatum cupiditate, aliud ex avaritia, aliud ex honorum aut imperii nimio ſtudio conflatur.* Juſtinus cum Scytharum inſtituta laudaſſet: *Atque utinam reliquis mortalibus ſimilis moderatio & abſtinentia alieni foret: profecto non tantum bellorum per omnia ſæcula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum & arma quam naturalis fatorum conditio raperet.* Apud Ciceronem eſt de Finibus primo: *Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur.* Maximus Tyrius: νῦν μεστὰ πάντα πολέμων. αἱ γὰρ ἐπιθυμίαι πλανῶνται πανταχοῦ, περὶ πᾶσαν γῆν τὰς πλεονεξίας ἐπεγείρουσαι. *Nunc omnia bellis plena: Ubique enim oberrant cupiditates, & per omnes terras excitat appetitum rerum alienarum.* Jamblichus: καὶ γὰρ πολέμους καὶ στάσεις καὶ μάχας οὐδὲν ἄλλο παρέχει ἢ τὸ σῶμα καὶ αἱ τούτου ἐπιθυμίαι. διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν οἱ πόλεμοι γίγνονται. *Bella, pugnas, ſeditiones corpus præbet & corporis cupiditates. Nam rerum utibilium cauſſa bella oriuntur.*

COMMENTARIUS.

Oſtendit quidem Apoſtolus bellorum originem ex pravis animi motibus, ex illicitis voluptatibus & cupiditatibus derivandam, quas vitandas docet Chriſtianos. Qui enim ſocium injuriam afficiendo ad bellum provocat, eum peccatum admittere neceſſe eſt. Verum qui ex juſta cauſa bellum ſuſcipit, ut ſeſe tueatur adverſus vim illatam, vel imminentem, vel ſua injuſte ablata repetat vi & armis, ſi nulla alia recuperandi ea eſt occaſio, in re licita verſatur. Offenſionem quidem ex cauſis non probis originem habere vult Apoſtolus, verum inde non ſequitur nobis propriam defenſionem, neque etiam magiſtratui bellum ſuſcipere illicitum non ſolum ad propulſandam, ſed etiam vindicandam injuriam, & recuperandas injuſte civium poſſeſſiones vi occupatas. Sæpius cauſas illas, quas Apoſtolus enumerat, bella, diſſidia atque contentiones excitaſſe, non ſolum veterum monumenta, ſed rerum uſus teſtatur, quam multa & olim & hac etiam tempeſtate, in quam noſtra incidit ætas, bella geſta, quibus ſceleratus amor habendi, & alieni concupiſcentia, ac auri argentique cupido cauſam præbuit. Ea in cauſa fuit quod itum ſit in viſcera terræ, ut effoderentur opes irritamenta malorum:

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum quod pugnat utroque;
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Ut canit. Poëta. 1. *Metam.* Quamobrem Seneca 7. *lib. Benef. cap.* 10. *Ferrum ex iiſdem tenebris prolatum, quibus argentum & aurum: ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium.* Sic quoque divitiis ſollicitati Romani Cyprum, inſulam divitiis abundantem, quamvis a Socio Ptolomæo regeretur, invaderunt ſine ulla juſta cauſa, ut tradit Flor. *lib.* 3. *cap.* 9. *Sed divitiarum*, inquit, *tanta erat fama, nec falſo, ut victor gentium populus, & donare regna conſuetus, Publio Clodio Tribuno duce, ſocii vivique regis confiſcationem mandaverit.* Hinc Lucanus:

Uſque adeo ſolus ferrum mortemque timere
Auri neſcit amor? pereunt diſcrimine nullo
Amiſſa leges, & pars viliſſima rerum
Certamen moviſtis opes.

Et Lucretius:

- - - Nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

Hinc quoque Juvenal. *Sat.* 14.

Inde fere ſcelerum cauſa, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Immodici cenſus.

Et

Et Plinius ait: *Opulentiæ exitus, ad ſcelera, cædes & bella tendere.*
Hinc Euripides in *Pliſthene*:
Πολλῶν τὰ χρήματ' αἴτι' ἀνθρώποις κακῶν.
Multorum malorum cauſa hominibus opes.
Utuntur cupiditate ad congregandas opes. Hinc fraudes, latrocinia, hinc omnia ſcelerum genera orta ſunt. *Lactant. Divin. Inſt. lib. 6.*

17. Quod vero Petro dictum eſt, *Qui gladio ferit, gladio peribit*, cum VIII.
non ad bellum communiter ſpectatum, ſed ad bellum privatum proprie pertineat, nam & Chriſtus ipſe inhibitæ aut neglectæ defenſionis hanc reddit cauſam, quod regnum ſuum de hoc mundo non eſſet, Joan. XIII, 36.) ſuo loco rectius pertractabitur.

COMMENTARIUS.

HOc Petri dictum examinandi nobis etit occaſio, ubi de bello privato diſputandum erit. Notandum tamen, quamvis Chriſtus ſe corporalibus armis tueri voluerit, quia regnum ipſius de hoc mundo non erat, ex eo inferri nequit injuſtum eſſe ſui defenſionem ſuſcipere, armis & ferro a ſe depellendo vim & injuriam; nam ipſe ait *Joan.* 18. 36. *Si meum regnum eſſet de hoc mundo, miniſtri mei pro me certarent*; argumentum non improbaſſe Petri factum tanquam illegitimum per ſe, ſed quia intempeſtivum, quia regnum ſuum non erat de hoc mundo, ideoque tali defenſione, quæ adhiberi ſolet ab iis qui ſocietati civili præſunt, ſe uti nolle.

IX. 1. Quoties de ſcripti ſenſu quæritur, magnam vim habere ſolet tum uſus ſequens, tum prudentum auctoritas: quod etiam in divinis ſcriptis ſequendum eſt. Neque enim probabile eſt Eccleſias, quæ ab Apoſtolis conſtitutæ ſunt, aut ſubito, aut omnes defeciſſe ab iis quæ Apoſtoli breviter perſcripta ore liberalius explicaverant, aut etiam in uſum introduxerant. Solent autem ab iis qui bella impugnant adferri dicta quædam veterum Chriſtianorum: ad quæ tria dicenda habeo.

COMMENTARIUS.

QUamvis uſus ſequens & prudentum authoritas in divinis interpretandis litteris non omnino ſit rejicienda, attamen cavendum ne plus authoritatis ipſis attribuamus quam par eſt, fuerunt omnes enim homines erroribus obnoxii & fallibiles, quorum cognitio imperfecta fuit, & qui ſæpe partium ſtudio a vero deflectere potuerunt. Et conſequenter fides, quæ nititur Patrum conſenſu alicujus Scripturæ loci interpretationem approbantium, non infallibilis, ſed veroſimilis, tantum atque probabilis cenſeri debet. Hinc Hieronym. *Epiſt. 62. ad Theop. Alexand. Scio me aliter habere Apoſtolos, aliter reliquos tractatores, illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam ut homines errare.* Argumenta itaque, quæ nonnulli, qui bellum impugnant, petere ſolent ex veterum Chriſtianorum dictis, ejuſdem apud nos ponderis ſunt cujus eorum teſtimonia in approbanda interpretatione Scripturæ, ſcil. quatenus cum illa conſentiunt, eatenus illis credimus, & pro actionum noſtrarum normam atque regulam habemus.

2. Primum eſt, ex iis dictis nihil amplius colligi quam privatam I.
quorundam ſententiam, non publicam Eccleſiarum: adde quod ferme quorum ea dicta ſunt, amant ab aliis ſeorſim ire & docere quiddam magnificentius; quales ſunt Origenes & Tertullianus, qui nec ſibi ſatis conſtant. Nam idem Origenes apes ait a Deo documentum datas πρὸς τὸ δικαίως ϗ τεταγμένως πολέμους, εἴποτε δέοι, γίγνεσθαι ἐν ἀνθρώποις: *Ut bella juſta atque ordinata inter homines generantur, ſi quando id jubeat neceſſitas.* Et idem ille Tertullianus, qui alibi ſupplicia capitalia minus probare videtur, dixit, *Bonum eſſe cum puniuntur nocentes nemo negat.* Et de militia hæſitat: nam libro de Idololatria, *Quæritur*, inquit, *an fideles ad militiam converti*

poſſint, *& an militia ad fidem admitti.* Et videtur eo loco propendere in eam ſententiam, quæ militiæ adverſatur. At libro de corona militis, cum quædam adverſus militiam diſputaſſet, mox diſtinguit qui ante baptiſmum militabant ab iis qui poſt baptiſmum nomen dant militiæ. *Plane*, inquit, *ſi quos militia præventos fides poſterior invenit*, *alia conditio eſt*, *ut illorum quos Joannes admittebat ad lavacrum*; *ut centurionum fideliſſimorum*, *quem Chriſtus probat*, *& quem Petrus catechizat*: *dum tamen ſuſcepta fide atque ſignata*, *aut deſerendum ſtatim ſit*, *ut multis actum*, *aut omnibus modis cavillandum* (id eſt cavendum) *nequid adverſus Deum committatur.* Senſit ergo illos poſt baptiſmum in militia permanſiſſe; quod ſane minime facturi fuerant ſi intellexiſſent militiam a Chriſto interdictam; non magis quam aruſpices, magi, & alii vetitarum artium profeſſores in ſua arte poſt baptiſmum manere permiſſi ſunt. Eodem libro militem quendam & quidem Chriſtianum laudans; *O militem*, inquit, *in Deo glorioſum.*

COMMENTARIUS.

PArum ſolliciti ſumus quid Tertullianus vel Origenes tradiderint de bellandi licentia, certiores jam ex iis quæ ſup. diſputavimus facti ſacram Scripturam non repugnare bello, ſed potius ei favere. Cui accedit quod quam plurimi ſcriptores ambos hæreſi addictos fuiſſe teſtantur. Quod vero attinet Tertullianum, quanquam ad Montaniſtarum prolapſus diſciplinam fuerit, tamen præter aſperiorem vivendi regulam alias fæces Montaniſticas nunquam imbibiſſe teſtantur nonnulli ſcriptores. Placet hic deſcribere quæ tradit ſummus Theologus vir reverendus *Guil. Cave Hiſt. Litter. Script. Eccleſiaſt. Circa mediam ætatem, teſte Hieronymo ætatem intellige non tam vitæ naturalis, quam Chriſtianæ, (i. e.) circa hujus ſeculi, ſcil. ab V. C.) exitum, anno, uti non male conjici poteſt*, CXCIX *ad Montani dogma prolabitur, invidia & contumeliis Romanæ Clericorum Eccleſiæ provocatus. De quo, ſalvis aliorum judiciis liceat mihi conjecturam meam, quam olim in Tertulliani vita, anno* 1675. *ſcripta, num.* 9. *propoſui, hoc loco paucis exponere. Scilicet, Clericos Romanos duriori ingenio & nimia morum Tertullianorum aſperitate offenſos, eum veluti Montaniſtarum gregalem atque vindicem accuſaſſe, placitaque Montaniſtica damnare renitentem a communione abſcidiſſe. Quibus ille commotus vir ingentis ac fervidioris animi, ac injuriarum haud bene patientis, ſpecioſis adhuc Montaniſtarum jejuniis & vigiliis, ceteraque rigidioris vitæ diſciplina captus, illorum cœtui ſe junxit. Neque enim crediderim Tertullianum, magni judicii, ingenii, gravitatis, & ſinceræ probitatis virum, fæces Montaniſticas imbibiſſe unquam, ſed ſolummodo Montanum, tanquam novum quendam Prophetam ac Paracletum agnoviſſe, miraculoſis Spiritus ſancti donis inſtructum, & in mundum a Deo miſſum, ut lapſos Chriſtianorum mores fortius corrigeret, doctrinamque Evangelicam a Chriſto Domino olim traditam, & ſub involucris quibuſdam adhuc latentem plenius, & luculentius edoceret.* De Origene teſtatur vir clariſſimus eum a toto pene Antiquorum ſenatu graviſſimis erroribus damnari, quorum veſtigia ſatis nota in ipſiusoperibus hodie comparent. Et Beza *in epiſt.* 28. *Eſt certe hic ſcriptor adeo omnibus modis impurus, ſive ita ipſe ſcripſit, ſive depravata poſtea fuerant ejus ſcripta, ut nullam in Eccleſia authoritatem in rebus controverſis mereatur.* Quod autem ait Author *docere hoſce Patres aliquid magnificentius*, dum bello abſtinendum ſuadeant Chriſtianis, redolet Pontificiorum doctrinam, quia conſilia iterum a præceptis diſtinguit, quorum errorem ſupra *ad Proleg.* annotavimus ac refutavimus.

11. 3. Secunda obſervatio eſt, quod militiam Chriſtiani ſæpe aut evitarunt ob temporum circumſtantias, quæ vix ferebant militiam exerceri ſine actibus quibuſdam cum Chriſtiana lege pugnantibus. In literis Dolabellæ ad Epheſios, quæ apud Joſephum exſtant, videmus Judæos ab expeditionibus militaribus immunitatem poſtulaſſe, quod externis permixti non ſatis ritus legis ſuæ obſervare poſſent, & quia ſabbatis ferre arma & magna itinera facere cogerentur. Atque eaſdem ob cauſas a L. Lentulo miſſionem Judæos impetraſſe docet idem Joſephus:

phus: alibique narrat, cum Judæi Roma urbe juſſi eſſent excedere, quoſdam militiæ adſcriptos, alios punitos quod militare nollent patriarum legum reverentia; ob eas ſcilicet quas diximus cauſas: quibus accedebat interdum tertia, quod adverſus populares ſuos pugnandum haberent: at κατὰ τῶν ὁμοφύλων ὅπλα λαβεῖν ἀθέμιτον, *nefas in populares ſuos arma ſumere*, tunc ſcilicet cum populares ob patriæ legis obſervationem periclitabantur. Quoties vero hæc incommoda cavere poterant Judæi, militabant etiam ſub externis regibus, ſed ἐμμένοντες τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ τούτοις ζῶντες, *perſtantes in patriis inſtitutis & ex eorum præſcripto viventes*: quod paciſci prius ſolebant, eodem Joſepho auctore. His periculis ſimillima ſunt quæ Tertullianus militiæ ſuorum temporum objicit, ut libro de Idololatria: *Non convenit ſacramento divino & humano, ſigno Chriſti & ſigno diaboli*: quia ſcilicet per Deos Gentium, Jovem, Martem, atque alios, jurare milites jubebantur. Libro autem de Corona militis: *Excubabit pro templis quibus renuntiavit, & cœnabit illic ubi Apoſtolo non placet: & quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit?* Mox: *Quanta alia in delictis circumſpici poſſunt caſtrenſium munium, tranſgreſſioni interpretanda?*

COMMENTARIUS.

DEo magis obtemperandum quam hominibus, quando ab humano imperio nobis aliquid imperatur, vel faciendum imponitur, quod divinis legibus repugnans conſcientiam noſtram læderet, recta evincit ratio. Non mirum itaque quod evitarint Chriſtiani ſæpe militiam ſub Imperatoribus a veri Dei notitia alienis, non eo animo quaſi ipſis non licitum obtemperare imperio Principis nondum ad veram fidem converſi, vel militiæ dando nomen ſeſe adſtringere ad præſtandam ejuſmodi obedientiam, qualem exhibere Imperatori ſuo miles tenetur. Sed ob temporum circumſtantias, & quia quædam præſtanda ipſis incumbebant, cum Chriſtiana doctrina ſive potius divina voluntate pugnantia. Quorum in numero erat ſacramentum militare, cujus præſtatio etiamſi eſt res per ſe licita, imo etiam neceſſaria, illicita tamen erat quoad præſtandi modum & ritum, qui Chriſtianæ fidei doctrinæ atque legibus divinis repugnabat, quia non invocabatur nomen veri Numinis, in cujus nomen ſolum jurandum, ſed falſorum Deorum, Jovis, Martis, vel etiam nomen alicujus creaturæ, ut Principis, vel Cæſaris vel Senatus. *Jehova Deum timeto, & ipſum colito, ac per nomen ejus jurato* *Deut.* 6. 13. & 10. 20. Non jurare itaque licebat Chriſtianis, neque etiam Judæis per eos qui Dii non erant *Jerem.* 5. 7. Apud Romanos enim ex legibus & diſciplina militari obtinuit, ut qui militiæ nomen dare vellet, præſtare obligatus erat ſacramentum. Hinc militiæ ſacrati dicuntur milites, quia jurare ſoliti. Unde Imp. Maximus milites ſuos alloquens apud Julium Capitolinum: *Sacrati commilitones, imo etiam mei conſecranei.* Hoc ſacramentum militare tam neceſſarium Romani exiſtimarunt, ut cum hoſte congredi neque in prælium deſcendere liceret niſi qui eo obligatus eſſet, imo cædis habebatur reus, ſi quis eo non præſtito hoſtem interfeciſſet teſte Plutar. *in Problem.* Quamobrem hac de re ſollicitus Cato ſcripſit ad Poppilium Imperatorem, quem unam legionem dimiſiſſe, & cum ea quoque filium ſuum intellexerat, *ut, ſi eum pateretur remanere in exercitu, ſecundo eum obligaret militia ſacramento: quia, priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. Ejuſdem Marci Catonis ſenis eſt epiſtola ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe a conſule, cum in Macedonia bello Perſico miles eſſet, in qua monet, ut caveat, ne prælium ineat, negat enim jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte.* Annotat vir doctiſſimus G. Stewechius in ſuis in *Vegetium* commentariis ad *lib.* 2. *c.* 5. *Jusjurandum apud antiquos hoc modo præſtari ſolitum; ſcriptis militibus, Tribuni ſuos quiſque in ſuas legiones vocantes, unum ex omnibus maxime idoneum lectum jurejurando obſtringebant, ſe quoad poſſet mandata ducum exſecuturum. Inde reliqui omnes procedentes ſinguli, ſe omnia facturos in verba primi jurabant. Quo facto, indicto militibus ad conveniendum loco, eos dimittebant.* Formula juramenti videre eſt apud *Gell. lib.* 16. *cap.* 4. Et Livium, quam ex illis Authoribus ſtatim laudatis Commentator nobis deſcriptam exhibet, ſimulque notat aliam formulam præſtandi juramenti obtinuiſſe ſub Principibus & Imperatoribus, diverſam ab illa de qua Livius *bello Punico ſecundo* ſermonem habet. Quoniam & nomen Principis juramento inſerere, & per majeſtatem Imperatoris jurare mos erat. Tacit. *lib.* 4. *Hiſtor.* de vete-

ranis in jurisjurandi præſtatione cunctantibus: *Et cum cætera jurisjurandi verba conciperent, Veſpaſiani nomen hæſitantes aut levi murmure, & plerumque ſilentio tranſmittebant.* Vide & Polyb. *de Caſtramet.* & doctas in eum notas. Ubi omnia quæ ad hanc materiam pertinent late & diligenter tractantur.

III. 4. Tertium quod notamus hoc eſt, Chriſtianos primorum temporum tanto ardore ſuccenſos fuiſſe ad præclariſſima quæque capeſſenda, ut ſæpe conſilia divina pro præceptis amplecterentur. Chriſtiani, inquit Athenagoras, οὐ δικάζονται τοῖς ἁρπάζουσι, *adverſus ſua rapientes judicio non contendunt.* Salvianus juſſum a Chriſto ait, ut ea ipſa de quibus lis eſt relinquamus, dummodo litibus exuamur. Atqui id ita generaliter ſumtum, conſilii forte eſt & vitæ ſublimioris, at non in præcepto poſitum. Simile eſt quod plurimi Veterum omne juramentum improbant, nulla exceptione addita, cum tamen Paulus in re gravi juraverit. Chriſtianus apud Tatianum, στρατηγίαν παρῄτημαι, *præturam recuſo*:
Lib. v. *c.* 18. apud Tertullianum, *Chriſtianus nec ædilitatem affectat.* Sic Lactantius juſtum (qualem vult eſſe Chriſtianum) negat belligeraturum; ſed ita ut ſimul navigaturum neget. A ſecundis nuptiis quam multi Veterum Chriſtianos dehortantur? Quæ omnia ſicut laudabilia, eximia, Deo apprime grata ſunt, ita nullius legis neceſſitate a nobis exiguntur. Atque hæc ſolvendis quæ objiciuntur ſufficient.

COMMENTARIUS.

CUm lex moralis ſit ſummæ perfectionis & rectitudinis regula, ſeqnitur nihil per modum conſilii nobis a Chriſto poſſe tanquam vitæ ſublimioris & exactioris inſtituendæ ac agendæ regulam præſcribi, quod legis moralis præcepta non exigunt. Valet lex hominem reddere perfectum, ſi eam implendi quoad omnia præcepta ipſi eſſet facultas, quippe cum ea ſit verus perfectiſſimæ ſanctitatis divinæ typus, nihil ei addi poteſt quo perfectior redderetur, atqui a nobis requirit Chriſtus, ut ſancti eſſemus ſicut Pater noſter in Cœlis, qui eſt ſummus ad quem perveniri poteſt ſanctitatis gradus, ergo ultra noſtrarum actionum cum lege morali ſive imagine divina convenientiam nihil nobis quid magis perfectum per modum conſilii præſcribi poteſt, quod ſequentes nos redderet perfectiores, quam legi obtemperantes: ut volunt Pontificii & cum iis Author ſtatuit. Cui etiam addi poteſt quod exempla ab Authore allegata potius ad præceptum quam conſilium referenda videntur, non quidem abſolute, ſed certo caſu. Sic adverſus ſua rapientes non contendere judicio, ſi divina majeſtas & gloria litibus noſtris læderetur, & aliqua ratione vileſceret, tenemur, & nunquam jurare præſtat, imo obligati ſumus lege morali & naturali, quam jurare per idola, quamobrem veteres Chriſtiani ſub infideli Principe vitam agentes potius omnibus juramentis abſtinere voluere, quam ut adigerentur jurare per eos qui Dii non ſunt. Imo nonnunquam jus jurandum præſtitiſſe ex Scriptoribus conſtat, quando ipſis non per nomen vel genium Principis, ſed per Deum & Spiritum Sanctum jurare licitum, nec etiam per ſalutem Principis jurare recuſarunt, ut tradit Tertull. *in Apolog. c.* 32. Vid. & Veget. *de re militari l.* 2. *c.* 5. Quanquam laudabile eſſet homines eo perfectionis perveniſſe, ut nullo judicis ad lites dirimendas officio, nec jurejurando ad veritatem inveſtigandam opus eſſet, culpari tamen non debet, neceſſitate humana utrumque exigente, bonorum quæ nobis jure acquiſivimus & poſteris debemus, ad vitam honeſte tranſigendam neceſſariorum defenſio, vel ablata repetere ſive judicio, ubi ejus copia eſt, ſive propriis viribus in ſtatu naturæ, nec juramentum præſtare velle, ubi legitimo modo nobis a judice defertur: priori caſu rem familiarem deſerens infideli deterior eſt, poſteriori ordinem judiciorum invertere volens, non obtemperando judicis decreto, publicæ tranquillitatis perturbator, & ſummi imperii violator, cujus nomine exercentur judicia, habendus. Minus adhuc laudabile conſilium, quod ſecundis nuptiis abſtinendum ſuadet, quæ quamvis multa ſæpe pariant incommoda, melius tamen eſt ea perferre ſi uxorem ducendi aliquem urget neceſſitas, quam continuo impuro uri amore, *melius enim eſt contrahere matrimonium quam uri*, ait Apoſtol. 1 *Corinth.* 7. 9. imo eo caſu præceptum, quia matrimonium inſtitutum eſt, ne ardore libidinis flagrantes vago coïtu belluarum inſtar naturæ ſtimulis ſatisfacere ſtudeamus.

X. 1. Nunc

X. 1. Nunc ut noſtra firmemus, primum non deſunt nobis ſcriptores & quidem antiquiores, qui & capitalia ſupplicia, & quæ inde pendent bella, ſentiant a Chriſtianis licite poſſe uſurpari. Nam Clemens Alexandrinus Chriſtianum ait, ſi ad imperium vocetur, ut Moſes, futurum vivam ſubditis legem, & præmio affecturum bonos, pœnis malos. Et alibi habitum Chriſtiani deſcribens, decere eum ait intectis eſſe pedibus, niſi forte militet. In conſtitutionibus quæ Clementis Romani nomen præferunt, libro VII, c. III, legimus: οὐχ ὡς παντὸς φόνου φαύλου τυγχάνοντος, ἀλλὰ μόνου τοῦ ἀθώου. τοῦ ἐνδίκου ἄρχουσι μόνοις ἀφωρισμένου: *non quaſi omnis cædes illicita ſit, ſed ea quæ eſt innocentis: ita tamen, ut quæ juſta eſt, magiſtratibus ſolis ſit reſervata.*

COMMENTARIUS.

Vid. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *ar.* 8. Et Aug. *de civ. Dei lib.* 1. *cap.* 21. Qui & *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 74. ſcribit *Manichæos omnia omnino verba damnaſſe, adeoque improbabant bella geſta per Moſen, ſed nimirum Scripturis veteris Teſtamenti non credebant impii Manichæi. Veterus Teſtamentum non eſſe a bono Deo, impie aſſerebant, ubi conſtat, Deo authore bella geſta ſæpius.* Et Ambroſius *lib.* 1. *off. cap.* 27. *Fortitudinem, qua vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus ſocios, plenam juſtitiam.*

2. Sed auctoritatibus privatis ſepoſitis ad publicam Eccleſiæ veniamus, quæ maximi debet eſſe ponderis. Dico igitur, nunquam a baptiſmo rejectos aut ab Eccleſia excommunicatos eos qui militabant; quod tamen & factum oportuit, & factum fuiſſet ſi militia cum novi fœderis conditionibus pugnaſſet. In dictis modo conſtitutionibus lib. VIII, c. XXXII. agit ſcriptor ille de iis qui antiquitus ad baptiſmum admitti, aut ab eo rejici ſolerent, στρατιώτης προσιὼν διδασκέσθω μὴ ἀδικεῖν, μὴ συκοφαντεῖν. ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς διδομένοις ὀψωνίοις. πειθόμενος προσδεχέσθω: *Miles baptiſmum poſtulans doceatur ab injuriis & vexationibus abſtinere: contentus eſſe ſuis ſtipendiis. Si his pareat, admittitor.* Tertullianus in Apologetico ex perſona loquens Chriſtianorum; *Navigamus*, inquit, *& nos vobiſcum, & militamus.* Paulo ante Cap.
dixerat: *Externi ſumus & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella,* XLII. C.XXXVII.
municipia, conciliabula, caſtra ipſa. Eodem libro narraverat M. Aurelio Imperatori Chriſtianorum militum precationibus imbrem impetratum. In corona militem illum qui coronam abjecerat, conſtantiorem ait fuiſſe cæteris fratribus, & multos ei oſtendit fuiſſe Chriſtianos commilitones.

COMMENTARIUS.

ORigenes *Philocal. cap.* 22. hunc Clementem, cujus conſtitutiones perperam ab Authore adducuntur ad publicam Eccleſiæ authoritatem affirmandam, dicit Petri Apoſtoli fuiſſe diſcipulum, cumque Apoſtolorum principi ſuo magiſtro ſucceſſiſſe refert quidam Eucherius Lugdunenſis *lib. de contemptu mundi*, cujus verba nobis refert Boxhorn. *Hiſt. univerſ. ſacr. & prof.* quæ ita ſe habent: *Clemens, vetuſta proſapia Senatorum, atque etiam ex ſtirpe Cæſarum, omni ſcientia refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc juſtorum viam tranſiit: itaque etiam in iis excellenter effloruit, ut principi Apoſtolorum ſucceſſor extiterit.* Verum variæ ſunt de tempore quo ad Romanam ſedem pervenerit eruditorum ſententiæ. Albertus Stadenſis ab eodem Authore allegatus in *Chronico* ita ſcribit: *Clemens, quamvis a Beato Petro eſſet electus, tamen coegit Linum & Cletum ante ſe pontificari; & ita eſt primus poſt Petrum, tertius vero per gradum.* Cui paulo poſt addit: *Sed omnes periti temporum hos magis æſtimant imitandos, qui Linum & Cletum di-*

cuntur fuiſſe ſub Petro, & hos ſub Petro Coëpiſcopos extitiſſe; Clementem vero tradente Petro jure legitimo ſucceſſiſſe, & ideo ipſum Primum Papam *merito appellatum.* Baronius *Annal.* eum Cleto ſucceſſiſſe autumat Euſebii authoritate nitens. Ita enim ſcribit, *Anno Redemptoris noſtri centeſimo ſecundo, adſcribitur faſtis Tertius Trajani conſulatus, in quo habuit Collegam Frontonem & ipſum tertio conſulem* &c. & paulo poſt. *Quo anno nono Kalend. Decembris ſanctus Clemens Romanus Pontifex in Cherſoneſo, quo fuerat relegatus, martyrio coronatur, cum ſediſſet annis novem, menſibus ſex, & diebus totidem, numerantis ab ultimo die vacationis ſedis Cleti. Quod autem ad tempus ſpectat, non tantum citatus ſæpius liber de Romanis Pontificibus, ſed & Euſebius atque Hieronymus æque affirmant obiiſſe diem tertio anno Trajani.* Verum aliter Henr. Spond. *Critic. Hiſt. Chronog. in Annal. Baron.* anno *J.C.* 100. ſecundum *Baron.* 102. *Trajan. Imp.* 3. Sequens Chronicon Damaſis, ſtatuit Clementem anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo S. Lino ſucceſſiſſe & Eccleſiam gubernaſſe uſque ad annum ſeptuageſimum ſeptimum, quo abdicavit Pontificatum, ut colligitur ex Epiphanio *hæreſi* 27. Clementi ſucceſſit Cletus. Cletum excepit Anacletus. Verum placet hic deſcribere quæ habet vir ampliſſ. Guliel, Cave *Script. Eccleſiaſt. Hiſt. Forte,* inquit, *me Tertulliani præcipue & Euſebii authoritate ductum in ea olim fuiſſe ſententia, Clementem a S. Petro ordinatum, in partem muneris Epiſcopalis admiſſum eſſe, nimirum ut Eccleſia Judæorum Romæ habitantium præſideret, donec, mortuo Lino, quem Eccleſia Gentilium Epiſcopum D. Paulus ibidem conſtituerat, & qui illum ſequebatur, Cleto, Eccleſiâ Romanâ tam Judæorum quam Gentilium inter jam conjunctâ, Clementem ann. 91. in totius Eccleſiæ curam ſucceſſiſſe, tandemque teſte Euſebio ann. Trajani 3. Chr. C. deceſſiſſe, qua de re alibi prolixe diſputavimus, ſcil. Vit. P. P. tum. in vit. Clem. n. 4. Re vero jam melius perpenſa, Cl. Dodwello potius aſſentior, Lino ſcil. & Anacleto brevi admodum tempore ſublatis, Clementem ab ann. 64. vel 65. in ſede Romana ſucceſſiſſe; eamque ad ann. 81. vel ut habet calculus Pearſonianus 83. tenuiſſe. Euſebius quidem, ut ſupra notavimus, cum annum Trajani 3. Chr. C. ob perſecutionem hoc tempore excitatam inſignem reddere voluit, in hunc etiam annum Clementis mortem conjecit.* Vid. quoque quæ habet vir doctiſſimus de ejuſdem martyrio, quo nonnulli ipſum Cherſoneſum Ponticam relegatum, falſo coronatum ajunt. Quod vero ejuſdem conſtitutiones attinet, quas hic allegat Author noſter tanquam fundamentum & baſis qua nititur publica Eccleſiæ authoritas, harum Clementem authorem non eſſe quamplurimi non abſque ratione aſſerunt. Quamobrem & Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cum de Scriptis Clementis agit, unam tantum illius ad Corinthios Epiſtolam recenſet *lib.* 3. *cap.* 15. *Hujus Clementis,* inquit, *extat Epiſtola ab omnibus uno conſenſu recepta: eximia prorſus atque mirabilis, quam nomine eccleſia Romanæ ad Corinthiorum eccleſiam ſcripſit, cum apud eos gravis eſſet exorta diſſenſio.* Extant & plura opera ejus ſuppoſititia, quorum in numero *Recognitionum libri* 10. *Homiliæ Clementinæ* 19. vid. Baronii *Annal.* & *Criticam in eas Hiſtor. Chronog. Spond.* Et clariſſ. G. Cave *dict. loc.* Quod vero ſtatuit Author nunquam a baptiſmo rejectos vel ab eccleſia excommunicatos qui militiæ dederant nomen, & nos verum putamus, cum nec Patres nec ullus rerum eccleſiaſticarum Scriptor contrarium teſtetur; ſi autem doctrinæ Evangelii repugnat militia, dubitari nequit quin ab eccleſia excommunicati fuiſſent rei illicitæ Chriſtianam religionem profitentes operam dantes.

3. Accedat, quod & milites nonnulli, pro Chriſto tormenta mortemque perpeſſi eundem cum cæteris martyribus honorem ab Eccleſia acceperunt, quos inter memorantur tres Pauli comites; ſub Decio Cerialis, ſub Valeriano Marinus, quinquaginta ſub Aureliano, Victor, Maurus, & Valentinus magiſter militum ſub Maximiano, circa idem tempus Marcellus Centurio, Severianus ſub Licinio. Cyprianus de Laurentio & Ignatio Afris: *in caſtris & ipſi quondam ſæcularibus militantes, ſed vere & ſpirituales Dei milites, dum diabolum Chriſti confeſſione proſternunt, palmas Domini & coronas illuſtres paſſione meruerunt.* Et hinc apparet quid de militia ſenſerit communitas Chriſtianorum, etiam priuſquam Imperatores Chriſtiani eſſent.

COMMENTARIUS.

MAgnam Decium Eccleſiæ perſecutionem intuliſſe teſtatur Euſebius, quamobrem execrabile animal eum appellat Lactantius de *mortibus perſecut.* qui adeo vexabat Eccleſiam, ut ſævitia in Chriſtianos vix ullus Imperatorum Romanorum ipſi ſecundus excepto Nerone. Quamobrem Prudentius *contra Symm.* Neronianæ perſecutioni ſubjungere videtur voluiſſe Decia-

nam,

nam, ut annotavit vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus GYSB. CUPER, ſummum Reipub. literariæ decus & ornamentum, in notis ſuis *in Lactant. cap.* 4. Ita canit Poëta:

Illius instinctu primus Nero matre perempta
Sanguinem Apoſtoli eum bibit, ac me ſtrage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi ſævus inuſſit.
Poſt hunc & Decius jugulis bacchatus apertis
Inſanam pavit rabiem: mox & ſitis arſit
Multorum ſimilis - - - -

De Valeriano tradit Euſebius tanquam aliquid admiratione dignum, illum ante perſecutionem fuiſſe manſuetum & benignum erga famulos Dei. *Neque enim ullus ſuperiorum* (inquit) *principum, ne illi quidem ipſi, qui palam Chriſtiani fuiſſe dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia noſtros complexus eſt, quantam ille præ ſe ferebat initio principatus ſui. Totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei eccleſia eſſe videbatur. Verum Magiſter & Archiſynagogus Magorum Ægypti ei tandem perſuaſit, ut ab hoc inſtituto deſiſteret; jubens ut caſtos quidem & ſanctos viros perſequeretur atque occideret, quippe qui ſceleſtis & deteſtandis incantationibus adverſarentur atque obſtarent.* Quo contigit: ut impias manus in Deum intentaverit, & brevi tempore multum juſti ſanguinis fuderit, ut inquit Lactant. *de mort. perſecut. cap.* 5. Atque in eorum numero, qui ſub ejus imperio martyrio perfuncti ſunt, fuit quidam cognomine Marinus, cujus hic mentionem facit Author, militari dignitate ornatus, nec non ſplendore generis & opibus clarus, ob confeſſionem Chriſti capite truncatus, ut teſtatur Euſebius *lib.* 7. *cap.* 15. ubi & tota videre eſt hujus militis martyrii hiſtoria. De aliorum Imperatorum qui ſequuntur in Chriſtianos ſæviendi libidine & crudelitate, & eorum qui eam perpeſſi ſunt conſtantia, vide Lactant. *eod.* & Nicephor. *Hiſtor. Eccleſiaſt.*

4. Capitalibus ſuppliciis ſi non libenter interfuerunt Chriſtiani illis temporibus, haud mirum videri id debet, cum plerumque de Chriſtianis ipſis eſſet judicandum: adde quod & in cæteris rebus leges Romanæ duriores erant, quam lenitas Chriſtiana patiatur: quod vel ſolo Silaniani Senatusconſulti exemplo ſatis patet. Poſtquam vero Conſtantinus Chriſtianam religionem & probare & promovere cœpit, non ideo deſierunt capitalia ſupplicia. Imo ipſe Conſtantinus inter alias leges de parricidis culeo inſuendis legem tulit, quæ exſtat Codice, Titulo de iis qui parentes vel liberos occiderunt: quanquam alioqui in ſuppliciis exigendis mitiſſimus fuerit, ita ut ab hiſtoricis non paucis reprehendatur nimiæ lenitatis nomine. Tum vero in exercitu ſuo plurimos habuit Chriſtianos, ut nos hiſtoriæ docent, & labaro Chriſti nomen inſcripſit. Ex eo etiam mutatum eſt ſacramentum militare in eam formam quæ exſtat apud Vegetium: *Per Deum & Chriſtum & Spiritum ſanctum, & per majeſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt & colenda.*

COMMENTARIUS.

SUpr. ad §. 1. *Proleg.* multa eruditorum teſtimonia adduximus, quæ legum Romanorum æquitatem atque benignitatem tanto æſtimant, ut inter leges omnium gentium nullam reperiri magis juſtam & æquam, vel rectæ rationi conſentaneam, quam quæ eſt in libris juris Romani, uno ore prædicent. Quamobrem ejus ſacerdotes boni & æqui notitiam profiteri dicuntur *l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* Quod ſi aliquando quædam duriora nobis videantur conſtituta, id magis temporum mutationi, quam juris iniquitati tribuendum, non enim omnium quæ a majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt, quamvis non ſine ratione ad eadem conſtituenda deſcendiſſe præſumendi ſint duce ratione & æquitate, quæ minime dura nobis viderentur, ſi conſtaret ratio, quam noſtri majores habuerunt. Sumitur enim juris æquitas ex cauſa, ex tempore, ex loco, ex perſona, quibus circumſtantiis mutatis non mirum quod ſæpe iniquum vel durum videatur, quod antea æquum & rationi conſentaneum fuit. Quæ quidem ſemel bona & æqua fuerunt, ſine dubio, ſi in eodem permanerent ſtatu res humanæ, ſemper bona æqua eſſent. Verum quum omnium rerum viciſſitudo (ut ait Comicus) ſit, ac nihil in hoc mortalitatis curſu ſtabile, facile res omnes mutantur, atque tanta ſingulis diebus oriatur negotiorum varietas, contigit, ut leges latæ a majoribus, quamvis tum quum ferrentur iis temporibus æquæ utileſque Reipub. fuerint, poſtea iniquæ & inutiles ei videantur. Idem dici poſſet de Silaniano Senatus conſulto, quod tanquam exemplum Author adfert durioris apud Romanos conſtitutionis, quam Chriſtiana patitur lenitas. Quippe qui reipub. Romanæ faciem intuetur, in qua infinitus ſervorum numerus, hominum genus ad quæcunque deteſtanda

ſtanda facinora promptum, huic commodo mederi nequibant, niſi duriore remedio adhibendo. Quamobrem ipſe Ulpianus, ut ſeverioris conſtitutionis rationem reddendo eam ab omni æquitate oſtenderet non eſſe alienam, inquit, ea de cauſa ad S. C. Silianianum introducendum majores impulſos fuiſſe, *quia aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui, cuſtodiam domini, tam ab domeſticis, quam ab extraneis, præſtare ſervi cogantur.* Quid vero æquitati magis conſentaneum, quam ut iis, qui Reipub. præſunt, civibus omnem ſecuritatem præſtare conentur. Hinc Tacit. 43. *annal. cap.* 32. *Factum & S. Conſultum ultioni juxta & ſecuritati, ut ſi quis a ſuis ſervis interfectus eſſet, is quoque qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſervos ſupplicia penderent.* Factum eſt S. conſultum Silanianum temporibus Auguſti, nomen habens a Cajo Junio Silano, qui cum P. Cornelio Dolabella conſulatum geſſit. Putabat olim ſummus Cujacius hoc Senatusconſultum ſub D. Marco factum, propterea quod *in l. penult. de his quib. ut indig.* mentio fit orationis *D. Marci pertinentis ad S. C. Silanianum. Exiſtimabam enim*, inquit, *poſt orationem D. Marci ſecutum eſſe S. C. Silanianum, quod certo ſcirem orationes principum ſtatim Senatusconſultis confirmari ſolitas fuiſſe. Quinimo interdum id etiam in orationibus diſerte addi, ut Senatusconſulta eas conſequantur, quemadmodum in Edictis. Sed quia l. penult. eam ait orationem factam eſſe circa S. C. Silanianum, facile ab ea me ſententia dimoveri ſum paſſus, quandoquidem ex eis verbis evidenter apparet oratione D. Marci prius fuiſſe Silanianum Senatusconſultum. Nunc autem veriſſimum arbitror quod mihi P. Faber indicavit, in omnium virtutum exempla genitus adoleſcens, nempe factum id, de quo quærimus, fuiſſe D. Auguſti temporibus Dolabella & Silano Coſſ.* &c. Fuit autem hoc S. conſulto cautum, ut domino occiſo de ſervis, qui ſub eodem tecto, in eademve regione fuiſſent, quæſtio haberetur, ſuppliciumque de reis ſumeretur, priuſquam aperiri tabulæ, adirive hæreditas ſcripto ab hærede poſſet: alias ab indigno ablata publicaretur. *l.* 1. *& l.* 5. §. 2. *ff. de Senat. conſ. Silan.* Huic autem cognitioni vel accuſationi, quæ infertur hæredibus, præſtitutum eſt quinquennium (quanquam regulariter viginti tantum annis crimina extinguantur *l.* 12. *ad L. Cornel. de ſicar.*) alio Senatusconſulto facto etiam Auguſti temporibus Lepido & Tauro coſſ. de quo in *l.* 13. *ff. eod.* ſed anno ſequenti, ut veroſimile eſt, poſt factum S. conſultum Silanianum. Fuit & poſtea, cum ambigeretur, an de ſervis, quibus libertatem teſtamento defunctus ſcripſiſſet, idem quod de cæteris juris eſſet, aliud S. conſultum factum, Nerone 11. & L. Piſone Coſſ. ut apud Tacit. videre eſt *Annal.* 13. *&* 14. quod Piſonianum dicitur in *l.* 8. *S. C. Piſoniano ff. de S. C. Silaniano.* quo caveatur de his quoque ſervis, qui teſtamento manumiſſi eſſent, perinde atque ſervis, ſupplicium ſumendum. *l.* 3. §. 16. *ff. eod.* Et Paulus in *dict. leg.* 8. eodem quoque S. C. cautum addit, *ut, ſi pœna obnoxius ſervus veniſſet, quandoque animadverſum in eum eſſet, ut venditor pretium præſtet, ne emptori injuriam feciſſe videatur Senatus.* Paulus *lib.* 3. *Sentent.* Neronianum appellat hoc S. C. adſcriptum, quod Piſonianum in dicta *leg.* 8. & Claudianum in tit. de S. C. Silaniano dicitur. Verum monet Cujacius non eſſe novum, ut Neroniana S. C. dicantur Claudiana, nam licet vocabula diverſa, re tamen eadem ipſa ſunt, fuit enim idem Nero & Claudius gentili adoptivoque nomine, ejuſque collegam L. Piſonem dicimus. Poſtquam vero Conſtantinus Imperator ad Chriſtianam religionem converſus fuerit, non deſierunt tamen capitalia ſumi de iis ſupplicia, qui crimen aliquod morte dignum admiſiſſent, ut patet ex legibus ab ipſo Imperatore Conſtantino latis, in quarum numero habetur lex de *parricidis culeo inſuendis*, quæ extat *C. de iis qui parent vel liber. occid. Si quis*, inquit Imperator, *parentis, aut filii, aut omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit, ſive clam, ſive palam id enixus fuerit, pœna parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii ſolemni pœnæ ſubjugetur, ſed inſutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſerpentium contuberniis miſceatur, & ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omni elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur.* Hinc Quintilianus *Declam.* 299. *Cui lex lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto ſepulchrum negat,* Et Ovid. *lib.* 8. *Metam.*

Dii te ſummoveant, ô noſtri infamia ſecli!
Orbe ſuo, telluſque tibi pontuſque negetur.

Hoc autem genus ſupplicii non a Conſtantino primum inventum, verum longe antiquiori lege pœnam hanc irrogatam conſtat ex Livio aliiſque ſcriptoribus fide dignis, eique cauſam præbuiſſe videtur eſt L. Hoſtius, quippe qui primus patrem interfecit poſt bellum Annibalis. Tum, ut inquit Sig. *lib.* 2. *cap.* 32. admoniti flagitii novitate Romani aliquid ad deterrendos ceteros tuliſſe videntur. Lex autem fuiſſe videtur ejuſmodi: *Si quis parentes occiderit, aut verberaverit. ei damnato obvolvatur os folliculo lupino, ſolea lignea pedibus inducantur, & in carcerem ductus ibi tantiſper ſit dum paretur culeus, in quem conjectus in profluentem præcipitetur.* Hoc ſupplicio primus parricida affectus eſt Romæ Publicius Malleolus, cum matrem interemiſſet, teſte Livio *lib.* 48. Et in Rhetoricis ad Herenn. *Malleolus judicatus eſt matrem necaſſe, ei damnato ſtatim folliculo lupino os obvolutum eſt, dum culleus, in quem conjectus profluentem deferretur, compararetur.* Poſtea Cn. Pompejus conſul legem tulit ab ejus nomine Pompejam appellatam, qua ſancitum, *qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, ſororem*, &c. *occiderit, cujuſve dolo malo id factum erit, ſive conſcius fuerit, is ſi confeſſus erit, virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia, deinde in mare profundum culeus jactetur.* Quod genus ſupplicii cum uſu eſſe deſiiſſet Conſtantinus revoca-

vit.

Et merito ad inhumanum hoc crimen vindicandum (in cujus Authores nullam pœnam ſtatuiſſe fertur Solonem, quod crederet nullum mortalium tanta immanitate futurum, qui vitæ ſuæ authores vita privaret) Imp. in uſum revocavit culeum & beſtias illas veteres. Hinc Cic. de Solone occaſione hujus pœnæ in parricidas conſtitutæ ſermonem habens. *orat. pro Sex. Reſc. Quanto noſtri majores ſapientius? qui quum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitarunt: ut quos natura ipſa in officio retinere non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ maleficio ſubmmoverentur. Inſui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici.* O *ſingularem*, inquit, *ſapientiam! Nonne videtur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cælum, ſolem, aquam, terramque ademerunt? ut? qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur.* Et idem de *Orat. Quantis clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire cæpimus. Quid enim tam commune? quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis. Ita vivunt dum poſſunt, ut ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur; ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Annotat Gothofredus in ſuis comment. *ad C. Theodoſ. lib.* 19. *tit.* 15. hanc legem a Conſtantino latam, ſive potius renovatam, pertinere ad Africam: quæ liberos de more non una occaſio enecabat, vel cultu olim ſuperſtitioſo Saturno eos immolabat, vel eos exponebat: vel aliter eos e medio tollebat, in eorum fata properando, cui mori Conſtantinus aliis conſtitutionibus obviam ivit. Aliud argumentum, quo probatur Chriſtianos non detrectaſſe neceſſitate exigente militare, ex Hiſtoriis, quæ hujus Imperatoris res geſtas continent, petere poſſumus, utpote quæ teſtantur plurimos in exercitu ſuo habuiſſe Chriſtianos, & labaro Chriſti nomen inſcriptum, de qua inſcriptione atque de vocis origine variæ Scriptorum ſententiæ. Labarum autem genus vexilli eſſe certiſſimum, quidam fuiſſe dicunt vexillum magnum, Imperatori præferri ſolitum, quod a militibus pene adorabatur. Ita enim Gregor. Nazianz. *orat. in Julianum. Magnum vexillum, quod ſimul cum cruce magnifice & cum inſigni pompa ducit, in ſublime erectum, quod laborum ſolvendorum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit, principatumque, ut ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenet.* Unde Lipſ. de *cruce* labarum inter ſigna militaria primum fuiſſe ait. Hinc Cujacius ad *tit. Cod. de præpoſit. laborum.* Præpoſiti, ait, laborum ſunt, qui magno illi vexillo erant præpoſiti, quod vulgo & laborum ſolutio, ſive *καμάτων λυτήριον* dicebatur, ſed rectius præpoſiti *labarum* legi alii ſentiunt. Sed placet hic deſcribere quæ de hoc ſigno habet eruditiſſimus Stewechius. *Fuit*, inquit, *in exercitu Rom. ſignum militare, quod labarum vocant, id ſignum in multo majore honore, quam alia, propterea fuit, quod ſemper Imperatorem antecedere, & a militibus adorari conſueverat: ut docemur a Sozomeno lib. 1. cap. 4. & Paulo Diacono lib. 11. & Prudentio lib. 1. contra Symm.*, *Quando illud in exercitu uſui eſſe primum cæperit, nondum potui eruere, figuram illius in nummis aliquot veteribus vidi; ex quibus unum ideo ob oculos ponendum curavi, ut de forma conſtet. Præterea ut intelligant ſtudioſi antiquitatum, ſub Imperatoribus etiam non Chriſtianis, in bello illud geſtatum fuiſſe, ſciant me illud in nummis Cæſaris ſæpe vidiſſe, etiam in nummis Conſulum videre licet in faſtis Goltzii, multis annis ante ætatem Cæſaris, nominatim in nummo C. Valerii Flacci: iterum in C. Flavii Fimbriæ, item in nummo M. Cornelii Cethegi qui Coſ. ab V. C. DXCIII. Sed ibi ſere ſub pilis ſignorum infimo loco appenſum labarum, & inibi litera* H *vel* Π. Ita vero de hoc ſigno Boxhorn. *Hiſtor. univerſ. Quatuor apud veteres Romanos poſt oppreſſam Rempub. ut ex Cornelio Tacito & aliis eorum temporum Hiſtoricis didici, ſignorum ſeu vexillorum genera in caſtris fuiſſe inveni. Nam manipulorum & equitum vexilla, cohortium ſigna, legionum aquilæ, totius vero exercitus, ſive ipſius Imperatoris labarum vocabatur. Res autem quæ labarum dicta eſt, Auguſti temporibus; labari vero vox ab Hadriano, puto, inventa eſt. Nam quod recentiores labara vocaverunt, antiquiores Cæſarum & Auguſtorum ſigna & imagines vocant.* Ejus autem forma hæc erat, haſta videlicet in apice tranſverſa in ſimilitudinem crucis, auro gemmiſque intertexta, cui lineæ tranſverſæ inhærebat velum, ubi imago imperatoris. *Nonnunquam labari quadratum haſta appenſum, quod Labarum dixere, pro vexillo fuit*, inquit, Alex. ab Alexand. *Genial. dier.* Hinc Tacit. *annal.* 5. *cap.* 4. *Quorum imagines pro vexillis ſecuti forent, duces imperatoreſque diligerent.* Et Sueton. *in Caligula. cap.* 19 *Artabanus Parthorum Rex, tranſgreſſus Euphratem, aquilaſque & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Ubi vero imago Imperatoris fuerat, nomen Chriſti ſuppoſuiſſe Conſtantinum Imperatorem vult Grotius noſter. Alii crucem. Ego *vero*, inquit Vir Nobiliſſimus reip. litterar. lumen Giſb. Cuper *in ſuis notis ad Lactant. de mort. perſecutor. cap.* 44. *Chriſti nomen facio. Quia Chriſtus, non autem crux, mundi, qui per globum deſignatur, ſalvator eſt.* Ita enim Lactantius: *Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ut cæleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut juſſus eſt, & tranſverſa litera* X. *ſummo capite circumflexo Chriſti in ſcutis notat.* CHRISTUM IN SCUTIS notat, *id eſt* CHRISTI NOMEN, *quod exprimebant per duas primas ſalutaris vocis litteras*, inquit, Vir Ampliſſ. Non aliter loquitur Prudentius contra Symm.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum - - - -

id eſt CHRISTI NOMEN, CHRISTI MONOGRAMMA. vid. quæ ibi plura vir doctiſſimus diſputat. Sunt alii, ut dicere incepi, qui ſtatuunt Chriſti nomen non fuiſſe inſcriptum, ſed crucem inſignitam ſignis, quæ per cœleſte illud ſignum,

Google

quod imperatori apparuerit, intelligendam, ut notat Baluſ. *in ſuis notis dict. loc.* Sunt alii, qui crucem & vocabula IN HOC VINCES & nomen Chriſti cæterumque apparatum, ut deſcribitur apud veterum monumentorum Authores, apparuiſſe volunt, eaque omnia tum in velo haſtæ appenſo, tum in ipſa haſta expreſſa. Ita enim Zonaras in *vita Conſtantini Magni: cum vero tres eſſent Imperatores Conſtantinus, Licinius, & Maxentius. Hic Romæ & in Italia rerum potiens, non Regem agebat, ſed pro Tyranno ſe gerebat, incrudeliter & importune in eos graſſando, quibus dominabatur. Quæ Romani haud ferenda rati, legatos ad Conſtantinum mittunt, ut Maxentii tyrannide ſe liberet ſupplicantes. Iis precibus ad pellendum illum commotus, Romam reverſus, cum exercitu proficiſcitur. Maxentius vero quum diu intra mœnia ſe contineret, nec in aciem contra eos, a quibus obſidebatur, deſcenderet, ſalibus a nonnullis inceſſebatur. Sed tandem educit exercitum, præſagiis quibuſdam uſus: & præter alia nefanda, ex infantium diſſectione captatis auguriis. Quibus Conſtantino perterrito, & animo æſtuanti, figura crucis circa meridiem ſtellis informata in cælo apparuit: & ſcriptura circa crucem Romanis literis & ipſa per ſtellas expreſſa* IN HOC VINCE. *Statim igitur cruce ex auro ad formam quam viderat prælio Maxentium vincit*, &c. Teſtatur idem Euſeb. de vita Conſtantini *lib.* 1. *cap.* 28. Signi autem hujus deſcriptionem inſtar crucis formati, quod *labarum* vocant Romani, ejuſmodi nobis exhibet, Latine ita verba interprete viro eruditiſſimo Henr. Valeſio ſonant. *Haſta longior auro contexta, tranſverſam habet antennam inſtar crucis. Supra in ipſa haſta ſummitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac ſalutaris appellationis ſignum; duæ videlicet literæ nomen Chriſti primis apicibus deſignabant, litera in medio ſui decuſſata. Quas quidem literas Imperator in galea geſtare poſthac etiam conſuevit. Porro ex antenna quæ oblique per haſtam trajecta eſt, velum quoddam dependebat; textum videlicet purpureum pretioſis lapidibus inter ſe junctis, & luminis ſui fulgor oculos præſtingentibus coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quendam pulchritudinis ſpeciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipſa vero recta haſta ab intima ſui parte in magnam longitudinem producta, in ſuperiori parte ſub ipſo crucis ſigno ad ipſam veli variis coloribus depicti ſummitatem, auream Deo cari Imperatoris & liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus ſublimem geſtabant. Hoc igitur ſalutari ſigno tanquam munimento adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias Imperator ſemper eſt uſus; aliaque ad ejus ſimilitudinem expreſſa ſigna cunctis exercitibus præferri juſſit.* Idque, ut alii viri docti annotarunt, ut aſſiduo ejus aſpectu & cultu ſubjectos & cives ſuos paulatim a patriis Paganorumque ritibus & ſuperſtitioſo deorum cultu deſuefaceret, eumque ſolum Deum exiſtimarent, quem coleret Imperator, atque illo duce & adjutore in bello contra hoſtes uterentur. Quamobrem, ut jam annotatum, hoc ſignum perpetuo exercitibus ſuis præferebatur, atque huic negotio obeundo præpoſuit milites 50. qui, ut ex Codice Theodoſ. patet, ex protectoribus & domeſticis erat, quibus nihil aliud impoſitum negotii, quam ut vexillum hoc vallarent & undique munirent præſidiis, ſinguli que ordine illud ipſum humeris geſtarent. Et ſi quæ pars in acie laborabat, in eam quaſi auxilii & liberationis vice inferebant. Vide de hoc ſigno Tertull. in *Apologet. cap.* 16. Minuc. Fel. *in Dialogo Octavio.*

5. Neque eo tempore ex tot Epiſcopis, inter quos multi erant duriſſima quæque paſſi pro religione, vel unus fuiſſe legitur, qui aut Conſtantinum ab omnibus omnino capitalibus ſuppliciis & bello, aut Chriſtianos a militia injecto divinæ iræ metu abſterruerit, cum tamen plurimi eſſent acerrimi cuſtodes diſciplinæ, & minime diſſimulantes eorum quæ ad officium tum Imperatorum, tum aliorum, pertinerent: qualis & Theodoſii tempore fuit Ambroſius, qui ſermone VII ita ait: *Non mili-*
L. 1. cap. 27. *taire delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt.* Et de Officiis: *Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus ſocios, plena juſtitia eſt.* Hoc argumentum tanti mihi videtur, ut nihil ultra requiram.

COMMENTARIUS.

NOn dubitandum, quin ex tot Epiſcopis viris & ſingulari pietate in Deum & vitæ ſanctimonia atque integritate conſpicuis, quorum nonnulli multa incommoda, atque tormenta perpeſſi fuerant ſub infidelibus imperatoribus pro fide & religione, cujus profeſſionem faciebant, aliquis fortaſſe extitiſſet, qui conſcientiæ ſtimulis agitatus Imperatorem, & qui eum in bellis atque præliis ſequebantur, Chriſtianos militia & ſuppliciis capitalibus abſtinendum admonuiſſet, ſi peccatum eſt militare, & juſtam ob cauſam ſanguinem humanum effundere, atqui nuſpiam a viris illis piis factum apparet ex Hiſtoriis, ergo concludimus merito licitum eſſe divino jure, &

con-

conſequenter Chriſtianis non interdictum armis patriam, parentes, & amicos tegere, & domi tueri infirmos ſua decernendo ſceleribus ſupplicia, & ipſo facto animadvertendo, & quidem ultimo ſupplicio, ſi criminis atrocitas illud exigit, in eos qui ſuis flagitiis publicam pacem perturbant & ſecuritatem tollunt, quam ſummus imperans tum quoad bonorum, ſine quibus commode vita tranſigi nequit, tum etiam quoad vitam & membrorum conſervationem præſtare civibus ſuis tenetur, quamobrem & legibus armatus, & armis decoratus eſt, ut loqui amat Imperator *Præm.*

6. Neque tamen ignoro, ſæpe Epiſcopos, & plebem Chriſtianam, interpoſitis precibus ſuis avertiſſe pœnas, præſertim capitales: morem quoque introductum, ut qui ad Eccleſiam confugiſſent, nonniſi vitæ ſervandæ fide data redderentur; & ut circa Paſcha carcere emitterentur, quos ſua crimina attinebant: ſed, qui cum cura hæc omnia, & ſi qua his ſunt ſimilia, expendet, inveniet, ſigna hæc eſſe Chriſtianæ bonitatis omnem rapientis clementiæ occaſionem, non omnia judicia capitalia damnantis animi: unde & locorum & temporum illa beneficia & preces ipſæ exceptionibus quibuſdam temperabantur.

COMMENTARIUS.

ENixe Canoniſtæ defendunt reum criminis ad eccleſiam confugientem inde arripi non poſſe, idque non ſolum canonico ſed & jure civili conſtitutum, ut patet ex textu *c. inter alia* 6. & in *c. penult. decret. tit.* 49. tum etiam in *l.* 2. *&* 3. *C. de his qui ad Eccleſ. confug.* Cujuſmodi conſtitutionis ratio videtur eſſe honor & reverentia, quæ ſacris locis debetur *can.*6. *in pr. diſt.* 87. Hanc immunitatem ad exemplum veteris Teſtamenti introductam volunt. Quippe *Num. cap.* 15. enumerantur ſex urbes homicidis profugis adſignatæ. Item 1 *Reg. cap.* 2. Joab, ne a Salomone interficeretur, confugit in tabernaculum & apprehendit cornu altaris. Excludunt tamen ab hac immunitate publicos latrones, tum nocturnos depopulatores agrorum, & denique qui in ipſis eccleſiis vel cœmeteriis deliquerunt. Ratio eſt Reipub. ſalus. Si vero ejus habenda ratio eſt in delictis puniendis, univerſalis erit ratio, ergo ad quæcunque extendenda crimina culpa vel dolo admiſſa, cum ſummopere Reipub. interſit ne delicta maneant impunita, & conſequenter immunitas illa, qua delinquentes, qui ad eccleſiam confugiunt, gaudent, in totum tolli ſuadet ratio & publica ſalus ac ſecuritas, quoniam ejuſmodi immunitas ſæpiſſime cauſa eſt, ut graviſſima crimina impunita maneant, atque hac ratione datur occaſio, ut crimina criminibus cumulentur, & ſic publica ſecuritas violatur. Hinc jure divino datum quidem aſylum homicidis, non quibuſcunque, ſed iis tantum qui non ſua culpa aut dolo vel dedita opera, ſed per errorem & imprudentiam aliquem occidiſſent. Quamobrem Canoniſtæ perperam hanc eccleſiæ immunitatem, qua cujuſcunque criminis rei ad eccleſiam fugientes, exceptis paucis quibuſdam, quorum ſcil. vindicatio ad ipſius eccleſiæ ſecuritatem & bonorum, tum etiam perſonarum & conſervationem & ſecuritatem ſpectat, gaudere volunt, divini juris eſſe ſtatuunt, moti ſcil. exemplis ſtatim adductis. Verum contra ſentit Joan. Ferrar. *in pract. ſua de forma inquiſit.* adſerens hanc immunitatem non tantum pugnare cum divino jure, ſed etiam ratione eſſe deſtitutam: *Si enim Deus noluit*, inquit, *tolerare vendentes in eccleſia, ſed illos ejecit*, ut conſtat *Joan.* 2. 15. *quanto magis homicidas & alios reos non vult.* Quamobrem recte Legiſtæ ſtatuunt quod hæc immunitas pugnet cum Reipub. ſalute, cui magis expedit ut crimina coërceantur. arg. *l.* 9. §. 5. *ff. de publican. & vectig.* tum etiam quod ipſe Imperator in *Novell.* 17. *cap.* 7. non ſolum denegat homicidis, adulteris, & raptoribus virginum hanc immunitatem, ſed omnibus nocentibus; ſtatim adjungens, quod nemini nocenti templorum cautela datur, & conſequenter omnem prorſus immunitatem tollit, quam inferentibus injuriam ac quorumvis graviſſimorum maleficiorum reis concedunt Canoniſtæ. Itaque non adeo laudandus hic mos videtur, qui præſtabat homicidis & aliis delinquentibus ad eccleſiam confugientibus immunitatem, quaſi ſignum bonitatis Chriſtianæ omnem rapientis clementiæ occaſionem, quam quidem vituperari debet illa imperii cupido, quæ obſedit Eccleſiaſticorum animos, hujus moris introducti vera cauſa: non obſcure enim declarant quæ ex hiſtoriis poſſunt peti exempla, & rerum uſus quotidie teſtatur eos omnibus viribus intendere, ut omne imperium omnemque fere juriſdictionem magiſtratibus ſæcularibus eripiant ſibique vindicent. Quod attinet morem, quo introductum a Judæis, ut circa Paſcha carcere emitterentur quos ſua attinebant crimina illum, quoque receperunt Imperatores Valentianus, Theodoſius, & Arcadius. Quamvis contrarium ſtatuat Author noſter, repetens ejus originem a Romanis, ut videre eſt in ejus Comment. ad *cap.* 27. *Matth. Nam*, inquit, *ex Livii Hiſtoria videmus lectiſternii indicti diebus vinctis dempta vincula; religioni deinde fuiſſe quibus eam opem dii tuliſſent vinciri. Ad hoc exemplum putem ab Au-*

guſto hanc gratiam conceſſo populo Judaico, *idque mandatis procuratorum fuiſſe comprehenſum*. Et ſic deinceps Chriſtiani Imperatores, quos ſtatim nominavimus, ad hujus exemplar ſuam indulgentiam legibus ſanciverunt, ut ob diem Paſchæ omnes, qui carcere detinebantur, dimitterentur, eiſque crimina indulgerentur. Ita enim Imperator Valentianus *l. 3. C. de Epiſcop. aud. ubi primus dies paſchalis extiterit*, *nullum teneat carcer incluſum*, *omnia diſſolvantur*. Et *l. 3. Cod. Theodoſ. de indulg. crimin.* Idem Imperator, *ob diem Paſcha* (*quem intimo corde celebramus*) *omnibus, quos reatus adſtringit*, *carcer incluſit*, *clauſtra diſſolvimus*. Verum notandum, quod hæc indulgentia admodum limitata fuerit: eum ab iis ſecernit Imperator ſacrilegum, in majeſtate reum, in mortuos, veneficos ſive maleficos, adulterum, raptorem, homicidam, violatorem monetæ, ſtupratorem, aliorumque enormium criminum reos.

7. Objiciunt hic nobis nonnulli XII canonem Synodi Nicænſis, qui Latine ſic habet: *Quicunque vocati per gratiam*, *primum quidem ardorem fidemve ſuam oſtenderunt*, *& cingulum militiæ depoſuerunt*, *poſtea vero ut canes ad ſuum vomitum reverſi ſunt*; *ita ut aliqui & pecuniam darent*, *& beneficiis militiam repeterent*; *hi decem annis jaceant*, *poſt triennii auditionis tempus. In his autem omnibus obſervari oportet propoſitum & modum pænitentiæ. Quicumque enim*, *& timore*, *& lacrymis*, *& patientia*, *& bonis operibus converſionem abſque ſimulatione demonſtrant*, *hi definitum tempus auditionis implentes*, *tum demum orationibus communicabunt*, *& poſtea licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt*, *& habitum Eccleſiam introeundi ſibi arbitrati ſunt ad converſionem ſufficere*, *hi definitum tempus omnino impleant.* Vel ipſum tredecim annorum tempus ſatis indicat, non de levi aut ambiguo, ſed gravi aliquo atque indubitato crimine hic agi.

COMMENTARIUS.

FAmoſiſſima hæc fuit Synodus Nicæna, quia prima œcumenica 318. Epiſcoporum, habita ſub Imperio Conſtantini Imp. in ea urbe unde nomen ei impoſitum *ann.* 325. J. C. *Conſtantini Imp.* 20. *A. Fauſto & P. Ceſonio Juliano Coſſ.* Ita enim Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 8. *In præſenti autem choro Epiſcopi quidem trecenti & amplius adfuerunt*; *Presbyterorum vero qui eos comitati ſunt*, *Diaconorum*, *Acolythorum*, *aliorumque complurium numerus vix iniri poteſt.* vid. & Euſeb. *de vita Conſtant. lib.* 3. *cap.* 6. 7. 8. 9. *& ſeqq.* Cui præfuit Hoſius Hiſpanus Cordubæ Epiſcopus, qui in magna apud Imperatorem erat gratia. In dicta vero Synodo ſcripti ſunt canones viginti, qui genuini ſunt, ideoque eos plerique cum antiqui, tum etiam recentiores tantum pro authenticis habent, quorum in numero, quem hic Author deſcripſit, rejectis octuaginta, qui a quibuſdam ſcriptoribus ex Arabico translati, tanquam ejuſdem Synodi genuini canones obtruduntur. Originem erroris LXXX canonum Concilii Nicæni vide apud doctiſſimum Mornæum de *Myſterio iniquitatis.*

8. Agitur autem haud dubie de idololatria: nam quæ canone XI præceſſerat mentio temporum Licinii, in hoc canone repetita tacite haberi debet; ut ſæpe canonum ſequentium ſenſus a prioribus pendet. Vide in exemplum canonem XI Concilii Eliberitanni. Licinius autem, verba ſunt Euſebii, στρατιώτας ἐκέλευε ἀποβάλλεσθαι τοῦ ἀξιώματος εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο, *milites militia exuebat*, *niſi Diis ſacrificare vellent.* Quod & Julianus poſtea imitatus eſt, quam ob cauſam Victricius atque alii cingulum pro Chriſto abjeciſſe leguntur. Idem olim ſub Diocletiano fecerant in Armenia mille centum quatnor, quorum in Martyrologiis mentio: & in Ægypto Menna, & Heſychius. Sie ergo & Licinii temporibus multi abjecere cingulum, quorum fuit Arſacius inter Confeſſores nominatus,

&

& Auxentius factus poſtea Mopſueſtiæ Epiſcopus. Quare his, qui ſemel conſcientia puncti cingulum abjecerant, reditus ad militiam ſub Licinio non patebat, niſi per fidei Chriſtianæ abnegationem: quæ quia eo erat gravior, quo prior ille actus majorem in illis legis divinæ cognitionem teſtabatur, ideo hi defectores gravius etiam puniuntur quam illi, de quibus egerat præcedens canon, qui ſine periculo vitæ aut facultatum amittendarum Chriſtianiſmum abjecerant. Generaliter autem de omni militia interpretari canonem, quem produximus, ab omni ratione alienum eſt. Aperte enim teſtatur Hiſtoria, his qui ſub Licinio militiam abjecerant, neque Licinio imperante ad eam redierant, ne fidem Chriſtianam violarent, a Conſtantino datam optionem, immuneſne eſſe a militia vellent, an ad militiam redire: quod haud dubie multi fecerunt.

COMMENTARIUS.

LIbens ſubſcribo interpretationi hujus canonis XII. quam habet Author, cui & plerique alii ſcriptores ſuffragantur, ſcil. in dicto canone agi de iis qui abjecto cingulo ad Chriſtianiſmum converſi, poſtea iterum militiam amplectebantur, & veram fidem ac religionem, de cujus veritate jam intus ſeſe certiores factos dictis ac factis teſtati fuerant, abnegantes, ad Gentiliſmum transeunt, tanquam canes qui ad vomitum ſuum revertuntur. Quippe vix cuiquam ad illum honorem patebat aditus, niſi Gentilibus. Hinc Rufinus de Juliano *lib. 1. Eccl. cap. 32. Militiæ cingulum non dari niſi immolantibus jubet.* Notandum enim cingulum olim militiæ fuiſſe ſignum, hinc *ſumere cingulum* dicitur, qui nomen dat militiæ, quemadmodum *ponere* cingulum, qui eam abjicit. Unde qui militabant *cincti*, & contra qui miſſi erant *diſcincti*, *militia exuti*, *cingulo privati* dicebantur. Servius ad illud Virg. *Æneid.* 9.

- - - diſcinctos ibimus Afros

Diſcinctos, inquit, *in habiles militiæ, nam omnes qui militant cincti ſunt.* Quemadmodum autem cingulo & baltheo donari honori dabatur apud Romanos, ſic & eodem privari valde ignominioſum erat. Quamobrem Imperatores Ethnici ex odio erga Chriſtianam doctrinam eam profitentibus cingulum ignominiæ cauſa auferebant. Cui honori etiam facile plerique Chriſtiani renunciabant, ut perenni illo cingulo, ad quod a Chriſto vocabantur, ſeſe cingerent, quibus reditus non patebat ad illum honorem ſub Chriſtianæ religionis perſecutoribus & tyrannis, niſi per fidei Chriſtianæ abnegationem, cui nonnullos renunciaſſe honorum cupidini inſervientes, quam pro Chriſto ejuſque doctrina pati ſatius duxiſſe, non dubitandum, in quos merito hanc Concilium pœnam ſtatuit.

9 Sunt & qui Leonis epiſtolam objiciant, quæ dicit, *Contrarium* II.
eſſe Eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem. Sed ſciendum, in pœnitentibus non minus quam in clericis & aſcetis exactam fuiſſe vitam non quovis modo Chriſtianam, ſed eximiæ cujuſdam puritatis, ut tanto exemplo eſſent ad correctionem, quanto ad peccandum fuerant. Similiter in conſuetudinibus antiquiſſimis Eccleſiæ, quæ, quo auguſtiori nomine commendabiliores eſſent, Canones Apoſtolici vulgo appellabantur, Canone LXXXII edicitur: *Ne quis Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus militiæ vacet, & utrumque retineat officium Romanum & functionem ſacerdotalem. Quæ enim Cæſaris ſunt Cæſari, quæ Dei Deo.* Quo ipſo oſtenditur, his qui cleri honorem non ſperarent Chriſtianis militiam non fuiſſe interdictam.

COMMENTARIUS.

NOn dicitur in Leonis epiſtola generaliter ſecularibus militiæ dare nomen eccleſiaſticis regulis interdictum, verum pœnitentibus ad eam redire prohibitum. Verum ut exactiorem

vitæ diſciplinam amplectendo oſtenderent ſe vera pœnitentia ducto omnem peccandi occaſionem, cui ſolutior vita cauſam præbet, evitare, & ſeſe jam totos Chriſto conſecraſſe; metuendum enim, ne ille, qui ſemel propter nimiam carnis imbecillitatem graviter peccavit, in eundem lapidem bis impingat data liberiori peccandi occaſione. Sic Clericis quoque interdictum ne ſeſe ſecularibus negotiis immiſceant, non eo, quaſi negotia ad vitæ temporalis neceſſitates ſublevandas ſpectantia adminiſtrare atque procurare non liceret, verum ne hac ratione qui Eccleſiaſticis negotiis obeundis mancipati & deſtinati ſunt, ab iis revocarentur, tum etiam ne ipſis aliqua eſſet occaſio, ut in eadem poſſent incidere vitia, quibus magis expoſiti videntur ſæcularem & mundanam vitam ducentes: hi enim ſæpiſſime in deliciis vitam tranſigentes, gulam & ebrietatem ſequuntur, injuſta aucupantur lucra, turpibus dictis aut factis ſeveriorem illam & exactiorem vitæ agendæ diſciplinam commaculant. Sæpiſſime enim mundi illecebræ in cauſa ſunt, quod nimis cupiditatibus indulgentes, multa admittimus in nos peccata, a quibus abſtinere & alienum eſſe oportet virum probum & pium, Deo conſecratum. Dicuntur autem ἀσκηταὶ ipſi Monachi, qui quotidie in contemplatione rerum divinarum occupati ſunt, hinc ἀσκητήρια dicuntur Monaſteria, in Cod. Juſtiniani a verbo ἀσκέω, quod eſt mentem exerceo in contemplatione rerum divinarum. Scripſit D. Baſilius ἀσκητικὰ, id eſt regulas & rationes ejuſmodi exercitiorum.

10. Hoc amplius, etiam ad clerum admitti vetabantur qui poſt baptiſmum aut magiſtratus attigiſſent aut munera bellica, ut in epiſtolis Syricii & Innocentii & in Concilio Toletano videre eſt. Legebantur ſcilicet Clerici non ex quovis modo Chriſtianis, ſed ex iis qui vitæ exactiſſimæ ſpecimen dediſſent. Adde quod militiæ & quorundam magiſtratuum perpetua erat obligatio: at ſacro miniſterio addicti nulla alia cura ac labore quotidiano inde abſtrahi debebant: qua de cauſa & ſextus canon conſtituit, ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ſæculares curas adminiſtret, octuageſimus ne publicis ſe adminiſtrationibus immittat: & inter Africanos canones ſextus, ne procurationem rerum alienarum ſuſcipiat, aut cauſarum patrocinium: ſic eoſdem tutores conſtitui nefas judicat Cyprianus.

COMMENTARIUS.

Habetur in corpore *Jur. Canon. tit. 3. decret.* ne Clerici vel Monachi ſe negotiis ſecularibus immiſceant, ut jam dictum, ideoque nec lites agere vel perſequi, nec procurationem aut adminiſtrationem bonorum Principis alicujus vel alterius Laïci ſuſcipere, vel judicium ſanguinis agitare, vel judiciis criminalibus præeſſe, aliaque id genus negotia ad vitam civilem pertinentia peragere poſſunt, quia inquit Innocent. III. *cap. cum ſecundum 16. ext. de præben.* aſſumuntur in hereditatem domini, unde & merito convenit, ut abſtineant negotiis ſecularibus, contra Laïcis nullis Eccleſiaſticis muneribus addictis, vel voto religionis obſtrictis, libere commerciis ſecularibus vacandi facultas tribuitur, *ex Can. duo ſunt 7. q. 1. juncto tit. de Regularib.*

11. At pro noſtra ſententia expreſſum Eccleſiæ judicium habemus in Concilio primo Arelatenſi, quod habitum eſt ſub Conſtantino. Ejus enim Concilii canon III ſic habet: *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abſtinere eos a communione:* id eſt qui militiam deſerunt extra tempora perſecutionis. Id enim pacis nomine intelligi volebant Chriſtiani, ut ex Cypriano & aliis apparet. Accedat exemplum militum ſub Juliano, non modico profectu Chriſtianorum, ut qui morte ſua Chriſto reddere teſtimonium parati eſſent: de quibus ſic Ambroſius: *Julianus Imperator, quamvis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites; quibus cum diceret; Producite aciem pro defenſione reipublicæ; obediebant ei: cum autem diceret eis; Producite arma in Chriſtianos; tunc agnoſcebant Imperato-*

rem

rem cœli. Talis & multo ante fuerat Thebea legio, quæ Diocletiano imperante a Zabda triceſimo Hieroſolymorum Epiſcopo Chriſtianam religionem acceperat, & deinde in omne ævum memorabile edidit Chriſtianæ conſtantiæ & patientiæ exemplum, quod infra a nobis memorabitur.

12. Hoc loco ſatis ſit illam eorum adferre vocem, quæ Chriſtiani militis officium ſolida brevitate exprimit: *Offerimus noſtras in quemlibet hoſtem manus, quas ſanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexteræ ipſæ pugnare adverſus impios & inimicos ſciunt; laniare pios & cives neſciunt. Meminimus nos pro civibus potius quam adverſus cives arma ſumſiſſe. Pugnavimus ſemper pro juſtitia, pro pietate, pro innocentium ſalute: hac fuerunt hactenus pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conſervemus tibi,* (ad Imperatorem ſermo eſt) *ſi hanc Deo noſtro non exhibemus?* Baſilius de antiquioribus Chriſtianis ſic loquitur: τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο ἐμοὶ δοκεῖν, συγγνώμην δόντες ὑπὲρ σωφροσύνης καὶ εὐσεβείας ἀμυνομένοις. *Eas quæ iu bello perpetrantur cædes majores noſtri pro cædibus non habuere, excuſatos habentes qui pro pudicitia ac pietate decertant.*

COMMENTARIUS.

CUm Donatiſtæ in Africa turbas ciere, totumque Africanæ Eccleſiæ ſtatum ſuſque deque intervertere conabantur, nolentes aſſentire compoſitis rebus per Synodum Romanam, qua Donatus erat damnatus, ſed ad imperatorem Conſtantinum a lata ſententia provocarunt, qui ne ulla illis penitus excuſatio de juſto judicio reliqua eſſe poſſet, novum illis decernit judicium; nimir. Concilium plurimorum Epiſcoporum Arelate in Galliis, ubi ipſe agebat, legitime celebrandum anno *J.C.* 314. *Conſtantini Imp.* 9. in numero decretorum apud Baron. annal. Synodi Arelatenſis, quæ ad Sylveſtrum Papam miſſa ſunt illud quoque legitur. ſcil. *De his igitur qui arma projiciunt in pace placuit abſtinere eos a communione. Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus ſocios, plena juſtitia eſt.* Ambroſ. offic. Et Hieronym. *Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt, nec Rempub. regere criminatum eſt, ſed ideo regere Rempub. ut divitias augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim quadam providentia militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur.*

CAPUT

CAPUT III.

Belli partitio in publicum & privatum. Summi imperii explicatio.

I. *Belli diviſio in publicum & privatum.*
II. *Non omne bellum privatum poſt judicia conſtituta illicitum eſſe jure naturali, defenditur; additis exemplis.*
III. *Ac ne jure quidem Evangelico, cum ſolutione objectionum.*
IV. *Belli publici diviſio in ſolenne & minus ſolenne.*
V. *An bellum ſit publicum quod geritur auctoritate magiſtratus ſummam poteſtatem non habentis, & quando.*
VI. *In quibus rebus conſiſtat poteſtas civilis.*
VII. *Quæ poteſtas ſit ſumma.*
VIII. *Refellitur ſententia quæ ſtatuit ſummam poteſtatem ſemper eſſe penes populum: & ſolvuntur argumenta.*
IX. *Refellitur ſententia quæ ſtatuit ſemper mutuam ſubjectionem regis & populi.*
X. *Ad veram ſententiam recte intelligendam adhibentur cautiones.*
Prima eſt de diſtinguenda vocum ſimilitudine in re diſparſi.
XI. *Secunda de diſtinguendo jure & modo habendi jus.*
XII. *Oſtenditur quædam imperia ſumma haberi plene, id eſt alienabiliter.*
XIII. *Quædam non plene.*
XIV. *Quædam non ſumma plene, id eſt alienabiliter haberi.*
XV. *Adſtruitur dicta diſtinctio ex diſcrimine dandi tutoris in regnis.*
XVI. *Summam poteſtatem non tolli promiſſione etiam ejus, quod nec naturalis nec divini ſit juris.*
XVII. *Summum imperium dividi interdum per partes ſubjectivas aut potentiales.*
XVIII. *Male tamen hoc colligi ex eo quod reges acta quædam ſua niſi a cœtu aliquo probentur rata eſſe nolunt.*
XIX. *Alia quoque exempla quædam male huc trahi.*
XX. *Vera exempla.*
XXI. *Summam poteſtatem habere poſſe qui inæquali fœdere teneatur: cum ſolutione objectionem.*
XXII. *Et qui tributum pendat.*
XXIII. *Et qui feudi lege teneatur.*
XXIV. *Diſtinctio juris & exercitii cum exemplis.*

Syl. verbo bellum 1. n. 1.

I. 1. Belli prima maximeque neceſſaria partitio hæc eſt, quod bellum aliud eſt privatum, aliud publicum, aliud mixtum. Publicum bellum eſt quod auctore cogeritur qui juriſdictionem habet: privatum, quod aliter: mixtum, quod una ex parte eſt publicum, ex altera privatum. Sed de privato, quod antiquius, primum videamus.

COMMENTARIUS.

Hanc belli diviſionem, quam hic tradit Author, licet quidam Commentatores eam carpant, in ratione tamen fundatam facile cuique conſtabit, qui maturo judicio & animo omnibus præjudiciis vacuo examinat fundamentum, quo nititur. Notandum itaque eſt duplicem eſſe hominis ſtatum, in quo vitam degit, vel enim in pace & concordia ac tranquillitate vivere licet, vel rixis, diſcordiis, & bellis quis jactatur, ſive in ſtatu naturali, ſive in ſocietate civili conſtitutus eſt. In pace vivere dicitur, quando licet frui rebus, quorum jus vel dominium ſive poſſeſſionem nobis natura vel fortuna largita eſt, vel propria induſtria aut juſtis titulis & legitimis acquirendi dominii & proprietatis ac poſſeſſionis modis, jure naturæ vel civili introductis, nobis acquiſivimus, vel, ut paucis dicam, quo uti liceat cuique jure ſuo, quod ipſi competit circa res acquiſitas vel acquirendas, ſive ſint corporales, ſive incorporales. In ſtatu belli quis vivere dicitur, quando jure ſuo uti impeditur, vel quod res ipſi ablatæ ſunt, vel acquirendi facultas eripitur, vel quod ipſum jus utendi interrumpitur & ſiſtatur ab alio. Cum vero ille recuperare velit quod ablatum, vel retinere quod alter ſibi competere ſtatuit, aut eripere conatur, vel ſaltem impedimento eſt, ut quis jure ſuo uti non poſſit, hinc ſtatim inter eos oritur contentio de meo & tuo, & conſequenter pacem bellum excipit & juris certamen oritur, quod vel diſceptatione vel vi dirimitur, utrumque tamen certandi genus bellum vocari poteſt cum publicum tum etiam privatum, vel in ſtatu naturali, vel civili, quamvis uſus belli nomen poſt conſtituta judicia, & regna condita, ad certationem per vim tranſlatum ſit, fortaſſe ideo quia hac ratione plane omnem inter homines vel partes contendentes ſocietatem

cietas diſtrahitur, & mutuum commercium plane tollitur, dum belluarum inſtar in mutuam advolant perniciem qui nati ſunt ut ſibi invicem prodeſſent, & ſeſe mutuo adjuvarent, mutuoque amore proſequerentur, cujuſmodi diſtractio animorum, & commercii diſſolutio, non adeo perſpicitur in eo certandi genere quod per diſceptationem fit, quamvis ſæpiſſime non minus odium, & nocendi adverſarii cupido in pectore reconditur, quæ facile in alterius perniciem erumperet, ſi non aliunde coërceretur. Verum quoniam jam belli nomen eo ſenſu receptum, quo ſignificat *certationem per vim*, ſive, ut Author bellum definit, *ſtatum per vim certantium*, & nos cum Authore de bello eo ſenſu ſumpto diſputaturi ſumus, illudque ab Authore recte dividi putamus in publicum, vel privatum, & mixtum, ita ut belli nomen ſit generale, nihil aliud denotans quam ſtatum per vim certantium, ubicunque igitur per vim certatur non quidem continuo ipſo actu, ſed etiam intentione & animo, quando contendentes vi & armis controverſiam dirimendi ſe animum induxiſſe declararunt, bellum dicimus, ſive in naturali ſtatu privata familiæ membra, vel familiæ principes, ſive civili privatos cives, vel civitatum rectores ſpectemus, nullam differentiam ſtatuimus inter ipſum ſtatum, in quo utrique verſantur atque conſtituti ſunt, verum propter diverſum certandi & belligerandi ſcopum ac finem, tum etiam perſonarum conditionem, aliud bellum publicum, aliud privatum, aliud mixtum dicitur. Publicum bellum dicitur, non eo, quia ſolenni more indictum a ſummo vel ſummis imperantibus, vel ob militum numerum, aliumque belli apparatum, verum quia indicitur & geritur nomine univerſitatis ſive civium, quæ ſub uno eodemque imperio in unam ſocietatem coaliti ſunt, pro communi ſalute & publica utilitate ab eo qui repræſentat univerſum populum ſuſceptum, cujus nomine agit omnia quæcunque agit. Publicum eſt, quod civitas univerſa aliqua de cauſa frequentat, inquit Cic. *de Invent.* Quamobrem Tacit. 1. *Annal. Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis nulla jam publica arma*; id eſt, nulla jam arma populi pro repub. & a Repub. tantum privata nunc arma, in propriam potentiam. Recte itaque Author definit *publicum bellum, quod auctore eo geritur qui juriſdictionem habet*, eo ſenſu ſumpto juriſdictionis vocabulo, quo ſignificat ſummum imperium ſummamque poteſtatem omnium rerum quæ penes principem reſidet tanquam univerſam civitatem repræſentantem, ipſi acquiſitam ex voluntaria ſubjectione ſingulorum civium, qui in unam ſocietatem coaleſcentes neceſſe habuere renunciare libertati & ſummo imperio, quo quiſque paterfamilias in ſua familia tanquam ejus princeps ornatus erat, illudque in eum conferre cui ſocietatis ſalutem & utilitatem ac conſervationem demandarent, ut eo munitus providere poſſet ne quid Reſpub. qua communis utilitas & ſalus continetur, detrimenti caperet. Principis itaque imperium ſive juriſdictio conſiderari debet tanquam imperium ſingulorum membrorum in uno homine veluti principe unius corporis ex multis capitibus conflati & uniti, quaſi animo coagulatum, ut ita dicam, & idcirco publicum, ad diſtinctionem imperii quod quiſque ſibi reſervaſſe præſumitur circa propria adminiſtranda bona, & utilitatem familiæ ſuæ promovendam ſine læſione tamen communis ſalutis, & eo ſenſu intelligendum quod dicitur quemque eſſe liberum arbitrum & moderatorem rerum ſuarum, illius finis & ſcopus eſt communis ſalutis & utilitatis conſervatio ac promotio, hoc ſingulorum ſalutem concernit. Illud univerſale eſt ideoque publicum, hoc particulare & idcirco privatum. Quodcunque vero ex vi iſtius a populo juri ſuo renunciante in ſingulares vel plures perſonas collati imperii procedit publicum quoque dicitur, quia, ut diximus, nomine univerſitatis fieri cenſetur, & pro communi utilitate & ſalute, quamobrem publicum quoque bellum quod imperio & authoritate ſummi imperantis ſuſcipitur ac geritur. Privatum ergo quod aliter, mixtum quod ab una parte publicum, ab altera privatum eſt, belli tamen nomine venit, quia utraque pars vi certat & armis, vel ſaltem in eo ſtatu ſunt, ut controverſiam Marte Arbitro decidere velint. Fruſtra igitur nonnulli objiciunt, perperam deſcribi ab Authore bellum publicum, *quod geritur Authore eo, qui habet juriſdictionem.* Quia etiam inferiores magiſtratus habent juriſdictionem, non tamen poteſtatem belli gerendi, ſic prætor Romanus habebat juriſdictionem, belli autem ſuſcipiendi injuſſu populi poteſtatem nec authoritatem habuiſſe certiſſimum. Verum huic objectioni reſpondet ſubtiliſſimus Juriſconſultus Scip. Gentil. *de juriſdict. l.* 1. *c.* 1. cum inquit: *Omne imperium atque omnis juſſus eorum, qui publice aliis præſunt, latiſſima juriſdictionis ſignificatione continetur. Summa eſt penes Principem poteſtas omnium rerum. Innumerabilia autem ſunt; quæ pro poteſtate illa agit, in quibus nullum jus dici, nullam verſari juriſdictionem, ut communis & civilis horum verborum uſus, recte dixerimus. Nec tamen improprie, ſi quis iis in rebus ea verba uſurpaverit, locutus videri debet. Hinc illa vox Romani Principis* apud Senecam l. 1. *de Clementia: Quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea juriſdictio. Id etiam maxime convenit origini hujus nominis, quod ex jure & dicendo eſt. Quare apud Livium legas juriſdictio. In utroque vocabulo authoritas, imperium, juſſus inſunt. Vere enim jus a jubendo, & dicere pro poteſtate atque imperio dicere, unde & dictatores appellati,* Sic quamvis juriſdictionis ordinaria ſignificatio denotet poteſtatem jus dicendi in cauſis civilibus, id ipſum tamen impedimento non eſt, quod aliquando & quidem proprie in latiori ſignificatione dicitur poteſtas animadvertendi gladio in facinoroſos, ita ut etiam comprehendat merum imperium, quod ex ipſa inſcriptione patet *tit. ff. de juriſdictione.* Itaque ſi quis probare vellet Prætorem Romanum non habuiſſe merum imperium, quia juriſdictio tantum ipſi competebat, non ſatis validum eſſet argumentum, quia poſſem objicere juriſdictioni quoque cohærere merum imperium, ita ut qui juriſ-

dictionem habet etiam videatur habere imperium, id eſt poteſtatem gladio animadvertendi in facinoroſos, ut ex dicta inſcriptione perſpicimus; addendum itaque eſſet, ut clarius conſtet argumenti vis, prætorem non habuiſſe merum imperium, quia tantum civilem juriſdictionem cum mixto imperio, quod ei inhæret tanquam aliquid inſeparabile, habuit, atque eo ſenſu ſumi juriſdictionis vocem. Hinc Juriſconſulti ſolent dividere juriſdictionem in *civilem & criminalem*. Illa dicitur *notio de cauſis civilibus judicandis cum exequendi facultate conjuncta*, quamobrem mixtum imperium ei cohæret, ea, ut diximus, ordinaria eſt vocis ſignificatio. Criminalis juriſdictio eſt *notio de cauſis criminalibus cum exequendi poteſtate conjuncta.* Hæc autem exequendi facultas continet poteſtatem animadvertendi gladio in homines facinoroſos. Verum notandum gladii poteſtatem non ſemper denotare vitæ amiſſionem, ſed quarundam pœnarum irrogandarum facultatem, ſive vitam naturalem adimant ſive civilem, ſive famæ notam inurant, vel corporis coërcitionem contineant, vel multam ob crimen imponant. *l. 28. ff. de pœnis.* Non majoris ponderis ſunt quæ de *mixto bello* diſputant, quaſi nullum bellum poſſet mixtum dici, quia, ut inquiunt, *ne bellum quidem eſt, niſi pari authoritate congrediantur exercitus, non enim in uſu armorum tantum & externa vi conſiſtit bellum, ſed etiam & potiſſimum quidem in jure. Jus belli ergo quibus non competit, cum illis etiam non geritur bellum; ut nec legatos proprie dictos mittere poteſt, qui non tenet ſummum imperium*, ut annotavit Doctiſſimus Zeigl. & ego veriſſimum puto. Verum cuique homini jus belli gerendi a natura tributum aſſerimus, in ejuſmodi ſcil. neceſſitate conſtituto, ut ſibi alia non ſuperſit occaſio jus ſuum vel retinendi vel perſequendi, niſi vis adhibeatur, cujuſmodi poteſtas quidem in ſtatu civili ſolum competit ſummo imperanti, quatenus univerſi populi caput eſt, & Princeps, imo vice populi omnia agit, quemadmodum in ſtatu naturali quiſque paterfamilias, verum exigente neceſſitate, utpote cum deficiat copia judicis, coram quo jus meum perſequi debeo in ſocietatem coalitus, reviviſcit jus priſtinum, quod cuique in ſtatu naturali facultatem concedit propriis viribus proprioque arbitrio jus ſuum perſequi & tueri, qua facultate jure naturali cuique conceſſa nititur diviſio belli privati & mixti. Poſſet enim caſus exiſtere, quo quis cum familia per alienum territorium iter faciens, forte fortuna, ab ejus principe invaderetur, & fortunis ſuis ſpoliaretur, vel ipſe paterfamilias aut aliquod familiæ ſuæ membrum injuria afficeretur, nullus dubito quin ipſi licitum ſit promere ſuam defenſionem, & vel recuperare ſublata, vel vindicare injuriam ſibi vel ſuis illatam, vi & armis, ſi opus ſit, cujuſmodi certamen ab utraque parte licet non juſtum, belli tamen nomine venit propter jus belli gerendi utrique competens. Imo conſtat ex ſacra ſcriptura Patriarchas inter medios Reges gentium, quales Cananæi, Ægypti verſatos fuiſſe, poteſtatem tamen ſummam gubernandi familiam illibatam & intactam conſervaſſe, ſuiſque domeſticis ſuis dediſſe leges & inſtituta præſcipſiſſe, quæ ipſis eſſent agendorum norma. Quamobrem Abraham, quamvis in terra Canaan & Ægypto eſſet inquilinus, non tantum domeſticos propriis inſtitutis gubernavit, verum & jus belli movendi ac fœdera faciendi in aliena terra obſervavit. Quin cum Abimelecho Geraris Rege & Eſcol ac Aner fœdera ſocialia eſt pactus. Sic etiam & bella movit contra exteros reges, qui Pentapolitanos afflixerant. Sed notandum quod Author bellum privatum publico antiquius putat, id autem quo ſenſu ab Authore dicatur fateor me non percipere. Quippe ſi ſtatuamus quod veriſimile eſt, mortales olim, antequam humana neceſſitas & ratio in civitatem aut ſocietatem civilem coëgit, ſparſim per familias vixiſſe, cui præerat regio imperio pater, liberique ſubjecti ipſa naſcendi conditione, qui itaque tanquam privati conſiderari deberent, veluti hodie cives reſpectu totius univerſitatis & reipub. atque hæc antiquiſſima imperii forma, & majorum ſocietatum origo. Quam primum itaque familia extitit, fuit quædam parva civitas, quæ regio imperio penes patremfamilias reſidente gubernabatur, cui parendi neceſſitas cæteris membris erat impoſita. Imperium autem hic non minus publicum dici poteſt, quam poſt inſtitutas civitates, quæ ex plurimarum familiarum in unam eandemque ſocietatem conſpirantium & coëuntium unitate profluxere, imperium civile. Quippe quot familiæ, tot civitates, vel tot regna, quia quiſque paterfamilias ſui juris erat & dominus rerum ſuarum, ita ut actus ejus non erant ſubjecti juri alterius, præſcribens jura & leges quibus familia fundaretur, & tenerentur omnes qui obſequium ei præſtare obſtricti erant, nec non judicia ordinabat, per ſe vel per delegatos judices jus dicebat, criminum reos & legum contemptores coërcebat, atque in eos animadvertebat, eique incumbebat, providere ne quid familia detrimenti caperet. Hinc & belli gerendi & pacis faciendæ penes ipſum poteſtas ac arbitrium, quæ omnia ſupremæ ac publicæ poteſtatis jura. Bellum itaque inter familias ſegreges, antequam ad majores civitates ac ſocietates deventum fuit, viventes ortum non minus publicum, quam hodie illud quod a magnarum civitatum rectoribus geritur, vocari poteſt, licet ejuſmodi bellum hodie quidem privatum poſſet dici, quoniam ſingulæ familiæ ut tot perſonæ privatæ reſpectu univerſitatis, e quibus, veluti tot membris conflata eſt, conſiderari debeant, quibus nullum jam imperium niſi circa domeſtica negotia, per ſe tamen publicum origine & jure, nam ante conſtitutas reſpub. privatum bellum dictum, quod inter ejuſdem familiæ vel diverſarum familiarum membra oriebatur, ſicut jam illud vocamus quod vel familiæ, vel ſinguli cives ſuſcipiunt; non videtur itaque bellum privatum antiquius bello publico, ſcil. jus belli gerendi, quippe non de actu, vel facto, ſed jure diſputamus, cum ipſo enim humano genere introducta familia, & conſequenter incepit jus belli gerendi, ut patet de primis parentibus, qui ſta-

tim

tim atque creati familiam conſtituerunt, & omne imperium & dominium in liberos habuere jure generationis, quod deinceps in poſteros devolutum, ſed & conceſſum quoque liberis jus belli privati, quatenus jus naturæ cuique tribuit licentiam & facultatem corpus ejuſque membra, tum etiam bona ad commode vivendum neceſſaria tuendi adverſus vim illatam, ubi nulla alia eſt ratio expediendæ ſalutis, niſi propriis viribus & authoritate vim vi nulla interpoſita mora repellat. Quamobrem videtur utrumque jus cum ipſo humano genere introductum, & conſequenter æque vetuſtum.

2. Bellum aliquod privatum licite geri, quantum jus naturæ attinet, ſatis apparere arbitror ex iis quæ ſupra diximus, cum oſtenſum eſt, ut quis injuriam etiam vi a ſe arceat, juri naturali non repugnare. Sed forte putet aliquis id ſaltem poſt conſtituta judicia publica non licere: quanquam enim judicia publica non a natura, ſed a facto ſunt humano, cum tamen multo ſit honeſtius, & ad quietem hominum conducibilius, ab eo cujus nihil interſit rem cognoſci, quam homines ſingulos, nimium ſæpe amantes ſui, quod jus putant id manu exſequi, tam laudabili inſtituto obſequendum ipſa dictat æquitas & ratio naturalis. Paulus JC. *Non eſt ſingulis concedendum quod per magiſtratum publice poſſit fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. Hinc eſt*, inquit Rex Theodoricus, *quod legum reperta eſt ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu: quid enim a bellica confuſione pax tranquilla diſtat, ſi per vim litigia terminantur?* Et vim vocant leges, *quoties quis id quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit.* *l. Non eſt de R. I. Caſſ. l. IV. Var. epiſt. 4.*

COMMENTARIUS.

PLurima a nobis adducta teſtimonia ac argumenta §. 1. *n.* 4. *cap.* 2. e quibus perſpici poteſt nihil magis rationi conſentiens, quam omnem vim ac injuriam a capite & vita propulſare, quod & rationem doctis, & neceſſitatem barbaris, & naturam ipſam feris præſcripſiſſe docet Cicero. Quomodo vero ex ratione deduci debeat illud naturæ jus, quod & jus divinum neceſſarium, homini & cuique individuo facultatem tribuens depellendi a ſe omnem vim & injuriam, docet Vir Ampliſſimus eruditione & ingenii acumine florentiſſimus Lambertus Velthuſius, *in Diſſert. de princip. juſti & decori. Sed*, inquit, *ut inceptum perſequamur: rurſus me tanquam mundi partem contemplans non fortuito, ſed prudentis & ſapientis Dei conſilio productus ſim oportet: examinandum itaque, quid Deus de me fieri voluerit: quod hac ratione inveſtigo. Id proculdubio in me conſervari vult, quod ſi tollatur, fruſtra quaſdam partes & proprietates mihi attribuiſſe videatur, quod in cauſa operante per ſapientiam fieri non poteſt. Ante omnia autem, ut jam dixi, in me comprehendo eſſe ſummum ſtudium conſervandi memet ſalvum & incolumem: huic ſtudio ſubſerviunt appetitus edendi, bibendi, vindictæ, affectus amoris & doloris, denique omnes animæ paſſiones, & conducit ad expletionem iſtius appetitus totius corporis fabrica, & organorum ſubordinatio, ita ut, aut plane iſthæc omnia fruſtra ſunt, aut fatendum ſit Dei voluntatem eſſe, me meaque, quæ in creatione mihi conceſſit, conſervare ſalva & integra. Sub hac autem vita membrorumque conſervatione, non tantum ea comprehendi oportet, quæ vitæ & membris incolumitatem præſtant, ſed etiam ea, quæ naturali eorum uſui repugnant, vitanda eſſe eadem ratione docetur, aut quæ ſubvertunt eum finem, ad quem nos vita, membrorumque & facultatum homini propriarum natura ducit.* Atqui hæc omnia haberi nequeunt niſi media quædam adhibeantur, quibus conſequenda, ergo eo ipſo quo Deus vult, ut memet ſalvum & incolumem conſervem, etiam mihi concedit facultatem ea arripiendi & applicandi media, ſine quibus me conſervare nequeo, quando itaque in eo ſtatu conſtitutus ſum, ut ſalvus eſſe non poſſim niſi vim vi repellam, non ſolum divina, ſed etiam humana jura permittunt, imo obligationem mihi imponunt, omniſque ſuadet honeſta ratio, ut ſalutis expediendæ cauſa tanquam neceſſarium medium eam adhibeam, cujuſmodi facultas mihi non tantum in ſtatu naturali, in quo quiſque ſui juris eſt & arbiter ac moderator rerum ſuarum, verum etiam in ſtatu civili poſt conſtituta judicia publica, eum in finem introducta, ut hac ratione omnis vis & injuria, quam homines facinoroſi, vel intulerunt innocentibus, vel inferre meditantur, vindicaretur & coërceretur. Summa enim induceretur confuſio, ſi quiſque ab aliquo læſus ſemetipſum vindicare poſſet, cædibus atque bellis ubique graſſaretur, & conſequenter civitas ſeu Reſpub. non præſtaret majorem hominibus ſecuritatem tran-

tranquillitatemque, qnam in naturali ſtatu, quem propter innumera pericula & incommoda·, quæ efficiunt, ut homines continuo armati eſſe debeant ad ea a ſe arcenda, ſtatum belli vocamus, ſibimetipſis dare potuerint, atqui ejus ſtatus pertæſi in civitatem coaluerint, ſummumque imperium conſtituerint, quod valeret ipſis præſtare eam ſecuritatem atque tranqnillitatem quam cupiebant, neceſſe etiam duxerunt, ut renunciarent huic facultati ſeſe ipſos vindicandi, atque ſibi jus dicendi, quod in naturali ſtatu habuiſſe ſupra a nobis annotatum. Si quis itaque in civitate læditur atque injuriam patitur ab alio, implorandum judicis officium & auxilium, cui incumbit, poſt cognitionem cauſæ, ut ſuum cuique tribuendo juſtitiam adminiſtret, qua ratione & ſecuritati & tranquillitati civium conſulit, finis & ſcopus, imo etiam cauſa impulſiva, ut loqui amant Philoſophi, politici regiminis. Ex quibus perſpicimus poſt judicia publica conſtituta multum de ſua facultate, quæ cuique competit ad ſeſe tuendum adverſus injuriam & vim illatam in naturali ſtatu, detractum. Judicia eodem ſenſu ab Authore publica vocantur, quo publicum dicit bellum, nimir. qnia ab eo conſtituta ſunt qui repræſentat univerſum populum imperio ſuo ſubjectum, & conſequenter nomine populi jus dicit, quam facultatem quaſi ab ipſo populo ipſis delatam recte dicimus, ut ad omnem confuſionem, omnem tumultum, & innumera pericula & incommoda tollenda, quæ privata cujuſque juriſdictio pareret, quiſque e civibus injuria affectus, vel alia quacunque ratione læſus, eo poſſet confugere, & læſionis reparationem & juris, quod ſibi competere putat, conſervationem per judicem repoſcere. Et hoc ſenſu recte dicit Author publica judicia humano facto inducta, quemadmodum imperii civilis origo ab eodem derivanda. Nam quemadmodum & ante inſtitutas civitates publicum obtinuiſſe bellum, ita quoque publica a patribusfamilias exercita fuiſſe veriſſimum putamus. Nam quemadmodum cum ipſo humano genere, ſcil. cum ipſo Adamo familia introducta, cum familia imperium & quidem reginm, ita etiam judicia conſtituta. Ita Henr. Heidegg. *Hiſt. Patriach. exercit. 2. cap. 3. Quid quaſo probabilius elici poteſt, quam Adamum, quamdiu is vixit, liberis ſuis, iis cumprimis, qui paternum obſequium non exuerunt, quales Sethitæ, cum regio imperio præfuiſſe, iis leges, quibus in civitate uterentur, ſalubres præſcripſiſſe, judicia & conſiſtoria, ut ita loquar, ordinaſſe, vel per ſe vel per delectos judices jus dixiſſe, ſontes & honeſtarum legum frenum abnuentes coërcuiſſe, & ſi quæ alia pro regibus vel ſupremis dominis facere ſolent. Sane patrem liberis & nepotibus ſuis ſuperſtitem æquum fuit eorundem habere curam, & ne vel improborum vexentur injuriis, vel recte vivendi deſtituantur ſubſidiis, ſollicite providere.* Quam gubernandæ familiæ formam ipſa natura cum homine introduxiſſe videtur. Quare & recte mihi ſentire videntur, qui Rempub. eodem modo jam adminiſtrari exiſtimant, quam olim familia & ſervi, ex quarum coalitione profluerunt, atque eandem facultatis eſſe rationem, ſola enim multitudine & paucitate differunt. Alii enim in plures, alii in pauciores imperium exercent. Ita ut qui in paucos imperium habet paterfamilias, qui in plures Rex vel Reipub. præfectus recte vocari poſſet. Quin & hæc videtur cauſa cur initio gentes & ipſæ civitates Regio imperio paruerunt, ſcil. quia ex Regio imperio videntur homines ad majores haſce ſocietates deveniſſe. Ex domeſtico nimirum: domus enim quævis ſeniori, tanquam Regi paret. Ex hac autem ceteræ ſocietates profluxêre. Magnæ enim ſunt coloniæ minorum, ut inquit magnum Reipub. litterariæ lumen Daniel Heinſius *Paraphr. in Ariſt. Polit. 1. cap. 1.*

L. Exſtat. D. quod metus.

II. 1. Certe, quin reſtricta multum ſit ea quæ ante judicia conſtituta fuerat licentia, dubitari non poteſt. Eſt tamen ubi locum nunc quoque habeat, nimirum ubi ceſſat judicium: nam lex vetans ſine judicio ſuum conſequi intelligi commode debet ubi copia eſt judicii. Ceſſat autem judicium momentanee, aut continue. Momentanee ceſſat, ubi exſpectari judex non poteſt ſine certo periculo aut damno. Continue vero, aut jure, aut facto. Jure, ſi quis verſetur in locis non occupatis, ut mari, ſolitudine, inſulis vacuis, & ſi qua alia ſunt loca in quibus nulla eſt civitas: facto, ſi ſubditi judicem non audiant, aut judex aperte cognitionem rejecerit.

COMMENTARIUS.

VIx enim diu poſſet ſubſiſtere ſocietas civilis, atque evitari incommoda illa, quæ in cauſa fuerunt, quamobrem in ſocietatem coïverunt mortales, niſi libertas & facultas naturalis ſuis limitibus eſſet circumſcripta, ita ut veriſſimum quod Author ſtatuit, ſcil. poſt judicia conſtituta, quæ cum ipſo ſummo imperio & civitatis forma introducta ſunt, multum reſtrictam eſſe homini ante judicia conceſſam jure naturæ licentiam, ita ut quod in ſtatu naturali agentibus licuerit,

cuerit, ſcil. ſalutem ſuam propriis viribus proprioque ex judicio expedire id minime concedendum iis qui in civitatem coaluerunt, ſuamque voluntatem ſummi imperantis arbitrio & voluntati ſubjecerunt: quamobrem non ſui juris ſunt, ſed ejus imperio & juriſdictioni obtemperare & morem gerere coacti, quem tuendæ ſocietati præſecerunt, cujus itaque officium a ſuis civibus injuriam propulſare, cuique tribuendo juſtitiam adminiſtrare. Quamobrem in cuſtodia tanquam in ſpecula collocati dicuntur Principes atque Magiſtratus, ut imminentia mala non ſolum provideant, ſed etiam pro viribus depellant legibus & armis. Verum quamvis poſt judicia conſtituta multum ſit detractum de facultate, quam quis in naturali ſtatu habet, non tamen ita omnino ſublata eſt, quin poſſet aliquando jus priſtinum reviviſcere, nimirum quando ceſſat judicium: quippe non præſumendi ſunt mortales in ſocietatem civilem coaleſcentes, ut propriæ ſaluti & ſecuritati conſulerent, in perpetuum & omni in caſu hanc facultatem abjeciſſe, verum huic renunciarunt ſub conditione, ſcil. quandiu eſſet occaſio jus ſuum conſequendi per judices, nemini licentiam eſſe voluere propria authoritate ſibi jus dicendi, ſublata vero vel neceſſitate vel caſu aliquo judiciorum & juris dicundi ratione, quam eo ipſo, quo in ſocietatem conſpirarunt, introducere voluerunt, cuique quaſi jure poſtliminii ſalvum eſt priſtino jure uti, quo quis recuperat naturalem ſibi ſuiſque liberis totiuſque familiæ membris jus dicendi facultatem. Ceſſat autem judicium, vel *momentanee*, vel *continue*. Momentanee ceſſat, ubi eſt periculum in morâ, ut loquuntur forenſis jurisperiti, ubi judex exſpectari non poteſt ſine certo periculo aut damno, ut inquit Author. Quod locum habere poteſt, quando quis, in capitis diſcrimen vocatus, nullam habet occaſionem expediendæ ſalutis, niſi in continenti vim vi repellat, atque ſeſe opponat aggreſſori; juſta enim defenſio ad alterius invaſionem in continenti fieri debet arg. *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armata.* Ubi inquit Ulpianus. *Eum igitur qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non ex intervallo. vid. & l. 16. ff. ad Sct. Macedon. & l. 1. fin. §. fin. quod vi aut clam.* Qui enim ex intervallo vim infert, cogitato infert, ideoque non tam ad ſui defenſionem quam quidem ultionem & vindictam adhibita præſumitur, omnis autem ultio prohibita. Judicem enim hoc in caſu adire, & coram eo jus allegare atque perſequi tenemur. Continua vero judicii ceſſatio eſt, quando nullus datur magiſtratus, vel judex, per quem jus meum obtinere poſſum; eaque duplex eſt, vel juris, vel facti. Juris eſt, ſi quis in locis verſetur non occupatis, ut inſulis vacuis, ſolitudine, aliiſque in locis ubi nulla civitas eſt, tum iterum tanquam in naturali ſtatu conſtitutus conſiderari debet, & conſequenter recuperat facultatem ſibi jus dicendi, & propria authoritate propriiſque viribus ſuo arbitrio ſui defenſionem ſuſcipiendi. E. G. Si quis in inſula vacua verſans ſe defendat adverſus eum, qui forte ſortuna in eandem inſulam veniens primum occupantem de ejus poſſeſſione dejicere nitentem vi & armis oppugnat, utitur jure ſuo quod natura cuique occupanti concedit, & licet non fiat illico repulſio, legitima & juſta tamen eſt, quia nullum habet ſuperiorem judicem, cui ſe vel adverſarius ſubmittere tenetur. Verum hanc poteſtatem, quam quis hac ratione ſeſe tuendi adverſus vim & injuriam illatam & jus ſuum perſequendi proprio arbitrio recuperat, ita limitat celeberrimus Sam. Puffend. *de jur. nat. & gent. lib. 8. cap. 6.* cum inquit, aut quis in locis vacuis in prima adhuc communione ſubſiſtentibus degens, a ſuo cive, an vero ab alio invadatur. *Priori in caſu*, inquit, *præſens duntaxat periculum vi poteſt depelli, perſecutio injuriæ ad communem dominum deferenda; niſi forte appareat, invaſorem iſtum in patriam non reverſurum, nec iſte domi habeat unde pro injuria ſatisfacere queat. Ab extraneo autem ſi quis in ejuſmodi loca invadatur, non prohibetur quidem ad extremum illum perſequi, ubi prævaluerit. Licebat tamen & iſtum deferre apud ipſius civitatem, ibi ſatisſactionem & pœnam exigere, adhibita quoque interventione propriæ civitatis; quæ ubi civi ſuo juſticia denegatur, jus nanciſcitur violento modo ſatisſactionem civi ſuo præſtandi. Unde*, pergit, *ſi quis in oceano libero invadatur, non ſemper neceſſum habet vim propriam ultra depulſionem periculi exprom ere, cum invaſori, ubi ad ſuum iterum appulerit, actio in ſua civitate intentari queat.* Verum hæc potius conſilii quam juris ſunt, ideoque non neceſſitatis, ſed voluntatis. Quippe qui me injuria affecit dicto caſu, ille mihi dat facultatem eum perſequendi donec ſatisfactus ſum, quoniam illa mora cujus hic mentio, ſæpe in cauſa eſſe poſſet, ut me de jure meo fruſtrarem, vigilantibus jura ſcripta, non differendum quod illico fieri poteſt, ſi jure & legitimo modo fit. Facto autem ceſſat judicium, quando judex declinat cauſæ cognitionem ſuſcipere, nam eo ipſo mihi videtur tribuere jus priſtinum, vel quando bellis inteſtinis, & civilibus diſcordiis diſtracta ſit civitas, & ſubjecti præ armorum ſtrepitu verba judicis exaudiri poſſe negant, omnem obedientiam quam ſummis legitime juſteque imperantibus debent, abjicientes & furore correpti divina juxta, & humana jura polluunt atque permiſcent, omnemque reverentiam cum erga leges tum etiam magiſtratus atque judices exuunt.

2. Quod diximus etiam poſt judicia conſtituta naturali juri non repugnare omne bellum privatum, etiam ex lege Judæis data intelligi *Molin.*
poteſt, ubi ſic per Moſen Deus loquitur Exod. XXII. 2. *Si in effoſſione* *diſp. 100.*
deprehenſus fur ita percutiatur ut moriatur, ne reus cædis eſto percuſſor, ni jam dies *§. dubium vero.*

 illuxerit,

illuxerit, tunc enim reus cædis erit. Omnino enim videtur hæc lex, tam accurate diſtinguens, non ſolum impunitatem inducere, ſed jus etiam naturale explicare; neque fundari in peculiari aliquo mandato divino, ſed in communi æquitate: unde alias etiam gentes id ſequutas videmus. Notum eſt illud XII Tabularum, haud dubie ex veteri jure Attico profectum: *Si nox furtum faxit, ſi eum aliquis occiſit, jure cæſus eſto.* Sic inſons omnium, quos novimus, populorum legibus judicatur, qui adverſus aggreſſorem armis vitam periclitantem defenderit: qui tam manifeſtus conſenſus teſtimonium præbet, nihil in eo eſſe quod naturali juri adverſetur.

COMMENTARIUS.

NItitur hæc lex Judæis data naturali jure & æquitate, quæ cuique in neceſſitate vitæ vel rerum amittendarum conſtituto facultatem concedit propria authoritate propriiſque viribus ſeſe opponendi invaſori, modo ſit ad eas anguſtias redactus, ut nulla ſit ea conſervandi ratio, niſi ilico ſuam promat defenſionem. Momentanee hic ceſſat judicium, & conſequenter invaſus conſiderari debet in naturali ſtatu conſtitutus, conſequenter idem imperium eo momento recuperat, quo armatus eſt judex, qui cum etiam puniendi capitali ſupplicio furem nocturnum in effoſſione deprehenſum jus habeat, ita quis ob vitæ atque bonorum conſervationem extrema adhibere poteſt etiam jure divino. Recte Vaſquez *dub.* 6. *num.* 18. ſentit occiſionem in caſu defenſionis fieri cenſendum authoritate publica, quia inquit, *qui occidit ad defenſionem, ut publica perſona ad id jure naturali deſtinata occidit*, ut ex lege ab Authore allegata perſpicimus. Quippe rationes, cur liceat furem in effoſſione nocte deprehenſum percutere ut moriatur, ſi vero dies illuxerit, non item, hæ eſſe videntur. 1°. Quia nocturnus non agnoſcitur, atque ideo non poteſt res ablata judicio repeti. 2°. Quia non poteſt tam ſecure apprehendi aut repelli. Convenit cum hac lege lex XII. tabb. *Si nox furtum faxit, & ſi quis occidit, jure cæſus eſto.* Idem ſtatuit Solon apud Demoſthenem *in Timocrat. Si quis de die ſupra quinquaginta drachmas furatus fuerit, ad undecim viros abducere eum licere: ſi vero noctu furatus, hunc licere & inter perſequendum vulnerare & ad undecim viros abducere, ſi quis velit.* Sic Plato de *LL. lib.* 9. *Qui noctu furem domum ſuam ingreſſum interemerit, mundus eſto.* Quæ diverſarum gentium leges circa idem crimen, idem ſtatuentium documentum, non in peculiari aliquo mandato divino, quod in furem nocturnum ſancitum *Exod.* 22. Verum in communi æquitate, dum ratio idem dictavit in caſu ſimili gentibus, fundari.

III. 1. De jure divino voluntario perfectiore, Evangelico ſcilicet, plus eſt difficultatis. Quin Deus, cui plus juris eſt in vitam noſtram, quam nobis ipſis, potuerit a nobis patientiam eo uſque exigere, ut etiam privatum in periculum adducti, occidi deberemus potius quam occidere, ego non dubito. An autem voluerit nos eo uſque obſtringere, id eſt quod inquirimus. Solent pro affirmante ſententia adferri duo loca, quæ ſupra adduximus, ad quæſtionem generalem: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. *Ego autem dico vobis; Ne reſiſtite injuriam facienti*, Matth. v, 39. & Rom. XII, 19. μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες ἀγαπητοί, ubi Latina verſio habet, *non vos defendentes, chariſſimi.* Tertius autem locus eſt in illis Chriſti verbis ad Petrum, *Repone gladium tuum in vaginam, nam quicunque acceperint gladium, gladio peribunt.* Addunt his nonnulli Chriſti exemplum, qui pro inimicis ſit mortuus, Rom. v. 8, 10.

Lib. x. *in Lucam. De off.* III. *c.* 3. *Lib.* 1. *de lib. arb. c.* 5. *Epiſt.* 154. *ad Publicolam. Cap.* 43. & 55.

COMMENTARIUS.

AUthor hic iterum in eundem errorem incidit, quem jam aliquoties annotavimus. Recte quidem jus divinum dividitur in *neceſſarium*, quod & naturale ſive etiam morale dicitur, & *volun-*

luntarium, quod a divina voluntate dimanat, ideoque mutari, augeri, imo in totum abrogari poteſt, prout ſummo legiſlatori placeat, neutiquam vero jus neceſſarium, ut ſupra demonſtravimus. Verum perperam hic ſtatuit aliquod jus divinum voluntarium perfectius nobis in Evangelio proponi, quaſi novus legiſlator fuiſſet Chriſtus, quod non ſolum orthodoxæ religioni, ſed etiam ſanæ rationi plane contrarium axioma eſt, ut ſuo loco etiam a nobis annotatum fuit. Quamobrem hanc quæſtionem miſſam faciemus, lubet potius inveſtigare an jus divinum poſitivum privatum bellum prohibeat, & conſequenter hac in parte recedat a divino neceſſario ſive jure naturali. Notandum vero jus naturale vel divinum neceſſarium præceptivum ſeu poſitivum ejus eſſe naturæ, ut ſuo loco annotavimus, quod mutari nequit, ne quidem ab ipſo juris Authore Deo, & conſequenter fruſtra videtur ab Authore inquiri num jus divinum voluntarium aliquod perfectius aliter diſponit circa defenſionem & conſervationem ſui vel bonorum privata authoritate proprioque arbitrio ſuſceptam, cujuſmodi defenſio & conſervatio cum vi conjuncta nomine belli privati venit, nam cum ipſe Author jus belli privati ex jure naturali dimanare ſtatuat, ſequitur neque divina neque humana voluntate tolli vel abrogari poſſe. Non poteſt ens perfectiſſimum & ſimpliciſſimum contraria velle, ideoque mutare quæ ex immutabili & æterno decreto profluunt, nequaquam autem homo, cui obſequendi divinæ voluntati gloria tantum relicta. Fateor defenſionem ſui eſſe quidem juris naturalis, verum non conveniunt juris naturalis periti, ſit ne juris naturæ permiſſivi, vel præceptivi, quod obligationem imponit faciendi, ita ut quis ſe non defendens vim vi repellendo non peccet contra rectæ rationis dictamen. Plurimi moraliſtæ conveniunt jure naturæ licitam, non vero præceptam. Alii contra ſtatuunt eam in certo caſu non tantum permiſſam & licitam, ſed etiam præceptam. Si tantum licita & permiſſa, divina voluntate mutari & tolli poteſt. Sin autem præcepta, jure poſitivo neque divino neque humano tolli poſſe dicendum videtur. Et huic opinioni libens ſubſcribo. Sed quæri poſſet, an ſummæ & liberæ poteſtati quam in res creatas ideoque hominem habet hujus univerſi Author & Conditor Deus, ſtatuentes nobis jure divino injungi non poſſe, ut noſtri defenſionem abjiciamus & mortem vitæ præferamus, non detrahimus aliquid? quam difficultatem qui in Authorem commentati ſunt non attigerunt. Nam in eam opinionem videtur adductus Author, ſcil Deum circa neceſſitatem & obligationem illam naturalem, qua teneri hominem putamus in vitæ diſcrimen vocatum quacunque ratione, ideoque etiam cum internecione aggreſſoris, quando ad eas ſit redactus anguſtias ſeſe defendere, diſponere. Cum inquit, *Deum cui plus juris eſt in vitam noſtram, quam nobis ipſis, poſſe a nobis exigere, ut etiam privatim in periculum adducti, mortem præferamus vita.* Juris naturalis eſſe defenſionem vitæ, membrorumque conſervationem, hiſce argumentis probamus. 1°. Quia Deus hominem producendo voluit ut exiſteret, & quidem neceſſario velle debuit, quippe impoſſibile eſt concipere rem productam non exiſtentem, quemadmodum itaque neceſſe eſt ut homo productus exiſtat, etiam neceſſe eſt, ut ſemetipſum conſervet quamdiu exiſtit, quoniam a conſervatione ſui dependet exiſtentiæ continuatio, eo itaque ipſo quo Deus hominem producere voluit ut exiſteret & eſſet, etiam neceſſario velle debet ut ſe conſervet, atqui ſeſe conſervare nequeat niſi a ſe arceat quæcunque interitum eſſentiæ & exiſtentiæ accelerarent, & contra ſibi paret quæ ad ejus conſervationem pertinent, ſequitur quemadmodum voluntati Dei hominem producere volentis ineſt neceſſitas exiſtendi, ita exiſtendi neceſſitati ineſt quoque neceſſitas qua homo tenetur ſeſe conſervare & conſequenter uti omnibus mediis, quæ ei inſerviunt; nequit enim Deus velle contraria, quæ enim ſibi magis contraria quam conſervatio & interitus; qui itaque vult ut res exiſtat, non poteſt velle ut exiſtere deſinat, quoniam vero ad conſervationem eſſentiæ & exiſtentiæ noſtræ maxime pertineat defenſio ſui, hinc eadem neceſſitate, qua tenemur nos metipſos conſervare ut exiſteremus, etiam obligamur nos tueri adverſus eos qui interitum noſtrum cupiunt, atque hæc obligatio ejuſdem naturæ eſt, cujus omnes ex naturali jure immutabili deſcendentes, ideoque nec mutari nec abrogari vel tolli poteſt. Poſſet qui mihi objicere, ſi ex creatione hominis ſequitur neceſſaria ejus exiſtentia, ergo ſemel jam productus qui poteſt a Deo exiſtentia morte privari, quoniam in ens perfectiſſimum & ſimpliciſſimum nihil poteſt imperfecti vel abſurdi cadere, atqui rerum uſus docet, Deum liberam vitæ humanæ diſpoſitionem habere, eumque ſpiritum hominis eripere quando libet. vid. *Pſal.* 76. Ergo omnia dependent a creatoris voluntate ut ſtatim diſputavimus. Sed Reſpondeo hominem a Deo mortalem creatum, ideoque cum producendo certum tempus decrevit quamdiu exiſteret, quo elapſo jam nolit eum eſſe, atque ſimul etiam concipit vitæ finiendæ modum & rationem, quæ voluntatis ſunt. Verum eo ipſo quo decrevit, ut homo a ſe productus ad certum tempus exiſtat, etiam neceſſario vult ut quamdiu exiſtit ſe conſervet, & conſequenter a ſe depellet quæ interitum eſſentiæ portendunt. Itaque quamdiu vivit obligatio & neceſſitas ex immutabili divino decreto dimanans, homini incumbit ſeſe conſervandi in eo ſtatu in quo collocatus eſt. Ex obligatione ſeſe conſervandi immediate profluit obligatio ſemetipſum defendendi adverſus eos, qui nobis vitam eripere meditantur & jam hoſtilem erga nos animum ipſo facto declararunt. Huic adjungi commode poſſunt quæ habet Vir Ampliſſimus & eruditiſſimus Lambert. Velthuſius *de Princip. juſt. & decor.* paulo ante a nobis deſcripta. Optime itaque ſentiunt nonnulli JCti, adeo defenſionem jure naturali præceptam, ut ne lege quidem civili vel conſuetudine poſſit tolli & prohiberi. *arg. l.* 44. *ex quib. cauſ. major.* Vaſquez *illuſt. quæſt. lib.* 1. *cap.* 18. Zoeſ. *Comment. ad digeſt. de conſt.*

Princip.

Princip. Quoniam ſtatuta contra tenorem juris naturæ & gentium condi nequeant. Quæ enim ſunt juris naturalis ſeu divini neceſſarii diſpoſitioni hominum non ſubjacent. Adeo ut qui ſe, cum tueri poſſet, occidi permittat, damnari queat, non aliter veluti ſibi mortem inveniſſet. Ita Molin. *de juſt. & jur. tract. 3. diſp. 13. Tom. 4. Jure naturali unusquiſque tenetur per media licita conſervare vitam ſuam, atqui medium licitum aggreſſorem interficere, ergo quando aggreſſus interficere poteſt aggreſſorem, idque eſt neceſſarium ad vitam conſervandam, tenetur illum interficere.* Vid. Sotum *de juſt. & jur. q. 1. art.* 8. Deinde neminem mihi negaturum perſuadeo præceptum, quo tenemur proximum diligere ſicut noſmetipſos, morale eſſe, & juris divini neceſſarii, charitas autem, qua proximum proſequi debemus, etiam a nobis poſtulat, imo nos obligat eum defendere, ſi a violento aggreſſore invaditur, ut apparet *Proverb. cap. 24. vers.* 11. ubi docet regum ſapientiſſimus habendam de proximo curam, quem ut ſeipſum diligat fidelis, a periculis ſervet ſi poſſit, imo ut poſſit annitatur, liberet a violentia & injuſtitia improborum, a periculo mortis. Cum inquit; *Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* vid. Pellican. *ad dict. loc.* hic quoque *Pſalm. 82. 4. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Moſes ſibi hujus obligationis, quæ ex amore, quo proximus amplectendus dictat recta nobis ratio, conſcius, videns virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus, ei ſuccurrit. Idem fecit Abram *Geneſ.* 14. 14. Si lege morali vel naturali obligamur ſuſcipere defenſionem proximi, ergo multo magis a proprio corpore, vita, & capite tenemur propellere omnem vim atque injuriam; præcipit quidem lex ut proximum diligamus ſicut nos ipſos, verum non præ nobis, imo ordinatus a ſe ipſo incipere debet amor, ita ut ſi in pari periculo cum proximo conſtitutus ſim, omnis ſuadet honeſta ratio, ut mihi potius quam aliis conſulam. Ex quibus argumentis perſpicimus non eſſe juris naturalis ſed præceptivi ſui defenſionem, & conſequenter manifeſtum eſt Deum nos noluiſſe eousque obſtringere, ut in periculum adducti nos patiamur potius occidere, quam ut alios noſmetipſos defendendo occidamus.

2. Neque deſunt inter Chriſtianos veteres qui bella quidem publica non improbaverint, ſed defenſionem privatam putarint vetitam. Ambroſii loca pro bello ſupra attulimus. Auguſtini multo etiam plura ſunt & clariora, omnibus nota. At idem Ambroſius dixit: *Et ideo fortaſſe Petro, duos gladios offerenti, Satis dicit; quaſi licuerit uſque ad Euangelium; ut ſit in lege æquitatis eruditio in Euangelio veritatis.* Idem alibi: *Chriſtianus, etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poteſt; nedum ſalutem defendit, pietatem contaminet.* Auguſtinus vero: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales* (latrones & alios invaſores violentos) *permittit interfici, ſed quomodo iſtos qui interficiunt defendam non invenio.* Et alibi: *De occidendis hominibus ne ab eis quiſquam occidatur non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis accepta legitima poteſtate.* Atque idem ſenſiſſe Baſilium ex ſecunda ipſius ad Amphilochium epiſtola ſatis apparet.

COMMENTARIUS.

NEgarunt nonnulli id licere in foro Dei, licet leges civiles id impune permittant in foro humano ſive externo, nec deſunt Patrum quorundam authoritates, quæ id etiam vetare videntur, quorum in numero & Auguſtinus, qui *in lib. arbitr. Quomodo*, inquit, *apud divinam providentiam a peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt.* Et cenſet illas res in univerſum eſſe contemnendas, quas homines inviti poſſunt amittere, in quarum numero eſt vita. vid. etiam *Epiſt.* 154. quæ eſt *ad Publicolam.* Sic quoque *lib. 1. cap. 21. de civit. Dei* cenſet hominem homicidii crimine innecti, qui vel ſe ipſum vel quemlibet occiderit, non munitus ipſa divina authoritate, vel lege, aut expreſſa juſſione. Quibus conſentire videtur Hieronymus, cum inquit: *Non eſt noſtrum mortem eripere, ſed illatam ab aliis libenter accipere.* Sic quoque Nicolaus Papa in *cap. 6. diſt.* 50. reſcripſit: *Clericum ſe defendendo paganum occidentem ſacerdotali debere carere officio, adeo ut licet peracta ſit pœnitentia, tamen non poſſit ad priſtinum gradum redire, quia Papa non tribuit ipſis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi.*

3. Sed

3. Sed oppoſita ſententia ſicut receptior eſt, ita verior nobis videtur, ut talis patientia nos ſit in obligatione: jubemur enim in Euangelio proximum amare juxta nos ipſos, non præ nobis ipſis: imo ubi par malum imminet, non vetamur nobis potius quam aliis conſulere, ut ſupra oſtendimus auctoritate Pauli beneficentiæ regulam explicantis. Inſtet forte aliquis, & dicat; etiamſi meum bonum præferre poſſim bono proximi, hoc tamen locum non habere in bonis inæqualibus, quare vitam meam mihi potius deſerendam, quam invaſor permittatur incidere in perpetuam damnationem. Sed reſponderi poteſt, ſæpe etiam eum, qui impetitur, opus habere tempore ad pœnitentiam, aut probabiliter ita exiſtimare: & ipſi quoque aggreſſori ante mortem poſſe ad pœnitentiam ſpatium ſupereſſe. Deinde, morali judicio non videri æſtimandum illud periculum in quod ipſum ſe quis conjiciat & unde ſe poteſt eximere.

COMMENTARIUS.

ANnotavimus paulo ante legem charitatis præcipere quidem, ut proximum diligamus juxta nos ipſos, verum non præ nobis ipſis, ita ut ſocii ſalutem meæ anteponere eſſem obligatus. *Nemo tam demens eſt, tamque parum de ſe cogitans, qui alienam vitam magis quam ſuam diligit*, ait Cicero. Natura enim ita comparata eſt, ut omnes bene ſibi eſſe malint quam alteri. Proximus quiſque ſibi. Verum objiciunt deinde, majus periculum ei imminere, qui vitam & temporalem & æternam ſimul amittit, quam qui temporalis tantum jacturam facit. Quod ſi vero aggreſſor, odio ac ira percitus, ab eo, qui vitam ſuam ac corpus tuetur, ilico occidatur, verendum eſt, ne æterna morte pereat. Videtur itaque charitas, qua ſocio tenemur proſequi, poſtulare, ut æternam ſocii ſalutem præferamus temporali vitæ, & proinde noſtram defenſionem abjiciamus ad aggreſſoris condemnationem æternam evitandam. Fateor convenire quidem homini Chriſtiano ſocii ſpiritualem ſalutem præferre conſervationi vitæ temporalis ac caduci corporis, modo ſciat temporalis vitæ amiſſione alterius ſpiritualem lucrari poſſe. Verum inficior aggreſſorem in tali neceſſitate verſari, ut æternæ ejus ſaluti promovendæ quis jactura propriæ vitæ teneatur ſuccurrere. Ipſum fugere non poteſt ſe in re illicita & naturæ legibus prohibita occupatum, quæ injuriam alicui inferre & vitæ ſocii inſidiari omnino vetant, ideoque dictat ipſi ratio abſtinendum ejuſmodi delicto, niſi damnum quod inde eveniet, ſuæ velit audaciæ & culpæ imputare. Ignorantia etiam hac in re ipſi nihil prodeſſe poteſt, cum ea ſit juris naturalis, quæ in damnis rei amittendæ omnibus obeſt. arg. *l.* 2. *Cod. in jus vocando*. Cui & addi poteſt, quod ipſe invaſus non eſt ſalutis ſuæ certus, ſi ſe occidi patiatur, pauciſſimi enim mortalium, quamvis contrarium optandum eſſet, ita vitam inſtituunt, ut omni momento ſint ad moriendum parati; quotidie enim ad multa prolabimur vitia, ita ut juſtus ſepties cadat uno die, cum tamen aggreſſor vulneratus poſſit pœnitere, & hac ratione ſpem ſalutis æternæ nanciſci. Leſſ. *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. Et Joan. de Lugo *de juſt. & jur. diſp.* 10. *ſect.* 6. *n.* 141. idem ſentit, cum reſpondeat objectioni, quam allegavimus, *Obligationem charitatis ad procurandam ſalutem æternam proximi non eſſe univerſalem, niſi in caſu neceſſitatis extremæ; ad neceſſitatem autem requiritur, quod proximus noſtro auxilio indigeat. Cum ergo invaſor injuſtus non indigeat mea ope, ipſe enim poteſt facile ſibi conſulere non me invadendo injuſte, non cenſetur eſſe in neceſſitate gravi, nedum extrema: quare ceſſat omnino obligatio ſubveniendi, quia hac ſolum eſt reſpectu indigentis, ille vero, qui poteſt ſe ſalvare, non indiget, ut conſtat.*

4. Certe Apoſtolorum aliqui ad ultimum uſque tempus, Chriſto vidente & ſciente, videntur iter feciſſe armati gladio, quod & alios Galilæos e patria urbem verſus properantes ob infeſtas latronibus vias factitaſſe ex Joſepho diſcimus: qui & de Eſſenis innocentiſſimis hominibus idem prodidit. Hinc enim factum eſt, ut, cum diceret Chriſtus tale tempus imminere, ut gladii comparandi cauſa vel veſtis vendenda eſſet, Lucæ XXII, 36, ſtatim Apoſtoli reſponderint in ſuo comitatu

tatu duos eſſe gladios: erant autem in eo comitatu nulli præter Apoſtolos. Tum vero illud ipſum quod dixit Chriſtus, quanquam præceptum revera non continet, ſed proverbium eſt, ſignificans graviſſima pericula imminere, ut clare oſtendit oppoſitio primi temporis, quod tutum ac proſperum fuerat, commate 35, eſt tamen tale, ut ſumptum appareat ex eo, quod fieri ſolebat, quodque Apoſtoli licitum cenſebant.

COMMENTARIUS.

DEfenſionem ſui divino & humano jure licitam ex ipſa portatione gladiorum, quibus armati fuere Chriſti Apoſtoli, perſpicimus. Quippe non admiſiſſet Chriſtus, ut alium in finem gladios geſtaſſent, quam ad ſeſe tuendos adverſus latronum vim & impetum, cujuſmodi defenſionem non ſolum jure naturæ permiſſam, ſed etiam præceptam, vel ex eo conſtare videtur, quod ipſi etiam Eſſæi, qui ſeveriorem adſtrictamque vitæ agendæ diſciplinam amplexi, nec tela, nec enſes, nec ſcuta vel galeas, aliaque inſtrumenta belli factitabant, quia nullus iis armorum uſus, niſi ad ſui defenſionem, quamobrem tradit Joſephus *de Bello Judaico lib. 2. cap. 7. Quod cum peregrinantur, tantum propter latrocinia armantur.* Quam tuendi poteſtatem jure licitam confirmare etiam videntur verba Salvatoris *Luc.* 22. 36. quibus Dominus ſuos monere voluit ea inſtare tempora, quibus ipſi debeant ſibi humanis etiam præſidiis proſpicere, cum antea præſente Domino ſola ipſius providentia tuti eſſent atque ſecuri. Alii ſacrarum litterarum Interpretes totum hunc Chriſti ſermonem allegoricum eſſe tradunt. Ita enim ſummus Theologus Beza: *Omnes circumſtantiæ oſtendunt Chriſtum Apoſtolis ſuis denunciare tempus illud inſtare, quo non, ut antea, quiete ſecum eſſent verſaturi, (minantibus potius quam re ipſa pugnantibus adverſariis) ſed in extremum periculum venturi, tum hujus vitæ, tum etiam fidei amittendæ. Itaque totus hic ſermo*, inquit, *quaſi dicat, vixiſtis adhuc in pace commilitones, nunc vero bellum inſtat acerrimum, & cæteris rebus omiſſis, de unis armis cogitandum. Quænam autem illa ſint arma, ipſe cum in horto precaretur, & Petrum gladio ferientem reprehenderet, ſuo exemplo docere maluit quam importune hoc loco ſtupidis adhuc & ad res iſtas non ſatis attentis Diſcipulis explicare.* Tempus igitur eſſe docet, ut ſemuniant, imminentibus ipſis multis calamitatibus ac periculis, ſpiritualibus armis. Quod cum longe alio ſenſu Apoſtoli intelligerent, duos in comitatu ſuo gladios eſſe reſponderint, id averſatus reſpondit, ſatis eſſe, notandum vero non interdixiſſe Chriſtum Apoſtolis ipſi gladios monſtrantibus, quos ad ſui defenſionem portabant, eorum uſum. Imo cum videantur Chriſti verba probare licitum armorum uſum cum ſuadet Apoſtolus, ut quemadmodum pregrinantes ſe gladio armare ſoleant ad latronum vim & impetum a ſe propulſandum, ad eorum exemplum ſeſe quoque gladiis armarent, ſed ſpiritualibus, ut poſſent reſiſtere periculis & diſcriminibus, quæ ſubire propter doctrinam, quam profitebantur, deberent. Quippe non veroſimile eſt Salvatorem exemplum deſumptum ab eo quod ſoleat fieri in rebus temporalibus & mundanis, ad imitandum ſuis Diſcipulis propoſuiſſe in ſpiritualibus, ſi illicitum eſſet, quia eo ipſo quo illud proponit etiam approbare videtur, quia proponitur ad imitandum.

5. Recte autem a Cicerone dictum eſt: *Gladios habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret.* Illud vero, *Ne reſiſtite injuriam facienti*, non magis univerſale eſt quam quod ſequitur, *Date omni petenti;* quod tamen exceptionem admittit, dum ne nimium nos prægravemur: imo iſti præcepto de dando nihil adjicitur quod vim habeat reſtringentem, ſed ex ſolo ſenſu æquitatis adſtringitur, cum præceptum de non reſiſtendo ſuam habeat adjunctam explicationem per exemplum alapæ; ut intelligatur tum demum præciſe nos obligare, cum ea impetimur injuria, quæ aut alapa ſit, aut alapæ par: nam alioqui rectius fuerat dicere, *Ne reſiſtite injuriam facienti, ſed vitam profundite potius quam armis utamini.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

Reſpondimus huic objectioni §. 8. *n.* capitis præcedentis, cui adjungi poſſet Chriſtum Diſcipulos ſuos, qui jam in illa tempora inciderant, ut ipſis luctandum eſſet cum innumeris calamitatibus, & injuriis quibus afficerentur ab iis, qui doctrinam Chriſtianam perſequebantur, dehortari a vindicta privata, & ſedulo admonere, ne irritati & quaſi furore ob illatam injuriam & perpeſſa mala agitati, par pari referre meditentur, ſed diligant potius inimicos, illiſque, qui oderunt eos, benefaciant, ac preces ſuas effundant pro perſequentibus & calumniantibus eos, atque ut imitantes dominum ſuum ab omni rancore, & intempeſtiva ira alieni ſint, & cædenti in dextram maxillam alteram potius obvertant, quam ut vindictæ cupidine inflammati ſe ipſos ulciſci ſtudeant.

6. In verbis ad Romanos, μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, omnino ἐκδικεῖν non tuendi, ſed ulciſcendi habet ſignificationem, ut & Judith I, II. & II, I. Luc. XVIII, 7, 8. XXI, 22. II Theſſ. I, 8. I Petr. II, 14. Rom. XIII, 4. I. Theſſ. IV, 6. Idque ipſa verborum connexio manifeſte oſtendit: præceſſerat enim, *Ne rependatis ulli malum pro malo:* hæc autem eſt ultionis non, defenſionis deſcriptio. Et monitum ſuum fulcit Paulus Deuteronomii loco, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, ubi in Hebræo eſt לי נקם, quo ultionem ſignificari tum vocis proprietas indicat, tum ipſa loci ſententia, quæ defenſionem intelligi non patitur.

COMMENTARIUS.

Non prohibet Apoſtolus defenſionem licitam, quæ ad corporis & vitæ membrorumque conſervationem pertinet, ſed vindictam & ultionem privatam; ut patet ex verbis iſtis, *non ulciſcentes vos chariſſimi.* Eſt enim modus aliquis propulſandæ vis atque injuriæ, qui tunc maxime ſervatur, cum eam defendendo propulſamus, id eſt quatenus noſtri noſtrorumve tuïtio exigit, non ulciſcendo. Vim & manu & viribus ſe defendere licet, ulciſci non licet, niſi legitimis actionibus. Quamobrem Paulus *l.* 345. *ff. ad L. Aquil. illum ſolum ferire conceditur qui vim infert: & hoc, ſi tuendi duntaxat, non etiam ulciſcendi cauſa factum ſit.* Vid. Cujac. *Obſerv. lib.* 5. *cap.* 18.

7. Quod vero Petro dictum eſt, continet quidem prohibitionem utendi gladio, ſed non in defenſionis cauſſa: neque enim ſe opus habebat defendere: jam enim dixerat Chriſtus de diſcipulis: *Sinite hos abire: idque ut impleretur ſermo quem dixerat: ex iis quos dediſti mihi non perdidi quemquam,* Joan. XVIII. 8, 9. neque Chriſtum, nam defendi nolebat. Ideo apud Joannem hanc cauſam interdictioni ſubjicit, *An non bibam poculum quod dedit mihi Pater?* com. II. & apud Matthæum ait, *Quomodo ergo implerentur ſcripturæ, quæ dicunt ita oportere fieri?* Ulciſcendi ergo animo Petrus, ut erat fervidus, non defendendi ferebatur: adde quod arma ſumebat in eos qui nomine publicarum poteſtatum adventabant, quibus an ullo caſu reſiſtere liceat, peculiaris eſt quæſtio, infra a nobis peculiariter tractanda. Quod autem adjicit Dominus, *Omnes qui gladium acceperint gladio peribunt:* aut proverbium eſt, ex vulgi uſu deſumtum, quo ſignificatur ſanguinem ſanguine elici, ideoque armorum uſum periculo nunquam vacare: aut, quæ Origenis, Theophylacti, Titi, & Euthymii ſententia eſt, indicat, non eſſe quod nos Deo præripiamus ultionem quam ipſe ſuo tempore ſatis ſit exacturus: plane quo ſenſu in Apocalypſi dicitur XIII, 10: *Qui gladio occidit, eum gladio*

occidi oportet: in hoc ſita eſt ſpes & patientia ſanctorum. quicum convenit Tertulliani illud: *Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus: ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt; ſi dolorem, medicus eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt: quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?* Simulque his Chriſti verbis vaticinium videtur ineſſe de pœnis, quas a ſanguinariis Judæis erat exacturus gladius Romanorum.

COMMENTARIUS.

Reprehenditur hic Petrus à Chriſto, non quod ſemetipſum in vitæ diſcrimen adductum defendere gladio vellet, ſed quod ejuſmodi defenſio vindictæ ſpeciem præ ſe ferebat, quam vetat Paulus, ut ſtatim diximus. Non erat enim probabile tantam hominum colluviem hac ratione poſſe repelli. Deinde debuiſſet etiam domini voluntatem exſpectaſſe, quæ ei non erat patefacta. Cui etiam accedit, quod erat contra æternum & immutabile patris decretum, cui placebat, ut filius eorum vim iniquam ac injuſtam ſubiret atque perferret. *Cum in conſilio Sacroſanctæ Trinitatis individuæ concluſum eſſet, ut filius hominis morte ſua humanum genus liberaret, voluit λογ@ patris, vim vi repellendo, vel impedire, vel prorogare conſilium trinitatis, maxime cum paſſionis tempus inſtaret*, Jac. Ayer. *de trip. gen. Homicid.* Non generaliter intelligenda verba Chriſti, quaſi etiam in caſu neceſſitatis ſe defendendi cauſa adverſus vim illatam gladio uti non liceret, verum ſpecialiter, ſcil. ad ulciſcendum vel vindicandum, atque etiam extra caſum neceſſariæ defenſionis. Nam cum in finem publicæ conſtitutæ poteſtates, atque gladio magiſtratus armati, ut eo utantur ad puniendos graviſſimorum criminum reos, & idcirco qui gladium acceperit non vocatus privata temeritate & vindictæ ſtudio, periturus eſt gladio poteſtatis publicæ, quæ vice Dei, cui ſolo vindicta competit, juſtitiam decernit, & ſuis ſceleribus ſupplicia conſtituit, eaque vindicat.

8. Ad Chriſti exemplum, qui pro inimicis mortuus dicitur, reſponderi poteſt, Chriſti facta omnia quidem virtutis eſſe plena, & quæ, quoad ejus fieri poteſt, imitari laudabile ſit, & ſuo præmio non cariturum; non tamen omnia ejusmodi eſſe, ut aut ex lege veniant, aut legem faciant. Nam quod Chriſtus pro inimicis atque impiis eſt mortuus, id non fecit ex lege aliqua, ſed ex ſpeciali quaſi pacto & fœdere inito cum Patre; qui ſi id faceret, non modo ſummam ei gloriam, ſed & gentem in æternum duraturam promiſit, Eſaiæ LIII, 10. Alioqui eſſe hoc factum quaſi ſingulare, & cui vix quicquam reperiatur ſimile, oſtendit Paulus, Rom. V, 7. Et Chriſtus nos animam noſtram periculis objicere jubet, non pro quibuſvis, ſed pro ejuſdem diſciplinæ conſortibus, 1 Joan. III, 16.

COMMENTARIUS.

Chriſti facta imitari debemus quatenus cum lege naturali & omnibus virtutibus moralibus perfectiſſimam habent convenientiam, non ea mente quaſi exactiſſimam illam vitæ agendæ juxta legem naturalem regulam ac diſciplinam poſſimus obſervare; verum ut, quantum humana fert conditio, ad Chriſti exemplar vitæ noſtræ inſtituendæ rationem componamus, & ſtudeamus ut noſtræ actiones huic reſpondeant, ſcil. ut in præſtandis, quæ nobis incumbunt, officiis, quantum poſſumus, Chriſti facta virtutis plena tanquam tot exempla nobis imitanda, proponamus. Nam quatenus ad Dei imaginem ſumus creati, & rationis participes, cujus legem moralem verum typum eſſe demonſtravimus, etiam obligati ſumus, ut huic convenienter vitam agamus, id eſt noſtræ actiones, cum quæ referuntur ad propriam conſervationem & vitæ commoditatem, tum etiam quæ ad proximi ſalutem utilitatemque promovendam producere obligati ſumus, ut ſocietas & commercium quæ homini cum homine intercedit ſervetur, cum jure naturæ ſive rectæ rationis dictamine conveniant, quæ non ſolum commendat & præcipit ſocietatem humanam conſervare commutatione officiorum, ſed etiam nos gerere ut decet divini luminis participes, & documenta demus

qua

qua ſumus origine nati, ſectando virtutes & fugiendo vitia. Verumcum multa Chriſti facta ex virtute quadam ſupernaturali, quæ ſolum Chriſto tanquam Dei Filio communicata fuit, deſcendunt, & ejus cum Patre Deitatem, ut ita dicamus non obſcure teſtantur, inſanientis potius eſt ea imitari velle, utpote quorum non capax eſt humana natura. Sic ridiculum eſſet ab exemplo Chriſti, pro inimicis etiam mortui, argumentum petere, quo vellemus probare omnes homines Chriſtum imitari adniitentes etiam animam ponere pro fratribus paratos eſſe debere, & conſequenter ſatius ducere inimici & hoſtis, ſed tamen proximi nobis, vitæ parcere propriæ vitæ diſpendio, quam ſuam conſervare aggreſſorem interimendo. Fateor quibuſdam in caſibus lege charitatis hominem obligatum eſſe ſocio ſuccurrere & opem ferre, eumque ab interitu vindicare etiam cum vitæ amiſſione, verum non eouſque nos obligat ut in præſens capitis diſcrimen a latrone vel hoſte vocatum, aggreſſoris vitam & conſervationem propriæ anteponam, ut ſupra annotavimus. Alium longe finem habuit Chriſti voluntaria mortis cum vita pro humano genere commutatio, quam ſuo exemplo homines obligare ad ſe imitandum abjiciendo & negligendo ſui defenſionem, ut aggreſſoris vitæ parcerent. A miſericordia enim divina alienum erat, hominem ſua inobedientia æternæ mortis reum factum, tam atroci pœna, graviſſimo tamen delicto & juſtitiæ divinæ proportionata, in perpetuum punitum fore. Hinc in ſanctiſſimo Sacroſanctæ individuæ Trinitatis concilio fuit concluſum, ut ſecunda perſona unigenitus ab æterno Dei Filius humanam naturam aſſumeret, & pro nobis maledictio fieret, ut hominem peccatorem liberaret ab æternæ mortis pœna, vi pacti non excluſive, ut Author ſentire videtur, cum Patre initi, approbante Spiritu Sancto, itaque *initium hujus pacti quærendum in æterno Adoranda Trinitatis conſilio: quo filius Dei a Patre, approbante ſpiritu ſancto, generis humani Salvator conſtitutus eſt, ea conditione ut in plenitudine temporis ex muliere & ſub lege fieret, quod filius ſe facturum ſpoſpondit.* Clariſſ. Witz. *Oeconom. fæder. l. 2. c. 3.*

9. Quæ vero ex Chriſtianis ſcriptoribus allatæ ſunt ſententiæ, partim videntur conſilium magis, & ſublimis propoſiti commendationem, quam deſtrictum præceptum continere; partim privatæ ſunt ipſorum, non communes totius Eccleſiæ. Nam in canonibus antiquiſſimis, qui Apoſtolici dicuntur, communione is demum privatur qui in rixa primo ictu adverſarium occiderit, *διὰ τὴν προπέτειαν αὐτοῦ ob nimium calorem.* Et hanc ſententiam ipſe etiam Auguſtinus, quem in contrariam partem adduximus, probare videtur, Quæſt. LXXXIV in Exodum.

COMMENTARIUS.

MOlina putat Auguſtinum de eo caſu exponendum, quando mors aggreſſoris intenditur ab aggreſſo in vindictam juſtæ aggreſſionis, atque ea odio ut frequenter ab aggreſſis intenditur. Quod autem ea fuerit Auguſtini mens, ſuadent ea verba, quæ in Epiſtola ad Publicolam ſubjungit: *Hinc autem dictum eſt, Ne reſiſtamus malo, ne nos vindicta delectet* (quaſi, ſi id ſine appetitu vindictæ fiat, licitum ſit) *qua alieno malo animum paſcit.* vid. quoque Leſſ. *lib. 2. cap. 9. de juſt. & jur.*

IV. 1. Publicum bellum aliud eſt ſolenne ex jure gentium, aliud minus ſolenne. Solenne quod hic voco, plerumque juſtum dici ſolet eo ſenſu quo juſtum teſtamentum codicillis, juſtæ nuptiæ ſervili contubernio opponuntur: non quod non liceat & codicillos facere ei qui velit, & ſervo ſecum mulierem habere in contubernio; ſed quod teſtamentum & nuptiæ ſolennes peculiares quoſdam ex jure civili effectus habeant; quod notari utile eſt; multi enim, voce juſti male intellecta, damnari putant ut iniqua aut illicita bella omnia, quibus illa juſti appellatio non convenit. Ut bellum ſolenne ſit ex jure gentium, duo requiruntur: primum, ut geratur utrimque auctore eo qui ſummam poteſtatem habeat in civitate: deinde, ut ritus quidam adſint,

 de

de quibus agemus ſuo loco. Hæc quia conjunctim requiruntur, ideo alterum ſine altero non ſufficit.

COMMENTARIUS.

QUoniam belli gerendi & ſuſcipiendi varii ſunt modi & diverſæ rationes, ad clariorem juris ejus quod in bello ſcil. publico nam de eo jam diſputare incipit (locum ſibi vindicat, optime illud dividitur in *ſolenne & minus ſolenne*. Solenne vocatur ab Authore, quod alii juſtum dicerent, juſtum quia habet omnia requiſita, quæ dictat recta ratio adhibenda, ideoque uſu a gentibus recepta. Sic in genere juſtum omne illud dici poteſt quod fit ſecundum leges naturales vel civiles. Eo ſenſu teſtamentum dicitur a Modeſtino *Voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Verbum *juſta* interpetantur juris Antiſtites, *perfectam* vel *ſolennem.* Juſta itaque ſententia eſt ſolennis ſententia, perfecta, & legitima, quia ſecundum civiles regulas, & conformis ſolennitatibus, quas adhibendas in teſtamento condendo leges voluere. *l. 4. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Ita ut omnes imperfectæ diſpoſitiones, ut codicilli & ſimiles, excludantur. Quamobrem definiuntur ultima voluntas minus ſolennis, ſed juſta tamen, quatenus mihi leges eos condendi quoque facultatem concedunt, & ſic juſtus omnis reliquus ultimæ voluntatis actus legibus munitus appellari poteſt, ita ut teſtamentum & codicilli hoc ſenſu juſtæ poſſunt appellari ſententiæ, quia quanquam diverſus diſponendi modus ſit, utraque tamen licita, id eſt legibus & jure permiſſa & approbata diſpoſitio, ſuos tamen habens peculiares effectus, quorum intuitu una altera perfectior, & magis juſta ſententia, & voluntas. Sic etiam juſtum bellum ſolenne dicitur, quod ſecundum juris naturæ & gentium regulas, ſive expreſſo ſive tacito conſenſu inductas, ſuſcipitur atque geritur, peculiares etiam ſuos habens effectus & peculiaria habens jura. Et ſic juſtum non ſolum quod rectum quia rationi & juſtitiæ conveniens ideoque licitum, cujus contrarium eſt injuſtum quia vacat juſtitia, & conſequenter prohibitum & vetitum legibus. Nam & juſtum bellum, id eſt ſolenne dici poteſt quamvis ex injuſta cauſa ſuſceptum, modo indictum ab eo cui belli gerendi poteſtatem jus gentium concedit. Quamobrem Alciat. *Comment. ad tit. ff. de juſt. & jur. Bellum indictum a Principe ſive ex cauſa injuſta, ſive juſta, ſemper dicitur juſta quoad populos, & quoad effectus liciti belli.* Quid ſi vero bellum moveatur, hiſce ſolennitatibus deſtitutum, ſed ex juſta cauſa ſuſceptum, juſtum quidem dici poteſt vulgari ſenſu, verum juſtum non eſt ratione rituum & ſolennitatum, quæ in bello ſolenni adhiberi ſolent. Belli tamen venit nomine, ſed minus ſolennis. Juſtum itaque & ſolenne bellum eſt quod jure gentium indictum & ſuſceptum. Jus gentium autêm requirit, 1°. ut indicatur & geratur authoritate & mandato ſummorum imperantium, penes quos eſt ſumma in civitate poteſtas, & conſequenter pacis bellique arbitrium. Delationi enim ſummi imperii cohæret & quidem inſeparabile jus ac facultas omnia illa adhibendi media ſine quibus non poteſt obtineri finis, qui fuit in cauſa, quare homines libertatis naturalis & imperii, quod quiſque habeat in ſemetipſum & familiæ ſuæ membra, eorumque vitam & fortunas, jacturam facientes, ſe alieno ſubjecerunt imperio, finis autem fuit ſui conſervatio & ſecuritas cum vitæ, tum etiam bonorum ac facultatum, quas cuique vel natura, vel fortuna largita eſt, ſive propria ſibi acquiſivit induſtria, atqui hæc omnia in tuto eſſe nequeant, niſi ſummis imperantibus competat jus defendendi cives & ſubjectos adverſus injuriam, hinc etiam ſummis poteſtatibus jus belli gerendi cum ipſo imperio conceſſum atque delatum ſtatuendum, tanquam neceſſarium antecedens ſine quo conſequens, quæ eſt illa ſecuritas & conſervatio vitæ ac bonorum, haberi nequit, & quidem privative, ut ita dicam, ita ut nulli niſi ſummo imperanti illud competat, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus ſtatim dicendum. Nam ſupra annotavimus, ſummam hoc ipſum inducere confuſionem, imo mutuis diſcordiis & præliis civitas diſtraheretur, & ita omnis ſecuritas tolleretur. Alterum belli ſolennis requiſitum eſt, ut ritus quidam adſint, de quibus infra agendum *lib. 3. cap. 3.* Formulam autem belli indicendi apud Romanos obſervatam ejuſmodi apud Livium deſcriptam invenimus *lib. 1. Legatus ubi ad fines hoſtium venit. Audi Jupiter,* inquit, *audite fines, audias fas. Ego ſum nuncius publicus Romani populi, juſte pieque legatus venio, verbiſque meis fides ſit (peragit deinde poſtulata:) ſi non deduntur, quæ poſcit, diebus tribus & triginta peractis, bellum indicit. Audi tu Juppiter & tu Juno. Quirine diique omnes cæleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite. Ergo vos teſtor populum illum injuſtum eſſe, neque jus perſolvere.*

L. 3. D. ad L. Jul. majeſt. 2. Bellum autem publicum minus ſolenne poteſt & ritibus illis carere, & geri in privatos, & auctorem habere magiſtratum quemvis. Et ſane ſi citra leges civiles res ſpectetur, videtur omnis magiſtratus ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam, ita ad exercendam juriſdictionem, ſi vis occurrat, jus habere belli gerendi. Sed quia ex bello tota

civitas

civitas in periculum venit, ideo ferme omnium populorum legibus cautum eſt, ne bellum geri poſſit niſi auctore eo qui ſummam in civitate poteſtatem habeat. Exſtat lex talis Platonis ultimo de legibus. Et in Romano jure majeſtatis teneri dicitur qui injuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit. Injuſſu populi dixerat lex Cornelia lata a L. Cornelio Sylla. In Juſtinianeo Codice exſtat conſtitutio Valentiniani & Valentis: *Nulli prorſus nobis inſciis atque inconſultis quorum libet armorum movendorum copia tribuatur.* Huc pertinet illud Auguſtini: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes principes ſit.*

Vict. de jure belli, n. 9. Molin. diſp. 100. §. Idem Vict. Bart. in l. ex hoc jure. D. de Juſt. & Jur. Bart. de Repreſ. 3. principali ad ſecundam n. 6. Mart. Laud. de bello, qu. 2. Livius lib. XXXIX.

COMMENTARIUS.

EX deſcriptione & definitione belli publici ſolennis facile perſpicimus quod ſit bellum publicum minus ſolenne. Verum de perſonis inquirendum nobis incumbit, qui ejuſmodi gerendi belli jus habent, quippe cum etiam publicum dicatur, quamvis non ſolenne, videtur etiam a nemine ſuſcipi poſſe, quam ab eo, qui ſummum habet imperium, illudque exercet nomine civium, qui in unam eandemque conſpirarunt ſocietatem, ut mutua ope mutuam ſecuritatem & conſervationem poſſent tueri adverſum vim illatam, cujuſmodi defenſio, quia fuit finis & ſcopus quare homines ſummum aliquod conſtituêre imperium, quod facultatem haberet ſingulorum civium perſonis, bonis, viribuſque utendi ad communem utilitatem ſecuritatemque tuendam, videtur nemini conceſſa vel concedi poſſe, niſi in quem ejuſmodi imperium collatum tanquam neceſſarium conſequens, ut ſtatim dicere incepimus & jam paulo altius repetere neceſſum ducimus, ut Authoris errorem detegamus ſtatuentis, ***bellum publicum minus ſolenne poſſe autorem habere magiſtratum quemvis.*** Fateor me divinare non poſſe, nec ulla ratione inveſtigare, quo fundamento nititur hæc Authoris opinio. Miror potius virum & publici & privati juris ſcientia omnium qui huic unquam diſciplinæ operam dederunt coryphæum, in eam potuiſſe adduci. Quippe ſi originem & primam imperii inſtitutionem ejuſque naturam & qualitates diligenter examinemus, perſpiciemus nihil magis a ratione alienum dici poſſe, quam quod hic tradit Author de poteſtate belli gerendi minus ſolennis; non opus eſt occaſione hujus quæſtionis repetere ea, quæ ubique per totum hoc opus de cauſis ſummi conſtituti imperii & ſocietatis civilis diſputavimus. Satis erit ad demonſtrandum errorem Authoris ut annotemus, ſummum imperium ejus eſſe naturæ, ut in unum conferri debuerit, quemadmodum collatum eſt, adeoque penes unum neceſſario reſidere, & conſequenter dividi non poſſe in partes, ita ut diverſæ perſonæ diverſa ſummi imperii jura exercerent, ſcil. jure ſuo, tanquam ejuſdem imperii conſortes & ſocii. Quamobrem ut quis jus aliquod ad ſummum imperium pertinens habeat, oportet illud habere permiſſu & conceſſione ſummi imperantis, ejuſque nomine exercere, quod idem eſt ac ſi ipſe princeps exercet, quod enim quis per alium facit per ſe feciſſe videtur, atque hac ratione non detrahitur aliquid ſummo imperio, ſed tantum alicujus partis exercitium demandatur & conceditur inferiori. Quod ad originem attinet, ea derivanda eſt a liberrima eaque ſumma poteſtate, quam quiſque in ſtatu naturali degens paterfamilias habet in ſuam familiam ejuſque membra, idque naturæ jure, imo neceſſitate quadam naturali: quippe cum homines ſibi æquales naſcantur, ſequitur etiam alteri in alterum nullum imperium competere, ſed quiſque ſui juris eſſe, ſummum imperium habere in ſe & res ſibi proprias, de quibus pro lubitu diſponere poteſt juxta naturæ regulas, ſin autem in ſocium, quia ſibi æqualem, nullum competat imperium, ſequitur alteri per alterum non poſſe inferri iniquam conditionem, ut Jcti loqui amant, qua imperium aliquo modo diminueretur, quia poſſet jure naturali ſeſe opponere alterius machinationibus, omniaque media adhibere quibus intactum & illibatum reſervare queat imperium a natura ſibi delatum atque conceſſum, & conſequenter huic imperio annexa eſt defenſio ſui & rerum ſuarum, quæ vel diſceptatione vel vi poteſt inſtitui, confugiendum autem ad poſterius, ſi uti non liceat ſuperiore. Hoc autem imperium, ut diximus, homini adnatum, & conſequenter primus omnium parens habuit cum in ſe tum in bona ſua, quæ vel natura ſibi largita fuerat, vel etiam propria induſtria proprioque labore ſibi acquiſiverat, unde & in uxorem & liberos & ſic in totius familiæ membra derivandum idem ei competens imperium. Sibi enim æquales eſſe non poterant, uxorem enim mariti imperio ſubjecit Deus ædificando eam ex una de coſtis Adami, nihil autem magis rationi conveniens eſt, quam meum id eſſe quod ex re mea factum, deinde etiam expreſſe Deus in pœnam fœloniæ ſubjectam eſſe voluit viri imperio. Ex qua poteſtate, quam maritus in uxorem habet, ſibi quoque acquiſivit jus in liberos ex illa progenitos, cedunt enim ſuo dominio & imperio, tanquam ſua opera tum etiam

cura

cura & cultura ſibi acquiſitos. vid. quæ annotavimus *ad* 1. *n.* 1. capitis quod præcedit. Et ſic imperium illud devolutum ad poſteros, cujuſmodi familiæ gubernandæ ratio ab ipſo naturæ Authore introducta videtur. Verum cum propter multa incommoda & pericula, quæ in ſtatu naturali hanc vitæ agendæ rationem comitabantur, ſatius eſſe duxerunt homines ſive cujuſque familiæ principes ad ea evitanda in civitatem coaleſcere, ſuo imperio renunciantes, in eum illud tranſtulerunt, quem ſocietatis tuendæ præficere animum induxerant; ſcil. ſummum illud imperium Monarchicum, quod quiſque habuerat in ſe ipſum & familiæ membra, omniaque ejus jura, unde inquit Juſtinus: *Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges fuit*, *lib.* 1. *cap.* 1. Et Cic. 3. *de ll.* *Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruere.* Atqui tot jam familiis in unam ſocietatem coalitis, imperii fines latius extendebantur, atque negotia, quæ ad ſocietatis adminiſtrationem & gubernationem pertinebant, cumulabantur, ita ut ſolus princeps ipſis ſupereſſe non poterat, neceſſe habuit quædam publica negotia certis hominibus exſequenda injungere, qui ſuo nomine, id eſt civitatis ſeu populi, demandatam ſibi provinciam fide & prudentia adminiſtrarent, atque inde diverſorum magiſtratuum & diverſorum munerum origo petenda. Itaque quia poteſtatem qua pollent circa quædam publica negotia adminiſtranda non habeant a ſe, ſed a principe, non latius debet extendi quam patet natura eorum negotiorum quibus præpoſiti ſunt, vel veriſimile eſt principem prorogare voluiſſe. Præſumendum autem eſt id virium & imperii circa publica negotia exequenda magiſtratui tribuere voluiſſe quantum muneri ſuo obeundo neceſſarium. Et conſequenter etiam non ſibi plus juris vel imperii arrogare poteſt, quam requirit munus & dignitas in ſe collata, quaſi pro parte quadam in ſocietatem imperii a principe vocatus, cætera quoque ſummi imperii jura ſibi poſſet vindicare jure magiſtratus. Et conſequenter perperam ſtatuit Author, ſi res citra leges civiles ſpectetur, *omnem magiſtratum, ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam, ita ad exercendam juriſdictionem, ſi vis occurrat, jus habere belli gerendi.* Cui etiam addi poteſt ſalutem populi tueri & defendere ſolius eſſe ſummi imperantis officium, quod vero officii alicujus eſt, neceſſe eſt & poteſtatis ac juris eſſe ejuſdem ſtatuamus. Unde & belli jus penes eundem eſſe dicendum, quia eſt neceſſarium medium ad defenſionem pertinens, idcirco nulli competit, niſi ei qui ſummo imperio ornatus eſt, ut populi fidei ſuæ commiſſi ſalutem & ſecuritatem per defenſionem procurare poſſet. Cui accedit, quod omnes magiſtratus, qualemcunque habeant poteſtatem, privatæ conditionis ſint coram principe, quamobrem nihil publicum habent ſuo jure; & conſequenter nec jus belli publici gerendi, quia reſpectu principis, qui civitatem & univerſum populum repræſentat, tanquam pars & membra civitatis tantum conſiderari poſſunt, quemadmodum & ipſius principis eſſet conditio coram univerſo populo in unam ſocietatem unumque corpus coalito, niſi vi imperii ad eum tranſlati cum ipſa civium in unam ſocietatem caſu ſociata multitudine una eademque eſſet perſona, & conſequenter quod princeps agit univerſam civitatem egiſſe videri debet, unde & publicum dicitur, individuum enim ſummum imperium eſſe diximus, quare ſibi retinere partem non poteſt, partem alteri concedere, & ſummum imperantem vocari. Poſſet quidem jus de rebus publicis ad communem ſalutem & ſecuritatem civium pertinentibus penes plures eſſe, ſed ipſum tamen imperium penes omnes tanquam unam perſonam reſidet, ita ut ſinguli reſpectu totius conventus tanquam privati conſiderantur, & ſic etiam cæteri magiſtratus, quibus alia publica negotia exſequenda mandata, ejuſdem ſunt conditionis. Ex quibus jam perſpicimus belli gerendi jus nemini jure magiſtratus competere etiam non ſolennis, ſed publici tamen, niſi ſummo imperanti ex natura & delatione ſummi imperii, & ſi quis magiſtratus habeat, illud habet ab ipſo principe idcirco etiam ejus nomine, non vi magiſtratus ſui exercet, eoque reſpectu repræſentat principem. Cui etiam accedit, quod bello tota civitas in periculum venit, quemadmodum autem nemo privatus alterum in periculum adducendi facultatem habet, ita nec magiſtratus inferior, vel cives ſibi aliquid debent arrogare, quo civitas vel reſpub. in periculum veniret. *Quod enim tantam vim habet, ut uno ictu totam poſſet ſubvertere rempub. illud abſurdum eſt in alterius velle ponere arbitrio, quam illius, cui hæc cura demandata eſt, ut videat, ne quid reſpub. aliquid detrimenti capiat.* Arniſ. *de jur. majeſt. cap.* 4. Quæ opinio adeo æquitati & rectæ rationi conſentanea, ut omnium fere populorum legibus, id eſt gentium jure ſancitum eſt, nullum poſſit geri bellum niſi authore eo, qui vel jure devolutionis, vel voluntaria & libera populi electione ſummum in civitate imperium habet. Ita ut lege majeſtatis eum teneri, qui injuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, aut exercitum comparaverit, jure Romano cautum, ut patet *l.* 3. *ff. ad L. Jul. majeſt.* vid. & l. 1. *Eundem & amicum & inimicum quiſque, quem civitas, exiſtimet. Si quis autem ſeorſim pacem aut bellum cum quibuſdam gerat, ſecluſo publico conſilio, capite pœnam luat*, apud Platonem eſt. Quamobrem Cato cenſebat revocandum exercitum, & Cæſarem hoſtibus dedendum, quod injuſſu populi bellum intra Germanorum fines gereret. Plutarch. *in Catone Uticenſi. & Jul. Ceſare.* Apud Liv. *lib.* 42. *Cnejus Manlius* a legatis ſuis accuſatur, *quod Gallogræcorum nationi, non ex ſenatus authoritate, non populi juſſu bellum intulerit, quod quem unquam de ſua ſententia facere auſum? Antiochi, Philippi, Annibalis & Pœnorum recentiſſima bella eſſe, de omnibus his conſultum Senatum, populum juſſiſſe. Sæpe legatos ante miſſos, res repetitas, poſtremo, qui bellum indicerent, miſſos. Quid eorum, Cn. Manli, factum eſt, ut iſtud publicum P. R. bellum, & non tuum privatum latrocinium dicamus.* Sic etiam *jure publico Germanico cautum*, neminem Imperio

sub-

ſubjectum ſine lege comitiali bellum aliis inferri poſſe, adeo ut, ſi ſine licentia ſuperioris illud attentare velit, pœnam fractæ pacis incurrat teſte Gail. 1. *de pac. publ. cap.* 4. *Injuſtum* vocat Iſidorus bellum quod *abſque edicto geritur*, ejus nimir. qui ſummum tenet imperium, & idcirco belli indicendi atque gerendi jus habet.

3. Sicut autem omnia dicta, quantumvis univerſalia, æquitatem recipiunt interpretem, ita & hæc lex. Nam primum quin ei qui jurisdictioni præeſt liceat per apparitores ſuos vi cogere paucos imparentes, quoties ad eam rem copiis majoribus opus non eſt, nec periculum imminet civitati, dubitari nequit. Rurſum, ſi ita præſens ſit periculum, ut tempus non ferat eum conſuli qui ſupremum in civitate jus habeat: hic etiam neceſſitas exceptionem porriget. Hoc jure uſus L. Pinarius præſidio Ennæ in Sicilia præfectus, cum certo ſciret oppidanos ad Carthaginenſes defectionem moliri, cæde in eos facta Ennam retinuit. Extra talem neceſſitatem ad vindicandas injurias, quas rex perſequi negligit, jus bellandi oppidanis in civitatibus dare auſus eſt Franciſcus Victoria: ſed ejus ſententia merito ab aliis repudiatur.

COMMENTARIUS.

STatim annotavimus ſummum imperantem ei, cui demandavit quædam publica exſequenda negotia, non plus virium tribuiſſe præſumendum, ſi non conſtet de expreſſa ejus circa adminiſtrandi rationem voluntate modum aliquem præſcribente, quam muneri ſuo obeundo habet neceſſarium. Sic jure Romano cautum, *cui jurisdictio data eſt, ea quoque conceſſa videri debent, ſine quibus jurisdictio explicari non potuit l. 2. ff. de jurisdict.* Et conſequenter etiam mixtum imperium, quod juriſdictioni ineſt. Ideoque omni magiſtratui competit, qui juriſdictionem habet. Definiri autem poteſt mixtum imperium poteſtas modica coërcendi eos qui ſeſe opponunt executioni mandat, quod per juriſdictionem ſancitum eſt. Quem in finem qui juriſdictioni præeſt ſuos habet apparitores, quorum opera utitur ad cogendos imparentes ac refractarios. Verum neutiquam ejuſmodi coactio bellum vocari poteſt. *Vis enim coactiva non eſt jus belli. Et bellum videtur geri inter æquales, aut qui tales ſe prætendunt eſſe. Quod ſi tamen tantus refractariorum ſit numerus, ut ex illorum irritatione tota civitas poſſit periculo involvi, nec ordinarii lictores aut apparitores ſufficiant, recte magiſtratus ſummæ poteſtatis ſententiam ſuper tali negotio exſpectat*, ut inquit Sam. Puffend. *de jur. nat. & gent. l. 8. cap. 6.* Iſtud enim ſententiæ exſequendæ & juriſdictionis tuendæ auxilium, quod lictores atque apparitores præſtant juriſdictionem habenti, ſatis indicat quam late patet ſua cogendi contumaces poteſtas; quod ſi non ſufficiat, propria anthoritate non alia adhibere poteſt remedia præſertim violenta, quæ cauſa eſſent majorem tumultum faciendi & fortaſſe inteſtina bella parerent, qua ratione tota civitas in ſummum veniret periculum. Verum cum nulla ſit regula ſine exceptione, etiam hoc ipſum in neceſſitate ſumma exceptionem patitur, quippe notandum aliquando poſſe incidere caſum, quo principem in re præſenti non ſit conſulendi facultas propter præſens periculum, ita ut in arena ſit capiendum conſilium, & illico nulla interpoſita mora neceſſe ſit prævenire imminens malum, quum verendum eſſet ne ipſe eo obrueretur, præſumendum igitur principem magiſtratui tribuere voluiſſe facultatem omnia adhibendi media quibus illud avertendo publicam civium ſalutem & communem tranquillitatem, quamvis ejus defenſionem ipſi privative tanquam ſummo imperanti competat, in ſecuritatem aſſerere poteſt. Verum quia hoc ipſum ſit ex conjectura voluntatis principis, idem eſt ac ſi ipſe princeps feciſſet, & idcirco non propria authoritate vel jure magiſtratus ſui quis feciſſe videri debet. Eſt inter cætera, quæ in veterum monumentis invenimus, præclarum in Romanorum annalibus exemplum L. Pinarii, cujus hic mentionem facit Author, illius enim fidei tuendæ arcis Ennenſis erat cura demandata; qui, cum præſentiret civium rebellionem & defectionem ad Carthaginenſes, neque ſibi occaſio erat conſulendi per legatos conſulem Marcellum, ſatius tamen judicans neceſſitate exigente prævenire quam præveniri, atque in tempore occurrere, quam poſt exitum & poſt vulneratam cauſam remedium quærere, ex improviſo in cives infidos impetum fecit, & magna cæde facta omnes occubuerunt. Liv. *lib.* 24. *cap.* 37. neque factum hoc improbaſſe Marcellum conſulem ibidem tradit. Sic quoque non improbatum a Senatu Romano factum Scipionis Naſicæ, ſed contra magnam ſibi gloriam & laudem eo conciliavit, quod cum videret Rempub. perditum iri a Tib. Graccho qui in tribunatu profuſis largitionibus favore populi occupato Rempnb. oppreſſam teneret, & pa-

Google

lam dictabat, interempto Senatu omnia per plebem agi debere, tergiverſante tamen Conſule Mutio Scævola atque vi ſe quicquam eſſe acturum negante, quamvis Patres conſcripti ad deliberandum, quid in tali neceſſitate faciendum eſſent, convocati, cuncti cenſerent, ut Conſul Rempub. armis tueretur, ſemetipſum quamquam privatus ducem offerens, involuta ſiniſtra manu ſublataque dextra proclamabat: *Qui Rempublicam ſalvam eſſe volunt, me ſequantur, eaque voce, cunctatione bonorum civium diſcuſſa, Gracchum cum ſcelerata factione, quas merebatur pœnas perſolvere coegit.* Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Et Appian. *de bello civ. lib.* 1. Neceſſitas enim omne juris vinculum ſolvit, &, ut inquit Cicero, in tanta perturbatione rerum temporibus potius parere, quam moribus neceſſe habemus. Sic quoque probat Cicero factum C. Cæſaris, quod non exſpectans Senatus decreta, bellum ſua ſponte contra Antonium ſuſceperat. *Decernendi enim tempus*, inquit, *nondum venerat, belli autem gerendi tempus ſi prætermiſiſſet, videbat repub. oppreſſa nihil poſſe decerni.* Imo tradit *Philip.* 5. *cap.* 11. Senatum Decimi Bruti factum collaudaſſe, & bellum, quod privato conſilio ſuſceperat, comprobaſſe tanquam publica authoritate geſtum. Verum quid ſi Rex vel Princeps defenſionem ſuſcipere declinavit vel negligit, idem videtur dicendum quod paulo ante diximus, quando facto judicium ceſſat, ſcil. jus priſtinum, quod quiſque in naturali ſtatu habet, & conſequenter civitas recuperat facultatem proprio arbitrio ſalutem & ſecuritatem, vel tranquillitatem vi & armis tuendi adverſus quoſcunque hoſtes. Jura enim quælibet defenſionem concedere ſatis manifeſtum. Quo caſu publici juris periti ſtatuunt, non ſolum licere injuriam & vim illatam propellere, ſed etiam ulciſci, quamobrem & hoſtes ſedibus ſuis pellere, ſi aliter ab eorum invaſione & incurſionibus tuti eſſe nequeamus. Summo enim civili imperio inſtituto, cum eo ſimul judicia conſtituta ſunt & actiones productæ, quibus quiſque ſe defendere & jus ſuum perſequi poteſt, ideoque omnis vis & omne bellum privatis interdictum, atque vindicta publici juris eſſe cæpit, id eſt ſummo imperanti incumbere. At vero ceſſante judicio, & ſumma poteſtate negligente vel declinante aperte defenſionem civium & populi, cujus tutela ad ipſum delata, eo ipſo quod imperium ad ſe devolutum eſt, evaneſcit & corruit quoque imperium ratione illarum civitatum vel regionum ſeu etiam ſingularis alicujus civis, cujus defenſionem ſuſcipere neglexit, & conſequenter eo ipſo ſui juris ſit, id eſt recuperat illud imperium quod in principem cum aliis ſibi æqualibus in ſocietatem coaliturus contulit, quod omnia continet jura, quæ ſummus imperans jure tranſlati in eum imperii, quod ſingularia membra habebant in ſtatu naturali, exercet. Idem ſentit Vict. *in relect. de jure belli.* ubi inquit: *Neceſſitatem poſſe aliquando conferre authoritatem belli movendi iis, qui alteri ſunt ſubjecti. Si namque in eodem regno civitas una alteram oppugnet, graveſque injurias illi inferat, aut Dux unus alteri Duci, Rexque requiſitus negligeret, aut non auderet injurias illatas vindicare, poſſet civitas aut Dux, qui injuriam eſſet paſſus, non ſolum ſe defendere, ſed etiam bellum inferre, & animadvertere in hoſtes, occidereque malefactores, quando ita neceſſe eſſet, ut ab injuriis inferendis ſe continerent.*

V. At quibus eventibus jus armorum movendorum eſſe magiſtratibus minoribus conſtat, an bellum tale publicum ſit dicendum diſſentiunt juris interpretes. Sunt qui ajunt [a]. Sunt qui negant [b]. Sane ſi publicum non aliud dicimus quam quod fit jure magiſtratus, dubium non eſt quin talia bella publica ſint, ac proinde qui in tali facti ſpecie magiſtratibus ſe opponunt, in pœnas incidant contumacium adverſus ſupra ſe poſitos. Si vero publicum ſumitur in excellentiore ſignificatu pro eo quod ſolenne eſt, ut ſæpe ſumi extra controverſiam eſt, non ſunt bella iſta publica: quia ad iſtius juris plenitudinem, tum judicium ſummæ poteſtatis, tum alia requiruntur. Neque me movet, quod etiam in tali contentione ſoleant res auferri obſiſtentibus, ac militibus etiam concedi [c]. Nam id belli ſolennis non ita proprium eſt, ut non alibi etiam locum habere poſſit [d].

[a] *Ayala de jure belli l.* 1. *c.* 2. *n.* 7. *Sil. verbo bellum. n.* 2. *ibi, ſufficit etiam.*
[b] *Innoc. c. olim de reſt. ſpol. n.* 8. *&c. ſicut de jurejur. n.* 5. *Panor. ib. Bart. ad l. hoſtes, D. de captivis.*
[c] *Livius d. loco.*
[d] *Vict. n.* 29. *Cajet. ſec. ſeq. q.* 40. *art.* 1. *Silv. verbo bellum. p.* 1. *n.* 2. *Lorca diſp.* 50. *n.* 12.

COMMENTARIUS.

MAgiſtratus inferior, quia & ipſum quem gerit magiſtratum habet a ſummo imperante, ita ut nullus poſſet fingi caſus, quo poſſet dici aliquid proprio jure agere vel exſequi, eatenus poteſt dici perſona publica, & quæcunque agit jure magiſtratus & dignitatis publica vocari poſſunt negotia, quia nomine ſummi imperantis & conſequenter totius civitatis egiſſe videri debet, ut paulo ante diximus; jure autem magiſtratus ea ſibi agenda conceſſa ſunt, ſine quibus obire nequit munus in ſe collatum, nam quamvis illa omnia non expreſſe a ſummo imperanti ipſi præſcripta,

tamen

tamen tacite inſunt ipſis delationi muneris, contradictionem enim involveret, alicui permittere adminiſtrationem quorundam publicorum negotiorum, & ſimul ipſi noluiſſe concedere eorum agendorum & adhibendorum facultatem, ſine quibus adminiſtrare nequeunt. Nam eo ipſo quo de magiſtratu inferiori ſermo habetur, conſtat eſſe aliquem ſuperiorem, a quo dignitatem & poteſtatem authoritatemque ſuam habet, & idcirco quæcunque habet & agit, a ſuperiore ipſi delata conceſſa eſſe; fateor itaque me non poſſe concipere, unde illa inter juris interpretes diſſenſio de bello a magiſtratu inferiore iis eventibus, quibus jus armorum movendorum habent, ſuſcepto, an publicum ſit dicendum. Eo ſenſu ſumpto belli publici vocabulo, quo accipiendum ſtatim annotavimus. Solennitates, quæ a ſummo imperante bellum ſuſcipiente adhibentur, non efficiunt ut bellum ſit publicum, verum ſolenne, & conſequenter eoſdem habet effectus, qui tribuuntur bello publico ſolenni. Ita ut & magiſtratus eo caſu eandem habeat facultatem ea ſibi omnia parandi, quæ ſummo imperanti competit, ut milites conſcribendi, tributa exigendi, omnemque belli cum apparatum comparandi, tum etiam rerum, quæ capiuntur, dominium acquirendi, non ſibi tamen, ſed Reipub. aut qui ejus perſonam repræſentat, hoſtes in ſervitutem redigendi, ubi mos ille obtinet, & denique ea omnia agendi quæ jure belli agi poſſunt. Iſti autem eventus, quibus minoribus magiſtratibus belli ſuſcipiendi jus eſſe ſtatuimus, reduci poſſe videntur ad tres caſus. Vel enim illud habent ex præſumptiva principis, vel ſummi imperantis voluntate, ut in caſu neceſſariæ defenſionis: defenſio enim juris naturalis eſt, quam nulla jura civilia tollere poſſunt, quando periculum eſt in mora, ita ut imperantis conſenſus & voluntatis declaratio exſpectari nequeat, quin metuendum ſit ne in majus periculum Reſpub. veniat, idemque contingat quod olim Romanis exprobratum, *dum Roma conſulatur, Saguntum expugnatur.* Alter caſus eſt, quando princeps negligit vel declinat defenſionem ſuſcipere, tunc civitas deſerta recuperat facultatem proprio arbitrio propriaque authoritate quacunque ratione etiam vi & armis ſe tuendi adverſus impetum aggreſſoris ſibi bellum moventis, ideoque habetur tanquam ſui juris, & conſequenter ſummum imperium & ſumma majeſtas a principe ad ſe devolvitur. Tertius caſus eſt, quando expreſſo conſenſu ſummi imperantis jus belli gerendi magiſtratibus inferioribus conceditur atque datur, vel laxius, vel reſtrictius.

2. Sed & illud accidere poteſt, ut in imperio late patente inferiores poteſtates belli inchoandi conceſſam habeant poteſtatem: quod ſi fit, jam ſane cenſendum erit bellum geri ex vi ſummæ poteſtatis: nam quod faciendi quis alii jus dat, ejus ipſe auctor cenſetur.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum in Imperio Romano cum præſidi alicujus provinciæ a metropoli Imperii longius remotæ facultas belli paciſque cum vicinis & adjacentibus regionibus ſit conceſſa. Abs tali bella ſuſcepta ſolennia habentur, cum quis ejus Author eſſe cenſeatur, qui ad certum quid agendum poteſtatem alicui detulit. Puffend. *de jur. nat. & gent. l. 8. c. 6.* Quæ non eo ſenſu intelligenda, quaſi bellum a magiſtratu inferiori ad civitatis ſuæ defenſionem ſuſceptum ſine mandato & conſenſu ſummi imperantis non eſſet quoque publicum. Verum quia ex improviſo & in continenti eſt ſuſcipiendum ejuſmodi bellum, ſi juſtum erit, ſolemnitates iſtæ, quæ alias adhiberi ſolent, obſervari non poſſunt, nam ſi non eſſet periculum in mora, & conſequenter conſulendi principem fuiſſet copia, non debuiſſet magiſtratus inferior ſibi jus illud arrogaſſe, quod ſi hoc neglexerit, & propria authoritate bellum moverit, neque publicum ſive ſolenne, ſive minus ſolenne dici poteſt, & conſequenter juſti belli effectus habere. Quod ſi quis habet facultatem belli paciſque, ille poteſt omnes ſolennitates obſervate, atque etiam in caſu offenſionis vel belli inferendi eas jure gentium obſervare obligatum arbitror.

3. Illud magis controverſum, an, ubi tale mandatum non eſt, ſufficiat conjectura voluntatis. Mihi id admittendum non videtur. Neque enim hoc ſufficit videre quid hoc rerum ſtatu ſummam poteſtatem habenti, ſi conſulatur, placiturum ſit: ſed hoc magis videndum, quid ille, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, ſe inconſulto cupiat fieri, ſi ea de re lex ferenda ſit. Nam ut maxime in aliquo facto particulari ceſſet inſpecta particulariter ratio quæ voluntatem ſummi imperantis movet, non tamen ceſſat ratio ſumta univerſaliter quæ periculis

occurri vult: quod fieri non poteſt, ſi ejus rei ad ſe magiſtratus quiſque judicium trahat.

COMMENTARIUS.

VErum movet hic Author quæſtionem, ſcil. an, ubi tale mandatum non eſt, conjectura voluntatis ſufficiat, ut quis inferior magiſtratus poſſit bellum inferre. Quod abſolute negandum Authori videtur; verum hæc quæſtio ex illis, quæ ſuperius annotavimus, atque exemplis a nobis adductis deciſa videtur, ubi diximus authoritatem principis non neceſſariam eſſe, ſi aggreſſio ſit inopinata, & in mora periculum ſit, tum enim tacitus conſenſus adeſſe præſumitur, eo enim ipſo quo præſidi vel proconſuli provinciæ alicujus adminiſtratio vel cuſtodia commiſſa eſt, etiam ſimul ea conceſſa videri debent, ſine quibus cuſtodia nec haberi nec adminiſtratio ſuſcipi poteſt. Ideoque ſi ab exteris provincia invadatur, civium deripiantur bona, agri vaſtentur, dubitari nequit, quin ſine ſpeciali mandato ſuperioris vim vi poſſet repellere, nam ejuſmodi defenſio eſt finis quamobrem provinciæ præfectus quis eſt, eoque ipſo eſt cuſtodia ipſi demandata. Verum non videtur Author ſermonem habere de defenſione & vi illata propulſanda, ſed offenſione, ideoque de inferendo bello, nam ejuſmodi bellum regulariter moram fert atque deliberationem admittit, utpote ſi majeſtas imperii violata eſt, & injuria illata contra jus gentium ſummi imperantis legatis vel civibus, vel cum parari bellum ex omni apparatu bellico maniſeſte conſtet, neutro in caſu inferiori magiſtratui, ſive præfecto provinciæ belli inferendi facultas, vel ad injuriam vindicandam & conſervandam imperii majeſtatem, vel præveniendum bellum minantibus, inconſulto principe, quin videatur admittere crimen læſæ majeſtatis: nulla enim hic in mora periculum, voluntatis enim eſt, an injuriam vindicare velit ſummus imperans dubiam Martis aleam ſubeundo, vel potius remittere aliquid de jure ſuo, quemadmodum enim a ſua voluntate dependet deliberandi tempus, ita & poſt deliberationem tempus exſequendi quod concluſum eſt, quod ſi ex apparatu vicini bellico bellum metuendum erit, idem dicendum. Quia in bello de ſumma rerum agitur, & Reſpub. ſæpiſſime in ſummum vocatur diſcrimen, ne inopportuno tempore ſuſceptum malum habeat exitum, deliberandum antequam incipiendum quid utilius eſt & magis expedit Reipub. tum etiam quomodo, quo tempore bellum ſuſcipiendum præſtat, multæ veniunt conſiderandæ circumſtantiæ, quæ nec melius ponderari poſſunt, nec etiam debent, quam ab eo qui interiora regiminis arcana penetrare poteſt, & præſumitur ex univerſali illa quam habet de conſtitutione & intereſſe Reipub. quid ejus conſervationi & communi ſaluti ac utilitati conducat, ſummum imperantem melius perſpicere, quam privatum, vel magiſtratum aliquem inferiorem, cui tantum adminiſtratio quorumdam publicorum negotiorum, ſive etiam pars quædam univerſæ adminiſtrationis demandata eſt. Quamobrem etiamſi contingat, ut ſummus imperans judicet Reipub. intereſſe, atque communem ſalutem utilitatemque ſuadere bellum adverſus aliquem hoſtem ſuſcipiendum, attamen ipſi diſplicere poteſt, miniſtrum ſibi plus juris arrogaſſe quam ipſi delatum. Belli enim movendi jus privative competit principi nullum ſuperiorem agnoſcenti, quod ſibi nullo in caſu, niſi paucis quibuſdam a nobis ſtatim adductis eventibus exceptis, ſine principis conſenſu & expreſſa voluntate poteſt vindicare. Non deſunt exempla quæ nos docent ſæpiſſime principes graviter imo capitali ſupplicio animadvertiſſe in miniſtros, qui muneris ſui limites excederent; ſic de Piſone proprætore, cui Sicilia adminiſtranda obtigerat, tradit Seneca: *Cum iratus duci juſſiſſet eum qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit, damnatus extra vallum ductus eſt, jam cervicem porrigebat cum ſubito apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet: damnatum ad Piſonem ducit, redditurus Piſoni innocentiam. Conſcendens tribunal furens Piſo, jubet utrumque duci, & militem qui non occiderat, & eum qui non perierat: adjiciens & tertium ipſum centurionem qui damnatum reduxerat, inquiens te duci jubeo, quia damnatus es: te, quia cauſa damnationis commilitonis fuiſti: te, quia juſſus occidere imperatori non paruiſti.* Simile exemplum occurrit apud Herodot. *Talia.* de Cambyſe, quem tradit miniſtros ſuos, quibus mandarat, ut Crœſum comprehenderent, eumque interimerent & morte multarent, quod imperio ſuo non obtemperantes, utpote qui noſſent principem in judicando nimis præcipitem, facti ſæpius pœnitere, Crœſum non interfeciſſent, quem & ipſe ſervatum lætabatur. Verum quid ſi princeps omnibus vitiis deditus quaſi curam publicorum negotiorum abjicere atque negligere videatur, vel etiam inevitabile periculum immineat Reipub. niſi tempeſtive præveniatur, quod & ipſe prævidens, nec iterum atque iterum ei ab inferiori magiſtratu nomine civitatis cui præeſt demonſtratum, additis precibus ut velit huic obviam ire, & obſtare principiis, ne ſero medicina pararetur, quod metuendum foret ſi permitteretur bellum nobis parantibus ex noſtra mora ſibi opportunam belli inferendi occaſionem arripere, paratis jam omnibus rebus neceſſariis quibus indigent, ut ſibi certam poſſent polliceri victoriam, negligat admonitionem, quæri poſſet, num hoc caſu belli indicendi facultatem non videatur ſibi arrogare poſſe civitatem alieno parentem imperio, ut imminens certum periculum depellat

&

& præveniat, quam ſibi præveniendi hoſti maturo jam tempore occaſionem permittat, antequam conſtat de conſilio & voluntate ſummi imperantis. Reſpondeo de jure poſſe; quippe utroque caſu videtur principem negligere, vel veroſimiliter abjicere defenſionem & curam ſubjectorum, quo caſu recuperant jus primævum, quod in ſtatu naturæ locum habet & etiam in ſtatu civili ceſſante judicio, ſe propriis viribus non ſolum tuendi adverſus vim illatam, ſed etiam imminentem depellendi, ita ut prius offendere poſſim eum, quem ex claris indiciis perſpicere poſſum in me hoſtilia machinari, licet nondum conatus ſuos plene expromſerit, qui enim in libertate vivit, id eſt qui ſui juris eſt, quemadmodum hoc caſu eſt civitas, non obligatur præſentem vim exſpectare, ſi futuræ poſſet tutius occurrere. Imo de jure etiam obligatur princeps opem ferre & belli onera communi ſumptu ſuſtinere, quia tutelam ſemel ſuſceptam non poteſt pro lubitu abjicere, & cives exponere quibusvis periculis ac malis: quippe ſi non expreſſus, ſaltem tacitus quaſi contractus intercedit ſingularibus civibus, & etiam civitatibus, qui ejus ſubſunt imperio, cum ſummo imperante, ex quo mutua oritur obligatio, qua & princeps tenetur tanquam repræſentans univerſum populum communi auxilio adjuvare & tueri ſubjectos ſuos contra omnem vim & injuriam, vel non ſolum depellendo, ſed etiam coërcendo eos, qui nocendi præ ſe ferunt animum, & cives obligati ſunt venerari imperii majeſtatem, ejuſque jura intacta atque illibata conſervare, adeoque iis ſeſe non immiſcere; non poteſt enim imperii conſtare ratio niſi ea ſummo tantum imperanti reddatur, & cura Reipub. ſuæque ſalutis privatæ ipſi ſoli demandent, omnemque publicorum negotiorum adminiſtrationem ad eum translatam ſuo arbitrio tractandam relinquant, imo ut ea ipſi intacta & ſalva maneat communibus viribus adniti obligantur, dependet enim ab hac publica pax & concordia civium, conſequenter ſingulorum ſalus atque ſecuritas. Cui etiam accedit, quod conſervatio partis eſt totius conſervatio, ideoque & communi auxilio defendi debet. Extra dictum vero caſum privata authoritate nulli civitati vel magiſtratui ſuperiorem agnoſcenti jus habet ſuſcipiendi belli offenſivi, quin violaret jura ſummæ majeſtatis.

4. Non ergo injuria a legatis ſuis accuſatus fuit Cn. Manlius, quod Pop. *Liv. l.*
Rom. injuſſu bellum Gallo-Græcis intuliſſet: nam quamquam in Antio- 48.
chi exercitu Gallorum legiones fuerant, tamen pace facta cum Antiocho, an ea injuria in Gallogræcos exſequenda eſſet, non in Cn. Manlii, ſed in Pop. Rom. arbitrio eſſe debuit. C. Cæſarem, quod bellum Germanis intuliſſet, dedi Germanis Cato voluit; credo non tam jus reſpiciens, quam quod imminentis domini metu vellet urbem liberari. Nam Germani Gallos populi Romani hoſtes adjuverant, ac proinde non erat quod injuriam ſibi factam quererentur, ſi modo juſta fuit populi Romani cauſa in Gallos bellandi. At Cæſar contentus eſſe debuit Germanos, præſertim cum nullum inde periculum immineret, intra fines ſuos bello perſequi, niſi conſulto prius populo Romano. Non ergo Germani jus habebant deditionem poſtulandi, ſed populo Romano punire Cæſarem jus erat,
plane ut Carthaginenſes Romanis reſponderunt: *Ego non privato publicove* *Livius*
conſilio Saguntum oppugnatum ſit quærendum cenſeo; ſed utrum jure an injuria; l. XXI.
noſtra enim hæc quæſtio atque animadverſio in civem noſtrum eſt, noſtro an ſuo feceris arbitrio; vobiſcum una diſputatio eſt, licueritne per fœdus fieri.

COMMENTARIUS.

Adduximus hæc exempla §. 3. & 4. Notandum ducem cum plena poteſtate miſſum ad bellum gerendum non ſolum ſe defendere & tueri contra hoſtem impreſſionem facientem, verum etiam & ipſe offendere eum & omnibus modis opprimere poſſe; novum tamen bellum movere nequit, & conſequenter non potuit Cn. Manlius ad gerendum bellum cum Antiocho miſſum, cum quo pace facta, ipſo jure corruebat poteſtas belli gerendi ipſi demandata, quia non latius patet poteſtas, quam mandati fines, quamobrem cum certum bellum cum Antiocho gerendum fuit Manlio demandatum, aliud movere non poterat contra Gallogræcos injuſſu Pop. Romani eo prætextu, quod in Antiochi exercitu Gallorum legiones fuerant, quippe an ea vindicanda eſſet injuria, arbitrium non penes Manlium, ſed populum Romanum erat. Imperiis enim inſtitutis vindicta publici juris eſſe cœpit, etiam injuriæ privato illatæ, multo itaque magiſque ad univerſam pertinentis Rempub. Qui enim Reſpub. a bellis quieſceret, ſi bellum ex bello ſerere privato liceret.

ret. Hinc etiam jure accuſari poterat Cæſar, ſummi imperii, quod penes populum erat, ideoque & belli paciſque arbitrium, jura violaſſe, quod privata authoritate mandati fines excedendo bellum in alienas tranſtuliſſet terras. Queri tamen de injuria ſibi illata, ideoque eum ſibi dedi jure poſtulare non poterant Germani, quippe qui in ſocietatem belli vocati a Gallis populi Romani hoſtibus, eos adjuvantes eo ipſo, tanquam hoſtes oppugnari poterant & perſequi; verum, ut inquit Author, contentus eſſe debuiſſet provinciæ ſibi mandatæ finibus eos expuliſſe, ideoque non ultra perſequi debuiſſe inconſulto populo, præſertim depulſo periculo, quippe non poterant perſequi tanquam hoſtes niſi quia ſub Gallorum militabant auſpiciis, atque in eadem provincia Imperio Romano adjecta hoſtilia machinabantur, quippe nec Romani Germanis, neque hi Romanis bellum indixerant, & conſequenter videbatur novi belli initium Germanorum intra ſuos fines perſecutio inconſulto populo Romano.

5. Defendit M. Tullius Cicero factum & Octavii & Decimi Bruti, qui privato conſilio in Antonium arma ceperant. Atqui, etiamſi conſtaret meritum hoſtilia Antonium, Senatus populique Romani judicium expectari debuit, an e republica eſſet diſſimulare factum, an ulciſci; ad pacis venire conditiones, an ad arma procurrere. *App. ci. IV.* Nam jure ſuo, quod ſæpe cum damni periculo conjunctum eſt, uti nemo cogitur. Tum vero etiam hoſte judicato Antonio permittenda Senatui & populo Romano deliberatio fuit, per quos potiſſimum bellum id geri vellet. Sic Caſſio auxilia ex fœdere petenti reſpondere Rhodii, miſſuros ſe, ſi Senatus juberet.

COMMENTARIUS.

BOni civis officium eſt non ſolum præſentem Reipub. ſtatum tueri, ſed etiam confirmatum, quamobrem perturbatores publicæ tranquillitatis imperium legitimum, quod fundamentum eſt & baſis qua Reipub. ſabrica nititur, ſubvertere vel mutare conantes, tanquam hoſtes perſequi non poteſt tantum, ſed debet, ſi officium quod ipſi incumbit explere velit. Quid autem aliud meditabatur Antonius, quam Reipub. ſtatum evertere, atque Imperii fata in ſe vertere, liberumque populum Romanum in ſervitutem trahere, utpote qui teſte Cicerone *Philip. 2. ſedens pro Caſtoris æde audiente populo Rom. dicere auſus fuiſſet, niſi victorem victurum neminem? num putatis P. C. dixiſſe eum minacius quam facturum fuiſſe? Quid vero, quod in concione dicere auſus eſt, ſe, cum magiſtratu abiiſſet, ad urbem venturum cum exercitu? introiturum quotieſcunque vellet? quid erat aliud, niſi denuntiare populo Romano ſervitutem.* Hiſce calamitatibus & periculis Reipub. imminentibus oppoſuit ſeſe Brutus & quidem authoritate privata, arma in Antonium capiens, ut majeſtatem imperii, populi libertatem, & publicam tranquillitatem, ſingulorum civium ſalutem, & præſentem Reipub. ſtatum ac regiminis formam conſervaret intactam atque illibatam a perditis Antonii conſiliis atque machinationibus. Poſſet mihi quis objicere, Reipub. & libertatis ac communis ſalutis conſervationem Senatui populoque Rom. incubuiſſe, cui cura demandata ut videret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet, penes eum itaque ſumma majeſtas ſummumque imperium reſidebat, & conſequenter ſi Reſpub. ſi libertas erat tuenda vi & armis contra Antonium, id ipſum Senatus Pop. Rom. decernere debuiſſet, cujus erat deliberare quid expediret Reipub. & belli gerendi poteſtatem deferre ei, quem idoneum ad illud ſuſcipiendum & perficiendum elegiſſent. Concedo Authori hæc omnia juris eſſe, ideoque fieri debuiſſe in quieta ac bene conſtituta Repub. Verum concutiebatur Reſpub. bello inteſtino, cujus dubius erat eventus; Antonii ſumma audacia, crudelitas, arma Senatum populumque in metum conjecerant, & nullo modo dubitandum quin nonnulli etiam faventes Antonii partibus impedimento fuiſſent ne quid crudelius in eum conſuleretur. Veriſſimum inquit Vellej. *lib. 2. cap. 11. Torpebat oppreſſa dominatione Antonii civitas.* Et ut inquit Cicero: *Attulerat jam liberas civitati*, de Antonio ſermonem habens, *partim metu, partim patientia, conſuetudinem ſerviendi.* In eo autem rerum ſtatu quid ſuadebat officium bono civi libertatem abjicere, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit, Rempub. ac communem ſalutem, quam jam deſertam & unius libidini ac dominandi cupiditati expoſitam a Senatu videbant, etiam ſui oblitus officii deſerere, an vero tot Reipub. imminentes calamitates & præſens periculum, interitum ac ruinam ejus jam brevi affore portendentes, ad quæcunque potius capeſſenda audaciſſima conſilia & pericula obeunda mali imminentis a Rep. avertendi cauſa inflammare bonum civem debuiſſent. Abjeciſſe videbatur Senatus partim ex metu, partim favore erga Antonium Reipub. curam, præſens periculum non ferebat moram, Antonius non venerabatur Senatus aut populi authoritatem,

nullus

nullus enim ei locus in legibus & judiciis erat, utpote quæ, quantum in ipſo erat, dominatu regio ſuſtuliſſet. *Quid cupide a Senatu*, inquit Cicero *Philip. 2. quid temere, fiebat, cum tu unus adoleſcens univerſum ordinem decernere de ſalute Reipub. prohibuiſti? neque id ſemel, ſed ſæpius? neque tu tecum de Senatus authoritate agi paſſus es? quid autem agebatur, niſi ne delere & evertere Rempub. funditus velles, cum te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens ſenatus agendo de vendita atque addicta ſententia movere potuit?* & paulo poſt: *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos: interfecit Antonius, deſideratis clariſſimos cives: eos quoque eripuit vobis Antonius: ordinis hujus authoritas afflicta eſt: afflixit Antonius.* Qui itaque Senatus juſſa exſpectaſſet Brutus ſublata ejus authoritate, quid moras necteret, Hannibalem jam ante portas & univerſam Remp. peſſundatam perſpiciens, niſi extrema quæcunque adhibeantur remedia, & illico arma armis opponantur. Deſerta Repub. ab iis quibus ejus cura demandata eſt, cuique incumbit ejus ſuſcipere defenſionem. *Etenim cum homines nefarii de patriæ parricidio confiterentur, conſciorum indiciis, ſua manu, voce pæne litterarum coacti, ſe urbem inflammare, cives trucidare, vaſtare Italiam, delere Rempub. conſenſiſſe: quis eſſet, qui ad ſalutem communem defendendam non excitaretur.* Cic. *Philip.* 2. Quamobrem Brutum boni civis impleviſſe officium ſtatuimus, patriam atque Rempub. ruinæ & everſioni proximam conſervare ab interitu adnitentis. Et idem omnibus civibus incumbere putamus: quemadmodum enim in ſtatu naturali tenetur quiſque communem ſocietatem conſervare, ita & in civili ſocietate quiſque civis tenetur ſuas conferre operas ne diſtrahatur & perturbetur ejus tranquillitas: cui etiam accedit, ut quatenus ſum pars & membrum Reipub. a cujus conſervatione & ſuſcepta regiminis forma privata ſalus atque beatitudo pendere mihi videtur, jus & facultatem habeo meas operas conferendi ad eam tuendam adverſus vim & injuriam eorum, qui ejus ſtatum evertere conantur, judicium iis utendi opportuno tempore pro Reip. ſalute, quidem tranſlatum in ſummum imperantem, ſed illud mihi iterum vendicare poſſum, dum videam ab iis deſeri Remp. quibus ſumma rerum cura demandata, nam eo caſu, ut toties diximus, mihi recupero & facultatem mei defenſionem ſuſcipiendi, & judicandi libertatem de mediis quibus me meaque conſervare velim, eaque adhibendi poteſtatem. Judicat Brutus, præſentem Reipub. faciem ponderans, non poſſe eam, vel provinciam, cujus ipſi cura demandata erat, neque conſequenter & ſe ipſum ſecurum eſſe niſi vi repellat vim Antonii, atqui nemo auderet ſeſe opponere peſtiferis Antonii machinationibus, & in Reipub. interitum conflatis conſiliis, ipſe communem defenſionem ſuſcipiens vi & ferro opprimere nititur cum armis Reipub. faucibus inhærentem flagitioſum ac pernicioſum civem. Quamobrem merito Bruti factum ſummis laudibus condecoravit M. Tullius, cum his verbis P. C. Senatus conſultum faciendum cenſeat *Philip.* 5. *Cum D. Brutus Imp. Coſ. deſignatus provinciam Galliam in Senatus populique Rom. poteſtate teneat: cumque exercitum tantum, tam brevi tempore, ſummo ſtudio municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, optime de Repub. merita, merentiſque, conſcripſerit, compararit: id eum recte, & ordine, ex Repub. feciſſe: idque D. Bruti præſtantiſſimum meritum in Remp. Senatui, populoque Rom. gratum eſſe. Itaque Senatum, populumque Rom. exiſtimare, D. Bruti Imp. Coſ. deſignati opera, conſilio, virtute, incredibilique ſtudio, & conſenſu provinciæ Galliæ, Reipub. difficillimo tempore eſſe ſubventum. Huic tanto merito Bruti P. C. tantoque in Remp. beneficio, quis eſt tantus honos, qui non debeatur. Nam ſi M. Antonio patuiſſet Gallia, ſi oppreſſis municipiis & coloniis imperatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuiſſet, quantus Reipub. terror impenderet? dubitaret, credo, homo amentiſſimus atque omnibus conſiliis præceps & devius, non ſolum cum exercitu ſuo, ſed etiam cum omni immanitate barbariæ bellum inferre nobis: ut ejus furorem ne Alpium quidem muro cohibere poſſemus. Hæc igitur habenda gratia eſt D. Bruto, qui illum, nondum interpoſita authoritate veſtra ſuo conſilio atque judicio, non ut conſulem recepit, ſed ut hoſtem arcuit Gallia? ſeque obſideri, quam hanc urbem maluit. Habeat ergo hujus tanti facti, tamque præclari, decreto veſtro teſtimonium ſempiternum, vereque laudetur, quod ſe ſuaſque vires non tradidit, ſed oppoſuit Antonio.*

6. Moniti hoc exemplo, & plura occurrent, meminerimus non omnia probare quæ a quamvis præclaræ famæ auctoribus dicuntur, ſæpe enim tempori, ſæpe affectibus ſerviunt, & aptant τῷ πέτρῳ σείθμλω. quare danda eſt opera uti in his rebus defecato utamur judicio, nec quæ excuſari magis quam laudari poſſunt, temere in exemplum rapiamus, in quo pernicioſe errari ſolet.

COMMENTARIUS.

Bene Author, quod & alio loco annotavimus, non cæco quodam impetu amplectenda tanquam rectæ rationi ac æquitati congrua, alicujus ſcriptoris dicta, eo quod doctrina ingenii ac judicii ſui acumine ubique referta ejus ſcripta magnam famam ipſi conciliarunt, quæ ſæpe in cauſa,

ſa, quod plus authoritatis apud viros graves mereantur, quam oportet quæcunque ab ejuſmodi authoribus approbantur. Examinanda prius recte monet Author an cum ratione & juſtitia conveniant, ideoque nec probanda & laudanda quia ab ipſis dicta, ſed quia juſtitiæ & rationi conſentanea, & idcirco ſequenda.

7. Cum vero dictum ſit, bellum publicum geri non debere niſi eo auctore qui ſummam poteſtatem habeat, & ad hujus rei, & ad quæſtionis illius quæ eſt de bello ſolenni intellectum, atque adeo ad alia multa, neceſſarium erit, quæ ſit ſumma illa poteſtas, quique eam habeant intelligere: eoque magis, quia noſtro ſæculo viri eruditi, quiſque ex uſu magis rerum præſentium, quam ex vero illud argumentum exſequuti, rem per ſe haud expeditam multo impeditiorem reddiderunt.

COMMENTARIUS.

CUm ex argumentis jam adductis belli gerendi jus in ſocietate civili penes eum reſidere, quem tuendæ civitati præeſt, conſtet, cuique incumbit cura, ut videat ne quid Reſp. capiat detrimenti, quo Senatusconſulto olim armati conſules apud Romanos, exercitum parandi, bellum gerendi poteſtatem ſummumque domi militiæque imperium habebant. Summo itaque imperio inhæret ejuſmodi poteſtas, quia ſummi imperanti ipſo jure imperii eadem incumbit cura. Verum cognito ſummæ poteſtati belli publici gerendi jus tantum tribuendum, diſputandi ratio nos ducit ad inveſtigandum, quæ ſit illa poteſtas, & cui ea competit, de qua non conſentiunt inter ſe viri eruditi, ut ex ſequentibus patebit.

VI. 1. Facultas ergo moralis civitatem gubernandi, quæ poteſtatis civilis vocabulo nuncupari ſolet a Thucydide, tribus rebus deſcribitur, cum civitatem, quæ vere civitas ſit, vocat αὐτόνομον, αὐτόδικον, αὐτοτελῆ, *ſuis utentem legibus, judiciis, magiſtratibus.* Ariſtoteles tres facit partes in adminiſtranda republica, conſultationem de rebus communibus, curam legendorum magiſtratuum, & judicia: ad primam autem partem refert deliberationem de bello, pace, fœderibus faciendis ac diſſolvendis, de legibus; addit de morte, exilio, publicatione, & repetundis, hoc eſt, ut ego interpretor, judicia publica, cum prius judiciorum nomine privata intellexiſſet. Dionyſius Halicarnaſſenſis tria maxime notat, jus magiſtratuum creandorum, jus legum condendarum & tollendarum, jus decernendi de bello ac pace. alibi addit quartum, judicia: Rurſum, alibi adjicit curationem ſacrorum & convocationem comitiorum.

Liv. IV. *Pol. c. 4.* *Lib. IV.* *Lib. VII.* *Lib. II.*

COMMENTARIUS.

QUemadmodum nulla ſocietas ſubſiſtere poteſt ſine ordine, ita nullus ordo in ſocietate obſervari poteſt ſine imperio vel poteſtate humana, quæ ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, hominum actiones dirigens ad commune bonum, & communem ſalutem, tranquillitatem, ac utilitatem legitimis mediis procurare adnitens. Quare Cicero 3. *de ll.* ſine ejuſmodi imperio vel poteſtate *nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terraque, & hominum vita juſſis ſupremæ legis obtemperat.* Poteſtas autem quam habet ille qui civitati præeſt civilis dicitur. De cujus origine ſup. diſputavimus, hic autem de natura ejus diſputandi locus erit. Civilis dicitur quia ad adminiſtrationem civitatis pertinet. Quamobrem definitur ab Authore, *facultas moralis gubernandi civitatem.* Velut alii, *jus ſummum ac perpetuum quo perſona publica, cui illud legitime conceſſum, omnia, quæ ad adminiſtrationem Reipub. pertinent, peragere poteſt.* Hæc autem adminiſtratio ſeſe ad omnia extendit, quoad communem utilitatem & ſalutem pertinent, ideoque ſuis

ſuis cancellis includi nequit, quia quam late patet utilitas & communis ſalus, etiam ſummum imperium ſeſe extendit, nam hæc eſt finis & etiam cauſa conſtituti imperii civilis. Ariſtoteles *lib.* 4. *cap.* 14. *Polit.* poſt explicatas Rerumpub. varias ſpecies, tres facit partes. Quarum una, quæ de Republica conſultat, comprehendit arbitrium pacis & belli, ineundæ vel diſſolvendæ ſocietatis poteſtatem, tum etiam legum ferendarum & abrogandarum, mortis vel exilii irrogandi, publicationis bonorum, & repoſcendarum rationum facultatem. Altera ad magiſtratus ſpectat, & in magiſtratibus hæc duo: primo quales eſſe oporteat; tum etiam quarum rerum ipſis tribuenda poteſtas, & quo pacto eligendi & creandi ſint. Tertia ad judiciariam poteſtatem pertinet. Horum jurium etiam paſſim apud Hiſtoricos mentio. Dyonyſ. Halicar. cæteris magis diſtincte tria potiſſimum ſummi imperii jura enumerat, cum in *lib.* 4. tum etiam *l.* 5. *&* 7. De comitiorum habendorum ratione a Servio inſtituta & ordinata ſermonem habens, hæc tria jura tanquam poteſtatis civilis, in gubernanda Reſpub. conſiſtens, maxima & primaria proponit. Quippe, ut pauperes ab rerum ſive Reipub. adminiſtratione ſummoveret, populum Romanum in quinque claſſes diviſit; primæ autem claſſi, quæ ex iis conſtabat, qui maximum habebant cenſum, ideoque dignitate & opibus pollebant, totum periculorum & impendiorum onere impoſito cum videret *eos id ægre ferre alio modo triſtitiam eorum conſolatus eſt & iram leniit, prærogativa quadam totius Reipub. poteſtate illis data.* Ea vero pærogativa ſita erat in comitiis, ubi de maximis negotiis decernit populus, maxima vero illa negotia, in quibus fere totius Reipub. poteſtas conſiſtebat, tria recenſet, cum inquit, *Dixi & antea, quod trium rerum, maximarum illarum & ſumme neceſſariarum, penes populum ex priſco inſtituto arbitrium fuit, creandi magiſtratus tam domi quam militiæ, leges confirmandi vel abrogandi, pacem bellumve decernendi.* Qua autem ratione hæc poteſtas ad divites fuerit tranſlata, vide ex iis quæ ibidem habentur. Et apud eundem *l.* 7. in tribus hiſce juribus ſummam rerum conſiſtere, ex oratione Valerii patet, qua ſuadet & Patribus, ut in concordiam cum plebe redire velint, admittendo eam quoque ad judicia, quemadmodum admiſſi ſunt ad decernendum de majoribus ac potioribus civitatis negotiis. Quorum in numero tria hæc ponit, magiſtratuum urbanorum creationem, legumque tum ſanciendarum, cum etiam abrogandarum, & pacis bellique decernendi poteſtatem. Addit tamen his judicia. Romulum inſuper etiam ſacrorum curam, atque Senatum cogendi, & populum in concionem convocandi, id eſt comitiorum habendorum jus, tanquam eximia regis munia ſibi vindicaſſe refert *lib.* 2. Adjicit hiſce ſummæ poteſtatis juribus Dion. *lib.* 53. legibus non eſſe alligatum. Sic Tacitus enumerans Reipub. adminiſtrandæ jura & partes, quibus modis ad eam diem habitæ fuerant, uſque ad initum principatum Tiberii, inquit: *Jam primum publica negotia, & privatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturque primoribus diſſerere, & in adulationem lapſos cohibebat ipſe; mandabatque honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando: ut ſatis conſtaret non alios potiores fuiſſe. Sua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies: minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas, legeſque, ſi majeſtatis quæſtio eximeretur, bono in uſu. At frumenta & pecuniæ vectigales, cætera publicorum fructuum ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur.* Sic etiam Suetonius cum ait Tiberium ſpeciem libertatis quandam induxiſſe, conſervando Senatui atque magiſtratibus & majeſtatem priſtinam & poteſtatem. Explicat deinde quibus in rebus conſiſtit ſumma majeſtas ſummumque imperium, rum inquit: *Neque tam parvum quicquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur. De vectigalibus ac monopoliis, de exſtruendis reficiendiſque operibus, etiam de legendo vel exauctorando milite, ac legionum & auxiliorum deſcriptione: denique quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid & qua forma regum litteris reſcribi placeret.* Sic & hodie politici ſummi imperii jura hæc fere enumerant, leges jubere, bellum decernere, pacemque facere, magiſtratus mandare, extremam provocationem, fidelitatem & obſequium recipere, tributa imperare, vectigalia imponere, aliaque his ſimilia.

2. At ſi quis recte partiri velit, facile quæ huc ſpectant reperiet omnia; ita ut nihil aut deſit, aut redundet. Nam qui civitatem regit, eam partim per ſe, partim per alios regit. Per ſe autem verſatur aut circa univerſalia aut circa ſingularia. Circa univerſalia verſatur condendo leges eaſque tollendo, tam circa ſacra (quatenus eorum cura ad civitatem pertinet) quam circa profana. Ars circa hæc Ariſtoteli ἀρχιτεκτονικὴ architectalis. Singularia circa quæ verſatur ſunt aut directe publica, aut privata quidem ſed quatenus ad publicum ordinantur. Directe publica ſunt actiones, ut pacis, belli, fœderum faciendorum; aut res, ut vectigalia, & ſi quæ his ſunt ſimilia: in quibus comprehenditur & dominium eminens, quod civitas habet in cives

& res civium ad uſum publicum. Ars circa hæc Ariſtoteli nomine generis πολιτικὴ, id eſt civilis, & βουλευτικὴ, conſultatrix. Privata ſunt res controverſæ inter ſingulos, quas publica auctoritate dirimi publicæ quietis intereſt. Ars circa hæc eidem Ariſtoteli δικαστικὴ, judicialis. Quæ per alterum expediuntur, ea expediuntur aut per magiſtratus aut per alios curatores, in quibus ſunt & legati. His ergo in rebus conſiſtit potеſtas civilis.

COMMENTARIUS.

QUoniam ſummum imperium introductum eſſe diximus ad ſecuritatem, ſalutem, ac utilitatem civium promovendam, hinc ſummo imperanti incumbit providere omnibus mediis, ut huic fiui reſpondeant quæcunque agit jure ſummi in eum tranſlati imperii; jure antem ſummi imperii agit omnia, quæ vel ad gubernationem tum defenſionem Reipub. ſpectant. Illa concernit interiorem civitatis ordinem & ſabricam, ſcil. ut omnia intus bene ſint ordinata & conſtituta & partes bene diſpoſitæ: iſte enim ordo conſiſtens in mira partium convenientia totius & conſequenter ſingulorum quoque conſervatio eſt. Hæc arcet illa, quæ ad ejus deſtructionem tendunt. Summum itaque imperium eſt fundamentum quo totius fabrica innititur, quot vero ſunt cives, tot ſunt partes, quorum actiones ſummus imperans ad unum & eundem ſcopum, ſcil. communem utilitatem & conſervationem, dirigendo, illam convenientiam & harmoniam, quæ & ſingulorum & totius ſecuritatem tuetur, producit. Huc jam pertinet imperium ſummum & abſolutum, quod ſummo imperanti ea adhibendi media conceſſiſſe videri debet, ſine quibus nequit ſubſiſtere civitatis ſtructura. Hoc autem imperium conſiſtit in gubernando & regendo civitatem, eamque deſendendo. Cujuſmodi imperium per ſe quidem individuum eſt, verum exercitium quarumdam partium aliis demandare non repugnat ejus naturæ, dum nihil hac ratione detrahatur imperio, quod principaliter manet penes Principem, ſed ejus nomine aliis exercitium conceditur, quod idem eſt ac ſi ipſe exerceret. Impoſſibile enim eſt, ut ſuo loco diximus, ſummum imperantem omnibus negotiis publicis ſupereſſe poſſe, itaque quemadmodum architectus in diſponendis partibus aliorum opera utitur, manente penes ipſum diſponendi arbitrio quo velit modo, ita & ſummus imperans, ut omnia bene diſponantur bonoque ordine negotia publica peragantur, inferiorum quoque magiſtratuum utitur opera, ſibi reſervata facultate præſcribendi quo ordine omnia perfici ipſi placet. Et conſequenter vel ipſe vel per alios regit. Per ſe autem verſatur aut circa ea quæ gubernationem ſpectant, aut defenſionem. Atque ea ſunt vel univerſalia vel ſingularia (conſiſtit quippe gubernatio in *legibus condendis*, vel *magiſtratibus conſtituendis*. Circa univerſalia verſatur condendo leges, eaſque abrogando tam circa ſacra, quam profana. Jus enim leges condendi concernit univerſæ ſocietatis conſervationem & ordinem, civibus præſcribens regulam & normam, qua potiſſimum finis hic univerſalis obtineri poteſt. Leges condendo de ſingularibus quidem negotiis quandoque decernitur, quo reſpectu circa ſingularia leges ferendo imperantem verſari dici poſſe videtur, verum quatenus poteſtas legis condendæ per ſe illimitata eſt, circa quæcunque negotia, quæ univerſalem Reipub. gubernationem ſpectant, occupata univerſalis recte vocari poteſt. Tum etiam ſingularia, quæ vel directe publica ſunt, vel privata, verum relationem ſuam habent ad publicum. Singularia, quæ ſpectant gubernationem, ſcil. interiorem ut diximus, civitatis ſtatum & fabricam ac ordinem, ſunt magiſtratuum creatio, juriſdictio, imperium, extrema provocatio, judicia, cenſura, collegiorum inſtitutio, publica dicta, quia & a publica authoritate proſiciſcuntur ac dimanant, tum etiam ad publicum regimen ſpectant. Privata ſunt res controverſæ inter civitatis membra & partes, quas dirimi totius intereſt civitatis, ne diſtracta privatorum jurgiis ac diſcordiis, & partium inter ſe contentione minetur ruinam ac interitum. Altera pars ſummæ poteſtatis civilis, ut diximus, conſiſtit in defenſione; & vel circa univerſalia iterum verſatur, vel ſingularia, eaque vel publica, vel privata: circa univerſalia verſatur adhibendo ea media, quibus vel depelli vel præcaveri poſſit, ne vi externa concutiatur Reſpub. ſingularia, circa quæ verſatur, ſunt, belli indicendi & componendi arbitrium, fœdera inenndi, legatos mittendi & recipiendi, exercitus conſcribendi, delectus habendi, vel etiam vectigalia imponendi, ut militibus ſua poſſint ſtipendia conſtitui. Privata ſunt animadverſiones in facinoroſos, quæ maxime ad defenſionem Reipub. pertinent. Quæ per alterum expediuntur, ſunt magiſtratus militares, oratores, defenſores, urbani gubernationem civilem tractant. Quemadmodum & ope, ita quandoque aliorum, qui civilium rerum peritiam longo uſu ſibi compararunt, conſiliis indiget. Veriſſimum illud Taciti: *Principem non poſſe ſua conſcientia cuncta complecti, nec unius mentem tanta molis capacem eſſe.* Paulo hic quidem recedimus a mente Authoris; probamus tamen ejus partitionem, atque commode ad ſumma

ma hæc capita omnes ſummi imperii partes & majeſtatis jura revocari poſſe arbitramur. De dominio eminente, cujus hic mentionem facit Auctor, ſupra egimus.

VII. 1. Summa autem illa dicitur, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. Alterius cum dico, ipſum excludo qui ſumma poteſtate utitur; cui voluntatem mutare licet, ut & ſucceſſorem, qui eodem jure utitur, ac proinde eandem habet poteſtatem, non aliam. Hæc ergo ſumma poteſtas quod ſubjectum habeat videamus. Subjectum aliud eſt commune, aliud proprium: ut viſus ſubjectum commune eſt corpus, proprium oculus. Ita ſummæ poteſtatis ſubjectum commune eſt civitas, quam perfectum cœtum eſſe ſupra diximus.

COMMENTARIUS.

Summa poteſtas nulla vocari poteſt, niſi illa, cujus actus alterius juri non ſubſunt, & conſequenter irriti reddi nequeunt alterius humanæ voluntatis arbitrio. Summa poteſtas dicitur, vel quia major non datur quam illa in civitate, neque etiam ei æqualis. Ea enim ſummi conditio eſt ut nullam æqualitatem poſſit admittere, æqualitas enim ſummitatem tollit. Quippe contradictorium eſſet ſummum eſſe in civitate & ſibi alium æqualem habere, eſſent enim duæ, nt ita dicam, ſummitates. Vel ſumma dicitur, quia major quam illa poteſtas homini in hominem competere nequit, quam ut hic ad iſtius arbitrium & voluntatem omnes ſuas actiones componere, & omnes vires, fortunas, ac bona applicare ad bonum publicum, quia membrum civitatis, & conſequenter non ſui magis, ſed alieni eſt juris, conferre tenetur. Quod ſi facere recuſat, vi cogi poteſt, imo & ſummus imperans in eum animadvertere pœna capitali boni publici cauſa, quippe non ſolum in bona & fortunas, ſed etiam vitam ac corpus imperium habet, & de iis diſponendi, ſi publica ſalus & utilitas id ipſum poſtulat, facultatem. Quemadmodum enim homo in ſtatu naturali ſui plane juris, nullius niſi univerſi hujus conditoris arbitrio ſubjectus, abſolutam habet poteſtatem in ſe ipſum & bona ſua, quorum liber moderator eſt & arbiter, ita ut ex proprio judicio propriaque nullis legibus niſi naturalibus circumſcripta authoritate ſibi poteſt regulam & normam agendorum præſcribere, ac de viribus omnibuſque facultatibus diſponere. Ita eadem ſumma libertas competit eis, qni ſummo in civitate ornati ſunt imperio, nam illi veluti in naturali ſtatu vivunt, quatenus nullum agnoſcunt ſuperiorem. Quamobrem proprio & aliunde non dependente arbitrio quæ ad & ſalutem ipſius, id eſt civitatis pertinent, (nam tanquam unam eandemque cum civitate perſonam conſtituens debet conſiderari) procurat. Eo enim ipſo quo alicui in civitate confertur ſnmmum imperium tribuitur ipſi idem jus eademque libertas, quam quiſque civis habet jure naturæ, id eſt facultas faciendi quod cuique de ſe boniſque ſuis facere libet, legibus tamen naturæ congruenter, quippe nemo efficere poteſt, ne illæ ſibi in quocunque vivat ſtatu locum vindicent, atque ſint agendorum ipſi norma. Definitur hæc ſumma a Cicerone libertas, *Poteſtas vivendi ut velis.* Et a Juſtiniano, *Facultas naturalis ejus quod cuique facere libet.* Ita ut nemo mihi impedimento eſſe poſſit ne faciam quod exequi lubet, ſcil. jure quod ipſi in me competeret, faciendi enim facultas ejus quod libet neceſſario omne alienum excludit imperium. Verum bene addit Imperator, *niſi quis vi aut lege prohibeatur.* Habet itaque ſuos limites naturalis libertas quamvis ſumma, quos tranſilire vetant leges naturæ, quibuſve etiam in civitate ſummi imperii jura circumſcribuntur. Unde cum Authore conclndimus, quia ſummus imperans nulli imperio humano ſubjectus eſt, verum a ſe ipſo dependet, propriamque voluntatem pro regula agendorum habet, ejus actus a nemine irritos reddi poſſe, qua ſnmmus imperans, quippe quia eo reſpectu cum civitate una eademque perſona eſt, quod ille vult etiam vult civitas, una & eadem itaque ejus voluntas, quamobrem nemo ſe opponere poteſt ejus voluntati vel irritos reddere actus, ac decreta mutare, vel eorum exſecutionem impedire, niſi ipſe; quod cuique homini nullum ſuperiorem agnoſcenti competit ipſo jure naturæ. Hinc nulli niſi ſibi imperii reddit rationem, ac nullam pœnam extimeſcit, niſi quæ propria ſibi dictat meruiſſe conſcientia, ideoque divinam, imo etiam humanam, ſi judicem haberet competentem qua princeps, ſed ſibi ipſi judex eſt quia ſummus, ideoque impunis in foro humano. Hinc Saluſtius *Bello Jugurth. Impune quidlibet facere id eſt regem eſſe:*

Reges in ipſos imperium eſſe Jovis.

Apud Horat. *l.* 3. *Od.* 1. Cui convenit quod apud Suet. eſt in *C. Julio Caſare cap.* 6. *Eſt ergo in genere & ſanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cæremonia deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.* Qnippe, ut inquit Seneca *Thyeſte act.* 3. reges admonens:

Ponite inflatos tumidoſque vultus.
Quicquid a vobis minor expaveſcit;
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Quemadmodum vero diximus ſummi imperantis voluntatem nullius niſi proprio ſubeſſe arbitrio, ideo & ipſum tantum eam poſſe mutare, eandem quoque merito facultatem tribuit Author ſucceſſori, quæ anteceſſoris facta circa quæcunque

negotia, quæ publicam admioiſtrationem ſpectaot, nec ipſum obligant ad ea præſtanda vel rata habenda; eodem enim jure gaudet, quod anteceſſori competebat: iniquum enim eſſet ſi anteceſſori liceret conditionem ſucceſſoris deteriorem facere, debitamque ipſi libertatem auferre, quam rationem allegant D. D. communiter, quando Prælatum negant teneri ad conferendum feudum, quod cum nondum apertum eſſet, ab anteceſſore promiſſum erat: par enim in parem non habet imperium. Qui enim non poteſt alicui tollere actum, nec poteſt ei auferre potentiam agendi, inquit Bald. *c. 1. n. 7. qui ſucc. dar. tenent.* Quamobrem Carolus Magnus ſucceſſores ad non alienandas vel divideodas opes Eccleſiaſticas, ut a Carolo Martello conſuetum erat, obligaturus, caute adjecit hanc limitationem, ut inquit Arniſ. *de jur. majeſt. cap. 7. Qui noſtram, vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerit.* Quia enim legem præſcribere non poterat, exemplum ſaltem relinquere voluit. Aliter ſentit Cravet. *conſil.* 241. verum non magni ſunt ponderis quæ adfert. Superiorem enim eſſe oportet qui alteri legem vult dicere *l. 58. ff. de jud.* quæ huic quæſtioni optime applicari poteſt, cum inqnit Paulus: *Judicium ſolvitur vetante eo, qui judicare juſſerat: vel etiam eo, qui majus imperium in eadem juriſdictione habebat, vel etiam ſi ipſe judex ejuſdem imperii eſſe cœperit, cujus erat, qui judicare juſſit.* Atqui anteceſſor noo plus habuit poteſtatis, quam ſucceſſori reliquit. Eandem autem reliquit poteſtatem quam habuit, ergo quoque & libertatem, qua ipſe uſus fuit, & ad ipſum utendi facultatem tranſmiſit. Hanc autem ſummam poteſtatem cooſiſtere inquit Author in civitate tanquam ſubjecto communi & in perſona imperantis vel unius, vel plurium, prout forma imperii recepta eſt & inſtituta, veluti ſubjecto proprio; quod non eo intelligendum ſenſu quaſi uoo eodemque tempore exiſterent in ſocietate civili duæ ſummæ poteſtates, quarum una penes populum ſeu civitatem, altera peoes eum reſideret, cui ſummum imperium ſummaque majeſtas delata, quippe cum civitas non conſiderari poteſt tanquam diſtincta a ſummi imperantis perſona, quoad gubernationem & adminiſtrationem civitatis, ita ei nullum imperium nec majeſtas a majeſtate & poteſtate ſummi imperantis diſtincta competit, verum poteſtas & majeſtas imperantis eſt poteſtas ſeu majeſtas civitatis, quia perſona ejus eſt ipſa civitas; quicquid igitur ille imperat etiam imperare videtur univerſus populus ſeu civitas. Manet tamen civitas diſtinctum ſubjectum a ſubjecto proprio imperantis, ratione eſſentiæ & exiſtentiæ: cum ea enim cœpit & intermoriturum, itaque radicaliter in ea coofiſtit, ſed acquieſcens, & quaſi civiliter mortuum, quatenus itaque nullum imperium imperandi & pareodi ordo niſi in civitate ac ſocietate civili conſiſtens fingi poteſt, nam ea ſublata omne quoque imperium & civilis iſte ordo evaneſcit. Recte civitas vocatur ſubjectum commune, proprium ſubjectum imperans, quia in eum exercendi imperii facultas tranſlata, & conſeqoenter penes eum reſidet imperii vis & majeſtas privative, ſed non neceſſario, ita ut eo mortuo imperium quoque evaoeſceret, quemadmodum contingit civitatis ſeu ſocietatis civilis interitu. Quod manifeſte in ſucceſſoribus Regum aut aliorum ſummorum imperantium patet, mortuo enim anteceſſore devolvitur ad ſucceſſorem imperium, ſi autem imperium non aliud habuiſſet ſubjectum quam perſona anteceſſoris, ſane oportuiſſet cum eo interiiſſe, quemadmodum figura hominis morte diſſipatur. Societate enim, cujus imperium reſedit penes anteceſſorem, ſublata & diſſipata aut diſtracta, unde ad eum potuiſſet pervenire imperium, omne enim imperium referri debet ad ſubjectum cui imperatur, vel regitur. Itaque ſucceſſionis continuatio & cooſequenter imperii in eum tranſlati cauſa civitatis vel ſocietatis in unum corpus coalitæ exiſtentia, exercendi vero jus legitima ſucceſſione ab anteceſſore tranſmittitur. Lampadius hanc quæſtionem ita explicat: *Forma cujuſque imperii eſſentialis, & ſubjectum adæquatum, non eſt Monarchia, vel Ariſtocratia, vel Democratia; ſed formæ hæ ſunt accidentales, ſubjecto tantum communi differentes. Etenim Reſpub. ſeparatim & unum & paucos & multos poteſt habere dominos; qui quidem ſubjecto exiſtentia differunt, non vero actu eſſentia. Poteſtas igitur eſſentialiter toti Reipub. inhæret ut ſubjecto adæquato, extra reſpectum unius vel plurium. Quo reſpectu majeſtas recte dicitur indiviſibilis, non quidem ratione objecti, ſed poteſtatis occupatæ in rebus adminiſtrandis. At in communi ſubjecto exiſtentia, prout res in Reipub. gerenda diviſionem vel ſpeciem recipiunt, ita majeſtas poteſt in diſparatis ſubjectis conſiſtere.* Ipſe Author hanc ſuam doctrinam exemplis illuſtrat *lib. 2. cap. 9. §. 8.* cum inquit: *Imperium, quod in Rege eſt ut in capite, manet in populo ut in toto, cujus pars eſt caput, atque adeo Rege, ſi electus eſt, aut Regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit. Non deſinit debere pecuniam populus Rege ſibi impoſito, quam liber debet. Eſt enim idem populus, & dominium retinet eorum quæ populi fuerant, imo & imperium in ſe retinet, quanquam jam non exercendum a corpore, ſed a capite.* Quemadmodum civitatem concipere nequeamus ſioe ordine, ita nec ſine imperio, itaque ubi civitas ibi & imperium. Sic quoque nullum imperium ſine civitate propter neceſſariam illam interſeſe relationem, quippe cum una ſit origo & cauſa alterius ſioe qua non, ut Philoſophi loqui amant, ita quoque ſibi ita cohærent, ut nulla ratione ſeparari nequeant, ſcil. eſſentia, vel etiam exiſtentia, ſed quidem exiſtendi modo. Rejicimus itaque diviſionem majeſtatis quam nonnulli excogitarunt, *realem* & *perſonalem*, atque ab ea quoque Authoris mentem alienam eſſe putamus, quamvis nonnulli contrarium ſtatuant. Sæpius enim jam diximus, dum cives transferant majeſtatem & ſummum imperium in eum quem tuendæ ſocietati præeſſe volunt, nullas ſibi imperii vel majeſtatis partes reſervare voluiſſe, quia hoc repugnat naturæ ſummitatis, ut ita dicam, & conſequenter majeſtatem non poteſt dividi in *Realem* & *Perſona-*

ſona-

ſonalem, quaſi illam populo ſibi retinuiſſet, alteram tranſtuliſſet, quod abſurdum; nam quemadmodum populus eligendo ſibi principem ratione adminiſtrationis cum eo ita coadunatur, ut una duorum ſit voluntas, ex duobus una perſona quaſi formatur, & una conſequenter utriuſque majeſtas, unum idemque imperium; verum quoniam in exercitio ſummi imperii potiſſimum majeſtas ejuſque jura & vis conſpiciuntur, hinc quaſi proprium & diſtinctum ſubjectum ſummus imperans videtur, cui a multitudine in unam ſocietatem coacta illud abdicative ratione exercitii, ut ita dicam, conceſſum & delatum eſt, manente tamen ipſa eſſentia majeſtatis penes ſubjectum commune, qualis eſt civitas, eique inſeparabile inhæret non ſemper actu, ſed potentia. Recte Bœcler. *in notis ſuis ad h. l. Cum civitas majeſtatem E. G. in unum plene & proprie contulit, ad jus quod tranſtulit provocare nequit: quippe jam non ſuum, niſi potentia, i. e. in eventum in tranſlatione expreſſum aut deſignatum: ut cum is moritur, cui citra heredum mentionem delatum eſt imperium, vel cum deficit familia, penes quam civitas ſummam poteſtatem reſidere voluit modo irrevocabili.* Hæc potentia in omni caſu quo uſus imperii tranſlati finitur reſervata civitati, quia naturaliter civitati tanquam ſubjecto ſuo inſeparabile ineſt. Verum commode ejuſmodi potentia majeſtas dici nequit, nec aliqua pars ejus, ſed potius aptitudo ad recipiendum tranſlatæ majeſtatis uſum ejusque jura, inhabili reddito ſubjecto ejus proprio in quod collata. Si vero dictam doctorum diviſionem admittimus, dicendum videtur, hoc nomine venire majeſtatem realem, & conſequenter proprie majeſtatem non eſſe. Non autem neceſſe eſt, quia aliquo caſu imperium revertitur ad populum, duplicem majeſtatem excogitare, non magis quam ut fingamus in ſervo imperium reale, imperio domini perſonali contradiſtinctum, ideo quod extincto ſine hærede domino imperium naturale, quod quiſque habet in ſeipſum, nanciſcitur. Obectionibus, quas excogitarunt, qui in contrariam ſententiam adducti ſunt, reſpondet Bœcler. *dict. loco.* ad quem lectorem remittimus.

2. Excludimus ergo populos qui in alterius populi ditionem conceſſerunt, quales erant provinciæ Romanorum: hi enim populi non per ſe civitas ſunt, ut nunc quidem eam vocem ſumimus, ſed membra minus digna magnæ civitatis, quomodo ſervi membra ſunt familiæ. Rurſum accidit, ut plurium populorum idem ſit caput, qui tamen populi ſinguli perfectum cœtum conſtituunt: neque enim ut in naturali corpore non poteſt caput unum eſſe plurium corporum, ita in morali quoque corpore; nam ibi eadem perſona diverſa ratione conſiderata caput poteſt eſſe plurium ac diſtinctorum corporum. Cujus rei cer- *Vict. de*
tum indicium eſſe poteſt, quod extincta domo regnatrice imperium *jure belli n. 7.*
ad quemque populum ſeorſim revertitur. Sic etiam accidere poteſt,
ut plures civitates arctiſſimo inter ſe fœdere colligentur, & faciant *Lib. II. Pol. c. 20.*
σύστημα quoddam, ut Strabo non uno loco loquitur, neque tamen ſin- *l. III.*
gulæ deſinant ſtatum perfectæ civitatis retinere: quod tum ab aliis, *c. 9.*
tum ab Ariſtotele etiam, notatum eſt non uno loco.

COMMENTARIUS.

Civitates, quæ alterius ditioni adjectæ, quales erant provinciæ Romanorum, ſuperiorem agnoſcunt, hac appellatione non veniunt. Verum veluti ſingulare aliquod membrum iſtius civitatis vel Reipub. cujus armis devictæ ſummum quod habuerunt imperium jure belli coactæ fuere abjicere, & alieno ſeſe ſubjicere, eodem modo quo quiſque civis ſubjiciebatur civitati ſive ejus principi, antequam in alterius populi ditionem conceſſiſſent. Definit enim Sigonius *de antiq. jur. Provinc. lib. 1. cap. 1.* provinciam, *regionem, quam aut armis devictam, aut quocunque modo in poteſtate redactam, populus Romanus magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubjecit.* Quod vero plurium populorum idem caput eſſe poteſt, qui ſinguli perfectum cœtum conſtituunt, exemplo nobis eſſe poteſt vaſtum illud & amplum Hiſpaniæ regnum, quod ſua appellatione tot regna atque regiones complectitur, quæ olim ſingulæ ſuos habuere dominos & principes, jam vero unius purpuram adorant & ſceptrum venerantur diverſo tamen titulo, & ſecundum peculiaria cujuſque regantur jura, quod non immutat ſummi imperii naturam, ſed tantum dominandi characterem. Huic exemplo aliud addit Author, quando plures civitates arctiſſimo fœderis vinculo inter ſe colligatæ, quamvis ſingulæ perfectum cœtum conſtituant, unum tamen corpus efficiunt, ut quondam Achæi, qui licet per civitates veluti per membra eſſent diviſi, unum tamen corpus & unum habebant imperium; ſingularumque urbium pericula mutuis viribus pro-

pulſabant teſte Juſtin. *lib.* 35. *cap.* 1. Qualem regiminis formam imitandam commendat Polyb. *lib.* 2. 38. Non multum ab ea differt Fœderata Belgia noſtra, in ſeptem quidem civitates diviſa, quæ ſingulæ perfectum cœtum conſtituunt, verum unum tamen corpus habent, unamque efficiunt rempublicam, & arctiſſimo unitatis inter ſe colligatæ vinculo, ad communem defenſionem tuendam communibus viribus, & communi conſenſu publica quædam negotia tractanda. Quippe notandum non unam eſſe ſummam poteſtatem, unumque imperium, quod omnes quibuſcunque in negotiis venerari & ſequi neceſſe habent, ſed in iis tantum, quæ fœdere quo unitæ, expreſſa, ut communi conſenſu & imperio peragerentur, & quicquid circa ea ab omnibus eſſet actum, ſingulæ tenerentur eaſequi & approbare, in cæteris ſibi ſua quiſque jura & ſummam poteſtatem reſervavit, unitate reſtricta ad certos fines.

3. Subjectum ergo commune ſummæ poteſtatis eſto civitas, ita ut jam diximus intellecta. Subjectum proprium eſt perſona una pluresve, pro cujuſque gentis legibus ac moribus. ἡ πρώτη ἀρχὴ apud Galenum libro ſexto de placitis Hippocratis & Platonis.

COMMENTARIUS.

MErito tandem concludit Author ſummam poteſtatem civilem, cum in civitate tanquam ſubjecto communi, tum etiam in perſona veluti proprio ſubjecto una pluribuſve conſiſtere.

VIII. 1. Atque hoc loco primum rejicienda eſt eorum opinio, qui ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe volunt populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur & coërcere & punire liceat: quæ ſententia quot malis cauſam dederit, & dare etiamnum poſſit, penitus animis recepta, nemo ſapiens non videt. Nos his argumentis eam refutamus. Licet homini cuique ſe in privatam ſervitutem cui velit addicere, ut & ex lege Hebræa & Romana apparet: quidni ergo populo ſui juris liceat ſe uni cuipiam aut pluribus ita addicere, ut regendi ſui jus in eum plane tranſcribat, nulla ejus juris parte retenta? Neque dixeris minime id præſumi: non enim jam quærimus, quid in dubio præſumendum ſit, ſed quid jure fieri poſſit: Fruſtra quoque afferuntur incommoda quæ hinc ſequantur, aut ſequi poſſint: nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis. *Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda ſunt*, ait Comœdia.

Ex. xxi. 6. Inſtit. de jure perſ. §. Servi autem. Gell. lib. 2. c. 7.

COMMENTARIUS.

MOvet hic Author dificillimam de jure ſummi imperii quæſtionem, verum ſtatus controverſiæ, quem nimis generaliter proponit, ad certos quoſdam caſus reſtringendus. Neminem eo arrogantiæ proceſſiſſe mihi perſuadeo, ut ſtatueret, *ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur coërcere & punire liceat*. Ita potius proponenda quæſtio, an liceat quibuſdam in caſibus civibus, vel populo regem, vel ſummum imperantem, imperio ſuo non ad tutelam & utilitatem civium, ſed in eorum perniciem ac detrimentum abutentem, imperio eum exuere vel alio quocunque modo punire & coërcere. Placet antequam ad Authoris argumenta, quibus refutat opinionem, quam primo loco deſcripſimus, quædam de ſanctitate ſummi imperii civilis hiſce commentariis inſerere, quæ alia occaſione de hac materia diſputavimus, ſed fortaſſe in paucorum manibus verſantur. Ex illis autem, quæ de origine ſocietatis & ſummæ poteſtatis civilis ſup. annotavimus, perſpicimus illud eſſe introductum ad incolumitatem & ſecuritatem generis humani, & ad depellenda ab hominibus innumera pericula & tollenda infinita incommoda, quibus in ſtatu naturali ſuo arbitrio viventes erant obnoxii, quamobrem humani generis intereſt ne illud temere violetur, & improborum hominum libidini exponatur. Quemadmodum olympi cacumen Poëtæ ſemper quietum eſſe ajunt, propterea quod altius ſit, quam ut eo ventorum tempeſtatumque vis perveniat: ita majeſtas & ſumma poteſtas

eorum

eorum qui Rempub. adminiſtrant ſublimior atque excelſior eſſe debet, quam ut furentium & perditorum quorundam hominum, qui ſocietatis hoſtes ſunt, peſtiferis flatibus & improbis conatibus concuti aut labefactari poſſit. Verum quemadmodum ad ſecuritatem & conſervationem humani generis ſummum imperium introductum eſt, ſummo quoque imperanti incumbit, imo tacite cum ſubjectis ſuis pactus videri debet, ut eo uteretur convenienter iſti fini, qui in cauſa fuit, quod in civitatem homines coalituri imperium, quod quiſque habebat, ſummum cum in ſe, tum etiam liberos & bona, in unum pluresve contulerunt, ut ſcil. ſatis ampla & valida hac ratione eſſet armatus poteſtate, quæ ſufficeret ad arcenda ab iis illa incommoda, quibus depellendis in ſtatu naturæ ſinguli impares erant. Propria itaque ſecuritas & ſui conſervatio fuit cauſa impulſiva quare unanimi conſenſu ſumma poteſtas civilis fuit introducta. Æquum itaque ne vertatur in meam perniciem qnod pro ſalute & propria conſervatione introducere volui. *Nulla enim juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducta ſunt, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem*, inquit Modeſt. *l. 25. ff. de ll.* Quoniam itaque omne imperium voluntate & conſenſu humano introductum & conſtiturum eſt, natura enim alteri in alterum imperium non defert, quia omnes liberi naſcimur & nobis invicem æquales, ergo nec imperii nec parendi obligatio latius patet, quam veroſimile eſt, vel potius recta dictat ratio transferentem extendere voluiſſe. Atqui propria conſervatio & ſecuritas cauſa fuit impulſiva conſtituendi imperii, ergo eam negligendo in tyrannidem degenerans & in cives ſæviens totamque Rempub. deſerens, non publicum, ſed privatum exercet imperium, quia deſtituitur conſenſu civium a qno omne imperium publicum & ſummum derivandum. Quamobrem non aliter conſiderari poſſe videtur quam ſingulare Reipub. membrum, ſubjectum imperio, quod, quia eo indignum ſe reddit, ad transferentem revertitur ipſo jure, & conſequenter civitas in eum tanquam communis ſalutis hoſtem, unde ſingulorum pendet conſervatio & ſecuritas, animadverti poſſe videtur ea pœna, qua ipſe vi ſummæ poteſtatis potuiſſet punire delinquentem aliquem e civibus in Rempub. Ex quibus veriſſimum eſſe perſpicimus principem qua principem, id eſt poteſtatem ſummam habentem, nunquam a civitate, vel populo coërceri, vel puniri poſſe, nam eo ipſo repræſentat civitatem, quæ & ipſa feciſſe videri debet, quod ſummus egit imperans, itaque queri non poteſt de injuria ſibi illata, vel ſe male ab imperante tractatam, ideoque ſibi poteſtatem vindicandi injuriam arrogare verum imperio abutens, id eſt cum luculentis & luce clarioribus iteratis factis aperte teſtetur ſe tyrannum ideoque communem hoſtem eſſe, ipſo jure excidit principatu, quia deſtituitur conſenſu, nemo enim propria authoritate in alium ſibi arrogare poteſt imperium propter rationes ſtatim dictas. Quemadmodum imperandi, ita & obtemperandi eſt modus, ut inquit Cicero, id eſt uterque ſuos habet limites, ideoque nec infinitum eſt imperium, nec infinita obediendi obligatio, ſed circumſcribitur procuratione & tutela Reipub. Optime Cic. 2. *off.* *Omnes qui Reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcunque agunt ad eam referant obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus Reipub. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant, ut enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.* Nam, ut ait Ammianus, *Imperium cura ſalutis alienæ eſt.* Humano itaque generi perniciosiſſimi ejuſmodi principum adulatores, qui eorum quotidie auribus inſuſurrant, adeo abſolutum eſſe ſummum imperium, nt quicquid agere libet liceat, illudque civibus fas juſtumque eſſe, Deos ſummum rerum ipſis dediſſe arbitrium, obſequii tantum gloria relicta ſubjectis. *Indigna digna habenda ſunt Rex quæ facit.* Ita ut nullo prætextu cives coërcendi principem habeant facultatem ſibi reſervatam, & obedientiam ſummis imperantibus debitam recuſare queant. *Æquum atque iniquum regum imperium feras.* Cives enim non ſunt conſiderandi tanquam ſuppellex & acceſſorium aliquod principis, de quo pro lubitu diſponere poſſet. Contrarium quippe certiſſimum ex origine & conſtitutione ſummæ poteſtatis conſtat, principem eſſe propter populum, ut ejus, ſalutem utilitatemque conſervet ac tueatur, ut jam dictum, & prolixius a nobis diſputatur *diſputat. de ſanctitate ſummi imperii civilis.* Qua neglecta a Principe in propria ſæviente viſcera, civitas ſibi conſulere poteſt quacunque ratione, ut fecerunt Romani, dum Tarquinium propter tyrannidem ſummo exuerunt imperio expuleruntque. Sic etiam Athenienſes aliæque nationes ſummos imperantes abutentes imperio eo privarunt non ſolum ut videre eſt apud Juſtinum 5. 3. Liv. 5. t. ſed quandoque gravius in eos animadverterunt, ut imperatorum teſtantur Hiſtoriæ. Verum, ut ibi annotavimus, adhibendæ ſunt cautiones multæ, ne temere & inconſulto ad extrema perveniamus, cuncta ſunt prius tentanda remedia, antequam ad violenta perveniamus, patientia, admonitiones, preces. Prudentis enim eſt levis injuriæ patientia defungi, adeoque potius de jure ſuo aliquid remittere, quam ilico cauſam arripere ſummam majeſtatem pedibus conculcandi. Summa enim dignitas non inter Divos collocavit principem, eumque ab erroribus, quibus homines obnoxii, immunem præſtat, quamvis Rex ſit, attamen homo natus, ideoqne nihil humani ab eo alienum. Hinc condonanda quædam etiam injuſta a principe admiſſa humanæ imbecillitati. Quippe cum imperii mutatio ſæpiſſime Rempub. multis periculis & incommodis involvit, ei ſæpiſſime immedicabile vulnus infligit lento gradu procedendum ad eam, adhibita omni cautione & prudentia. Illudque Taciti ſæpe in memoriam revocandum *lib. 4. Hiſt. cap. 74.* *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, ita luxum, avaritiam dominantium tolerate: vi-*

tia

tia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur. Examinemus jam Authoris argumenta, quibus populo nullum omnino jus eſſe probare nititur regem imperio male utentem puniendi aut coërcendi. Videamus autem an recte procedat argumentum *a poſſe ad eſſe*; quippe cum hic agamus de jure ſummæ poteſtatis civilis in perſonas & res civium, quousque ſeſe illa extendit, ſcil. num ita abſoluta & infinita ſit, ut ſummo imperanti ea abutens jure ſuo utatur, & conſequenter a civibus nec coërceri nec puniri poſſit. Nihil certi definit Author, dicens cuique homini licitum ſe in ſervitutem dare, ergo & populus aliquis liber poteſt ſe cuipiam uni vel pluribus ita addicere, ut omne plane jus, quod jure naturæ & civili in ſe ipſum habuit, tranſcribat iu ſummum imperantem. Concedo cuique homini ſeſe in ſervitutem addicere potuiſſe, verum mihi perſuadere nequeo, illam in ſervitutem addictionem poſſe tollere jura naturalia, quæ cuique conſervationem & dilectionem ſui imperant, ita ut oemini competat facultas ſæviendi in ſe ipſum, ergo & illam facultatem ſeſe in ſervitutem addicendi non poteſt alteri quoque tribuere; & conſequenter non omne omnino jus & imperium, quod quis habet in ſe, conferre in alium ea lege, ut, ſi dominus crudeliter in ſe ſæviret ipſi non liceret ſe vel tueri, vel imperium herile abjiciendo iu libertatem ſecuritatemque aſſerere. Præterquam quod ſi poſſet tamen noluiſſe non tantum præſumendum ſed certo conſtare videtur ex tenerrimo illo amore & ſtudio ſe conſervandi homini innato, unde omnia quæ ſibi nocitura videntur declinat naturali quodam impetu, appetit vehementer quæ ſui conſervationi inſervire arbitratur. Huic etiam accedit quod ſervitus eſt res maxime odioſa, uipore naturæ homini, quæ libertatem ſummo habet in pretio & vitam juxta æſtimat, admodum repugnans, magis reſtringenda favore libertatis quam extendenda, itaque in caſu dubio ſemper præſumendum hominem neceſſitate exigenre ſe in ſervitutem addicere coactum id ſui conſervandi feciſſe cauſa, & conſequenter juri ac libertati ſuæ tantum detraxiſſe, quantum ea poſtulabat. Quamobrem neutiquam ejus inteutionem & mentem interpretari debemus in ejus perniciem, quaſi ſe iu ſervitutem addicendo abſolutum domino conceſſiſſet imperium, ita ut etiam quibuſque malis ac injuriis ſe afficiendi haberet facultatem. Ex quibus perſpicimus, neque jure, neque etiam libera voluntate hominem ſe poſſe in ejuſmodi ſervitutem addicere, ut nihil plane juris & imperii ſibi reſervaret. Et conſequenter idem quoque dicendum de populo libero regendi jus in aliquem tranſcribente. Quemadmodum enim nemini competit jus in ſemetipſum gravius quid conſulendi, ita nec populus jus habet ſeſe extinguendi, aut atrociter in proprium corpus ſæviendi, unde in regem quoque non poteſt tale jus transferre, quamvis contradicat Pufendorfius, quod maxime miror, nec ipſe quoque ſibi conſtare videtur, cum inquit, *Quis enim regi jus extinguendi populum aſſeruerit.* Ergo non adeo abſolutum ei tribuendum imperium, cui nullo in caſu reſiſti non poſſit, quid ſi quædam gentes herili imperio obtemperare cogantur, quibus omnis coërcitio ſummi imperantis illicita videtur, ejuſmodi exempla probant quidem quid de facto obtinet, verum uon quid jure oportet vel poteſt fieri. Huic adde quæ paulo ante de origine & cauſa ſummi conſtituti imperii annotavimus. Fateor vix aliquam poſſe excogitari gubernationis formam ab omni parte beatam atque perfectam, quælibet habet ſua incommoda, ſed optima quæ urgetur minimis, & propterea non adeo ſolliciti eſſe debemus cui pareamus; ſive unus, ſive plures ſummæ rerum præſint, nunquam incommodis & periculis adminiſtratio vacat. Verum eo non probatur ejuſmodi gubernationis formam homines voluiſſe inducere, vel etiam de jure induci poſſe, ita ut talis Reipub. ſtatus inductus & revera exiſtens non poſſet a populo jure everti, licet ex libera voluntate in eum conſenſerit, quia ejuſmodi conſtitutio ipſo jure improbatur, & conſequenter quia in firmus nequit formis & Reipub. ejuſmodi ſtatus adnumerari, qui civibus tam durum ſervitutis jugum imponeret, ut quæcunque incommoda & pericula potius perferre deberent, quam aliquo in caſu de poteſtate principis judicare, eamque intolerabilem abjicere, vel coërcere. Ex rationibus & cauſis ſummi introducti imperii ſtatim adductis contrarium apparet, jus quidem regendi in ſummum imperautem tranſcriptum, id eſt civium viribus & bonis utendi ad ſalutem & ſecuritatem conſervandam, & imperii majeſtatem tuendam, verum neutiquam jus illud comprehendit poteſtatem abſolutam, ita ut quicquid libet liceat principi exequi, & conſequenter omnia iucommoda & pericula, quibus principis iniquitas & malitia cauſam præbet, æquo ſint perferenda animo, ejuſmodi abſolutum imperium deſtituitur coonſenſu populi, ideoque nec talis patientia eſt in obligatione, nou eſt igitur legitima juſta gubernationis ac hæc forma, a populo inſtituta vel approbata, ſed injuſta dominatio & imperii uſurpatio, quam coërcere & quacunque ratione in meliorem mutare licet civibus, ſub cautione ſupra deſcripta, ſcil. ſumma exigente neceſſitate.

2. Sicut autem multa ſunt vivendi genera, alterum altero præſtantius, & cuique liberum eſt ex tot generibus id eligere quod ipſi placet; ita & populus eligere poteſt qualem vult gubernationis formam: neque ex præſtantia hujus aut illius formæ, qua de re diverſa diverſorum ſunt judicia, ſed ex voluntate jus metiendum eſt.

COM-

COMMENTARIUS.

QUemadmodum varia ſunt hominum ingenia, & diverſæ inclinationes, itaque quiſque ſibi habere cupit atque eligit quod deſiderio ſuo & inclinationi maxime convenit, unde diverſæ vitæ agendæ & inſtituendæ rationes, tot etiam diverſæ Reipub. ſpecies & formæ, non quidem ab initio, ſed lapſu temporis propter varium & mutabilem hominis naturam introductæ, derivandæ ſunt, a quibus variæ quoque regiminis denominationes petendæ. Aliquando enim unus Rempub. adminiſtrat, nonnunquam plures, non vero omnes imperii gubernacula moderantur. Aliquando omnibus civibus ejus cura incumbit. Unde aliud imperium *Monarchicum*, aliud *Ariſtocraticum*, aliud *Democraticum* denominatur. Omnium vero & vetuſtiſſimum, & optimum, & perfectiſſimum, abſtracte, ut Logici loqui amant, conſideratum, nulla habita ratione ſubjecti, cui inhæret, quod eo ſæpiſſime abutitur, eſt imperium Monarchicum, quando unus fulminat Jupiter, & unius juſſa exaudiuntur, unius veneramur majeſtatem & purpuram adoramus, nobis obedientiæ relicta gloria. Perfectiſſimum & conſequenter merito optimum dicitur, quia cœleſtis regiminis eſt imago quædam & æmulatrix, cum & hoc univerſum ab uno regatur Deo, nec regi poſſet aliter. Quamobrem illud regimen Veteres cæteris imperii formis præferendum exiſtimantes, ſummum imperium uni tribuebant Jovi. Hinc Ariſt. Polit. *Primum maximumque divinum regnum appellat*. Quia autem optimum, ideo etiam cum ipſo humano genere introductum, cuique patri familias conceſſum in familiam ejuſque membra; unde Homer. *Natis dat & conjugibus quiſque leges*. Vix enim ita commode haberi poteſt illa animorum ad unum eundemque finem conſpiratio, ubi plures imperium tractant, propter varia hominum ingenia & multorum male compoſita ſæpiſſime deſideria. Quot homines, tot ſententiæ, quas in unum conſenſum cogere hoc opus, hic labor eſt. Inde ſæpiſſime diſſenſiones graviſſimæ, diſcordiæ, rixæ, bellorum inteſtinorum cauſæ, quibus incommodis mederi non poſſumus niſi unus conſtituatur dominus, unus Rex, ut exclamat Caligula apud Suet. *cap.* 2. Cujus illuſtre exemplum eſſe poteſt Reſpub. Romana, quæ exactis regibus, diſcordiis civilibus & bellis inteſtinis ac optimatum factionibus adeo miſere concuſſa atque diſtracta fuerit, ut ſi ſeſe ab interitu vellet vindicare, neceſſe haberet ad eandem gubernationis formam revocare, quam Romulus Reipub. initio impoſuerat. *Non poteſt Reſpub. geri multorum imperiis* apud Saluſt. Et apud Homer. *Multorum imperium haud bona res*, cujusmodi incommoda cum providerent mortales, videntur in excitanda ſocietate civili eandem regiminis formam, quam natura cuique patri fam. tribuerat, introducere voluiſſe. Arbitrantes eam maxime humanæ naturæ conſentaneam, quæ ei erat coætanea & quaſi innata. Cui convenit illud Ariſt. 3. *Polit. Hanc ob cauſam Regum ſe olim poteſtati tradebant, quia rarum erat invenire viros multos virtute præſtantes*. Verum ſumma imperii cupido, tum etiam injuſta Regum ac Principum dominatio in cauſa fuerunt, ut etiam aliæ formæ gubernationis introductæ fuerint, quibus ſaluti & ſecuritati ſuæ populus melius conſultum ſore putabat, de quarum præſtantia multum diſputatur, deque ea diverſa diverſorum ſunt judicia. Mihi videtur ea præſtantiſſima atque optima, qua populi utilitas & ſalus potiſſimum aſſeritur & procurari poteſt, atque ad ejus genium optime accommodata, eamque ſibi eligere velle atque elegiſſe ſemper populus præſumendus. Quæ licet aliis non videatur optima, putat tamen quiſque ceteris præſtantiorem, quia inclinationi magis conſentanea. Verum recte Author monet illam præſtantiam, quæ ſecundum varia populorum ingenia varie quoque æſtimatur, nobis non poſſe neque debere regulam eſſe juxta quam judicamus de jure ſummi imperii, quam late patet, verum metiendum ex voluntate eorum qui illud introduxerunt. Atqui illud introduxiſſe patet, ut ſecuritatem & ſalutem ſuam conſervarent, atque tueri poſſent adverſus omnem vim & injuriam, ergo non eſt præſumendum aliquem populum eam ſibi regiminis formam eligere voluiſſe, quæ ſummo imperanti adeo abſolutum in ſeſe dominium & imperium tribueret, ut negligentem communem ſalutem & abutentem imperio ſæviendo in ſubjectos, & innumeris malis ac injuriis eos afficiendo, ſibi non eſſet jus & facultas propriam defenſionem ſuſcipiendi, eumque non tanquam legitimum principem, ſed injuſtum dominatorem & tyrannum coërcendi quibuſvis mediis; quod ſi ſaltem de facto non fieri poſſe videatur, quia fortaſſe omne omnino imperium in illum tranſtulerunt ita ut etiamſi abutatur imperio æquo animo perferre debeant, quæ inde in ſe redundant incommoda, de jure tamen fieri poteſt & conſequenter etiam de facto, non obſtante ejuſmodi abſoluti imperii delatione. Quippe adeo abſolute neminem a ſe imperium abdicare poſſe vel voluiſſe mihi perſuadere nequeo, & miror viros ſana mente præditos in contrariam opinionem adductos. Imo & abſolutiſſimum quod fingi poteſt imperium omnem abuſum vetat, quia imperium abutendo nullum exercetur imperium, quoniam non ad male utendum, ſed bene populus ſuum in principem contulit imperium. Regere ſe populum debere Rex meminerit, perdere velle autem non regere eſt; verum illud *male* non ſtricte ſed latiſſime extendendum diximus, ne licentiam demus hominibus novarum rerum cupidis ſæpius innovandi imperii, & violationi ſummæ majeſtatis, quæ ſancta eſſe debet & inviolabilis, cauſam præbeamus.

3. Neque vero non multæ exſtare poſſunt cauſæ, cur populus jus totum imperandi a ſe abdicet, aliique tradat, puta quia in periculum vitæ adductus alia lege qui ſe defendat reperire non poteſt: aut quia inopia preſſus aliter habere non poteſt copiam unde ſe ſuſtentet. Nam ſi Campani olim neceſſitate ſubacti populo Romano ſe ſubjecerunt in hunc modum: *Populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram P.C. ditionem dedimus*: & quidam populi, cum Romanorum ditioni ſubjicere ſe vellent, ne recepti quidem ſunt; quod narrat Appianus: quid obſtat quominus & uni homini præpotenti populus aliquis eundem ad modum dedere ſe poſſit? Apud Virgilium legimus:

Nec cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit regno.

Accedere etiam poteſt, ut paterfamilias latifundia poſſidens neminem alia lege in ſuas terras habitantem recipere velit: aut ut quis magnam ſervorum copiam habens eos manumittat ſub imperii ferendi & cenſus pendendi legibus: quæ ſuis exemplis non carent. De ſervis Germanorum apud Tacitum eſt: *Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis ut colono injungit, & ſervus hactenus paret.*

COMMENTARIUS.

SI quis in neceſſitate conſtitutus coactus ſit vel vitæ conſervandæ cauſa, vel ad inopiam ſublevandam ſeque ſuſtentandum, imperium a ſe abdicare in totum nulla ſibi parte reſervata, tamen illa renunciatio imperii non latius extendenda quam voluntas abdicentis, cujus latitudinem perſpicimus ex neceſſaria Imperii delatione, ſcil. quia ipſe ſe nequeat tueri vel periculo eripere, aut inopiæ ſuæ ſubvenire, neceſſe habet, ſi ſalvus eſſe velit & propriæ ſaluti conſulere, ſeſe in alienam tutelam & fidem permittere, juri ſuo renunciando, ea lege, ut ſibi obligatio imponit, qua tenetur exſequi quod alter imperat, quamvis quæ ipſi facienda imponuntur, cum ſuo non conveniant deſiderio & appetitu, tamen non amplius ſui juris, ſed alieno imperio ſubjectus eſt, prompte nullaque interpoſita mora obtemperandum. Verum quemadmodum ſui conſervatio fuit cauſa abdicandi imperii, ita etiam ea debet eſſe menſura imperii in alterum delati, abdicavit in quantum abdicare potuit & etiam debuit, in totum tamen, quatenus nihil ſibi juris reſervavit aut imperii circa gubernationem ſocietatis & negotiorum publicorum adminiſtrationem, verum ea omnia arbitrio ſummi imperantis reliquit, ita ut nec jus deliberandi nec quicquam ſtatuendi de publico & communi bono facultatem habeat, imo nec de privatis bonis diſponendi jus nec iis utendi niſi quatenus legibus permiſſum, nec agendi quicquid libet facultatem, ſed ei leges vel voluntas imperantis agendorum norma eſt. Sic populus Campanus cum ſeſe daret in ditionem populi Romani ea lege ut populus Romanus defenſionem ſuſciperet adverſus Samnites, abdicat ſummum imperium quod habebat cum circa ſacra tum etiam profana, imo & in ſemetipſos ac liberos, quatenus quæ privatorum ſunt ad publicam utilitatem debent referri, & conſequenter ſummi imperantis poteſtati ſubjacent: unde Plautus *Amphitr. Act.* 1. *Scen.* 1.

Deduntque ſe, divina humanaque omnia, urbem & liberos,
In deditionem atque arbitratum, cuncti Thebani populi.

Sic quoque Polyb. *in excerptis legat.* 142. *Qui Pop. Rom. arbitrio ſe ſuaque permittunt, ii agrum primo illis dant omnem quem habent, & urbes quecunque ſunt in illo: adhac viros pariter & fœminas, & quotquot in agris fuerint; amnes, portus, ſacra, monumenta denique: ita ut omnium domini fiant Romani.* Quia autem ejuſmodi deditio fit ob defenſionem & ſui conſervationem, eorumque quæ ad vitam tuendam pertinent, non debet verti in perniciem & incommodum dedentis, quamobrem non tam late extendendum imperium quamvis abſolutiſſimum, quod propter ejuſmodi cauſam delatum eſt, ut omnia quæcunque crudeliſſima dedititii æquo debeant ferre animo, ita ut non habent jus & facultatem cuique a natura tributam ſe tuendi, coërcendo dominatoris ſævitiam crudelitatemque, eſt enim hoc imperium omni imperio potius, juris per-

perpetui & immutabilis, quod abdicari nequit neque abdicatum præſumitur niſi ſe conſervandi cauſa, qualis conditione omni imperii vel ex neceſſitate, vel libera voluntate tranſlati, delationi ineſt ſi non expreſſe ſaltem tacite, qua non præſtita ad transferentem reverti dicendum, quia ipſo jure eo excidit, ut ſup. annotavimus. Concedimus Authori populum aliquem ad eundem modum ſe dedere poſſe, quemadmodum populus Campanus ſe ſubjecit ditioni Romanorum, homini alicui præpotenti, verum illa ſubjectio non infinita eſt, quamvis enim libertati & imperio ſuo renunciant, juſtos tamen dominos volunt, ut ait Saluſtius; ſuas enim cautiones habet, ſalus populi in quacunque regiminis forma ſuprema lex eſſe debet, quæ & ſummam poteſtatem obligat imperium ejus conſervandæ intuitu acceptum huic convenienter tractare; ad eam enim in omni delatione, deditione, atque ſubjectione reſpicitur; unde & mutua imperandi & parendi obligatio, ejuſque modus atque latitudo metienda. *Omnes omnino principatus, regna, imperia, potentatus, legitimos, legum, & hominum, ob publicam ipſorum civium utilitatem, non etiam ob regentium commoda, inventos, creatos, receptos, & admiſſos fuiſſe ait*, Vaſquez *illuſtr. controv. c. 1. n. 10.* Verum caute hæc interpretanda & ſano ſenſu intelligenda, ut ante dictum.

4. Adde quod, ſicut Ariſtoteles dixit quoſdam homines natura eſſe ſervos, id eſt ad ſervitutem aptos; ita & populi quidam eo ſunt ingenio ut regi, quam regere norint rectius; quod de ſe ſenſiſſe Cappadoces *Strabo*
videntur, qui oblatæ a Romanis libertati vitam ſub rege prætulerunt, *XII. Juſtin.*
negantes vivere ſe ſine rege poſſe. Sic Philoſtratus, vita Appollo- *lib.*
nii, ſtultum eſſe ait, Thraces, Myſos, Getas in libertatem vindi- *XXXVIII.*
care, qua non gaudeant.

COMMENTARIUS.

QUamvis quoſdam homines natura adeo ſtupidos fecerit, ut videantur ad ſemetipſos regendos alieno opus habere imperio, quia tamen ejuſdem conditionis & generis, cujus illi, quos ad regendum natura finxit magis idoneos, ejuſdem quoque libertatis naturalis participes, quæ cuique dat imperium in ſemetipſum & bona ſua regendi & adminiſtrandi pro lubitu, quo imperio nequit privari niſi ipſe illud abdicando transferat in alium, quippe cum natura homines ſibi fecerit æquales non capacitate ſed conditione & jure, nemini ſibi jure aptitudinis, qua præ cæteris gaudet, in ſocium quaſi minus aptum imperium vindicare poteſt, niſi excipiamus maritalem & patriam poteſtatem, verum perperam exinde uxor ſerva & liberi ſervi vocarentur, ſpectat enim magis ad adminiſtrationem familiæ quam ſervilem ſubjectionem, ideoque nec ea perpetua in liberos, nec plane herilis vel regia in uxorem. Quippe quemadmodum eſt thori ſocia, ita etiam plerumque fit adminiſtrationis regiminis cum in ſervos tum etiam liberos conſors, dependens vero a poteſtate viri tanquam familiæ principis. Si quidam natura factos ad ſerviendum videntur, non tamen eo ipſo deſtituti ſunt jure & imperio a natura tributo cuique ad coërcendos & puniendos eos, qui ſibi gravi injuria afficiunt, aut vim aliquam vitæ & corpori ejuſque membris inferunt. Servi natura, quia magis propter naturalem ſtupiditatem quibuſdam adnatam ipſis magis expedit alterius regimini ſubeſſe, quam ſui juris manere, quamobrem perſpicientes, ex re ſua & uſu eſſe regi potius quam regere, ſponte & libenter ſe alteri ſubmittunt. Ex conſenſu itaque omne ſummum imperium deducendum, cui quidem occaſionem præbuit naturale quorundam tardum ingenium, verum non ipſa natura alterum alteri obnoxium genuit, ſcil. ipſo actu. Et eo ſenſu accipienda quæ apud Ariſtotelem legimus *Polit. 1. cap. 3.* Idem itaque jus idem imperium ipſis eſt, quod omnibus hominibus ſummum aliquod imperium elegintibus tribuimus. Quia omnibus illud commune qua homines, in quorum numero & ſervus quoque habendus. Audiamus hic Hornium *de civit. lib. 1. cap. 3.* naturalem illam ſervitutem reprobans: *Ingenioſo autem homini imperium naturale adſignare, & robuſtum ac minus callidum in ſervitutem naturalem detrudere; id vero politicam doctrinam omnem, & diſcrimen dominorum ac ſervorum eximie turbat. Da mihi hominem, tam ſtupidum ac fatuum, ut Seneca joco, regnare etiam poſſit: hunc ſtolidum regem, ſumma poteſtate fruentem, in ergaſtula ſervorum compinges. Cui aſſociandi omnes proceres, robuſto corpore, exili ingenio decorati. Contra omnes ſervi callidi, qui dominio alterius ſubditi revera erunt, ſi ſagacitate polleant, in claſſem dominorum evehes. Ita contraria tandem idem ſubjectum inhabitabunt, & dominus erit ſervus, ſervus in dominum evadet. Nemo tam vacuus eſt ingenio, quin ſibi regendo ſufficiens videatur: accedente hac doctrina, illicitis etiam modis, injuſtum ſcil. dominatum alterius excutiet. Aptitudo imperium nullum producit; hic in ſervitutem neminem detrudit rudior illa & ſtupidior ſimplicitas.*

5. Neque vero non aliquos movere potuerunt exempla gentium, *Lib. VI.*
quæ per ſæcula plurima ſub imperio plane regio ſatis feliciter vixerunt.

Liv. l. XLII. Urbes ſub Eumene, ait Livius, nullius liberæ civitatis fortunam cum ſua mutatam voluiſſe. Eſt & interdum is civitatis ſtatus ut videatur niſi ſub libero unius imperio ſalvus eſſe non poſſe; quod de Romana, qualis erat Cæſaris Auguſti ætate, multis prudentibus viſum eſt. His ergo ſimilibusque de cauſis accidere non poteſt tantum, ſed & ſolet, ut ſe homines ſubjiciant imperio alterius ac poteſtati; quod & Cicero notat Officiorum ſecundo.

COMMENTARIUS.

IMperium Monarchicum ſive Regium omnium optimum eſſe ſup. ſtatuimus, ideoque & primum fuiſſe inductum, quia concordia & tranquillitas ſub eo potiſſimum conſervare poſſe videtur, & conſequenter feliciter ſub eo vitam tranſigi, atque etiam multos populos vixiſſe teſtantur Hiſtoriæ, quoniam olim obtinuiſſe teſtatur Juſtinus, *ut ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio reges principeſque provehebat.* Et ut inquit Cic. 2. *off. cap.* 12. *Mihi quidem non apud Medos, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat.* Quamobrem Ariſtot. 3. *polit.* 3. *Quapropter erit & diſciplina eadem & mores iidem ferme, qui virum bonum faciunt, & qui faciunt Reſpub. adminiſtrandæ idoneum. Reges a recte agendo vocati ſunt: ideoque recte faciendo Regis nomen meretur. Recte ergo illi reges vocantur, qui tam ſemetipſos quam ſubditos bene regendo modificare noverunt.* Iſid. *de ſummo bono lib.* 3. Arbitrabatur Cyrus nemini convenire imperium, qui non ſubditis eſſet melior. vid. Xenoph. *de inſt. Cyr.* Olim oraculum ſoloni redditum fuit. *Urbecula eſt felix, quæ præconem audiat unum.* Sic non infeliciter vixerunt Romani ſub Romuli, Numæ Pompilii cæterorumque regum, excepto Traquino Superbo, imperio. Et quemadmodum ſub imperio regio nata Reſp. ita quoque ſub unius imperio renata, & ad priſtinum ſplendorem vigoremque reducta, cum enim perpetuis diſcordiis belliſque civilibus miſere diſtracta atque concuſſa ruinæ jam videbatur proxima non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, inquit Tacitus, quam ut ab uno regeretur. *Gratulandum tamen in tanta perturbatione eſt, quod potiſſimum ad Octavium Cæſarem Auguſtum ſumma rerum rediit: qui ſapientia ſua, atque ſolertia, perculſum undique, & perturbatum, ordinavit imperii corpus. Quod ita haud dubie nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente, regeretur.* Flor. *lib.* 4. *cap.* 3.

6. Jam vero bello juſto, ut ante diximus, ſicut acquiri poteſt dominium privatum, ita & dominium civile, ſive jus regendi non aliunde pendens. Neque vero hæc tantum pro unius imperio, ubi id receptum eſt, conſervando dicta cenſeri debent: nam idem jus eademque ratio eſt procerum qui plebe excluſa civitatem regunt. Quid, quod nulla reſpublica adeo reperta eſt popularis, in qua non aliqui aut valde inopes aut externi, tum vero & fœminæ & adoleſcentes a deliberationibus publicis arceantur?

COMMENTARIUS.

QUemadmodum occupatio eſt juſtus acquirendi dominii modus eorum quæ nullius ſunt, ita etiam victoria vel jure belli acquiritur dominium non ſolum privatum earum rerum quæ capiuntur ab hoſtibus, verum etiam in ipſos captivos eorumque bona dominium nanciſcitur ſummus imperans, cujus nomine bellum ſuſceptum geritur, idque civile vocatur, quia illud ipſum pertinet ad jus regendi, quod quamvis hoc modo acquiſitum latius patet, vel majus eſſe videtur imperio conſenſu acquiſito, quia nullis conditionibus aut legibus præſcribitur vel limitatur, quam quos victor ſibi ipſi ſtatuere placet, tamen non infinitum eſt, principi facultatem tribuens quæcunque libuerit populo jure belli in poteſtatem redacto facienda imponere tanquam ſuo mancipio, quo, dum ſuo arbitrio utendi jus habet, nunquam abuti poſſe videtur, ita ut etiam ea quæ ſibi maxime nocitura videntur exequi teneatur. Quaſi Regi magis liceret imperio ſuo abuti in bello captos quam cæteros cives; abutitur autem quoties non utitur ad tuendam ſalutem, & ſecuritatem ſubjectorum, (quorum in numeto licet, durioris ſit condi-

tionis

tionis & fortunæ, etiam belli jure ſubactus populus) ſed intolerabilem exercendam tyrannidem cum in corpora tum etiam aliquando in conſcientiam, ita ut vita potius tanquam ſupplicium bello ſervatis conceſſa videatur, quam adverſæ fortunæ ſolatium & clementiæ ac humanitatis, qua in victos uti decet victorem ſuo cedentes imperio, teſtimonium, ſuique patrocinii adverſus omnem vim & injuriam teſſeram nam ea mente ſervantur ut conſervantur qua conditione etiam ſe dediſſe videri debent. Qui enim ſe moriturum videt alterius manibus, vel incommoda morte pejora perferenda, ille ſane ſuam defenſionem obſtinate potius ſuſcipiet, quam ſe hoſti tradendo acerbo ſæpiſſime mortis genere vitam finire, aut vitam morte pejorem agere innumeris incommodis & malis expoſitam. Verum quia propriæ tuendæ ſaluti contra vim & impetum adverſarii ſe imparem vidit, & tamen ſalvum eſſe cupit, potius neceſſitati cedere voluit quam extrema tentare, quamobrem ſatius duxit tanquam unicum ſalutis obtinendæ ac conſervandæ remedium victoris imperium agnoſcere, & ad ipſum transferre quæ ipſe eouſque ſummæ majeſtatis habuit jura, quam ea tuendo vitam & corpus inevitabili periculo exponere. Et non alia conditione, licet non expreſſa, tacita ſaltem, victor ſibi dominium civile acquiſiviſſe videri poteſt, cujuſmodi conditio mutuam obligationem continet, qua & ſummus imperans populum ſubactum & ſuæ ditioni adjectum tueri & regere, ut bonum & juſtum decet principem, tenetur, & populus victoris imperium agnoſcere, juſſis obtemperare, & mandata legesque ab eo latas tanquam agendi normam & vitæ inſtituendæ regulam ſibi præſcriptam obſervare, & ut paucis dicam, jam plane alieni juris facto populo libertate amiſſa jure belli, principis eſt imperare quæ optat, ei juſſa faceſſere fas eſt. Verum quemadmodum non omnia oportet optare, ita nec imperare decet, optare debet ſalutem & ſecuritatem populi ſalvam, imperare itaque quæ huic inſervire videntur, optat idem populus dum contulit imperium & alieno ſe ſubjicit arbitrio, vel voluntate, vel neceſſitate. Quare & imperata facere ſe obligat, quia obedientia & executio eorum quæ imperans jubet eſt medium neceſſarium conſervandæ ſalutis & obtinendæ ſecuritatis, quam ſibi pollicitus fuit dum abdicavit imperium & libertatem quæ ſibi competebat, vel naturali, vel civili jure. Principis itaque officium eſt conſulere ſaluti & ſecuritati civium, quocunque modo ſibi acquiſiverit imperium, civium officium eſt obedientiam debitam præſtare. Modus dominii acquirendi poteſt illud quidem vel limitare, vel ampliare, verum non poteſt ſummum imperantem ſuo officio & obligatione, non ſolum imperio conſenſu delato, ſed & jure belli acquiſito inhærente ſolutum efficere, ita ut ipſi liceret eo abuti. Eadem omnis imperii tractandi & moderandi ratio, quia idem finis eſſe ſcopus eſſe debet, qui eſt communis ſalutis & ſecuritatis ac utilitatis procuratio. Qua neglecta a principe, omnibus civibus quocunque modo ad imperium agnoſcendum eique obtemperandum obſtrictis idem jus tribuit coërcendi principem ſalutis & ſecuritatis ſuæ hoſtem. Eadem neceſſitas, qua alieno imperio ſeſe ſubjicere fuere obligati, ipſis facultatem tribuit propriæ ſalutis defenſionem ſuſcipiendi, quemadmodum eam non abjecerunt, ita nec imperium abdicarunt niſi ejus tuendæ cauſa. Idem jus idemque imperium, quod habuit populus, antequam in dominium & poteſtatem victoris redactus fuit, ad depellendam a ſe vim & hoſtiles impetus, recuperat in principem, cujus injuſta dominatio quique hoſtilem ſe nondum exuiſſe animum teſtatur, cui ſeſe opponere omnia permittunt jura, vel abjiciendo non imperium, nam id nomen juſtæ tantum gubernationi convenit, ſed injuſtam dominationem, vel alio eum coërcendi modo. Optime Cicero 3. off. *Nulla enim nobis ſocietas cum tyrannis, ſed potius ſumma diſtractio eſt: neque eſt contra naturam, ſpoliari eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare: atque hoc omne genus peſtiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim, ut membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine & tanquam ſpiritu carere cœperunt: ſic iſta in figura hominis feritas & immanitas belluæ a communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt.* Recte addit Author idem jus eandemque majeſtatem & ſummum imperium etiam apud plures reſidere, ut proceres, & conſequenter quamvis forma regiminis magis popularis videatur, attamen populo non competit major poteſtas in eos quam reges imperium male utentes. Quippe nihil derogat majeſtati vel imperio perſonarum plurabilitas, ſed tantum jus de publicis deliberandi negotiis eaque adminiſtrandi dividitur. Omne enim imperium tanquam cauſa proxima derivandum a conſenſu & voluntate civium, tum etiam forma adminiſtrationis, itaque idem jus, quod principi ſive uni domino & regi conceſſum, quoque competit pluribus ad Reipub. regimen vocatis. Unde ſequitur ſi populo nullam habet poteſtatem coërcendi & puniendi principem vel Regem male utentem imperio, ergo nec etiam proceres, ſi vero in proceres ejuſmodi poteſtas ei competit, ergo & in Reges. Quamobrem Apoſtolus vult ut omnis anima indiſtincte quibuſvis poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta ſit, quia omnibus dem imperium ab eadem prima cauſa Deo competit ejuſdem ordinationis ſunt. Illuſtriori quidem modo conſpicitur majeſtas in unius perſona, ſed non major vis imperii. Summum ubique imperium ubi ſocietas civilis, quia ſine hoc fundamento conſiſtere nequit, ſummum autem vocatur, quia nullum agnoſcit ſuperiorem illud habens, & conſequenter ſive penes regem ſive proceres reſideat ſocietatis civilis adminiſtratio, utrique idem jus, eadem civilis poteſtas. Forma itaque gubernationis, unde & diverſa imperii ratio, non mutat ejus naturam & vim, utpote quæ nihil ei addat vel detrahat, ſed idem manet imperium, eadem majeſtas, licet diverſo modo tractetur, & idcirco concludendum populo non plus ejus in proceres, quam in principem imperio abutentem tribuendum, ſed utrumque poſſe coërceri quando legitimum imperium mutant in tyran-

 nidem,

nidem, & injuſtam & pernicioſam omnibus civibus & ſubjectis dominationem. Tyrannum enim non ferendum dictat vulgus, apud Corn. Nep. *inta Dion.* Sic olim Tarquinius regno a Romanis expulſus. Sic etiam patriam ſuam a triginta tyrannis oppreſſam in libertatem vindicavit Traſybulus. Idem in *ejus vita c.* 8. Quod alterum Authoris argumentum attinet pro conſervando ſummi imperii inviolabili jure adductum, deſumptum a quarumdam in Repub. perſonarum ab adminiſtrationis civilis excluſione, ei reſponderi poteſt, hoc fieri, vel quia ſuſpecti ſunt non bene de Repub. merituri, vel etiam ſui non ſunt juris, vel immaturi ad tractandum imperium, vel etiam incapaces. Prioris generis ſunt inopes & exteri: illi enim præſumuntur ſæpe privatum commodum publico anteponere. Hi ſuſpiciuntur tanto ardore tantaque vigilantia & fide communem Reipub. ſalutem & ſecuritatem non procuraturi, quia ſæpiſſime proprium intereſſe alibi habeant, ubi ſcil. & lares ſuos ac penates conſtituerunt, vel transferendi animum habent, quamobrem & hodie apud nos receptum, ut nulli aditus ad Reipub. adminiſtrationem vel cujuſque civitatis magiſtratum pateat, niſi fuerit prius in civium numerum cooptatus, & conſequenter domicilium ſuum conſtituerit ubi & magiſtratum ambit. Hinc in uſu apud Ægyptios fuiſſe tradit Diodor. Sicul. *Hiſt. lib.* 1. agrorum portionem militibus aſſignare. Quia abſurdum ducebant, *ſalutem omnium committere iis, qui nihil in patria, pro quo dimicarent, cari & pretioſi haberent.* Poſterioris generis ſunt fœminæ & adoleſcentes, hi, quia immaturi imperio, illæ, quia plerumque ejus imperitæ, vel ſaltem impares tot laboribus perferendis & ſuſcipiendis curis, quas Reipublicæ adminiſtratio efflagitat, vel etiam quod varium & mutabile ſemper fœmina, non ea qua oportet conſtantia publica tractaret negotia. Non tamen novum eſt & inauditum fœminas ad Reipub. gubernacula admotas fuiſſe. Sic Germanos nec conſilia fœminarum aſpernabantur, nec reſponſa negligebant, teſte Tacito. Cognita etiam quæ de Amazonum imperio tradunt Scriptores. Verum priſca illa omittens, proxima & ſuperioris & currentis hujus ſeculi exempla proferre ſatis duco; quorum fœcunda fuit Britannia; citare poſſum Clariſſimas rerum geſtarum magnitudine & gloria inſignes, ad trium regnorum imperium tractandum quaſi naturæ manu formatas reginas, illuſtriſſimam Eliſabetham, & incomparabilem thori & imperii magni GULIELMI quondam ſociam & conſortem MARIAM reginarum Britannicarum immoratale decus & ornamentum, cui rerum publicarum gerendarum prudentia, & tanti imperii adminiſtrandi ſapientia non quidem ullam fœminam, ſed nec maſculini ſexus aliquem ſecundum, vel antiqua, vel proxima noſtris temporibus monumenta referunt, nec fortaſſe poſterior feret ætas, niſi GUILIELMO ſuperſtite. Sic neque hodie Hiſpani, Itali, Sueci, Belgæ fœminarum imperium declinant. Ob peculiares itaque quaſdam rationes ab imperio arcentur perſonæ, quas Author adducit, quæ populum, a quo ipſum imperium, ſcil. quod ad ejus delationem & electionem imperantis, tanquam ex ſuo fonte derivamus, ſpectare nequeunt, quemadmodum quiſque homo habet jus ſe conſervandi, & imperium ea ſibi vindicandi & acquirendi quæ ſibi prodeſſe & conſervationi inſervire arbitratur, tum etiam arcendi a ſe mala, & coërcendi atque etiam puniendi qui ſibi nocendi animum inducunt, vel ipſo facto injuriam & damnum intulerunt, ne vel amplius noceant, vel reparant damnum, ita penes populum idem jus idemque reſidet imperium naturaliter, ſed ut magis commode communi ſaluti conſultum foret, uni vel pluribus ejus curam demandarunt & imperium in alium tranſtulerunt, huic fini convenienter utendum, ut jam diximus, quod revertitur naturali ordine ad transferentem, ſi eventus non reſpondet exſpectationi & intentioni.

Liv. lib. 1. *Liv. l.* VII. *Lib.* XXVI. *Lib.* XXXII. *Strab.* XIV. *Diod. l.* XVI. *Pauſ. Lac. Exp. Cyri. lib.* V. *Lib.* IV. *Lib.* V. *Hiſt.* 1.

7. Jam vero & populi quidam alios ſub ſe populos habent, non minus addictos ſibi quam ſi regibus parerent: unde illa interrogatio, *Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate?* & Campani cum ſe Romanis dediſſent, facti dicuntur alienæ poteſtatis: Acarnania ut & Amphilochia dicuntur fuiſſe juris Ætolorum: Peræa & Caunus ditionis Rhodiorum: Pydna a Philippo Olynthiis data. Et quæ ſub Spartanis fuerant oppida, poſtquam eorum ditioni exemta ſunt, Eleutherolaconum nomen acceperunt. Cotyora urbs dicitur fuiſſe Sinopenſium apud Xenophontem. Nicæa Italiæ adjudicata Maſſilienſibus apud Strabonem, & inſula Pithecuſæ Neapolitanis. Sic Calatim oppidum coloniæ Capuenſi, Caudium coloniæ Beneventanæ adjudicata cum territoriis ſuis apud Frontinum legimus. Otho provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit: quod apud Tacitum eſt. Quæ omnia convelli neceſſe eſt, ſi id recipimus, jus regendi ſemper ſubditum eſſe eorum judicio ac voluntati qui reguntur.

COM-

COMMENTARIUS.

NOn indiget probatione populos quoſdam ſibi etiam ſubjectos eodem jure habuiſſe alios populos, quo regibus ſubjecti ſunt cives. Sed & ipſis idem jus concedimus in populum male imperantem, quod tribuimus civibus in tyrannum. Nam populus ſui juris eodem modo dominium civile ſibi acquirit quemadmodum Rex, vel princeps, ſed eodem etiam uti debet modo. Quin de mediis, quibus ſeſe tueri adverſus injuſtam dominationem poſſunt, cogitandi, eaque adhibendi ſuo habent jure facultatem, & conſequenter imperio vix pariturі, ut patet ex iis quæ ad præcendentem §. annotavimus, quæ huic applicanda. *An credi poſſet ullum populum aut hominem denique in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quam neceſſe ſit manſurum*, apud Livium eſt *lib.* 8. *cap.* 21. Optime Antoninus Philoſophus apud Herodianum *lib.* 1. *cap.* 4. *Ii demum diu tuteque imperant, qui non metum ex crudelitate, ſed bonitatis ſuæ deſiderium animis ſuorum inſtillant, neque enim quos ſervire neceſſitas coëgit, ſed quos obtemperare ſua quemque voluntas adegit, ii ſunt in agendo patiendoque a ſuſpicione omni aſſentationeque vacui, nec unquam imperia detrectant, niſi violentia & injuria ad hoc adducantur.*

8. At vero eſſe reges qui populi etiam univerſim ſumti arbitrio non *Deut.*
ſubſint, tum ſacra, tum profana hiſtoria teſtatur. *Si dixeris*, inquit xvii. 14. 1 *Sam.*
Deus populum Iſraëliticum alloquens, *Statuam ſupra me regem*: & ad viii. 4. 1 *Sam.*
Samuelem: *Indica eis jus regis qui regnaturus eſt ſuper eos.* Hinc rex unctus ix. 16. x.
dicitur ſuper populum, ſuper hereditatem Domini, ſuper Iſraëlem: xvi. 1. II *Sam.*
Solomo rex ſuper totum Iſraëlem. Sic David Deo gratias agit quod v. 2.
populum ſuum ipſi ſubjecerit. Et Chriſtus, *Reges*, inquit, *gentium* 1 *Reg.* iv. 1.
dominantur eis. Notum illud Horatii: *Pſ.* cxl.

> *Regum timendorum in proprios greges,* iv. 1.
> *Reges in ipſos imperium eſt Jovis.* *Luc.* xxii. 25.

Epiſt. xiv.

COMMENTARIUS.

COncedimus Authori Reges populi arbitrio vel judicio non ſubeſſe, quippe id ipſum & recta dictat ratio, & ſocietatis fabrica exigit, atque etiam de natura ſummi eſſe imperii demonſtravimus, nullum habere ſuperiorem, idque ipſum indicat vocis ſignificatio, ut dictum. Verum quæſo qui poteſt inde inferri, ſummum illud imperium, quod conſiſtit in jure cives regendi, id eſt eorum viribus & bonis, tum etiam perſonis utendi ad communem ſalutem & ſecuritatem, cujus conſervatio fuit cauſa imperii delati alicui e civitatis membris, tuendam & procurandam, adeo infinitam civibus ſeu populo univerſim ſumpto obediendi obligationem imponere, ac omne prorſus in ſe imperium eripere, ut ſi Rex in tyrannum degeneret, & populum crudeliſſime, omnia divina & humana jura flocci faciens, habeat, patienter tamen ferendus ſit, & conſequenter non poſſe coërceri vel puniri a populo abutentem ſummo imperio. Hanc plus quam ſervilem ſubjectionem, nec ratio, nec divina vel humana jura exigunt, nec probant. Et quid ſi de facto quibuſdam tam durum ſervitutis jugum impoſitum, ex eo non jus quod populus ſibi vindicare poteſt metieodum, ſed ex ratione & æquitate. Exempla ab Authore adducta quid aliud inferunt, quam Regi in populum eſſe regium, id eſt ſummum imperium, ejuſque majeſtatem ſacroſanctam ac inviolabilem habendam, ideoque intacta ac illibata conſervanda a populo, cujus eſt eam venerari, & ſummi imperantis ſe ſubjicere arbitrio, ejusque juſſis obtemperare, & mandata diligenter exequi. Quippe a Deo ſuper populum conſtitutus & unctus, ut populi ſalutem ſecuritatemque tueatur, cujuſmodi defenſio & procuratio exigit, ut ab ejus conſiliis & mandatis pendeat & obſequatur. Ita enim inquit Dominus 1 *Sam. cap.* 9. *Et unges eum ducem ſuper populum meum Iſraël*, ſcil. Saulem. Sed quem in finem. *Ut ſalvet populum meum de manu Philiſtæorum.* Et *cap.* 10. 1. *Ecce unxit te dominus ſupra hæreditatem ſuam in principem. Et liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Dominus in principem.* Hic eſt finis & ſcopus imperii tibi a Regum rege delati, hac de cauſa tibi ſubjecit populum, & obſtrinxit ut obtemperent. *Dominaberis itaque populo tuo*, ſcil. in officio continebis, coërcebis ne mali quid perpetrent vel admittant, quo vel ſocius læderetur, vel communis tranquillitas perturbaretur, aut publicæ ſaluti & ſecuritati noxium eſſet. Dominari igitur hic eſt legitimo & juſto modo imperium in populum uti ad communem ſalutem & tranquillitatem tuendam ac conſervandam, cui obedire itaque & ſubjici ſummope-

re populi atque civium intereſt, ſi propria ſalus ſibi curæ eſt. Non unctus itaque tyrannus ſuper populum, cui & ſubjectos eſſe eodem juris vinculo tenerentur cives aut univerſus populus. Juſta itaque intelligenda dominatio quæ Regibus tribuitur onctis ſuper populum Iſraël Non eodem ſenſu occurrit dominandi vox *Luc.* 22. *v.* 25. ideoque male allegatur ab Authore ad confirmandam ſuam opinionem. Eorum verborum ſenſus petendus ex *Math. cap.* 20. *v.* 25. ubi inqoit Chriſtus: *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas*, abutendo imperium, non contenti legitimi imperii exercitio, cujuſmodi abuſum damnat Chriſtus. Ideoque ad hanc dominationem non pertinent illud Pauli, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto.* Quia nullæ niſi ordinatæ a Deo. Qui autem poſſet approbare Deus tyrannidem, quam injuſtam dominationem vocamus, qui nihil velle poteſt quam quod juſtum ac æquum eſt.

9. Tres gubernandi formas ita deſcribit Seneca: *Interdum populus eſt quem timere debeamus; interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri; interdum ſinguli quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Tales ſunt quos Plutarchus ait, ἢ ξ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ ἢ τῶν νόμων ἄρχειν, *imperium habere non ex legibus modo, ſed & in leges.* & apud Herodotum Otanes ſingulare imperium ſic deſcribit: ἀνευθύνως ποιέειν τὰ βούλεται: *facere quod quis velit, ita ut alii rationem non reddat.* Dioni quoque Pruſæenſi regnum definitur: ἐπιτάττειν ἀνυπεύθυνον ὄντα, *ita imperare ut alii ratio non reddatur:* Pauſanias Meſſenicis opponit βασιλείαν ἀρχῇ ὑπευθύνῳ, *regnum poteſtati tali quæ rationem actuum reddere debeat.*

Flamin.

COMMENTARIUS.

Concedo Authori quod tanquam argumentom ex Senecæ verbis profert, qoi, cum ſermonem habet de triplici gubernandi forma, Monarchicam deſcribit eam, quando ſingulis ſive Regibus ſive principibus poteſtas populi & io populum data eſt. Sed qualis? quam habuit populus, quippe cum jam demonſtravimus omne imperium a conſenſu & voluntate populi derivandum, ejus menſura & latitudo ex eo metienda, & ex ea iterum obediendi obligatio & ſubjectionis neceſſitas, atqui oon ſolum præſumatur, ſed etiam certo dici poſſit neminem propriam carnem odio habuiſſe, concludendum populum non injuſtam in ſemetipſum exercuiſſe dominatiooem & tyrannidem, ſed juſtum imperium, ergo nec eam exercendi jus tranſtuliſſe dici poteſt in ſummum imperantem, ſed legitimam & ſibi ſalutarem poteſtatem, qua & ipſe uſus eſt. Nec etiam aliam transferre potuit, quia oon habuit, quippe lex illa fundamentalis, cujus obligatione nemo ſolutus eſſe poteſt, quæ cuique iojungit ſui conſervationem, non ampliorem poteſtatem homini concedit in ſemetipſum, quam huic inſervientem. Ita ut quamvis populus poteſtatem abſolutiſſimam contuliſſet in principem, ea tamen ſecundum dictæ legis tenorem explicanda & commenſuranda eſſet, & diceodum quod ea circumſcribitur conſervatioois & ſalutis ſocietatis conſervandæ finibus. Ideoque ſi huic non inſerviat, videtur quaſi ipſo jure excidere ſumma majeſtate ſummoque imperio princeps, quaſi contra leges introducto, quod autem contra leges fit ipſo jure nullum eſt. Et quid ſi expreſſe delationi addiderint, quamvis in ſe ſæviret, veneraturos tamen ejus imperium, omni itaque coërcendi & puniendi facultati, quæ in ejuſmodi neceſſitate conſtituti poſſeot uti, renunciarunt, non eo ampliorem jure nanciſcitur princeps in cives poteſtatem, quippe talem poteſtatem ipſi non habentes etiam, ut diximus, in alterum transferre nequeunt, quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum, niſi quatenus utatur ad conſequendum quod ſibi utile eſt, & conſervationi propriæ & ſaluti conducit, Ita ut in ſeſe ipſum ſævire nequeat, & conſequenter eam alteri deferre. Ita ut abſoluta ejuſmodi poteſtas in populum, quæ non poſſet coerceri, ficta & cerebrina eſt, quippe etiamſi expreſſe id pactum eſſet inter Regem & populum, nullius tamen effectus eſſet, quia ſemper poſſit ab eo reſilire, veluti contra leges inito, adeoque nullam pariens obligationem, quæ populum privaret facultate principem cogendi, ut convenienter legibus adminiſtret Rempub. Quamvis imperium in leges habeant, non tamen omnibus ſolutam legibus poteſtatem vel imperium habent. Vigore ſummæ majeſtatis ac univerſalis juriſdictionis, qua decorata eſt ſumma majeſtas quemadmodum ſummus imperans leges condit & interpretatur, ita etiam publica ſuadente utilitate, vel exigente neceſſitate eas mutat vel abrogat, quam poteſtatem etiam populus habuit, unde verba Romuli apud Halicar. *lib.* 4. *Populus leges ſciſcunto.* Quemadmodum non idem ſemper ſuadet communis utilitas, quia res humanæ multis mutationibus obnoxiæ ſunt, ita quoque Reipub. intereſt leges ad præſentem ejus ſtatum accommodare, quamvis crebra mutatio non ſemper uſui futura, ideoque niſi neceſſitate exigente leges mutandas ſuaderem. Quamobrem optime diſſerit L. Valerius

in

in oratione contra M. Catonem apud Livium *lib.* 34. *Ego quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ utilitatis cauſa in æternum latæ ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut uſus coarguit, aut ſtatus Reipub. inutilem fecit, ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, mortales (ut ita dicam) & temporibus ipſis mutabiles eſſe video: quæ in pace latæ ſunt plerumque bellum abrogat; quæ in bello pax; ut in navis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſui ſunt.* Quoniam itaque natura quotidie novas properat edere formas. 2. *Feud. tit,* 23. §. 2. *verſ. ſed quia.* ſapientiſſimo legiſlatori incumbit naturæ varietati ejuſque machinationibus ſufficere, & inſtar prudentis naucleri Reipub. clavum, prout ipſi proficuum erit, ducere *Nov.* 74. Quod Otanis, Dionis, Pauſaniæ dicta attinet, & nos quoque ſtatuimus nullum poſſe conſtare ſummum imperium, niſi uni reddatur ratio eorum quæ conſtituere vel agere placet ſummæ majeſtati, omnia e Repub. geſturus præſumitur juſte imperans, cui populi ſalus & Reipub. utilitas lex eſt. Verum ea plenitudo poteſtatis non tam late extendenda, ut etiam quævis vel abſurda vel impia admitti poſſent extra omnem pœnam: nec enim poteſtatis plenitudo ad malum & injuriam extenditur. Illa enim non poteſtatis, ſed tempeſtatis plenitudo foret. Vaſquez *illuſtr controv. l.* 1. *cap.* 5. *n.* 17. *non dominatorem & ſervos ſed rectorem & cives cogitare debent.* Tacit. *annal.* Nulli igitur ſubſunt, cui rationem reddere coguntur principes, quamdiu regunt ut oportet; abutentes autem poteſtate, & mutantes in tyrannidem juſtum imperandi modum, populi coërcitioni ſubjecti dicendi videntur.

10. Ariſtoteles reges quoſdam eſſe ait cum eo jure quod alibi habet III.
ipſa gens in ſe ac ſua. Sic poſtquam Romani principes imperium vere *Pol.* XIV.
regium uſurpare cœperunt, dicitur populus in eos omne ſuum imperium & poteſtatem contuliſſe, etiam in ſe, ut interpretatur Theophilus. Hinc illud dictum M. Antonini Philoſophi: *Nemo niſi ſolus Deus* *Inſt. de jur. nat.*
judex principis eſſe poteſt. Dion. l. LIII. de tali principe: αὐτοτελὴς ὄντως καὶ *§. ſed & quod*
αὐτοκράτωρ, καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα τε οἷα βούλοιτο ποιῇ, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο μὴ πράττῃ.
Liber eſt, ſuique ac legum potens, ut & quod vult faciat, & quod non vult non faciat. *Xiph. vita M. Ant. l.* 4.
Tale regnum jam antiquitus erat in Græcia regnum Inachidarum Argis: nam in Argiva Tragœdia Supplicibus, ſic populus Regem affatur apud Æſchylum:

Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
Πρύτανις ἄκριτος ὤν,
Κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονὸς,
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.

Tu res populi, tuque urbs tota es,
Non judiciis ſubditus ullis,
Regni ſolio fultus ut ara,
Unoque regens cuncta arbitrio.

COMMENTARIUS.

SI non majorem ſibi ſummi imperantes poteſtatem vindicarent, quam unaquæque habet gens ſeu populus in ſe ipſum ac ſua, juſtam & rationi & æquitati congruam poteſtatem exercerent, ſatis etiam abſolutam, id eſt nullius imperio nec arbitrio ſubjectam, niſi delationi leges & conditiones quædam adjectæ imperanti modum & regulam præſcribentes. Verum de ejuſmodi imperio hic non eſt ſermo, ſed abſoluto, quale ipſe habet populus nullum niſi ſemetipſum agnoſcens ſuperiorem, ideoque nemini niſi ſibi ipſi rationem gubernationis, & adminiſtrationis reddens. Quemadmodum homines in naturæ ſtatu in ſe familiam ac bona abſolutiſſimum habent imperium. Ejuſmodi imperium revera uſurpare Romanos Imperatores cœpiſſe inquit Author, poſtquam populus omne ſuum imperium & poteſtatem in eos contuliſſe tradit, & quidem in ſe, idque lege Regia cujus meminit Juſtinianus *Inſt. de jur. nat. gent. & Civ.* §. 6. *Sed quod principi placuit, legis habet vigorem: quum lege Regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem contulit.* Item Ulpianus *l.* 1. *ff. de conſtit. princip.* & iterum Juſtinianus *l.* 1. §. 7. *Cod. de vet. jur. Enucl. Cum enim antiqua lege, quæ Regia nuncupabatur, omne jus, omniſque poteſtas populi Romani in Imperatoriam ſit tranſlata poteſtatem.* Quam legem vehementer dubito an unquam fuerit in rerum natura, ſed figmentum potius eſſe Tri-

niani credo, quia exceptis hiſce textibus nuſpiam, quod ſciam apud antiquos ſcriptores ejus fit mentio, vel ullum extat veſtigium, quod & mecum quoque ſentit vir ſummæ eruditionis, & judicii acumine excellens Connanus *comment. juris civilis. cap.* 16. *n.* 3. ubi ita diſſerit de hac lege Regia. *Hinc judicari poteſt, quam vera & ſancta illa lex Regia eſt, qua ſibi Romani principes ſummam in Repub. potentiam, etiamſi diis, placet, juriſconſultis noſtris approbantibus, attributam eſſe jactant. At ſi legem definivimus totius populi pactum & conventionem quandam eſſe, in iis autem, qua vi & coactu fiunt, nullus eſt conſenſus: lex illa Regia lex non eſt, neque iſta lege populus Romanus tam conceſſit potentiam ſuam principi, quam ea ſe per vim ſpoliari magno ſuo dolore paſſus eſt. Qui poſt Auguſtum ſecuti ſunt principes, plus aut minus poteſtatis ſibi vindicarunt, pro ſua bonitate aut aquitate quiſque, nemo tamen non tantum quantum voluit. Id enim eorum voluntatis fuit, non populi. Sed dum hoc populi conceſſu volunt videri facere, occaſionem hujus legis Regia invenerunt, quam tyrannidi ſua obtenderent, & ſub ejus obtentu omnia gererent pro libidine animi ſui. Jus itaque populo reddere ipſi quoque cœperunt, credo quod audiſſent primos illos orbis reges operam in eo ſuam civibus dediſſe, tum vero ut aquabilitate decernendi, & audiendi lenitate gratias ſibi omnium conciliarent, extinguerentque priſtina libertatis deſiderium: cujus formam quandam & ſpeciem aquitate conſtituenda praberent.* Verum hujus loci non eſſe arbitror hanc quæſtionem ex profeſſo tractare, cujus fortaſſe nobis alias dabitur Deo volente occaſio. Hic tantum de ejuſmodi tranſlatione imperii in Romanos Imperatores ſermonem Author habet agendum. Neminem negaturum credo licet Auguſtus vere imperium regium uſurpaverit, populum tamen neque lege, quæ Regia dicitur, imperium illud tranſtuliſſe, nec Auguſto placuiſſe populo ſuperiorem ſe gerere, quamvis revera jam in ſervitutem traxiſſet, idque ex multis probari poteſt indiciis & ſcriptorum teſtimoniis. *Quamobrem nec dictaturam, licet magna vi offerente populo, genibus nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt*, ut teſtatur Suet. *lib.* 2. *cap.* 52. fortaſſe quia inſauſtum fuerat hoc dignitatis nomen parenti Julio, utpote quæ populi libertatem & imperium maxime imminuebat, ideoque inviſus ei qui hoc ſibi imperium arrogando, omni poteſtate privare populum animum induxiſſet. Cum populo diviſa habuit comitia quæ ſoli ipſi habenda, ſi omne jus ſuum in eum tranſtuliſſet populus, nam eorum habendorum jus penes populum reſediſſe teſtantur veterum annales. Quanquam id ipſum tantum imago quædam erat & vana ſpecies priſtinæ libertatis, eum in finem callide conceſſa populo, ne videretur uno ictu fata imperii in ſe vertendo populum tyrannide opprimere, quod ſibi verendum non fuiſſet ſummo imperio populi conſenſu ad eum delato. Hæc ſunt illa imperii ſimulacra, *ſpecioſa verbis, re inania, aut ſubdola: quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura infenſius ad ſervitium.* ut inquit Tacit. 1. *annal. cap. ult.* Imo ſi omnem poteſtatem, quam in ſe & ſua habebat populus, in Imperatores contuliſſet, quorſum opus fuiſſet ad ſibi vindicandum, *paulatim inſurgere, munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere*, ut idem teſtatur. Ita ut poſtea ſibi poteſtatem arrogaverit retractandi & quaſdam de integro ſanciendi leges, *ut ſumtuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. lib.* 2. *cap.* 33. non conſenſu populi, ſed quia nemo ſeſe auderet opponere imperio quod ſibi uſurpabat, *cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent, cateri nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur.* Et quamvis vere regium teneret imperium, nomen tamen declinavit, imperium ſub nomine principis accipiens, quia invidioſum regis nomen propter nimis liberam & abſolutam dominationem, quam ſignificare videtur. Sic etiam & domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruiſſe teſtatur Suet. *lib.* 2. *cap.* 53. Ne populum, qui libertatis ſpecie egregie ſibi ſerviebat, odioſo hoc imperii titulo a ſe alienaret. Certiſſimum documentum, Auguſtum non conceſſiſſe ferri legem, quæ dicta ſit Regia, neque etiam liberrimam & abſolutam illam ac pene infinitam Imperatorum quorundam Romanorum dominatiouem adſcribendam eſſe ejuſmodi delationi, ſed uſurpationi. Quippe nec ipſis regibus infinita aut libera poteſtas fuit quamvis regia. Marci Antonini dictum oſtendit, majeſtatem & ſummum regiæ atque imperatoriæ dignitatis faſtigium, quantum ſupra vulgum ſit elatum, ita ut nullum agnoſcat judicem ſuperiorem niſi ſolum Deum, coram quo omnes ſe homines ſiſtere habent neceſſe, & reddere rationem vitæ tranſactæ & adminiſtrationis. Poteſt ſummus imperans præſcribere ſubjectis agendi normam, quam ſequendam omnibus incumbit qui ejus imperium agnoſcunt, vel ſi ſecus faciant rationem expoſcere ſuæ inobedientiæ, eamque punire. Idem facere ſubjecti nequeunt, cum propria voluntas principi agendi regula eſt, & conſequenter nullum agnoſcit judicem, qui poſſet exigere factorum rationem, deque iis judicare an bene vel male facta. Nam quamvis legitimus imperans, omnia tamen non adeo legibus & juſto gubernandi modo ſtricte reſpondent, quin aliquando quidam admittantur exceſſus, quorum judicium ſi penes populum reſideret, ſummum quoque rerum haberet arbitrium. Præterquam quod princeps etiam homo natus ut ceteri, ideoque & ſuis urgeatur vitiis, quæ vindicari poſſunt ſecundum leges civiles a principe in ſubjectis, verum non a ſubjectis in principe, quo ſenſu etiam legibus ſolutus dici poteſt, quia oporteret hoc conceſſo ſingulis fere momentis imperium ab uno in alium transferri. Verum quamvis humano non ſubſit judicio, divinæ tamen juſtitiæ ſubjectus eſt, coram qua & reges & cives ſibi æquales. Verum quid ſi omnia divina & humana jura ſuſque deque habens tanquam immanis bellua in civium corpora & bona graſſatur, Rempublicam ſuis fundatam legibus evertit, ſuo arbitrio religionem inducit, eamque amplecti cives cogit, aliaque præcipit facienda,

enda, quæ humani non ſunt imperii; ſui eſt judex populus & vindex injuriæ illatæ, imo juſtitiæ divinæ, cui aliquando & pœna temporali principum malefacta hoc medio punire placet. Subjecit Deus populum regi tanquam duci & ductori, rectori & conſuli, & quamdiu ipſi placet populus Regi obſequitur & veneratur, verum cum ſeſe imperio aliquando ſuis meritis indignum reddant, excitat aliquando populum ad vindicanda principum peccata & admiſſa vitia. Quamobrem David divinæ imputat benevolentiæ, quo populus ſibi erat ſubjectus & obediens, quamvis vitiis non vacuus divina puniri juſtitia dignus. Eodem modo poſſent interpretari quæ ex Dione afferuntur, ſcil. principem quidem habere facultatem præſcribendi juſtam & rectam vivendi civibus regulam, quibus etiam eorum actiones ad communem civitatis tranquillitatem tuendam diriguntur, tum etiam conſervatur ordo civilis, ut omnia peragantur legitime & ordine fiant, cujus ſummopere intereſt totius Reipub. fabrica & regiminis forma, quibus tamen ipſe non ſubjicitur ſummus imperans, niſi velit ſua ſponte ſemetipſum iis alligatum eſſe. Ea omnia ſuo permiſſa arbitrio, & conſequenter, *quod vult facit, quod non vult non facit*. Vel ſi ad Auguſti poteſtatem, de qua ſermonem habet Dio, ideoque etiam allegari ſolet ad legis Regiæ lationem aſſerendam, verba referre placet; dicendum videtur, non adeo abſolutam poteſtatem delatam fuiſſe Auguſto, ut nullis legibus alligatus quidvis facere ipſi libuiſſet in populum, ſed tantum quibuſdam ritibus & ſolennitatibus ſolutus eſſet, neutiquam vero ullam reverentiam erga rationis dictamina & naturales leges habens, pro libidine imperitaret, nulla populo relicta coërcendi de jure etiam ipſis & factis exequenda poteſtate injuſtam dominandi licentiam. Qui mos jam, & antequam Auguſtus imperium uſurpaverat, florente adhuc Repub. obtinuerat. Hinc Suet. in *Jul. Cæſ. cap.* 18. *Cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non poſſet, niſi privatus introiſſet urbem, ambienti ut legibus ſolveretur multi contradicerent, coactus eſt triumphum, ne conſulatu excluderetur, intermittere.* Et Cic. *orat. pro lege manil*, de Pompejo: *Quid tam ſingulare, quam ut ex S. C. legibus ſolutus conſul ante fieret, quam ullum alium magiſtratum per legem capeſſere licuiſſet.* Sic quoque dictatoribus ſummo imperio ornati ad bellum ituri legibus ſolvebantur ad tempus. Hinc T. Quintius apud Liv. *lib.* 4. 19. *Opus eſſe non ſolum forti viro, ſed etiam libero ex ſolutoque legum vinculis, itaque ſe dictatorem L. Quintium dicturum, ibi animum parem tanti poteſtati eſſe.* Cum itaque Cæſar Auguſtus bellis inteſtinis Repub. diſtracta atque miſere jactata multa ſine dubio ab eo admiſſa erant adverſus leges & auſpicia, cum in perſequendis percuſſoribus patris, tum etiam ſubjugando Antonio, Lepidoque exuendo, & conſequenter vereretur, ne quandoque hæc ad animum poſſet revocare Senatus Populuſque R. promiſſo popolo congiario, antequam ingrederetur urbem, ut legibus ſolveretur per Senatum impetravit, ut conſtat ex Dione *l.* 53. cujus ita ſeſe habent latine verba: *Auguſto X. C. Nerbano Coſſ. calendis Januariis Senatus juramento confirmavit ſe ejus acta approbare: cumque jam urbi appropinquare diceretur (nam propter morbum diutius abfuerat) ac pollicitus populo viritim centenos eſſet denarios, negaſſetque ſe prius id proſcripturum quam Senatus aſſenſiſſet, omni eum legum neceſſitate Senatus liberavit, ut, veluti demonſtratum a me eſt, vere cum plena poteſtate perfecteque ſui juris, legibuſque ſolutus, agere aut non facere omnia poſſet ſuo arbitrio. Hæc abſenti conſuli decreta.* Sed quibus legibus ſolutus? iis quæ civiles vocantur, populi Romani propriis, ſolemnitates vel ritus quoſdam, aut ordinem civilem ſpectantes. Ulterius nec ipſa Senatus poteſtas extendi poterat. Imperium itaque ſummum & regium legibus quidem ſolutum pronunciamus, ſed civilibus tantum, neutiquam vero naturalibus, quæ principi imperii tractandi & regendi ſubjectos norma eſt, quemadmodum leges civiles ſunt regula agendorum civibus, quibus ſeſe quiſque tueri poteſt adverſus quoſcunque earum violatores. Verum quamvis legibus ſoluti ſint, ſæpius tamen in memoriam revocare oportet bonum principem, quod optime reſcribit Imperator Alexander Severus *l.* 3. *Cod. de teſtam. Ex imperfecto teſtamento nec Imperatorem hæreditatem vindicare ſæpe conſtitutum eſt: licet enim lex imperii, ſolemnibus juris Imperatorem ſolverit: nihil tamen tam proprium imperii eſt, quam legibus vivere. Atque, licet legibus ſoluti ſumus, attamen vivimus legibus*, ajunt Imperatores Severus & Antoninus §. *fin. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* Nam ut Paulus JCtus inquit *l.* 23. *ff. de leg.* 3. *Decet tantæ majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Et ut Impp. Theodoſius & Valentianus ajunt: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus*, nimir. civilibus, *alligatum ſe principem profiteri, & revera majus imperio eſt, ſubmittere legibus principatum.* Optimam gubernandi & ſummo utendi imperio regulam principi præſcribit Theodoricus Rex apud Caſſiodorum *lib.* 1. *cap.* 12. *Quanquam poteſtati noſtræ, Deo ſavente, ſubjaceat omne quod volumus, voluntatem tamen noſtram de ratione metimur, ut illud magis æſtimemur elegiſſe, quod cunctos dignum eſt approbare.* Quæ ex Æſchylo Author profert non magni ponderis ſunt ad confirmandum ejuſmodi abſolutum, ut ſtatuit, jus Regium. Quippe ibi non populus, ſed peregrinæ fœminæ Ægyptiæ morum Græciæ ignaræ, regem alloquuntur ac ſupplices orant, ſe velle earum defenſionem ſuſcipere. Non ſollicitæ de jure quod Regi competebat in ſubditos, modo auxilium precibus implorarent. Rex vero non ignarus ſui juris, rem, quam a ſe implorabant, non ſui judicii eſſe, ſed cum populo ſibi communicandum dixit, argumentum ſibi tam amplam non eſſe poteſtatem qualem illæ ipſi tributam arbitrantur, ut reſpondet ad hunc locum Miltonus, & alii viri eruditi.

11. Longe aliter quam de Athenienſium republica rex ipſe Theſeus apud Euripidem loquitur:

—— οὐ γὰρ ἄρχεται
Ἑνὸς πρὸς ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
Δῆμος δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
Ἐνιαυσίαισιν.

—— hæc juris ſui
Parere domino civitas uni negat:
Rex ipſe populus annuas mandat vices
Honores huic, illi&c.

Lib. IV. *Vit. Cleom. Vit. Ageſil.* Nam Theſeus, ut Plutarchus explicat, belli tantum ducem & legum cuſtodem agebat, cætera par civibus. Hinc factum, ut reges qui populo ſubſunt non niſi improprie reges appellari dicantur. Sic poſt Lycurgum, magis que poſt Ephoros conſtitutos, reges Lacedæmoniorum reges nomine, non re fuiſſe dicuntur Polybio, Plutarcho, Cornelio Nepoti. Quod exemplum ſecuti & alii in Græcia. Pauſanias Corinthiacis: Ἀργεῖοι δὲ ἅτε ἰσηγορίαν καὶ τὸ αὐτόνομον ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτου, τὰ τῆς ἐξουσίας τῶν βασιλέων εἰς ἐλάχιστον προήγαγον, ὡς μηδὲν τῶν Κείσου καὶ τοῖς ἀπογόνοις ἢ τὸ ὄνομα λειφθῆναι τῆς βασιλείας μόνον. *Argivi jam olim æqualitatis & libertatis amantes regiam poteſtatem in minimum redegerunt, ita ut Ciſi filiis ac poſteris præter nomen regni nihil relinquerent.* Talia regna negat Ariſtoteles conſtituere propriam ſpeciem gubernationis, quia ſcilicet partem tantum faciunt in republica optimatium aut populi.

Quæſt. Gr. III. *Pol.* 12. *Liv. lib.* 11. *Plutarch. in Marcel. Halic. l.* V.

COMMENTARIUS.

QUæ Regni Attici jura fuerunt non facile eſt deſcribere, quum multa regnorum genera fuiſſe tradat Ariſtoteles. Notandum vero Reipub. genus non ſemper fuiſſe populare, ſed etiam plane regium, cujus Author Cecrops, qui etiam & urbis, quæ poſtea ſummi imperii ſedes atque domicilium fuit, conditor eſt. Quod Theſeus poſtea in populare mutavit, concedens populo Athenienſi libertatem, & ſuis vivere legibus permittens, qui ſe non regem, ſed belli ducem & legum cuſtodem futurum, reliqua vero permiſſurum populo pollicitus eſt. Ita ut imperium illud regium maxime fuerit imminutum. Atque refert Pauſanias Athenienſem civitatem, *Melanthi poſteros, qui Medontidæ dicti ſunt, magna parte poteſtatis ſpoliaſſe, & ex regno redegiſſe ad imperium referendis rationibus obnoxium, deinde cavit ne ultra decem annos id ipſum continuarent.* Ita etiam Lacedæmoniorum Reſpub. non ſemper eodem modo gubernata fuit, ſed diverſa diverſis temporibus ejus formavit. Initio monarchicam fuiſſe ſunt qui opinantur, regeſque liberrimam & abſolutam habuiſſe poteſtatem, nullis quod conſtat legibus alligatam vel adſtrictam. Eamque Reipub. formam duraſſe ſcribunt uſque ad Heraclidas, Proclem & Euryſthenem Ariſtodemi filios. Poſtea ab initio Heraclidarum uſque ad Lycurgum difficile definiri poſſe ſcriptores tradunt, qualis forma Reipub. impoſita fuit. Regio imperio vix dici poſſe videtur gubernatam, quia non ab unius arbitrio & nutu pendebat, ſed duobus ejus incumbebat adminiſtratio, uterque tamen Regio imperabant nomine. Poſtquam vero Lycurgus acceſſit ad Rempublicam multum de Regia poteſtate detractum atque imminutum, ita ut qui tum Regium obtinebant imperium, nomine magis quam reipſa Reges dicendi videantur. Nam non ſuo ſed plane alieno arbitrio publica adminiſtrabant negotia, adjectis ipſis ſenatoribus, ſine quorum authoritate & conſenſu vix quicquam gerere permiſſum erat. Magis adhuc imminuta regia poteſtas conſtitutis Ephoris a Rege Theopompo centum & triginta exactis annis poſt Lycurgum, quæ Plutarchi opinio magis vero conſentanea videtur, quam Herodoti & Xenophontis, qui ejus initium ab ipſo Lycurgo repetunt. Priorem opinionem confirmant ea quæ de Theopompo apud Valer. Max. *lib.* 4. legimus. *Atque ut Theopompo quoque Spartianorum regi moderationis teſtimonium reddamus; cum primus inſtituiſſet ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ poteſtati oppoſiti, quemadmodum Romæ conſulari imperio trib. pleb. ſunt objecti, atque illi uxor dixiſſet, id egiſſe illum, ut filiis minorem poteſtatem relinqueret: Relinquam*, inquit, *ſed diuturniorem. Optime quidem, ea demum eſt potentia tuta, quæ viribus ſuis ſibi modum*

dum imponit. Theopompus igitur legitimis regnum vinculis conſtringendo, quo longius a licentia retraxit, hoc propius ad benevolentiam civium admovit. Verum notandum hæc exempla non probare quod Author probandum ſuſcepit, ſcil. ſummum neque vere regium imperium dici poſſe quod populo aliquomodo ſubjectum eſt, cujuſque actus alterius ſubſunt judicio. Quippe & nos idem ſtatuimus; verum aliud eſt ſubjectum eſſe populi judicio quoad ea, quæ curam & Reipub. adminiſtrationem ſpectant, eorumque rationem reddere alii obligatum eſſe, vel ſine alterius non poſſe exequi conſenſu, & ita cum populo partiri imperium: aliud eſſe obſtrictum adminiſtrationem juxta conſenſum imperium transferentis, qui populus eſt, ad communem ſalutem & tranquillitatem convertere atque dirigere, relicta & permiſſa libera mediorum, quibus potiſſimum eam conſequi poſſe arbitratur ſummus imperans, utendi eaque adhibendi ei diſpoſitione & arbitrio, ita ut nulli niſi ſibi eorum reddere rationem teneatur, quæ univerſalem illam gubernationem Reipub. & dictum finem conſequendi ſpectantia adhibere in animum induxit, vel jam adhibuit. Quæ ad uſum imperii pertinent nullius judicio ſubjecta ſunt niſi proprio, abuſus vero a transferente corrigi poteſt.

12. Quin & in populis qui perpetuo regibus non ſubſunt exempla videmus quaſi temporarii regni, quod populo non ſubſit. Talis erat poteſtas Amymonum apud Cnidios, & apud Romanos Dictatorum primis temporibus, cum ad populum provocatio non eſſet; unde Dictatoris edictum pro numine obſervatum ait Livius: neque uſquam ullum niſi in cura parendi auxilium: Dictatura obſeſſam vim regiæ poteſtatis Cicero,

COMMENTARIUS.

Imperii jus atque latitudo non metienda ex temporis longitudine, ſed ejus habendi & exercendi modo. Hinc quamvis dictatori ad ſex menſes imperium deferebatur, ſummum tamen pro eo tempore imperium exercuiſſe certiſſimum eſt, de quo ſtatim latius dicendi nobis erit occaſio.

13. Quæ pro contraria ſententia adferuntur argumenta, ea ſolvere difficile non eſt. Nam primum, quod aſſeverant eum a quo aliquis conſtituitur eſſe ſuperiorem conſtituto, verum dumtaxat eſt in ea conſtitutione cujus effectus perpetuo pendet a voluntate conſtituentis; non etiam in ea quæ ab initio eſt voluntatis, poſtea vero effectum habet neceſſitatis: quomodo mulier virum ſibi conſtituit cui parere ſemper neceſſe habet. Valentianus Imperator militibus qui ſe Imperatorem fecerant, poſtulantibus quod ipſi non probabatur, reſpondit: *Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate, o milites:* *Sozom. hiſt. Eccl. l. xv.* *at poſtquam me elegiſtis, quod petiſtis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tantum quam ſubditis competit parere; mihi quæ facienda ſunt cogitare.* Sec nec verum ex quod aſſumitur, omnes reges a populo conſtitui; quod exemplis patrisfamilias advenas ſub obediendi lege acceptantis, & gentium bello devictarum, quæ ſupra attulimus, ſatis intelligi poteſt.

COMMENTARIUS.

Supra jam diximus quæ annotari hic poſſunt. Notandum autem hanc Authoris ſolutionem non enervare vim argumentorum quæ ad ſententiam noſtram confirmandam adduximus. Et revera Author hic nihil ſtatuit, quod & nos non ſtatuimus. A nobis demonſtratum eſt, ubi de cauſa ſocietatis civilis ejuſque fabrica diſputavimus, eam non poſſe conſiſtere, niſi ſummo conſtituto imperio, quod valeret a civibus arcere atque depellere ea incommoda, quibus in natura ſtatu expoſiti ſunt. Quoniam autem ſatis validum eſſe nequit, niſi voluntates ſingulorum voluntati ejus ſubjiciantur, quem tuendæ ſocietati præfecerunt, ut iis poſſet uti quandocunque judicaret neceſſe ad communem ſalutem & ſecuritatem tuendam, hinc nemo potuit ſibi reſervare facultatem declinandi quod ipſi faciendum injungitur a ſummo imperante, nec ipſi incum-

bit examinare num utile ſit ſocietati quod imperatur, quaſi faciendi vel non faciendi quod imperatum eſt a ſua voluntate penderet. Huic libertati renunciavit jam membrum civitatis. Quippe ſi cuique eam facultatem ſibi reſervaſſet ſumma poteſtas non penes imperantem eſſet, ſed penes populum atque ita judicandi, & de utilitate mantorum, quæ ſibi exequenda imponuntur, jus declinandi vel exequendi ea, prout ipſe arbitratus fuerit communi ſaluti conſultum fore, vel non habebit etiam quivis e populo, vel quiſque civis idem ſtatuet ſibi jus competere, atque ita corruet tota civitatis fabrica, & ad priſtinum relabetur ſtatum naturalem, qui ſtatus belli dicitur. Delationi enim imperii neceſſario ineſt tanquam neceſſarium conſequens renunciatio libertatis & juris quod cuique competit ſuperiorem non agnoſcenti, quia ſine ea nulla ſummiſſio voluntatis concipi nequit, ſine ſubmiſſione omnium voluntatum ſumma poteſtas nequit depellere mala & incommoda, quæ ſtatum naturalem comitantur. Id cum fecerint ſingula membra, habet ille, in quem imperium contulerunt, tantas vires ac opes ex voluntaria illa ſubjectione ſibi acquiſitas, ut terrore earum voluntates omnium ad unum eundemque finem reducere queat. Ex quibus perſpicimus neceſſario ex ipſa ſocietatis conſtitutione ſummique imperii natura defluere illam ſubjectionem abſolutam voluntati ſummi imperantis, ita ut quicquid ille imperat ſine mora ſit exequendum, quia nihil præſumitur injungere, quin utile communi ſocietati fore judicaverit, cujus arbitrium ipſi ſoli competere voluit populus eo ipſo, quo ſeſe ejus voluntati ſubjecit. Itaque recte Author ſtatuit voluntatis quidem fuiſſe in civitatem coaleſcendo ſummum aliquod imperium conferre in alterum, ſive unum, ſive plures, proprii quod quiſque habebat imperii propriæque libertatis jactura, cujus voluntatis eſſet pro voluntate omnium, verum neceſſitatis eſt, poſtquam juri ſuo renunciavit populus & omne ſuum imperium in principem tranſtulit, ei ſubjectum eſſe, ejuſque ſequi voluntatem. Nam contradictorium eſt ſeſe ſubjeciſſe imperio alieno, & tamen ſe ſubjectum non prætendere ei in quem omne jus tranſtuli, cujuſmodi ſubjectio eſt neceſſarium conſequens omnis ſummi imperii. Verum obſervandum huic ſummiſſioni & delationi ſummi imperii, ut dicere incepimus, annexum & tacite ineſſe pactum, mutuam obligationem pariens, quo promittunt cives vel populus omnem ſubjectionem & obedientiam, & quicquid imperatur impigre exſecuturum, ſummamque veneraturum majeſtatem, ejuſque jura adverſus quoſcunque defenſurum, & illibara conſervaturum, modo utatur imperio ſuo ad ſalutem & communem utilitatem ſecuritatemque tuendam, quia lege imperium accepiſſe præſumi debet ſummus imperans, ideoque ſe obligaſſe eo uti convenienter transſerentis arbitrio. Hæ præſtationes ab utraque parte implendæ, quin neuter ſuo fungatur officio. Quid ſi vero ſummus imperans omittit præſtare quod debet utendo imperium, non ad ſalutem communem tuendam, ſed populum tyrannide opprimendum, fruſtra ſubjectionem & obedientiam exigit a civibus vi ſummi in ſe tranſlati imperii & pacti interpoſiti, quippe non adimpleta conditione a ſua parte, corruit & ab altera parte obligatio, ſemetipſum exuendo qualitate cujus intuitu ipſi obedientiam præſtare populus adſtrictus eſt. Quo contigit ut populus iterum recuperet imperium, quod unanimi conſenſu in ſummum tranſtulerat imperantem, & imperans tanquam pars ejuſdem civitatis ſubjicitur toti tanquam privatus, itaque & hoc etiam caſu non poteſt locum habere, quod dicitur ſuperiorem eſſe debere conſtitutum conſtituto, quia ipſo jure imperio ſua culpa excidit, quoniam deficit conſenſus transferentis abutendo imperio, ergo non amplius tanquam ſuperior, ſed privatus conſiderari debet, quia imperio deſtitutus, & conſequenter ſubjectus univerſitati, quamdiu ejus membrum manet. Falſum itaque cum Authore ſtatuimus allegatum illud axioma, quod & magis confirmatur exemplo mulieris, quæ quamvis ſibi maritum conſtituerit, ei tamen parere neceſſe habet & ſubjici, nec maritalem poteſtatem poteſt abjicere. Quippe non potuit non ignorare qualis apud ſe viro nubentem proveniret conditio, eo itaque ipſo quo ſe matrimonio conjungit, videtur etiam voluiſſe talem ipſi tribuere poteſtatem, qualem leges deſerunt; voluntatis quidem fuit virum ſibi eligere, verum ei nubendo neceſſitatis eſt tanquam ſuum maritum agnoſcere. Verum & ab altera parte vir obligatur ſua maritali poteſtate non abuti uxorem crudeliter habendo, quin ſe ſubtrahere poſſit ejus imperio & ſui juris fieri. Maritus autem eo caſu non conſideratur tanquam maritus, ſed iniquus & crudelis hoſtis, vel tyrannus. Quippe qua maritus utens maritali ſibi competente poteſtate, ea nunquam poteſt privari. Quod alterum argumentum attinet, ad illud quoque reſponſum *n. 6. hujus* §.

II. 14. Alterum argumentum ſumunt ex dicto Philoſophorum, regimen omne eorum qui reguntur, non qui regunt, cauſa eſſe paratum: unde ſequi exiſtimant ex finis nobilitate, eos qui reguntur ſuperiores eſſe eo qui regit. Sed nec illud univerſaliter verum eſt, omne regimen ejus qui regitur cauſa eſſe comparatum, nam quædam regimina per ſe ſunt regentis cauſa, ut dominicum: nam ſervi utilitas ibi extrinſeca eſt & adventitia: ſicut Medici lucrum an ipſam medicinam

non

non pertinet. Sunt alia regimina mutuæ utilitatis cauſa, ut maritale. Sic imperia quædam eſſe poſſunt comparata ad regum utilitatem, ut quæ victoria parta ſunt, & non ideo tyrannica dicenda ſunt, cum tyrannis, ut quidem ea vox nunc intelligitur, injuſtitiam includat. Poſſunt & quædam utilitatem reſpicere tam ejus qui regit quam ejus qui regitur, ut cum populus impotens ſibi tuendo regem potentem imponit. Cæterum non nego in pleriſque imperiis reſpici per ſe utilitatem eorum qui reguntur: & verum eſſe quod Cicero poſt Herodotum, Herodotus poſt Heſiodum dixit, fruendæ juſtitiæ cauſa reges conſtitutos. Sed non ideo conſequens eſt, quod illi inferunt, populos rege eſſe ſuperiores: nam & tutela pupilli cauſa reperta eſt, & tamen tutela jus eſt ac poteſtas in pupillum. Nec eſt quod inſtet aliquis, tutorem, ſi male rem pupillarem adminiſtret, amoveri poſſe; quare & in rege idem jus eſſe debere. Nam in tutore hoc procedit, qui ſuperiorem habet. At in imperiis, quia progreſſus in infinitum non datur, omnino in aliqua aut perſona aut cœtu conſiſtendum eſt, *Jer.* xxv. 12. quorum peccata, quia ſuperiorem ſe judicem non habent, Deus ſibi curæ peculiari eſſe teſtatur, qui ea aut vindicat, ſi ita opus judicet; aut tolerat in pœnam aut explorationem populi.

COMMENTARIUS.

NIhil vero æquitati & rectæ rationi magis conſentaneum mihi videtur, quam omne imperium eorum cauſa qui reguntur introductum puto ſatis manifeſte conſtare ex iis, quæ de origine ſocietatis & cauſa ſummæ poteſtatis civilis hucuſque diſputavimus. Diverſi imperii habendi & exercendi modi, qui ex diverſis ejus acquirendi jure gentium approbatis titulis originem habent, non tanti hic ſunt ponderis ad demonſtrandum, quorum intuitu omne regimen comparatum eſt, quam quidem primam ejus conſtituendi cauſam, & finem illud introducendi primarium. Quemadmodum enim voluntaria ſubmiſſio eſt cauſa imperii civilis, ita & ſubmiſſioni cauſam præbuit ſui conſervatio, conſiſtens in acquirendis cum ad vitam degendam rebus neceſſariis, tum etiam utilibus & ſecuritati inſervientibus. Quiſque enim in ſe ipſo experitur acres ſtimulos ad libertatem naturalem conſervandam, id eſt ſui plane juris nullius proprio arbitrio ſubjectum vivere, ita ut huic nemo facile renunciet, niſi intuitu majoris conſequendi boni. Bonum hoc fuiſſe annotavimus conſervationem ſui, & conſequenter ea quoque conſtituti imperii cauſa ejuſque finis eſt. Quippe natura omnes liberos, & idcirco æquales naſci aliis argumentis quam quæ rationis lumen dictat probari opus non eſt, ita ut alter in alterum nullum habeat imperium, verum ex conſenſu transferentis derivandum, unde neceſſario ſequitur omne imperium, & regimen eorum, qui reguntur, non, qui regunt, cauſa conſtitutum. *Principes terrarum ſunt a Deo inſtituti, non quidem ut propria lucra quærant, ſed ut communem populi utilitatem procurent*, inquit Thomas. Sed hoc axioma non univerſaliter verum probare Author conatur adducendo ejuſmodi regiminis exempla, quæ regentis potius quam eorum qui reguntur introductum probare videtur, cujus generis Dominicum, ejus primarius finis eſt utilitas Domini, ſervi adventitia tantum & extrinſeca. Sed dicendum videtur ſervi potiſſimum ſervandi cauſa tacito quodam gentium conſenſu introductum. Quippe ex eo appellati, quod imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare nec occidere ſolent, quanto vita præſtantior eſt quibuſcunque opibus ac divitiis, eo magis ad utilitatem eorum debet videri inſervire imperium dominicum, quam ipſius domini cauſa comparatum. Quamobrem jure naturæ illicitum exiſtimo ſervum, poſtquam captus eſt ac ſe dedidit occidere, de jure naturæ hac in re ita Ariſtoteles 1. *Polit.* *Quod imperat & paret ſalutis cauſa conjungitur, nam quod mente providere poteſt natura, imperat & dominatur natura, quod autem iſta poteſt corpora facere, paret & natura eſt ſervus. Quare domino & ſervo idem conducit.* Sic etiam poteſtas maritalis introducta a natura in utilitatem & defenſionem mulieris, quæ in ſtatu naturæ propter inæqualitatem & judiciis acumine & virium menſura maribus longe inferior ſeſe tueri adverſum horum aſtutiam atque etiam vim & potentiam nequeat. Cujuſmodi imbecillitas in cauſa fuit, ut apud Romanos in perpetua tutela fuerint conſtitutæ. Sic etiam imperium victoria

ſive

ſive bello acquiſitum utilitatem quidem victoris ſive regis eatenus ſpectant, quatenus ſui imperii fines adjectione ſubactarum gentium ditioni ſuæ dilatat, ærarium auget, modica victis imponendo onera, verum non eum in finem hæc colliguntur, ut in proprium vertat lucrum, ſed communem ſalutem & ſecuritatem tuetur, in qua & eorum qui bello devicti ſunt populi utilitas quoque verſatur. Verum, ut ſtatim dicere inecepi, hi modi acquirendi ſummi imperii in cauſa quidem ſunt, ut illud de facto magis ad utilitatem acquirentis quam ſubjectorum tractetur, verum diſputandum hic eſt quomodo moderari debeat jure naturæ & recta dictante ratione. Recte vero monet Author, quamvis ponamus verum eſſe imperia reſpicere per ſe utilitatem eorum qui reguntur, non tamen ex eo ſequi populum eſſe rege ſuperiorem. Quippe utilitatis promovendæ & tuendæ cauſa populus omne ſuum imperium tranſtuliſſe in principem diximus. Ergo eo ſuperior eſſe noluit, quia perſpiciebat hoc modo ſuæ utilitati non fore conſultum. Quamdiu itaque ſummus imperans boni principis fungatur officio, populo tanquam inferiori nihil niſi obedientiæ reliqua gloria, nullumque ſibi jus vel imperium competit in conſtitutum, ſed eum ferre neceſſitatis eſt. Contradictorium quoque eſt, ut aliquis velit ſuperiorem conſtituere qui in ſe juſtum imperium exercet, & tamen ipſe ſuperiorem eſſe velle in conſtitutum. Optime Puſend. *lib. 7. cap. 6. de jur. nat. & gent. Atqui aliquem conſtituit in ſe ipſum, ſeu qui imperium alteri in ſe confert, non magis eo ſuperior manere poteſt, quam idem eidem eodem tempore imperare & parere.* Optime hic applicari poteſt exemplum pupilli atque tutoris, in cujus utilitatem quamvis tutela reperta, tutori tamen non ſecus atque ſummis magiſtratibus in eives competit poteſtas in pupillum, ſcil. ad tuendum eum qui per ætatem ſe ipſum defendere nequit. §. 1. *inſt. de tutel.* quemadmodum itaque tutela pupillorum gratia conſtituta eſt, & conſequenter ad utilitatem pupilli tota referenda, ita procuratio Reipub. ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt, quia nihil aliud eſt, quam tutela plurimorum in unam ſocietatem atque cœtum conſpirantium hominum, conſtituta, ut diximus, non in gratiam adminiſtrantis, ſed civium, unde & à Cicerone tutelæ comparatur Reipub. gubernatio. Idem itaque jus obſervandum in procuratione rerumpubl. quam in gerenda tutela, quia eadem utriuſque ratio. Unde quemadmodum tutor res pupilli male adminiſtrans amoveri poteſt, itaque quoque ſummos imperantes ad privata commoda, & propriam utilitatem quæcunque agunt referentes, publicam vero utilitatem totumque Reipub. corpus deſerentes, imperio & adminiſtratione privare non a ratione alienum eſt. Nihil hic obſtat quod hoc in tutore procedit, quia ſuperiorem habet, nam magiſtratus hic facit, quod ipſe pupillus ante judicia conſtituta, vel alius ejus nomine, ex jure tamen pupilli in tutorem facere poſſet, non qua tutorem, id eſt tuitorem, ſed malum adminiſtratorem officio tutoris male fungentem, id eſt defenſionem pupilli negligentem, ideoque non ex jure ſuperioritatis, ut ita dicam, ſed defenſionis naturali juer ipſi competens adverſus omnes injuriam ſibi, vel quoad perſonam, vel bona, inferentes: idem jus populo in principem ſuo officio non fungentem, non quia ſuperior principe qua princeps, ſed qua privatus, cujus ſuperior eſt ipſe cœtus, in quo conſiſtit ſummum imperium tanquam ſua origine & principio, ad quod etiam naturaliter reverti debet, finito illud exercendi alteri delato jure, quod contigit vel ipſa diſpoſitione transferentis, ut in regnis temporariis, vel ipſo jure vel facto imperantis, eo vel ſe abdicantis, vel culpa ſua indignum facientis, male utendo in perniciem eivium ſuorum, quia, ut diximus, eo caſu deſtitutus conſenſu transferentis ipſo jure excidit imperio & etiam facto ſuo quatenus male adminiſtrando huic cauſam præbuit. Quomodo intelligendum quod dicitur Deum judicare de principibus, diximus ad *n.* 10. *hujus* §. Cum enim nihil contingat quod non a divina pendet & profluit providentia eaque dirigitur, ſic ei quoque attribuendum quando reges ob ſua peccata & maleficia in populum, & ſubjectos admiſſa de ſolio deturbatur, idque vel per alienigenas, vel etiam ipſos eives ſuo jure utentes. Quemadmodum dicit Jehova per ſe reges regnare, quanquam interveniat hominis diſpoſitio, ita & per eum judicari eodem ſenſu dicuntur, quamvis illud judicium ab ipſis etiam civibus exequatur. Quod ſi ſubjecti tolerare tyrannidem malint, quam ſuo jure uti, divinæ quoque adſcribendum ſummæ tolerantiæ, ſed ex eo non metienda ſummi imperii inviolabilis ſanctitas, quaſi eum nunquam poſſent coërcere ſubjecti.

15. Optime Tacitus: *Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur.* Et M. Aurelius magiſtratus dixit de privatis, principes de magiſtratibus, Deum de principibus judicare. Inſignis eſt apud Gregorium Turonenſem locus, ubi is ipſe Epiſcopus regem Francorum ſic affatur: *Si quis de nobis, o Rex, juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis:* Lib. v. *ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam?* Inter

Eſſe-

Eſſenorum placita Porphyrius memorat ὡ δίχα Θεοῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν, Lib. VII;
non obtingere cuiquam imperium ſine Dei cura ſpeciali. Irenæus optime: *Cujus* c. XVII.
juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & reges conſtituuntur apti iis, qui in illis 1 Reg. IV. 10.
temporibus ab ipſis regnantur. Senſus idem in conſtitutionibus quæ dicun- 11 Reg.
tur Clementis; τὸν βασιλέα φοβηθήσῃ, εἰδὼς ὅτι τοῦ κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία, *regem timebis,* X. 17.
gnarus a Domino electum.

COMMENTARIUS.

NOn præcipiti, ſed lento gradu ad imperii mutationem procedendum ſupr. admonuimus, quoniam ea ſæpe multis periculis & incommodis obnoxia, ideoque deliberandum prius num præſtet tolerare potius imperium, quamvis tyrannicum, quam illud mutando imminentibus periculis Rempub. exponere. Quod ſi metuenda majora incommoda ex coërcitione tyrannis, propterea quod eam ſæpiſſime bella inteſtina, civiles diſcordiæ excipiunt, quibus nihil Reipub. pernicioſius, utpote quæ ejus interitum ſæpiſſime accelerent, evenire poteſt, ut præſentem ſatius videantur æquo animo perferre injuſtam dominationem, quam in pejorem Reipub. ſtatum incidere. Hinc tritum illud præſtat aliquod habere imperium, quam nullum; nullum autem imperium habetur, ſcil. effectu, ubi inter tyrannum & cives de eo certatur. Quod contingit quando in eum animadvertendi ſibi jus vindicant cives. Quod itaque ex Tacito Author adfert argumentum, conſilium, ſive admonitio, non præceptum eſt, cujus habendam rationem quoties in ejuſmodi infelicia tempora incidit Reſpub. bonis civibus ſuademus. Suo non ſemper jure utendum, verum de eo potius aliquando aliquid remittere ſapientiæ eſt, incommodi majoris declinandi cauſa. Nihil enim perfectum, nihil ab omni parte beatum, homines omnes nati ſumus, quiſque ſuis urgetur vitiis, itaque qui vitia odit, homines odit. quemadmodum ſocium diligere hominis officium eſt, ita & perferre ejus debet vitia, quemadmodum cetera naturæ mala. Ita Seneca *de conſtantia ſapientis. cap. 9. Omnia itaque ſic patiuur, ut hiemis rigorem, & intemperantiam cæli, ut fervores morboſque & cetera forte accidentia.* Et Cicero apud Dionem *lib* 54. *Quæ evenerunt, tanquam nimios imbres aut grandines eveniſſe rati, oblivioni mandate.* Et idem Seneca, *Si fortuna injurias moderate fert: quanto magis hominum potentium, quos ſcit fortunæ* (vel ut Chriſtianum loqui oportet, ſummi Jehovæ) *manus eſſe.* Quemadmodum itaque mala, quibus juſtiſſimus peccatorum & criminum erga ſanctiſſimam ſuam majeſtatem commiſſorum vindex Deus, homines peccatores affici vult, æquo perferenda animo; ita etiam injuſta tyranni dominatio, tanquam divinæ vindictæ effectus, patientia aliquando defungi debemus. Verum cum non adeo manifeſtum num Deus ad puniendum ipſum imperantem, vel populum, injuſtam illam dominationem introduci permittat, ut æterno ſuo decreto ſatisfiat, niſi nobis revelata ſit divina circa ejuſmodi tolerantiam voluntas, videtur patientia ea potius voluntatis, quam neceſſitatis eſſe, & conſequenter non eripit populo jus & facultatem naturali jure ſibi acquiſitam.

16. Nec obſtat his quæ diximus, quod populi interdum puniti leguntur ob regum peccata: non enim id eo evenit, quod populus regem aut non puniret, aut non reprimeret, ſed quod vitiis ejus tacite ſaltem conſentiret. Quamquam etiam ſine eo Deus ſummo dominio, quod in vitam necemque ſingulorum habet, uti potuit in pœnam regis, cujus ſupplicium eſt ſubditis orbari.

COMMENTARIUS.

POpulum in Regem; qua juſtum & legitime imperantem, nullum imperium habere demonſtravimus, & conſequenter ſi quædam peccata & vitia admittit, quibus etiam vulgus obnoxius, ea puniendi facultas ſoli Deo reſervata. Hinc quando leguntur ob peccata Regum nonnulli populi puniti, id non imputandum impunitati, quum populus conceſſit principi, ejus admiſſa non vindicans vitia & flagitia. Sed quia ſe iiſdem inquinavit vitiis exemplar principis ſequens, quippe ſecundum tritum illud;

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Hinc Plin. *Panegyr. Vita principis cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam, imperio nobis opus eſt quam exemplo. Melius homines exemplis docentur, quæ imprimis hoc in ſe boni habent, quod adprobant, quæ præcipiunt, fieri.* Et Cic. 1. Famil. ex Platone, *Quales in Repub. principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe cives.* Optime Puſend. *lib.* 7. *cap.* 6. *Haud quicquam enim mihi imputari factum alterius poteſt, ad quod ego nihil contuli. Jam autem ſigni*

non poteſt, quomodo populus de reatu peccati Regii, quod imprimis iſti diſplicuit, participare potuerit, niſi quia regem plectere omiſit. Verum id pro certo habemus, peccata regum in ſe non derivare aliquem reatum in ſubditos, niſi ipſi poſitive quid ad iſta contribuerint. Euripides ſupplicibus νόσησάς τοι πόλις κακῶς ἔκλυσεν διὰ κυβερνήτην κακόν, culpa vacat Reſpub. male audiens propter gubernatorem malum. *Ex omiſſione prohibitionis aut pœna haut quicquam iſti poſſunt reatum contrahere, quippe cum ipſi tanquam inferiores regum peccata neque poſſint, neque teneantur prohibere aut punire. Nam uti facultas, ita & delicta alterius prohibendi obligatio, ex poteſtate in alterum provenit ſeu ex imperio, quod jus alterius actiones dirigendi involvit. Unde neque antequam Rex conſtitueretur, ceteri ex ejus facto teneri poterant, cum æqualis in æqualem non habebat poteſtatem; neque poſtquam Rex eſt inſtitutus. Abſurdum quippe,* pergit, *dictu eſt, illos, qui ante imperium in aliquem collatum velut in æqualem non habebant poteſtatem pro imperio aut violenter ipſius peccata prohibendi, eandem accepiſſe, poſtquam eidem in ſe dederunt imperium. Sed neque ex illo pacto, quod ſubditi in regem abſolutum imperium contulerunt, peccata regum ſubditis imputari poſſunt. Nam illo pacto impunitatem cives regi non dederunt, ſed quam antea ex libertate naturali habebant, ipſi reliquerunt, cum alias nulla ratione imperium ſummum gerere poſſet, niſi a pœnis humanis foret exemtus.* Ex hiſce perſpicimus de quibus peccatis ſermo eſt, ſcil. quæ non evertunt Reipub. ſtatum, vel ad ejus interitum tendunt & in populi perniciem admittuntur, & quorum conſequenter puniendorum facultas oon eſt humani fori, ſed divioi in reges imperii. Idque ex eo conſtat manifeſte, quia ejus generis ſunt, quæ in ſtatu naturali propter æqualitatem inter homines alterius coërcitioni vel punitioni noo ſubſuot, ideoque quæ non comittuntur adverſus publicam humani generis ſecuritatem & tranquillitatem, nam & ea puniendi cuique tanquam membro, & ejus nomine etiam ſuperiori, facultas a natura conceſſa, cujuſmodi facinora a ſummo imperante admiſſa idem jus tribuunt populo, tanquam in communis ſecuritatis, & tranquillitatis hoſtem, oon regem ſummo imperio munitum, ideoque tutum ab omni coërcitione populi.

IX. 1. Sunt alii qui mutuam quandam ſubjectionem ſibi fingunt, ut populus univerſus regi recte imperanti parere debeat, rex autem male imperans populo ſubjiciatur. Qui ſi hoc dicerent, non facienda ob regis imperium ea quæ manifeſte iniqua ſunt, verum dicerent, & quod apud omnes bonos confeſſum eſt: ſed id nullam includit coactionem, aut jus aliquod imperii. Quod ſi etiam populo alicui propoſitum fuiſſet partiri cum rege imperium (qua de re infra dicendum erit aliquid) fines certe poteſtati utriuſque aſſignari debuiſſent tales, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum, aut negotiorum diſcrimine.

COMMENTARIUS.

ANnotavimus ſuo loco imperium delationi, & acceptilationi ineſſe pactum mutuam obligationem pariens, qua adſtingitur princeps ſecundum mentem deferentis imperio, cujus moderameo populus ei conceſſit, uti ad ſalutem communem conſervandam & ſecuritatem tuendam, nam eo ipſo quo accipit imperium ea mente ſibi delatum, præſumitur ſe obligare voluiſſe quaſi expreſſe cooſeoſiſſet imperium ita moderaturum, ot reſpoodeat exſpectationi & fini quem ſibi populus pollicetur. Qui alia parte omnem ſubjectionem & obedientiam ſummo imperanti juſte & legitime, id eſt convenienter dicto fini imperio ſibi delato utenti. Cujuſmodi pactum non ſubjicit regem populo, nam in ea qualitate nec contrahere nec paciſci cum populo poteſt, quoniam qua Rex repræſentat populum, & cum eo una eademque cenſetur perſona, ideoque ſemet ipſum obligaret, qualis obligatio nullum effectum habere poteſt, propterea quod eo ſeſe quandoque vult poteſt ſolvere. Et conſequenter etiam præcedere debet delationem, & acceptilationem imperii, cui illud pactum dat formam, præſcribendo quomodo imperium adminiſtrare debeat, & populum ipſi obtemperare oporteat. Ideoque quale & qua conditione ipſi delatum, quid juris populo reſervatum declarat. Sed quæritur an ejuſmodi pactum includat aliquam coactiooem vel imperii jus? imo vero, quemadmodum privatus privatum conveniendi, & cogendi jus habet ad illud præſtandum, ad quod ſeſe paciſcendo mecum obligavit, poſt conſtituta judicia auxilio judicis, in ſtatu vero naturali propriis viribus. Ita & populus ſibi tacito pacto acquiſivit idem jus, non in Regem, ſed tanquam privatum, particulare civitatis membrum. Cum vero ſuperiorem non habeat populum, coram quo poteſt convenire Regem, nec Regem alium quoque quam ſe ipſum agnoſcendum ſtatuit, hic tanquam in naturæ ſtatu conſtituti ſæpius vi, & armis lis dirimitur. Imo ſi diligenter examinemus naturam ejuſmodi pacti, continere etiam videtur ſubjectionem,

ctionem, quippe cum contrahentes ſibi mutuo devinciantur ad præſtationes quaſdam perſonales, non in totum ſui juris manent, nec arbitri & moderatores liberi ſuarum actionum, verum tantum ſui in ſe ipſos imperii contulerunt in alterum, quantum pacto comprehenſum, ita ut jure ſe invicem cogere & perſequi poſſint ad præſtandum quod promiſſum, ſubjectus tamen proprie dici nequit imperans, præſtando enim quod debet, ſemper manet ſuperior populo.

2. Bonitas autem aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas: unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt, cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni malive, hinc ad ſe rege trahente, inde populo, qualem rerum peturbationem introducere nulli, quod ſciam, populo in mentem venit.

COMMENTARIUS.

VErum difficultas hic ab Authore movetur, penes quem reſidebit facultas judicandi de bonitate vel malitia actus. Quippe nec populus eam cognitionem poteſt deferre Regi, neque Rex populo, & tamen ambo pro jure poteſtatis ſibi cognitionem de eadem re vindicare conantur, unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt. Cui etiam accedit, ſi penes populum arbitrium reſidere dicamus, an ſummus imperans imperio abuſus ſit vel non, verendum ne ſæpiſſime multa principum facta pro injuriis traducant, quæ nullam injuriæ ſpeciem præ ſe ferunt, ſcil. quod cum civium non convenit judicio, id tanquam male ſactum damnatur, & quemadmodum Jupiter ſemper neque ſerenus neque pluvius omnibus arrideat, ſic etiam propter ingenii humani imbecillitatem multorumque male compoſita deſideria fieri non poteſt, ut Reipub. adminiſtratio omnibus æque arrideat, & conſequenter occaſio præbetur continuis ſeditionibus & bellis civilibus, ſummumque imperantem ſingulis fere momentis ſolio deturbandi. Verum revocandum in memoriam quod alio loco annotavimus, ſcil. non facile cavillandum de bonitate aut malitia actuum ſummi imperantis, ne eo obtentu imperii mutationi occaſio detur. Semper præſumitur quæcunque agit ad conſervandam communem ſalutem ſecuritatemque reſpicere; oportet itaque ex indiciis luce clarioribus conſtare, ſe Rempub. & communem utilitatem deſerere, atque ipſis factis declaraſſe hoſtilem ſive tyrannicum in cives animum, præterea non debemus populum conſiderare tanquam confuſam multorum hominum turbam, in qua nullus ordo ſervatur, ſed ut cœtus ordine conſtans, qui, ſi diſputandum erit de jure Imperii & bonitate vel malitia actus a Rege admiſſi, legitimum & ordinatum modum conveniendi conſtituere poſſunt, quemadmodum & ipſi imperandi ordinis authores fuere. Præſumendi autem ſunt tali exiſtente caſu & neceſſitate exigente illum conſtituere voluiſſe ordinem qui minimam confuſionem induceret, & maxime idoneum eſſet ad omnia legitime peragenda. Itaque deliberandi cauſa an bene, vel male adminiſtrata Reſpub. vel ejuſmodi admiſſa facinora, quæ Principem reddunt obnoxium pœnæ vel coërcitioni, dum etiam qua hoc potiſſimum ratione exequendum, videtur convocatio populi eis incumbere, qui dignitatis faſtigio principi proximi ſunt. Quid ſi & ipſi hoc declinant, ad inferiores jus illud pervenit, jure devolutionis tanquam imperio proximos. Præterquam quod & multa ſint ſubordinata collegia, in quæ populus tanquam tot claſſes diviſus, quæ ſingula cogi poſſunt per ſuum primarium, vel ut hodie vocari ſolent decanum, ad deliberandum de publicis negotiis, vel concilium aliquod conſtituendum cui illam curam committere poſſent. Verum cum ſummus imperans ſibi arbitrium & poteſtatem judicandi de violatione legum & publicæ ſecuritatis vindicans non facile admiſſurus ſit ut populus conveniat, nec etiam eorum ſe ſubmiſſurus decretis, ſæpiſſime Marte arbitro lis dirimenda, niſi in arbitrum partes diſſentientes conſentiant, quæ eſt optima litis decidendæ ratio, quoniam ea publica tranquillitas non adeo perturbatur, aut Reſpub. in partes diſtrahitur, bellaque inteſtina excitantur.

X. 1. Sublatis opinionibus falſis, reſtat cautiones adhibeamus aliquas, quæ vim nobis monſtrare poſſint ad recte dijudicandum cui jus ſummæ poteſtatis in gente quaque competat. Prima cautio hæc ſit, ne decipiamur ambiguo nominis ſono, aut rerum externarum ſpecie. Exempli cauſa, quanquam apud Latinos opponi ſolent principatus & regnum, ut cum Vercingetorigis patrem dicit Cæſar principatum obtinuiſſe Galliæ, ſed quod regnum affectaret interfectum; & cum Piſo apud Tacitum Germanicum dicit principis Romanorum,

non Parthorum Regis eſſe filium: & cum Suetonius parum abfuiſſe ait Caligulam, quin ſpeciem principatus in regnum converteret: & cum Vellejo Maroboduus dicitur non principatum parentium voluntate conſtantem, ſed vim regiam complexus animo.

COMMENTARIUS.

Videtur major libertatis ſpecies ſub principe, quam ſub rege, quamobrem Auguſtus imperium ſub principis nomine accepit, ne videretur omnem libertatem eripuiſſe populo. Hinc principatus & regnum quandoque opponuntur. *Diverſa ſunt natura principatus & dominatio.* Plin. *Panegyr. cap.* 45. Hinc Tiberius apud Dionem: *Dominum ſe ſervorum, Imperatorem militum, principem ceterorum vocabat.* Et idem Plin. *Eadem quippe ſub principe virtutibus præmia, quæ in libertate.* Principem eſſe nihil aliud quam primum eſſe dignitate ac authoritate. Sic princeps Senatus. Et Tacitus 1. *Annal. Non regno tamen neque dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam Rempublicam.* Et apud Ovidium:

Tu domini nomen, principis ille tenet.

Quamobrem Galba Piſonem adoptans, *Neque, hic,* inquit, *ut in cæteris gentibus quæ regantur, certa dominorum domus, & cæteri ſervi: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem nec totam libertatem pati poſſunt* Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* Dictum illud Piſonis eo tendebat, ut demonſtraret apud Romanos non Regnum, ſed principatum obtinere, ſcil. Cæſares non ut Reges & dominos, ſed tantum principes ſeu civium primos venerari, qui non mores aut faſtum vel nomen regium uſurpabant, ſed civili utebantur ingenio, imperitabant civibus, quemadmodum pater aut dux præeſt filiis, neque ſe ſupra cives efferebant, niſi virtute & admiratione, ut hunc locum explicant commentatores. Sic & Claudianus Romani imperii ſtatum diverſum oſtendit ab Orientis regnis de IV. *Conſul. Honor.*

Si tibi Parthorum ſolium fortuna dediſſet,
Care puer, terriſque procul venerandus Eoïs
Barbarus Arſacio conſurgeret ore tiaras.

Et idem *verſ.* 206.

Non tibi tradidimus dociles ſervire Sabæos,
Armeniæ dominium non te præfecimus oræ;
Non damus Aſſyriam, tenuit quam fœmina, gentem.
Romani, qui cuncta diu rexêre, regendi:
Qui nec Tarquinii faſtus, nec jura tulêre
Cæſaris.

2. Videmus tamen confundi hæc ſæpe: nam & Lacedæmonii duces ex Herculis poſteritate, poſtquam Ephoris ſubjecti fuere, reges
Lib. 1. dicebantur nihilominus, ut modo vidimus: & veteri Germaniæ reges erant, quos Tacitus præ fuiſſe ait auctoritate ſua docendi, non po-
Lib. xv. *cap.* 70. teſtate jubendi. Et de Euandro rege Livius, rexiſſe eum auctoritate magis quam imperio: & Suffetem Carthaginenſium Ariſtoteles & Polybius βασιλέα appellant: ut & Diodorus, quomodo & Hannonem Carthaginenſium regem dixit Solinus. Et de Scepſi in Troade narrat Strabo cum adjunctis in civitatem Mileſiis populari republica uti cœpiſſet, veterum regum poſteris nomen manſiſſe regium, & honoris nonnihil.

COMMENTARIUS.

Lacedæmonii Duces, quamvis nil niſi nomen, Regium Regiæ poteſtatis ipſis erat reliquum, Reges tamen dicti. Penes Ephoros ſumma poteſtas, concionem enim populi regebant, belli gerendi & indicendi jus habebant, pacem rogabant, fœdus inibant, exercitum conſcribebant, annonæ curam gerebant, ſua ſceleribus ſupplicia, & bene de Repub. meritis præmia decernebant, & ut paucis eorum poteſtatem deſcribit Pauſanias, ϗ τὰ ἄλλα διαπρᾶττον οὐδὲν μάλιϛα ἄξιά, *omnia adminiſtrabant in quibus aliquid momenti erat.* Et Plutarch. *de civ. inſt. In Sparta,* inquit, *Reges Ephoris cedebant, & ſi quis e reliquis civibus publicitus vocabatur, non ceſſim is, neque otioſe, ſed curſim atque præpropere accedebat per forum, parendi civitati ſtudium præ ſe ferens, honoreque ſe in eo affici ratus, quod imperio civitatis parere alacer videretur.* Imperium civitatis vocat poteſtatem Ephororum, quaſi penes ipſos ſumma reſidebat majeſtas Reipub.

3. Contra Romani Imperatores, poſtquam palam & ſine ulla diſſimulatione regnum liberrimum tenuerunt, principes tamen vocabantur.

bantur. Sed & inſignia regiæ majeſtatis in leberis quibuſdam civitatibus tribui principibus ſolent.

COMMENTARIUS.

QUamvis vere regium Romani imperatores exercebant imperium, principes tamen appellari voluiſſe jam dictum, quia inviſum populo nomen Regium. Male itaque Bodinus *de Repub. lib.* 8. Romanos imperatores Regiam poteſtatem habuiſſe negat, quia principes tantum dicebantur. Regiam plane poteſtatem habebant, quamvis nec nomen nec etiam inſignia Regia haberent. Vid. Suet. in Tib. *cap.* 14. & 24. Contra inſignia Regia quibuſdam etiam in liberis Rebuſp. principibus ſolent tribui, quamvis non habeant regiam poteſtatem, ut Venetiarum Duci.

4. Jam vero comitia ordinum, id eſt conventus eorum qui populum in claſſes diſtributum referunt, nimirum, ut Guntherus loquitur,

Prælati, proceres, miſſiſque potentibus urbes:

alibi quidem in hoc ſerviunt duntaxat, ut ſint majus regis conſilium, per quod querelæ populi, quæ ſæpe in conſiſtorio reticentur, ad regis aures perveniant; cui deinde liberum ſit ſtatuere quod ex uſu ipſi videatur. Alibi etiam jus habent de actis principis cognoſcendi, atque etiam leges præſcribendi quibus princeps teneatur.

COMMENTARIUS.

COncilia illa, quibus jus de publicis deliberandi negotiis, oon ſunt ejuſdem ubique authoritatis & poteſtatis, multum refert, num rex ipſe ejuſmodi aliquod concilium conſtituerit, illudque convocat qoando de publicis negotiis ad univerſam regni ſeu Reipub. adminiſtrationem pertinentibus agitur. An vero delationi imperii lex fundamentalis adjecta ſit, qua adſtringitur de publicis negotiis deliberare volens ejuſmodi concilium convocare, atque nihil concludere valet vel exequi, niſi conſcoſus ejus accedat. Si Rex ipſe conſtituit concilium, vel ſenatum ſibi elegit, citra cujus approbationem nihil ratum eſſe velit, habet quidem ejuſmodi Senatus non ſolum examinandi decreta, quæ proponuntur Reipub. fore utilia, ſed etiam rejiciendi ſin minus ei expedire viſa fuerint, jus; verum quia non propria id habent authoritate ſed conſenſu principes, conſequenter ejuſmodi concilia principem non ulterius obligant ſequi vel approbare quam ſibi placet & arbitratur e re ſua eſſe. Quippe non præſumendum principem ejuſmodi Senatum conſtituendo de ſuo imperio aliquid detrahere voluiſſe, verum ut ejus concilio quoties ſibi placeret poſſet uti in arduis negotiis, reſervata ſibi facultate & libertate ejus decreta vel conſilia ſequendi aut rejiciendi. Quippe eum nullam proprio jure poteſtatem de publicis deliberandi negotiis habeant, niſi demandatam a ſuperiore, dependent omnino ab ejus authoritate, ideoque ampliorem ſibi arrogare nequeunt, quam ſummo imperanti ipſis concedere placet, & conſequenter eam vel amplificare vel limitare poteſt pro lubitu, & etiam conceſſe latitudinem ipſe interpretandi habet facultatem. Imo totum coocilium diſſolvit eadem authoritate, qua conſtituit, cum nihil tam naturale ſit, quam ut unumquodque eodem diſſolvatur modo quo colligatum eſt. Quamobrem per talem Senatum imperium abſolutum eſſe non deſinit. Duas adfert rationes, quæ principem movere poſſunt ad ejuſmodi Senatum vel conſilium conſtituendum, Sam. Puſend. *de jur. nat. gent. lib.* 4. *cap.* 6. 1°. Ut hoc modo ſibi caveret, oe per imprudentiam aut impolſu adulatorum aliquid ſtatueretur minus Reipub. proficuum. 2°. Ut hoc modo importunæ flagitationes eludantur, dum princeps ipſe in ſpeciem indulget quod novit a Senatu reſciſſum iri. Quod vero ad comitia ordinum, ſive conventus eorum qui populum in claſſes diſtributum referunt, attinet, iſti huc tantum inſerviunt, ut ſint majus regis conſilium, ut hac ratione populi querelæ, quæ in privato conſilio ſæpe reticentur, ad regis aures perveniant, qui, iis intellectis, ſtatuere poteſt quod ipſi ex uſu videtur. Iſte comitiorum uſus, ut Rex cum populis, imperio ſuo ſubjectis, quaſi in familiare colloquium deſcendere videatur, ut de Repub. in commune conſulat, nec non privatorum querelas atque res, ut vere ſe habent, intelligat citra fucum, quod per ſuorum fraudes ac dolos plerumqoe non licet. Igitur minime audiendi ſunt, qui regem infra dignitatem facere ajunt, conventus habentem, quid enim magis regium, quam jus ſuum cuique tribuere? qui fieri illud commodius poteſt, quam cum facultas datur omnibus mala ſua & incommoda ac quæſtus libere ac publice, ubi fuco ac fraudi locus non eſt, exponendi, inquit Michaël Hoſpitalius Galliæ Cancellarius apud *Thuan. lib.* 27. Et teſtatur Grammondus iſtum comitiorum ha-

bendorum uſum ac conſuetudinem ab immemoriali jam tempore obtinuiſſe apud Gallos, imo eorum primordium & originem ab ipſis regni incunabulis petendam. Idem mos apud alias quoque gentes invaluit variis temporibus. De Anglia tradit Johannes Stous *in vit. Henrici* I. *Hoc anno* MCXVI. *die* 19. *Aprilis Rex Henricus omnes Regni ordines, Prælatos, proceres, & plebem, ſacrum ad conſilium vocavit, ut de bono Reip. regimine, & de graviſſimis regni negotiis conſultarent, quod conſilium, nomen ſuum a Gallis accipiens, Parlamentum appellatur. Atque hoc primum in Anglia fuiſſe Parlamentum Hiſtorici obſervant, & quod Reges ante hoc tempus nullum ex populo, aut plebe, ad conſultandum, aut leges condendas, convocare conſueverant.* Vid. & Baher. *Chron.* Ex quibus perſpicimus liberæ Regis conceſſioni Parlamenti originem adſcribendam, quamvis poſtea neceſſitatis fuerit ejus convocatio, ita ut quaſi hac conditione regnum proximo ſucceſſori deferatur, ut circa actus quoſdam exercendos & publica gerenda negotia conſilium ſeu Parlamentum convocare neceſſe habeat Rex, citra cujus conſenſum nihil valere poſſunt, nec etiam exequi quæ ſua authoritate decernit circa peculiaria quædam negotia. Sic nec Senatus decreta facta ſuper iis negotiis, de quibus conſilium initum, rata ſunt niſi prius omnem vim ſuam a ratishabitione Regis mutuantur. Notandum vero, quod ejuſmodi conventus convenire nequeant pro lubitu, ſed convocari debeant a principe (cui ea facultas ſolo competit) ad deliberandum de iis negotiis, quæ ſibi proponere placet, quæ ſolent inſeri litteris quibus convocantur, ut poſſent inſtructi & præparati eſſe illi, quos populo ad conventum delegare placet. Romulus, licet multa alia Senatui & populo conceſſit majeſtatem redolentia, populum tamen convocandi Senatumque cogendi poteſtatem ſibi reſervavit. Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. Idemque jus omnibus principibus intactum atque illæſum reſervari debet. Ita Arniſæ. *de jur. majeſt. lib.* 2. *cap.* 4. *Cum enim in comitiis plurimum momenti ſit, ſive ad evertendam, ſive mutandam, ſive conſervandam Rempub. imo cum ſint fundamentum Reip. non poſſunt aliis niſi ſoli majeſtati tribui, quippe in cujus tanquam naucleri manu non tantum navem, ſed & gubernacula omnia eſſe oportet, totam alias navim peſſundaturam, ſi contra nutum naucleri huc vel illuc a quovis dirigi poſſunt.* Idque ipſum Deus quoque approbaſſe videtur, cum Moſi imperium in populum tribuens, ſimul quoque conceſſit facultatem eundem congregandi & convocandi, quo inſerviebant duæ illæ tubæ argenteæ *Num.* 10. Ad quem locum referente ſtatim allegato Authore D. Andrevus Epiſcopus Chiceſterenſis *in concil. de jur. convoc. cœt. contra Bellarm.* conficit, ad Regalia pertinere jus convocandorum cœtuum, ſive ad rerum ſacrarum ſive profanarum deliberationes. Qui enim ſine harum tubarum ſono confluxerant, *Num.* 20. graviter a Deo puniti ſunt. Coran, Dathan, cum complicibus vivi abſorpti, quod vocati reſponderent: *Non veniemus. Num.* 16. Poſt Moſen Joſua, Reges Principeſque, uſque ad Macchabæorum tempora, jus congregandorum comitiorum habuerunt. Ut de Davide 1 *Paral.* 15. Salomone 2 *Paral.* 5. Joſaphato 2 *Paral.* 20. Joa, Joſia, aliiſque conſtat. Et ſic quoque Anglorum Rex ſolus convocat, quibus licet Parlamentis, ut ſolent vocari, intereſſe. Illudque iterum diſſolvit quando nihil amplius ab iis tractandum reſtat. Romani etiam Imperatores quamvis imperium nullis fere limitibus circumſcriptum ſibi arrogabant, ſolebant tamen ſæpius Senatum in conſilium vocare, non ſolum quando de publicis negotiis & de ſumma rerum conſilium ineundum, ſed & quando de legibus ferendis deliberandum erat, atque perſuadere eidem, ut de ea re, quæ in deliberationem cecidiſſet, Senatusconſultum fieret, ſcil. ut ſpecie Ariſtocratici imperii Senatum populumque demulcerent, illis ramum ejus poteſtatis conceſſerunt, cujus radicem ab iis acceperant, inquit Arthur. Duck. *de uſu & auth. jur. civ. lib.* 1. *concl.* 2. eo nihil tamen detrahebatur de ſummæ majeſtatis ſummique & abſoluti imperii jure. Huc pertinet illa D. Hadriani oratio quam refert Paulus Jctus *l.* 22. *ff. de hered. petit.* cum inquit: *Nam in oratione Divi Hadriani ita eſt: Deſpicite Patres conſcripti, num quid ſit æquius, poſſeſſorem non facere lucrum* &c. vid. & *l.* 40. *eod. l.* 1. *§. ff. a quib. appell. non lic. l.* 4. *C. de Profeſſ. & Med. l.* 1. *ff. de reb. eor. l.* 32. *ff. de Donat. int. vir. & uxor.* Obſervandum vero plerumque Senatusconſultum in ſententiam principis concipi ſolitum fuiſſe. Quamobrem Tacitus 11. *Annal. cap.* 25. *Orationem principis ſecuto patrum conſulto, primi Ædui Senatorum in urbe jus adepti ſunt.* Vide etiam *l.* 16. *ff. de rit. nupt.* & ibi Gloſſ. Hinc principum orationes quandoque Senatusconſulta dictas fuiſſe perſpicimus ex *l.* 8. *ff. de tranſact. junct. l.* 23. *§.* 2. *ff. de condict. indeb.*

5. Sunt multi qui exiſtimant diſcrimen ſummi imperii, aut ſummo minoris, petendum ex delatione imperii per electionem aut ſucceſſionem. Nam quæ hoc modo deferuntur imperia, ea ſumma eſſe contendunt, non item quæ illo. At hæc univerſim vera non eſſe pro certo haberi debet. Nam ſucceſſio non eſt titulus imperii, qui imperio formam aſſignet, ſed veteris continuatio. Jus enim ab electione familiæ cœptum ſuccedendo continuatur; quare quantum prima electio tribuit, tantum defert ſucceſſio. Apud Lacones regnum ad hæredes

redes tranſibat etiam poſt Ephoros conſtitutos. Et de tali regno, id eſt principatu, eſt apud Ariſtotelem: τούτων τῶν βασιλειῶν αἱ μὲν κατὰ γένος εἰσὶν, αἱ δὲ αἱρεταὶ, *quædam ſanguinis jure*, *quædam electione deferuntur*: & Heroicis temporibus pleraque in Græcia regna talia fuiſſe & ipſe notat, & Thucydides. Contra, Romanum imperium etiam ſublata omni ſenatus & populi poteſtate per electionem conferebatur.

COMMENTARIUS.

VEriſſimum quod hic Author ſtatuit, ſummi imperii, aut ſummo minoris, non ponendum in delatione, imperii ſucceſſione, aut electione acquirendi: illa ſumma, non hæc dicenda arbitrantur. Verum graviter errant, quoniam univerſim hæc vera non eſſe ex eo conſtat, *quod ſucceſſio imperii non eſt titulus qui ei formam aſſignat, ſed veteris continuatio*, nullum enim imperium, cujus origo non a conſenſu alicujus primi transferentis derivanda, neque ulla familia ad regiæ dignitatis, vel principatus faſtigium provecta, niſi electione, nam ſummum conſtituere aliquod imperium animum inducentes mortales neceſſe quoque habuere aliquem eligere cui illud deferrent, cujuſmodi delationi modum temporis imponebant, quo illud exerceretur ab eo quem elegerant, vel quoad viveret, vel ad certum tantum tempus; aut conſenſerunt ut etiam jus illud ad poſteros ex recta linea deſcendentes, vel ejuſdem ſanguinis collaterales devolveret, cujuſmodi continuatio per ſucceſſionem non plus juris transferre poteſt in ſucceſſores, quam primus ad tractandum imperium electus accepit a transferente. Quamobrem quantum prima electio tribuit, tantum ſucceſſio defert, quod de jure, non de injuſta uſurpatione intelligendum. Itaque quam amplum imperium in ſucceſſores defertur, ex prima electione metiendum, quo contingere aliquando poteſt, ut imperium, quod continua electione a populo confertur, latius pateat, quam quod ſucceſſio defert, quia voluntas populi eum ſit ambulatoria, plus quandoque juris tribuere poſſunt in locum defuncti electo, quam anteceſſor habuit. Quod quidem etiam locum habere poteſt ubi regnum ſucceſſio defert, verum conſiderari debet quoad ejuſmodi imperii augmentum, non tanquam ſucceſſor, verum quaſi primus electus. Eligebantur Romanorum Reges; apud Spartanos regnum per ſucceſſionem devolvebat, verum quibuſnam major poteſtas, ſatis conſtat ex iis quæ ſupr. annotavimus. In titulum Spartani ſuccedebant: In vim Romani eligebantur. Illi nudo regis nomine omnibus juribus, quibus majeſtatem imperii poſſent tueri, contenti eſſe debebant. Hi & legibus armati & decorati armis, majeſtatis jura illibata & illæſa ſibi reſervabant. Illi alieno ſubjecti judicio quo coërceri poſſent, hi pro lubitu imperitabant populo, & quicquid ipſis placebat legis vigorem habebat, quæ obtemperandi neceſſitatem civibus imponebat.

XI. 1. Altera cautio hæc eſto. Aliud eſſe de re quærere, aliud de modo habendi, quod non in corporalibus tantum, ſed & in incorporalibus procedit. Ut enim res eſt ager, ita & iter, actus, via. Sed hæc alii habent jure pleno proprietatis, alii jure uſufructuario, alii jure temporario. Ita ſummum imperium Dictator Romanus habebat jure temporario: reges denique tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine ſuccedunt, jure uſufructuario: at quidam reges pleno jure proprietatis, ut qui juſto bello imperium quæſiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitandi cauſa, ita ſe dedidit ut nihil exciperetur.

COMMENTARIUS.

REcte ſtatuit Author ſummum imperium penes principem reſidere diverſo modo, ad ſimilitudinem aliarum rerum quæ cadunt in commercium, & diverſis juris titulis ac modis acquiruntur atque poſſidentur. Sic quemadmodum quarundam rerum proprietatem jure pleno, aliarum tantum uſufructum habemus; ita & modus habendi imperii vel plenus eſt, vel magis aut minus diminutus. Quidam reges imperium pleno jure proprietatis habere dicuntur, ut qui juſto bello ſibi illud quæſiverunt: quidam illud tantum utiliter, id eſt jure uſufructuario, poſſidere dicuntur, idque vel ad tempus vitæ vel ad poſteros tranſmittendi jure: quidam jure temporario id habent, quo elapſo ipſo jure evaneſcit imperium, quia deficit conſenſus transferentis ſine quo omne

ne imperium, tanquam ſuo fundamento deſtitutum, corruere neceſſe eſt, & ipſi ad privatam conditionem revertuntur imperantes. Jure temporario habebat dictator Romanus ſummum imperium, nullum agnoſcens pro eo tempore ſuperiorem. Verum multi arbitrantur hanc imperii habendi partitionem admodum periculoſam eſſe, atque nullo modo huic materiæ convenire contendunt, imo latam ſeditionibus viam ſternere, ſi ad ſenſum juris civilis explicetur. *Ea perpetua*, inquit Hornius, *de civit. lib.* 2. *cap.* 10. *nobis lex erit, doctrinam de majeſtate & imperio civili jure privatorum non commiſcere: quod hac principia non ſint domeſtica ſummæ poteſtatis declarandæ; ſed alieniſſima contineant. Diverſiſſima enim ſunt proprietas in dominio privato, & majeſtas principis.* Quod enim in proprietate eſt, id etiam in commercium cadit. At vero majeſtas extra omne commercium humanum poſita, a ſolo Deo conceditur immediate, ergo in proprietate non eſt. Si per majeſtatem intelligamus ſummum imperium civile, quod conſiſtit in regenda & gubernanda civitate, quod vel conſeoſu, vel etiam alio quovis legitimo titulo, nt jure belli, acqniri poſſe nemo negabit, quid obſtat cur illud io proprietate eſſe dici oequeat, & conſequenter quoque in commercium venire, ut cæteræ res privatorum. Si jure gentium quæ capiuntur in bello, capientis fiunt, & in dominium redigi poſſunt ſervi, & in pleno proprietatis jure eſſe, ita ut vendi vel donari, vel alio quocunque modo alienari poſſint, quare non eodem jure imperium in populum jure belli ſubactum, vel ſponte ſeſe majoris mali vitandi cauſa dedentem, poſſit acquiri. Nihil huic obſtat, quod majeſtas ſit a Deo; quicquid enim nobis propria induſtria vel interveniente cultura noſtra aut cura, aut hominis diſpoſitione acquirimus, ſed mediate, quemadmodum etiam majeſtas ſive ſummum imperium, a Deo nobis conferri dicendum. Quatenus ejuſmodi acquirendi modi propter humanæ ſocietatis conſervationem, quæ ſine ordine aliqno oequit conſiſtere, Deus approbat. Nam eodem modo majeſtas a Deo conferri dicitnr, quia cum Deus hominem animal ſociale ac rationale creavit, etiam voluit, ut ſocietatem cum ſui ſimillimis coleret, & rationi convenieoter viveret, atqui ratio dictat eam coli non poſſe, niſi conſtituto aliquo imperio, ergo eo ipſo quo homines dictante ratione ſummum imperium conſtituerunt, Deus id ipſum non ſolum approbare, ſed etiam voluiſſe cenſendus, atque ita quod interveniente facto humano fit, ipſe Deus feciſſe videri debet, qui hoc medio uti volnit, ad ſuum decretum exequendnm. Idem dicendum de diſtinguendis dominiis & illa acquirendi modis. qnia nec ſine eo commode vita humana poteſt tranſigi, nec ſocietas ſervari, etiam approbare imo quaſi ipſe introduxiſſe videtur, quæ circa illud homines ratione dictante diſpoſuerunt, & quod hac ratione mihi acquiſivi poſſideo quaſi ejus proprietatem mihi ipſe Deus largitus eſſet. Fateor diverſiſſima eſſe proprietatem in dominio privato, & majeſtatem principis, quemadmodum res privatorum diverſæ ſunt a rebus ad Rempub. pertinentibus: verum hoc non impedit quo minus convenire poſſint in quodam tertio, ita ut imperium civile non minus in proprietate, ut dicam, communi ſive principis, qui communem ſtatum univerſitatemque ſingulari ſua perſona repræſentat, eſſe poſſit, quemadmodum imperium quod cuique competit circa privata bona adminiſtranda, tum etiam familiam gubernandam in dominio & proprietate privati cujuſque membri eſt, quod & illud abdicare, & in alium transferre poteſt ſicuti & cætera bona quæ poſſidet jure proprietatis. Objiciunt porro quod uſufructuarium jus in hac materia concedere, ſit principis majeſtatem prodere. Habeat, inquit Hornius, *nunc princeps uſumfructum, imperii proprietas ad populum ſpectabit, qui de jure ſuo ampliſſime poterit diſponere. Concedas hoc majeſtatis hoſtibus, & vacillabit principis ſolium. Continuo enim extinguendi uſufructuarium hoc jus excogitabunt rationem, docebuntque intra modum non ſteriſſe fructum, cauſam igitur juſtam & prægnantem adeſſe cur princeps beneficio fructuum, quibus indigne abuſus eſt, pellatur.* Quo ſenſu ſoperius diximus civitatem, ſive populum eſſe ſubjectum commune imperii civilis, eodem quoque ſtatuimus proprietatem imperii, id eſt poteſtatem, diſpoſitionem, & arbitrium conferendi imperii quo velit modo & quibuſcunque placet conditionibus, in eum quem ſummæ rerum præficere animum induxerint, habere populum, neque ea ſe privare voluiſſe præſumitur, niſi expreſſe adjecerit delationi ut non ſolum transferant exercitium, & jus exercendi imperii, ſed etiam ipſi concedant poteſtatem illud alienandi, cedendi cuicunque, & quando libuerit, quocunqoe modo & titulo quo caſu, ut de bonis propriis, ita & de ſummo ſibi delato imperio diſponendi facultatem, & cum ea proprietatem acquirere videtur. Alias ſimplex delatio, conſiſtens tantum in adminiſtranda, & gubernanda Repub. & providendo nequid detrimenti capiat, communis utilitas atque ſalus ipſi tantum quaſi uſumfructum imperii tribuere videtur, quod relinquendum, ut acceptum. Non cavillandum adeo de ſtricta illa convenientia terminorum, quibus utimur ad intelligendum diverſum imperii habeodi modum, cum juris civilis de acquirendi dominii, ſive proprietatis rerum vel corporalium, vel incorporalinm titulis; quippe licet non exactiſſime in omnibus conveniant, quæ de utroque prædicantur, tamen tanta unius cum altera intercedit ſimilitudo, ut iiſdem nti terminis debeamus ad explicandos varios imperii habendi, & acquirendi modos. Non verendum eſt, ne hæc imperii partitio præbeat occaſionem ſeditionibus: quippe quemadmodum proprietarius tenetur pati, nt uſufructuarius re utatur fruatur, ſecundum ſuam naturam, ita & populus, qui exercitium ſummæ poteſtatis, & adminiſtrationem Reipub. in principem contulit, pati tenetur, ut ea utatur ad communem utilitatem & commoditatem promoveodam, ſuam etiam ſalutem ſecuritatemqne tueodam, quem in finem omnia poteſt adhibere media, quæ huic inſervire

potiſ.

potiſſimum arbitratur, illudque arbitrium ipſi ſoli competit, ita ut nihil juris aut imperii ſibi populus in principem poteſtate ſibi delata utentem convenienter transferentis intentioni, & naturæ ſummæ poteſtatis civilis, arrogare poſſit. Si aliquando ſub ſpecie juris aut æquitatis illud ſuperiori eripere conantur cives, injuſti ejuſmodi conatus non adſcribendi ſunt huic opinioni, ſed populi male compoſito deſiderio, cui nunquam ejuſmodi deeſſe poteſt prætextus, quo obtegere poteſt novarum rerum cupidum animum, non diſputandum quid de facto poſſit accidere, verum quid jure obtinere debeat, adde quæ ſupr. *ad* §. VIII. *& ſeqq. annotavimus.*

2. Neque enim illis aſſentio, qui dictatori negant fuiſſe ſummum imperium, quia perpetuum non erat. Nam rerum moralium natura ex operationibus cognoſcitur: quare quæ facultates eoſdem effectus habent, eodem nomine nuncupandæ ſunt. At dictator intra tempus ſuum omnes actus eodem jure exercet quo rex qui eſt optimo jure; neque ejus actus ab alio reddi irritus poteſt. Duratio autem naturam rei non immutat, quamquam ſi de dignitate quæritur, quæ majeſtas dici ſolet, dubium non eſt quin ea major ſit in eo cui jus perpetuum datum eſt quam cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus. Atque idem dictum volo de his, qui antequam reges ad ſuam tutelam pervenerint, aut dum furore, aut captivitate impediuntur, curatores regni ita conſtituuntur ut populo non ſubſint, neque ante legitimum tempus poteſtas eorum ſit revocabilis.

COMMENTARIUS.

INcidimus hic in quæſtionem an Dictator apud Romanos habuerit ſummum imperium, nec ne. Sunt qui negant; alii affirmant, quorum in numero & Author, cujus opinioni libens ſubſcribo. Qui contrariam ſententiam tuentur, arbitrantur perpetuitatem referendam eſſe ad naturam majeſtatis; & ideo temporario imperio gaudentes adminiſtratores potius appellandos, unde inferunt dictatorem Romanum quia imperium ultra ſextum menſem. *l.* 2. §. 18. *ff. de orig. jur.* retinere non poterat, potius ſummæ poteſtatis quaſi cuſtodem, & Reipub. curatorem vel adminiſtratorem dicendum, quam in ſummum imperantium numero ponendum. Sed quam graviter errent oſtendit Author, & Hiſtoriæ teſtantur. Optime inquit Author rerum moralium naturam dignoſcendam ex operationibus. Quamobrem igitur non eadem nomina tribueremus iis rebus, quarum effectuum & operationum coovenieotia ejuſdem naturæ eſſe demonſtrant, impoſſibile quippe in naturalibus eſt ut eoſdem prodant effectus res diverſæ naturæ: quippe cujuſque rei naturæ propriæ ſunt ſuæ qualitates peculiares ſuos effectus & operationes habentes: diverſarum itaque rerum idem effectus certiſſimum documentum eſt ejuſdem eſſe naturæ, & idcirco eodem nuncupandæ nomine. Sic etiam in moralibus impoſſibile eſt diverſas facultates eoſdem effectus producere, niſi ſint ejuſdem generis ejuſdemque naturæ, a contrario itaque veriſſimum facultates quæ eoſdem effectus habent, ejuſdem quoque eſſe naturæ. Atqui dictator intra ſuum tempus exercet omnia ſummi imperii jura, eodem jure, quo rex qui eſt optimo jure, cujus actus ab alio reddi irriti non poſſunt. Ergo ſequitur dictatorem ſummum habuiſſe imperium, id eſt eandem habuiſſe facultatem exercendi imperii, quam reges, atque principes, nullum ſuperiorem agnoſcentes, habuerint, idque judicamus ex iiſdem exercitii effectibus. Duratio non mutat imperii naturam, ſed modum tantum temporis, quo durabit imperii exercitium & adminiſtratio civilis. Eſt hoc tantum accidens, quod tollere nequit eſſentiam & naturam rei: *Facile largimur*, inquit Hornius; *ſublato interregno, vel dictatura depoſita, majeſtatem interregi, & pridem dictatori nullam conſtare. Idem judicamus de Græcorum Æſymnetis, & ſi qui alii occurrunt ejuſmodi imperantes, quos ſumma potentia & authoritate præditos, temporis præfinitum ſpatium ad privata ſortis conditionem reducebat. Depoſito nimirum imperio, nihil reſtabat nuper regnantibus. Hos tamen, durante regimine, adminiſtraſſe ſaltem majeſtatem, ſuo quemque modo, non ut propriam poſſediſſe, cum ipſius regni eſſet, minime concedam.* Et paulo poſt. *Sane tempus extrinſecum accidens, intimam conſtitutionem poteſtatis non penetrat. Non minus homo eſt qui horam vixit, quam qui ſeculum implevit: Operationibus quoque nolim credere: quod ſciam, ſæpe diſſimilia principia cognatas actiones producere. Ipſa rei natura a priori ſcrutanda eſt, & quærenda eſſentia: quæ cum in majeſtate ſit ſummitas poteſtatis, & hanc inveniam in dictatore, majeſtatem palam agnoſco. In hoc enim latet indoles imperii ſummi, ne actus civiles alterius ſubſint*

imperio, quo damnari & irriti poſſint fieri. Eandem vero ſummitatem habuiſſe dictatorem, quam nullum ſuperiorem agnoſcentibus, quorum actus irritia nemine reddi poſſunt, tribuimus, ex Romanis conſtat monumentis. Illuſtre exempium occurrit apud Livium *lib.* 8. *cap.* 33. ubi legimus L. Papyrium Curſorem Dictatotem, Fabium Rutilium magiſtrum Equitum, quod adverſus edictum ejus, quamvis proſpere pugnaverat, juſſiſſe ſpoliari, ac virgas & ſecures expediri, nec contentione aut præcibus militum conceſſiſſe animadverſionem, verum cum profugientem Romam perſecutum. Nihil majeſtas & authoritas Senatus movit iratum Papyrii animum; fruſtra Tribunorum plebis implorat auxilium, fruſtra provocat ad populum. Vicit imperii majeſtas quæ penes dictatorem reſidebat. Donec populo Romano ad preces & obteſtationem verſo, & tribunis quoque orare dictatorem inſiſtentibus, *ut veniam errori humano, veniam adoleſcentia Q. Fabii daret*, & ipſe adoleſcenti & Patri M. Fabio ad genua procumbenti, iram deprecandi cauſa, dictator ſummo ſuo jure uti nolens, Q. Fabium donaverit. His additis verbis, *Bene habet Quirites, vicit diſciplina militaris, vicit imperii majeſtas: qua in diſcrimine fuerunt, an ulla poſt hanc diem eſſent. Non noxa eximitur Q. Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnavit. Sed noxa damnatus, donatur populo Romano: donatur tribunitia poteſtati, precarium non juſtum auxilium ferenti.* Hujus imperii magnitudinem quoque prædicat idem *lib.* 2. *cap.* 18. cum inquit. *Creato dictatore primum Roma, poſteaquam praferri ſecures caperunt, magnus plebem metus inceſſit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum, neque enim ut in conſulibus, qui pari poteſtate eſſent alterius auxilium, neque provocatio erat: nec ullum uſquam, niſi in cura parendi auxilium.* Imo *dictator* dictus vult Dionyſ. *lib.* 5. *cap.* 247. a poteſtate imperandi & edicendi quid libet, tum aliis æqua & juſta, quæ pro ſuo arbitrio uſui judicabat præſcribendi. *Dictum* enim apud veteres Latinos ſummum imperium ac ſupremam poteſtatem ſignificat, Virgil. 6. *Æneid.*

Hic ego namque tuas ſortes, arcanaque fata
Dicta mea genti ponam.

Unde Pompooius §. 18. *ff. de orig. jur. Hunc magiſtratum, quorum ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere.* Documeotum quoque ſummi imperii regiæque in ipſum tranſlatæ poteſtatis eſt, quod ab eo provocari non licuerit, tum etiam arbitrium belli paciſque quod penes eum reſidebat, atque etiam quod omnes pro eo tempore ceſſabant magiſtratus, ita ut nullum cuique refugium vel auxilium niſi in obedientia & obſequio, utpote cujus edictum ſemper pro numine obſervatum. Liv. *lib.* 4. *cap.* 34. Ita enim Dionyſ. Halicar. *lib.* 5. *decrevit Senatus, conſulari poteſtate in praſens ſublata, alium magiſtratum creare belli paciſque, & omnium rerum potentem*; & infra, *Caſus dicto collega dictatore, ilico magiſtratu ſe abdicavit.* Et iterum, *ſape civitas legitimis magiſtratibus diſſolutis, omnia unius poteſtati permittere neceſſe habuit.* Dictatore itaque creato Reſpub. omniaque negotia, quæ ad ejus adminiſtratiooem pertinebant, pendebant ex ejus nutu & arbitrio, penes eum omnis juriſdictio, omoeque imperium cum civile tum etiam militare erat. Imo & legibus eum ſolutum fuiſſe ſupra annotavimus. Quamobrem dictaturam vocat Dionyſ. *lib.* 5. tyrannidem voluntariam & magiſtratum, qui parem tyrannicæ poteſtatem habeat, quæ legibus omnibus ſuperior eſt, a quo conſiliorum factorumve rationem repoſcere non liceat. Si itaque majeſtas ſit ſumma in cives ac ſubditos legibuſque ſoluta poteſtas, definiente *Bodino*, quis ex tot ſummæ majeſtatis indiciis non perſpicit eam habuiſſe dictatorem, quamvis ipſe & qui eum ſequuntur negant dictatorem, vel quemvis alium magiſtratum, nec Harmoſteo Lacedemoniorum, nec Eſymnetum Theſſalorum, nec Archontem Melitenſium, quibus non perpetua poteſtas conſenſu principis populique tributa, jura majeſtatis habere, ut annotavimus initio hujus diſputationis. Imo & ab eo provocari potuiſſe cootra adducta jam a nobis ſcriptorum teſtimonia ſtauere non erubeſcit. Ipſe enim *Dionyſ.* Dictaturæ origioem a Græcis derivandam putat, unde ab iis Romanos hanc adminiſtrationis ſpeciem mutuaſſe ſcribit. *Nam* (inquit) *qui αἰσυμνῆται apud priſcos Gracos vocabantur, tyranni quidam erant electi. Eligebantur autem a civitatibus pro ratione temporum; non infinitum, continuum, ſed certum præfuturi temporis ſpatium, quando & quantiſper poſtularet Reipub. utilitas.* Tyrannum vero in bonam partem de imperante & rege dici pervulgatum eſt, peculiariter de unius antea libere imperio. Cornel. Nep. *Miltiad. cap.* 8. Ariſtoteles quoque Æſymnetarum poteſtatem, quæ Romanorum dictaturæ reſpondet, inter tyrannides, id eſt abſolutiſſima imperia vel regna refert Polit. 3. *cap.* 14. de hac monarchia ſermonem habens ita inquit. *Eſt autem hoc monarchia genus plane tyrannis optiva, ſeu ſuffragio & conſenſu populi delata: qua a Barbarica tyrannide* (id eſt Barbarorum nullis limitibus circumſcripto regno) *differt, non eo, quod non ſit legi conſentanea: ſed eo tantum, quod non ſit avita, neque patria. Hoc autem imperium obtinebant alii per omnem vitam, alii uſque ad præfinita tempora, & ad certas res gerendas.* Concludit: *Ha igitur monarchia ſunt & erant, propterea quia ſunt tyrannica, heriles, & dominorum propria: ſed quia ſunt optiva, populique ſuffragio deferuntur, & quia in voluntarios uſurpantur, regales.* Quid itaque de dictatoris majeſtate & imperii habendi modo ad ſimilitudinem hujus magiſtratus inſtituti, atque delati dicendum, non ulterius inquirendum. Quod vero provocationem attinet, & eam quoque, dictatore creato, ſublatam fuiſſe, ex locis ſtatim adductis patet. Itaque facile perſpicimus quam graviter erret Bodinus contrariæ opinioni favens. Omnia igitur gerebantur a dictatore jure magiſtratus, id eſt vi imperii in eum tranſlati, quemadmodum Rex vel princeps omnia quæ agit eodem agit jure, neminem agnoſcens ſuperiorem, eoque majeſtatem habens; nam ipſe Bodious tum majeſtatem

habere

habere dicit, qui poſt Deum immortalem ſe ipſo majorem videt neminem. Hinc Alexand. ab Alex. *dier. genial. lib. 4. c. 23. aut in eo jus majeſtatis & totius imperii fuiſſe, cujus ductu, & auſpicio ſæpe reſpublica & imperium ſtetit, quem magiſtratum ex Albanis deductum autumant, plerique a Græcis, quos illi αἰσυμνήτας, aut a Lacedemoniis, quos ἁρμοστάς, Theſſali archos dixere, qui parem regiæ dignitati poteſtatem habent.* Verum idem dicendum non puto de his, qui vel ob infantiam, vel furorem, vel abſentiam regis creari ſolent curatores, majeſtas enim inhæret, ut ita dicam, inſeparabili modo perſonæ infantis regii, tanquam proximo per ſanguinis vinculum ſucceſſori. Quemadmodum itaque ſanguinis jura de alio in alium transferri, nec ulla humana diſpoſitione de jure tolli poſſunt; ita nec effici poteſt ut majeſtas ſecundum leges imperii delata ad infantes tanquam legitimos & jure ſanguinis proximos ſucceſſores, facto humano in alium transfertur, ſine conſenſu ejus, ad quem illa jure devolutionis & ſucceſſionis pertinet. Verior itaque eorum opinio, qui ſentiunt ejuſmodi curatores imperium exercere non ſuo ſed alieno nomine; adeoque non magis monarchæ poſſunt vocari, quam tutor dominus bonorum pupilli, Puſend. *lib. 7. cap. 5.* Audiamus Bodinum *lib. 1. cap. 8. de Rep.* cui hoc in caſu adſtipulamur, propter rationes jam allegatas. *Idem*, inquit, *dicendum de iis quos Franci Regentes regni appellant, qui vel ob infantiam, vel furorem, vel abſentiam regis creari ſolent, ſive eorum nomine, manu, ac ſigillo, edicta, reſcripta juſſa denique omnia ſanciantur, ſive regia ſigilla nomenque regium legibus ac mandatis proponantur. Nihil enim aut parum admodum inter utrumque intereſt; cum quæ a procuratore gerantur, probante domino, ab ipſo domino geri videantur. At rectores illi regis procuratores ſunt. Sic enim Theobaldus Bloſenſium comes, is qui bonus uſurpatur, ſe ipſum regni procuratorem vocabat. Quare cum quid procuratorio nomine imperatur, extra regis aut domini appellationem; non procuratoris aut curatoris Reipub. ſed regis ipſius eſt mandatum* Legimus apud Marcellinum *lib. 26.* Macedones olim ſub auſpiciis Regis adhuc infantis geſſiſſe bellum prælium que commiſiſſe, quod idem teſtatur Juſtinus, argumentum ſummæ majeſtatis Regis perſonæ inherentis. Eodem exemplo Franci aliquando contra Childebertum acriter certamen inivere, auſpiciis Clotharii Regis infantis & ſubrumi, cum viderent eum in cunis & a matris Fredegundis tuberibus pendentem agmen præcedentem. Amoinus *de geſtis Francorum. Meſeray. Hiſt. de France.*

3. Aliud cenſendum de his qui jus acceperunt quovis tempore re- *Procopius*
vocabile, id eſt precarium, quale olim Vandalorum regnum fuit in *Vand. 1.*
Africa, & Gothorum in Hiſpania, cum ipſos deponerent populi *Aimoi.*
quoties diſplicerent. Horum enim ſinguli actus irriti poſſunt reddi *11. c. 20.*
ab his qui poteſtatem revocabiliter dederunt; ac proinde non idem *l. IV. c. 35.*
eſt effectus, nec jus idem.

COMMENTARIUS.

QUi imperium precarium, id eſt revocabile pro arbitrio & lubitu transferentis poſſidet, ſuperior vocari nequit, nec ſumma penes eum majeſtas, ſed miniſtri eorum, a quibus utendum cepit imperium, quamdiu danti placebit, arg. *l. 6. §. 2. ff. de precario.* Sic Vandali & Gothi homines ad libertatem nati, ſumma rerum ſibi reſervata imperium ſuo nomine tractandum in aliquem conferebant revocabile pro lubutri, ita ut quoties judicabant principem male ſuo officio fungi vel e Repub. non futurum, ut adminiſtratio diutius penes eum maneret in ejus locum alium ſurrogandi poteſtatem populus habebat, argumentum populum rege tali nomine tenus, quem ſingulis fere momentis poterat deponere, ſuperiorem fuiſſe, ejuſque actus pependiſſe a voluntate & arbitrio alieno, ita ut continuatio imperii ſit quaſi tacita quædam approbatio eorum, quæ agit imperans precario, utpote quæ eum deponendo ſtatim irrita reddi poſſunt.

XII. 1. Quod autem dixi, quædam imperia eſſe in pleno jure *Hotom.*
proprietatis, id eſt in patrimonio imperantis, quidam viri eruditi *com. ill.*
hoc argumento oppugnant, quod liberi homines in commercio non *q. 1.*
ſint. At ſicut alia eſt poteſtas dominica, alia regia; ita & alia eſt li- *Diog.*
bertas perſonalis, alia civilis, alia ſingulorum, alia univerſorum. *Laërt.*
Nam & Stoici quandam ſervitutem conſtare dicebant ὑποτάξει, in ſub- *1 Samuel. XXII, 28.*
jectione: & in ſacris literis ſubjecti regis ſervi vocantur. Sicut ergo *II Samuel.*
libertas perſonalis dominum excludit, ita libertas civilis regnum at- *x. 2.*
1 Reg.

IX. 22. que aliam quamvis proprie dictam ditionem. Sic Livius iſta opponit:
Liv. lib. I. *Lib.* 2. *Regem vocabant, libertatis dulcedine nondum experta.* Idem; *Indignum vide-*
Lib. XLV. *batur, populum Romanum ſervientem cum ſub regibus eſſet nullo bello ac ab hoſtibus*
Lib. III. *nullis obſeſſum eſſe, liberum eundum populum ab Hetruſcis obſideri.* Et alibi:
de legi-bus. *Non in regno populum Romanum, ſed in libertate eſſe.* Rurſum alio loco op-
Ann. I. ponit gentes quæ in libertate eſſent iis quæ ſub regibus viverent.
de moribusGerm. Cicero dixerat: *Aut exigendi reges non fuerant, aut plebi re non verbis danda libertas.* Poſt hos Tacitus: *Urbem Romam ab initio reges habuere: libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit.* Et alibi: *Acrior Arſacis regno Germanorum libertas.* Arrianus Indicis: βασιλεῦσι ϗ τῇσι πόλεσιν ὅσαι αὐτόνομοι. *Regibus & civitatibus liberis.* Cecina apud Senecam: *Regalia fulmina ſunt quorum vi tangi-*
Lib. XII. *tur vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca: quorum ſignificatio regnum civitati minatur.* Sic Cilicum illi qui regibus non parebant Eleutherocilices nuncupati. De Amiſo Strabo, modo liberam fuiſſe, modo ſub regibus. Et paſſim in legibus Romanis de bello, & de judiciis recuperatoriis, externi diſtinguuntur in reges & populos liberos. Hic ergo non de hominum ſingulorum ſed de populi libertate quæritur.
Liv. lib. XXXV, II. Quin & ſicut ob privatam, ita ob hanc publicam ſubjectionem, ali-
Idem *l.* V. qui dicuntur eſſe non ſui juris, non ſuæ poteſtatis. Hinc illa: *Quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt:* Et, *Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate?*

COMMENTARIUS.

QUo ſenſu imperia in patrimonio imperantis eſſe dicuntur annotavimus ad præcedentem §. Et idem nobiſcum videtur ſentire Celeber, Puſend. Cum inquit, *nihilominus cum ambitio deinceps regnantium inter præcipua bona imperium in homines ducere cœpiſſet, opibuſque ſubjectorum mulcendis cupidinibus multi abuti inſtituiſſent; iſta quoque regna in patrimonio numerata ſunt, circa quæ pro lubitu alienanda imperantes diſponendi facultatem acceperant, quod in hoc ſumma dominii vis poſita intelligeretur. Reliqui autem reges, quibus tanta in regnum ſuum facultas non conceſſa, idem velut perſonalem aliquam poſſeſſionem & jure quaſi uſufructuario obtinere dici ſueverunt. Cujus diſcriminis origo ex diverſis potiſſimum regna acquirendi modis videtur proveniſſe. Quanquam enim ad legitimam quorumvis regum conſtitutionem ſubjectorum conſenſus requiratur: diverſi tamen plane modi ſunt, quibus ille conſenſus elicitur. Sic ut alicubi Rex ſubjectis imputet, quod ipſos imperio ſuo complecti velit; alicubi ſubditis Rex magnum debet beneficium, quod ab ipſis regno fuerit admotus. Sic qui juſtam contra ſe bellandi cauſam præbuerint ubi victi ſunt, jure belli vitam aut libertatem perſonalem, & omnia bona potuerunt amittere. Hiſce ſane quæcunque conditio relinquatur, pro beneficio victoris habenda eſt. Cui licet victis libertatem perſonalem & dominium privatum relinquat; ſaltem tamen imperium in ipſos pleno jure & irrevocabili modo ſibi ſuiſque vindicat. Effectus autem, ex iſtoc modo habendi imperium reſultantes, in eo potiſſimum cernitur, quod ibi non ſolum conditio civium arbitrio regum ſit conſtituta; ſed & quod jus ſuum in tale regnum Rex pro lubitu in quemcunque poſſet transſcribere, adeoque & modum ſuccedendi pro ſuo arbitrio conſtituere.* Ad argumentum quo hanc partitionem oppugnant viri eruditi, quod liberi homines non ſint in commercio, non recte mihi ab Authore videtur reſponderi. Propterea quod illa libertatis diſtinctio in perſonalem & civilem, quamvis per ſe bona ſit & etiam neceſſaria ad diſſolvendum hunc nodum, non tamen ſatis commode explicatur, nec applicatur ab Authore, dum hanc regno opponit, quemadmodum illam dominio. Nam & ſub juſto regno civilem quoque libertatem obtinere nec non minorem, quam in aliis Rerumpub. formis neminem fugere poteſt, qui diligenter imperii monarchici naturam examinat, atque confere cum iis quæ ſupra de diverſis Rerumpub. formis diſputavimus. Sin autem non minor libertas civilis in regno, ergo nec major licentia regibus alienandi imperium, quod in cives, & ſubjectos ſuos habent, quam in alia Reipub. forma competit iis ad quos ejus adminiſtratio pertinet. Perſonalem libertatem ubique eandem eſſe poſſe ipſe Author ſtatuit. Sed reſpectu ſubjectionis minoris vel majoris, illi ſervi, hi liberi videntur, & conſequenter ma-

gis

gis alienabiles, non quoad perſonale dominium, ſed publicam in ſe tanquam civitatis & Reipub. membrum regendi poteſtatem. Nam eadem ubique ſubjectio, obligans cives facere, & exequi quicquid ſummi imperantes jubent & ſtatuunt. vide quæ de cauſis conſtituti ſummi imperii & ſubmiſſionis diſſeruimus ſuo loco. Quippe ſi generalis illa oppoſitio regni, & libertatis locum vindicaret, ſequeretur omnes regio imperio ſubjectos, eſſe ſervos, & conſequenter omne regium imperium alienabile, quod neutiquam admittendum cenſeo, nam imperium quod quis jure uſufructario poſſidet, alienari non poſſe ſtatuimus arg. §. 3. *inſt. de uſufr.* ubi inquit Imperator *cedendo extraneo uſufructum nihil agi.* Exempla quæ adfert Author non probant libertatem regno opponi, quaſi magis ſervilis ſit conditio civium unius imperio quam plurium parentium, verum libertas ponitur pro forma regiminis quam Democratiam vocamus, quando plures Reipub. gubernacula moderantur, & hac ratione quo plures ſummum imperium participant ex populo, quo majori libertate frui videntur, & eo ſenſu opponitur Monarchiæ. *Ne ſic Rempub. patreſque conſcriptos populumque Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut ſervos tuos relinquas,* monet ſucceſſorem ſuum Tacitus Imperator apud *Flavium Vopiſcum.* Et apud Tacitum. *Nec dominationem & ſervos, ſed rectorem & cives cogitet.* Argumento itaque ſtatim adducto hoc modo reſpondendum arbitramur, ſcil. hominem dupliciter conſiderandum, vel ſecundum conditionem naturalem vel adventitiam, id eſt civilem, viventem in ſocietate civili: ratione illius eſt animal rationale, liberum, cui competit facultas vivendi & faciendi quod velit, ut & libera diſpoſitio circa ea quæ poſſidet ſibique acquiſivit, vel propria induſtria, vel alia quacunque ratione ad eum pervenerint; intuitu hujus conditionis eſt animal politicum, id eſt civile alieno imperio ſubjectum, habens quidem illam naturalem libertatem, ſed ejus uſus circumſcriptus legibus a ſumma poteſtate latis, quæ ipſi agendorum & vitæ tranſigendæ norma eſſe debent; tantum itaque de ea detractum quantum requirit ſocietatis ſalus & Reipub. commodum. Civilis itaque conditio non obſtat naturali libertati, neque eam tollit, ita ut jam imperio quis ſubjectus fieret ſervus, ſed tantum uſum libertatis ita ordinat, ut utraque conditio ſibi invicem inſervire poſſint. Quippe obſervandum hominis actiones quatenus natura liber eſt nullam habere relationem, quam ad ſe ipſum, ideoque tantum inſervire proprio commodo, itaque pro ſuo arbitrio & voluntate quibuſvis mediis ad illud acquirendum poteſt dirigere & moderari, verum quatenus eſt membrum ſocietatis civilis, etiam relationem habent cum bono publico, & eatenus ſummo imperanti incumbit eas dirigendi facultas, quolibet modo, quoniam cum ipſo imperio ipſi arbitrium conceſſum, ea adhibendi media, quibus potiſſimum publicam ſalutem conſervari, & publicam utilitatem promoveri poſſe putat. Cum vero ejuſmodi actionum moderatio ad unum eundemque finem directio haberi nequit, niſi ſubjectione & ſubmiſſione eorum, qui in civilem ſocietatem coire volunt, hinc homo, quatenus eſt membrum civitatis, ſubjicitur voluntati ſummi imperantis, non tanquam ſervus, qui omni pene libertate carens, quaſi proprium Domini patrimonium habetur, ſed tanquam homo liber, libertatem a natura in ſe, & res ſuas conceſſam, retinens, quatenus non nocet ſummo imperio. Jam vero notandum ſummum imperium aliud magis abſolutum, aliud ſuis circumſcriptum limitibus; quo magis abſolutum, eo magis limitatur naturalis libertas, & idcirco magis quoque ſubjecti ſunt cives, & propius accedere videntur ad ſervitutis oaturam. Quare latius patet imperium quod mihi jure belli, quam quod conſenſu civium acquiſivi, neutrum tamen mihi adimit facultatem illam naturalem, cujus ratione dicimur naſci liberi, ideoque non eſſe ſervi natura. Illud tamen mihi imponit neceſſitatem qua teneor pati alium dominum, id eſt alterius imperium agnoſcere, quam ejus qui me in ſuam redegit poteſtatem, non in corpus aut perſonam, ſi juſtum exercere velit imperium, ſed civium actiones, quatenus eas dirigendi habet facultatem ad bonum commune procurandum, & tuendam communem ſecuritatem, habet itaque imperium in applicationem actuum, quatenus relationem habent cum publica adminiſtratione Reipub., non vi regii imperii, ſed quia eo acquiſitum modo, qui liberrimam diſponendi de ſummo imperio facultatem tribuit; quod enim propria induſtria mihi acquiſivi, etiam proprio arbitrio de eo diſponere poſſum, vel donatione, vel ceſſione, vel venditione, vel teſtamento, vel alio quocunque alienandi modo, quia nulla lege aut aliquo contractu facultas naturalis circumſcribitur. Quando vero aliquis eligitur cui ſummum defertur imperium, habetur ratio perſonæ & tacitum intercedit pactum, ut ille ſive etiam ejus ſucceſſores imperium teneant ob peculiares aliquas rationes, quæ movere potuerunt populum, ut in eum tranſtulerint imperium illudque continuari in ejus deſcendentes voluerint, quæ ratio ad alios extendi neque ob conſequentias poteſt applicari, & proinde ſine conſenſu transferentis, qui eſt populus, non poteſt cedere extraneo imperium princeps, quod enim meum eſt ſine facto meo ad alium transferri nequit. Atqui jus transferendi imperii penes populum tanquam proprietarium eſt, ergo ſequitur ſummum imperantem imperium conſenſu ſibi acquiſitum invito populo ad alium transferre non poſſe.

2. Proprie tamen cum populus alienatur non ipſi homines alienantur, ſed jus perpetuum eos regendi, qua populus ſunt. Si cum uni liberorum patroni libertus aſſignatur, non hominis liberi fit alienatio, ſed jus quod in hominem competit tranſcribitur.

COMMENTARIUS.

DIximus aliquem etiam ſub unius quemadmodum plurium imperio civiliter liberum eſſe, & conſequenter generaliter dici non poſſe, cives quaſi ſub regio imperio ſervi eſſent, in commercio eſſe & idcirco alienari poſſe, neque etiam omne regium imperium in cives, poſito quod imperium transferendo in alterum, populus qnidem tanquam ſubjectum, circa quod imperium verſatur, non vero ipſi homines ſed jus eos regendi, qua populus eſt alienatur, niſi eo modo acquiſitum qui jus alienandi tribuit. Quod fieri poſſe probatione non indiget, ſed rerum teſtatur uſus. Verum nihil intereſſe putat *Feiden* an aliqua facultas heriliter imperandi in aliquem, ſeu alienatur ipſe, qui in noſtra poteſtate dominica eſt. Reſpondeo populum ita de jure nunquam alienari poſſe, ut ipſi quoque adimatur in totum illa facultas naturalis, ſive privata de bonis propriis diſponendi, neque ſibi habendi & acquirendi propria bona a communibus Reipub. facultatibus diſtincta, non illud cujuſque civis domeſticum cum publico imperio defertur, quippe hoc ſeparatum eſt a Reipub. adminiſtratione publica ſpectante negotia, & univerſi populi regendi ordinem, ſubordinatum tamen ei quatenus cum publico regimine habet relationem. Sic hodie videmus alienari poſſe apud nos juriſdictionem in populum, non vendito tamen poplo, neque ſingulorum eo dominia & bona deque iis diſponendi facultas, & domeſticum imperium, transfertur. Alienandi imperii facultas non afficit perſonas nec earum bona, ſed modum quo acquiſitum eſt liberiorem tantum eo utendi, & de illo diſponendi tribuit facultatem. Quod de libertorum aſſignatione hic adfert Author ut probet, quomodo jus in hominem tranſcribi poſſit, ſine alienatione ipſius perſonæ, non magni ponderis eſſe cum *Feldene* ſentio, quia non imperii alienandi facultatem ejuſmodi aſſignatio probat, quoniam, non loquitur titulus *inſt. de aſſig. libert.* de alienatione juris in liberto pro præſtandis operibus, quod alienari nequit, ideoque ad noſtram quæſtionem, quæ de jure aut imperio in homines liberos alienando agit applicari nequit, ſed aſſignationem uni ex liberis, ad quos ea jura ex æquo pertinent ipſo jure, niſi uni ex liberis libertum aſſignaverit patronus, *hoc eſt teſtificatus ſit, cujus ex liberis libertum eſſe voluit. l. 107. ff. de verb. ſig.* Alii putant, cum jus patronatus in duobus conſiſtat præcipue, in operibus, ſcil. & bonis libertorum, aſſignationem eam tantum in bonis, non vero in operibus factam fuiſſe, & conſequenter non tam jus in hominem tranſcribi, ut hic vult Grotius, quam jus in bona liberti. Et ſic etiam reſtringendam eſſe *l. 107.* ſtatim a nobis allegatam. Zeigl. *ad h. l.* Putat verum rationem non video cur non diceremus aſſignationem illam tam in operibus quam bonis libertorum habere locum, in quam opinionem adductus idem ſentire videtur ſummus Jctus *Jean. Voet* Antecesſor Lugduno Bat. *Compend. jur. juxta ſeriem. Pandect. ad tit. ff. de aſſign. libert.* Ubi inquit, *jus Patronatus ad hæredes liberos patroni tranſit æqualiter. Poteſt tamen pater uni ex liberis in poteſtate retentis aſſignare libertum teſtamento vel codicillis, l. 1. §. 3. h. t. Cui tunc ſoli jus patronatus competit, reſpectu operarum & ſucceſſionis.*

3. Neque illud magis firmum eſt, quod ajunt; ſi quos populos rex bello quæſierit, cum eos non ſine civium ſanguine ac ſudore quæſierit, civibus quæſitos potius credi debere quam regi. Nam & fieri potuit, ut rex ex ſua privata ſubſtantia exercitum aluerit, aut etiam ex fructibus ejus patrimonii quod principatum ſequitur. Nam ut in ipſum illud patrimonium rex aliquis non niſi uſumfructum habeat, perinde ut in ipſum jus imperandi populo qui ſe elegit, fructus tamen ipſius ſunt proprii. Sicut in jure civili eſt proditum, hæreditatis quæ reſtitui juſſa eſt fructus non reſtitui, quia non hæreditati accepti feruntur, ſed rei. Evenire ergo poteſt ut rex in quoſdam populos imperium habeat proprio jure; ita ut alienare etiam poſſit. Strabo Cythera inſulam Tænaro objacentem fuiſſe ait Euryclis Lacædemoniorum principis ἐν μέρει κτήσεως ἰδίας, *privato ipſius jure.* Si rex Solomo regi Phœnicum Hiromo (ita enim eum Græce vocat Philo Byblius qui Sanchuniatonis hiſtorian vertit) dedit urbes viginti: non ex urbibus populi Hebræi: nam Cabul (quod nomen illis urbibus datum eſt) ponitur extra fines Hebræorum, Joſ. XIX, 27. ſed ex iis urbibus quas

L. in fideicommiſſaria §. plane. D. ad S. C. Trebellianum.

Liv. VIII. 1 *Reg.* XI.

quas populi devicti hoſtes Hebræorum ad eum diem retinuerant, 1 *Reg.*
quaſque partim Rex Ægypti Solomonis ſocer vicerat, & Solomoni IX. 6.
dotales dederat, partim ſubgerat ipſe Solomo. Nam eo tempore ab *Ibid.* 12.
Iſraëlitis non habitatas argumento eſt, quod poſtquam Hiromus eas 1 *Paral.*
reddidit, tum demum Solomo eo deduxit Hebræorum colonias. VIII, 14.

COMMENTARIUS.

QUæſtio hic movetur ſi quos populos Rex bello quæſiverit; Regi an civibus quæſiti videri debeant. Quippe cum cives onera belli ſuſtinere debeant, ideoque impenſis ac labore, imo ſanguine eorum geratur, dictare videtur æquitas, ut etiam eorum cedat patrimonio & dominio, quorum opera & impenſis aliquid quæritur. Cui etiam accedit quod non ſuo nomine tanquam privato, ſed communi nomine civitatis, quam repreſentat Rex vel Princeps bellum ſuſcipitur & geritur, quamobrem quod communi nomine & communibus viribus, impenſis ac operibus acquiritur, in commune videtur conferendum. Hinc olim Tarquinium Collatini oratores miſſos ut omnem populum Collatinum in poteſtatem Romanorum dederent interrogaſſe apud Livium legimus, *deditiſne populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia, in meam populique Romani ditionem.* Argumentum non ſibi ſed etiam populo belli jure acquiſitum populum, & quaſi in communem ditionem redactum. Et videtur Author idem quoque ſentire, cum ponit caſum, quo Rex ejuſmodi fructibus quos ex privata ſubſtantia, vel etiam ex patrimonii quod ſequitur principatum (quod quamvis jure domini ad ejus non pertinet fructus tamen ſibi facit proprios) percipit, bellum gerit. Quemadmodum enim quiſque civis ſibi dominium acquirit earum rerum quas ſua induſtria, vel opera, vel ſua pecunia comparavit; ita etiam ſummo imperanti idem competit jus eodem modo ſibi dominium, & proprietatem acquirendi. Eadem enim dominii acquirendi ratio, ergo at idem jus obtinent æquitas poſtulat. Quid ſi Craſſus aliquis, cui tantæ erant facultates, ut ſuis fructibus exercitum alere poſſet, Reipub. Romanæ ab hoſtibus oppreſſæ defenſionem ſuis ſumptibus, & impenſis ſuſcepiſſet, qui jure potuiſſet populus eo bello acquiſita ſibi vendicare, qui nec ſumptus nec aliquas impenſas, nec operas niſi elocatas præſtitit. Iniquum autem eſſet ſummi imperantis, circa acquirendum legitimis modis dominium, & proprietatem rerum corporalium, vel incorporalium deteriorem facere conditionem velle, quam eſt privati alicujus civis. Poſſet dici id privatum habet jure ſuo. Summum vero imperantem quemadmodum imperium habet a populo, ita quoque & jus belli gerendi, & conſequenter ſi hoc titulo aliquid acquirit, ejus proprietatem ac dominium non ſibi, ſed populo acquiſitum videri debet, nam ut gerere bellum nequeat, niſi vi ſummi imperii quo ornatus eſt conſenſu populi, ita ſibi alio titulo nequit etiam acquirere imperium in populum bello ſubactum, atqui ſuum imperium eſt imperium populi, ſed in eum tantum quoad exercitium tranſlatum, ergo etiam imperium in populos ſubactos non ſibi niſi populum repreſentanti acquirit, & idcirco non tanquam privatum patrimonium illud abdicare, & in alium transferri poſſe videtur, niſi accedente populi conſenſu. Verum reſponderi poteſt, quemadmodum principatus ipſi impedimento eſſe nequit, quo minus ſibi habeat fructus ex patrimonio principatum ſequenti & faciat proprios, diſtinctos ab eo quod vocari poteſt. patrimonium totius populi, ita nec ſummum imperium obſtare poteſt ne jure ejuſmodi dominii & proprietatis eodem quoque effectu gaudeat, quibus gaudent privati circa acquirendum dominium, vel proprietatem privatam, communi populi dominio abſtractam, ut ita dicam vel diſtinctam: nam eo ipſo quo populus ejuſmodi diſtinctionem voluit inducere, etiam eadem jura tribuere atque concedere voluiſſe præſumendus eſt, quæ huic diſtinctioni cohærent. Ejus generis eſt dominium quod principes habent in fructus ex domaniis, ut vulgo vocantur, quæſitos, quos tamen acquirit ſibi quia princeps & ſummus imperans. Res fiſcales, quaſi privata & propria bona ſunt regis ſeu principis, ideoque a totius Reipub. patrimonio diſtinctæ. Sic Suet. ærarium & fiſcum diſtinguit. Sic pecunias ſuas ab ærario communi populi diſtinguit Dio. *lib.* 53. Cum inquit: *Etſi Auguſtus ſuos ab ærario ſeparatim haberet, tamen his quoque ſuo arbitrio utebatur.* Et Seneca 7. *de benefic. cap.* 4. *Cæſar omnia habet: fiſcus ejus privata tantum ac ſua, univerſa in imperio ejus ſunt, in patrimonio propria.* Conceſſo itaque, ut dixi, ejuſmodi privato regi dominio, tributa ei quoque facultas cenſeri debet ſibi aliarum rerum acquirendarum proprietatem diſtinctam a dominio communi cum rerum corporalium, tum etiam incorporalium, ut imperii, ideoque vi ejuſdem regiæ dignitatis, & ſummi imperii quod populus in eum contulit. Ex quibus perſpicimus aliquando evenire poſſe, ut Rex in quoſdam populos proprio jure imperium habeat. Imo non videtur mihi abs ratione ſtatui poſſe mortales in civitatem coaleſcentes, non de captando lucro, id eſt ſubigendo alias gentium fines imperii propagare, ſed tantum de damno vitando cogitaſſe, ſcil. ut hac ratione ſe ſuaſque poſſeſſiones & fortunas in ſecuritatem aſſere-

ferrent, & ab aliorum invaſione mutua ope ſe invicem immunes præſtare valerent, cujuſmodi ſecuritas cum haberi nequeat niſi ſummo conſtituto imperio, ut annotavimus ſup. unum vel plures ſocietati civili tuendæ præfecerunt, eumque ſuis valido renunciantibus proprio ſingulis imperio, muniverunt atque armarunt imperio, ad tuendam communem ſalutem ſecuritatemque, & omnia pericula a ſe depellenda. Obligare itaque ſummum imperantem videntur voluiſſe, ut ſuo imperio uteretur ad præſtandam ipſis omnem ſecuritatem, cui intentioni ſi omnibus viribus ſuis reſpondere conatur, videtur obligationi ſatisfacere, neque alium populum poſcere imperii uſum & fructum. Non tamen dicendum videtur, voluiſſe, ut eo ſubſiſteret imperium, ita ut ſummo imperanti eo non liceret, ſine damno communis ſecuritatis uti in proprium commodum, & ſibi eo acquirere aliquod emolumentum fines imperii longe lateque propagando armis juſta tamen ex cauſa, & ſine periculo ac damno ſubjectorum, ſi non eorum cauſa bellum ſuſceptum, cujuſmodi propagatio tanquam fructus, pro cura & cultura ſalutis communis ipſi conceſſa videtur. Et conſequenter de acquiſito imperio eodem modo diſponere poteſt, quemadmodum de re propria quæ in patrimonio eſt, quiſque privatus. Exemplum quod Author hic adducit de alienatione viginti urbium, non uno eodemque ſenſu accipiunt viri eruditi, nec etiam admittunt hæc omnia quæ hic ſupponit Author. Quidam non adeo aperte conſtare putant, Regem Salomonem haſce urbes abalienaſſe, earumque dominium tranſtuliſſe in Hiramum, moti hiſce rationibus. Primo quia ſacrilegium commiſiſſet eas abalienando, quoniam terra Canaan Dei peculiariter fuerit, & ab eo addictas Iſraëlitis. Nulla enim pars terræ promiſſionis alteri potuit tradi mancipio. Secundo, quia hæreditas nec ad aliam tribum, nec in perpetuum transferri poterat ob periculum confuſionis in ſortibus atque familiis. Tertio, quia non Rex Salomon, ſed Deus erat dominus illius terræ, alienari ab eo non potuit propter prohibitionem factam de non alienenda terra Hebræo populo a Deo conceſſa, atque promiſſa *Levit.* 25. 24. Ubi *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt: & vos advenæ & coloni mei eſtis.* Propter Jubilæum enim nihil in perpetuum alienari poterat, vel etiam Hebræo, quoniam eo tempore priſtinus dominus dominium recuperabat, unde ſequitur multo minus, in totum vel abſolute dominium alicujus terræ potuiſſe transferri in alienigenam a veri Dei notitia alienum, quia verendum erat, ne Iſraëlitæ in poſſeſſionem & ditionem Ethnicorum traditi, a vero Dei cultu deflecterent & deficerent ad idololatriam. Quamobrem alii opinantur hæc oppida, non data ſed commutata potius fuiſſe, adducentes 2 *Chron.* 8. 2. ubi Hiramus dicitur dediſſe Salomoni viginti oppida, ubi verbum *dandi* alii tantum valere putant quod *reddere*, ut & ipſe Author, quam interpretationem rejiciunt, permutationem factam fuiſſe aſſerentes. Exiſtimant enim alii hinc inde urbes datas, ut mutua amicitia olim contracta, magis magiſque congelaretur ejuſmodi liberalitatis & benevolentiæ teſtimoniis; vel alias fortaſſe ob rationes quæ nos fugiunt, quia de illis altum in ſacris litteris ſilentium. Hoc tamen certiſſimum vel amicitiam jam contractam, vel contrahendam, vel propriam utilitatem huic ſive permutationi, ſive donationi occaſionem præbuiſſe. Alii ſtatuunt neutram interprationem vero conſentaneam, ſed exiſtimant non conceſſiſſe Salomonem Hiramo illa oppida, quoad dominium, ſed tantum quo ad uſumfructum ad aliquod annos, ut hoc tempore tributa colligeret, donec eſſet ſatisfactum pro tot tantiſque pretioſiſſimis rebus, quas Salomon ab Hiramo acceperat, & ad ædificandum, & exornandum templum. Alii cum Authore noſtro ſentiunt dicta viginti oppida donata fuiſſe a Salomone Hiramo, ideoque revera alienata, & ne obſtaret prohibitio de hæreditate dominii non alienanda, urbes illas extra fines Hebræorum, ideoque non illius terræ quam vendere aut alienare quacunque alià ratione interdictum a Deo, portionem fuiſſe, ſitas. Quippe regionem Cabul extra terræ promiſſæ fines, ex generali terræ deſcriptione patet. *Joſ.* 19. 17. ubi contermina fuiſſe videtur Aſcheri, verum minime ad Aſcherem pertinuiſſe, ideoque extra poſſeſſionem a Deo definitam, quippe non incluſive ſed excluſive de terra Chabul eſt ſermo, deſcribuntur enim limites Regionis Aſcheri tributæ finiiſſe ad lævam, ubi incipit terra Chabul, tum etiam colligitur ex numero civitatum Aſcheris quæ enumerantur, nec non ex 2 *Par.* 8. 2. ubi Salomonem Iſraëlitarum colonias eo deduxiſſe legimus. Ergo ab Hebræis urbes in dicta terra ſitas antea non habitatas, quam poſtquam Hiramus eas reddidit. vid. & Samuel Bochart. *Geograph. ſacr.* Sed maneat ſua cuique opinio, hoc ſaltem conſtat ſacras litteras manifeſte affirmare oppida donatione alienata fuiſſe, quam alienationem quiſque pro lubitu interpretetur, ego vero eamquam ipſæ litteræ indicare videntur minus erroneam dicendam puto, & habet Author hic & in ſuis ad hunc locum notis imperii alienati tot exempla, ut alia hiſce vix addi poſſent.

Diod. l. IV. 4. Sic Hercules legitur Spartæ bello captæ imperium Tyndareo dediſſe, hac lege, ut ſi quos ipſe Hercules liberos relinqueret iis reſtitueretur. Amphipolis in dotem data Acamanti Theſei filio. ᐧ Et apud Homerum Agamemnon ſeptem urbes ſe Achilli daturum pollicetur. ° Melampodi partes regni duas dono dedit rex Anaxagoras. *Lib.* V. De Dario ſic Juſtinus: *Regnum Artaxerxi, Cyro civitates quarum præfectus erat,*

erat, teſtamento legavit. Sic Alexandri ſucceſſores in jus illud plenum ac proprietatem imperandi populis, qui ſub Perſis fuerant, pro ſua quiſque parte ſucceſſiſſe, aut etiam ipſi victoriæ jure id imperium ſibi quæſiviſſe cenſendi ſunt. Quare non eſt mirandum ſi alienandi jus ſibi arrogarunt.

5. Sic cum Attalus rex Eumenis filius populum Romanum teſtamento bonorum ſuorum hæredem feciſſet, populus Romanus ſub bonorum nomine etiam regnum complexus eſt. Florus de ea re: *Adita* *Florus* *igitur hæreditate provinciam populus Romanus, non quidem bello nec armis, ſed quod* l. II. *Epit.*
eſt æquius teſtamenti jure retinebat. Et poſtea cum Nicomedes Bithyniæ rex *Liv.* 58.
moriens populum Romanum feciſſet heredem, regnum in provinciæ formam redactum eſt. Cicero ſecunda in Rullum: *Hæreditatem crevimus, regnum Bithyniæ.* Sic Libyæ pars Cyrenaica eidem populo ab Appione rege teſtamento relicta.

6. Tacitus, Annalium XIV, agrorum meminit qui regis Appio- *Epit.*
nis quondam habiti, & populo Romano cum regno relicti. Cicero *Liv.* 43.
de lege Agraria: *Quis ignorat, regnum Ægypti teſtamento regis Alexandrini* *Ap. Mithr.*
populi Romani eſſe factum? Mithridates in oratione apud Juſtinum de *Juſtin.*
Paphlagonia loquens: *Quæ non vi, non armis, ſed adoptione teſtamenti patri* *lib.* XXXVIII.
ſuo obveniſſet. Narrat idem ab Orode Parthorum rege diu dubitatum: XLII.
quem filiorum ſuorum poſt ſe regem deſtinaret. Et Polemo Tibare- *Strabo* *lib.* XII.
norum adſitæque regionis dynaſta uxorem reliquit imperii hæredem, *Strabo*
quod & in Caria olim fecerat Mauſolus fratres habens ſuperſtites. XIII, *lib.* II. *Dan. c.* 4.

COMMENTARIUS.

HAbemus apud Livium exemplum Regni a Proca Numitori legati. Ita Pyrrhus de ſucceſſione filiorum teſtamentum condidit Pauſanias *l.* I. Proſutagus Icenorum Rex *longa opulentia Clarum Cæſarem heredem duaſque filias ſcripſit, ratus tali obſequio regnum & domum ſuam procul injuria fore.* Tacit. *lib.* 14. *annal. c.* 31. Sic Coctius Alpium, Polemo Ponti Reges populum Romanum heredem fecerunt. vid. Flor. *Epit.* Auguſtus Tiberium in ſpem ſucceſſionis adoptavit, quoniam ut in teſtamenti tabulis ſcripſerat, ſiniſtra fortuna Cajum & Lucium filios ſibi eripuerat. *Tiberius Cæſar mihi ex parte dimidia & ſextante heres eſto.* Suet. *Tib. cap.* 23. quo ipſo & ſucceſſorem ſibi Tiberium elegit. Gizericus Rex Vandalorum ſuccedere juſſit teſtamento eum, qui ſibi ſanguine proximus & natu major eſſet. Procop. *lib.* 3. *de bello Vandal.* Sic etiam Rudolphus Rex Burgundiæ regnum ſuum teſtamento voluit tradere Conrado Salico cognomine, quod is, ejecto Othone Duce belgico, Germaniæ ditioni adjecit.

XIII. 1. At in regnis quæ populi voluntate delata ſunt, concedo non eſſe præſumendum eam fuiſſe populi voluntatem, ut alienatio imperii ſui Regi permitteretur. Quare quod Crantzius ut rem novam notat in Unguino, quod is Norvegiam teſtamento reliquiſſet, non eſt quod inprobemus, ſi Germanorum mores reſpicit, apud quos regna eo jure minime habebantur. Nam quod Carolus Magnus, & Lodovicus Pius, & alii poſtea etiam apud Vandalos & Hungaros de regnis teſtati leguntur, id commendationis magis vim apud populum habebat, quam veræ alienationis. Atque id de Carolo ſpeciatim Ado memorat, voluiſſe eum teſtamentum ſuum a Francorum opti-

matibus confirmari. Simile eſt quod apud Livium legimus, Regem Macedonum Philippum cum Perſea a regno arcere & ejus loco regem facere vellet Antigonum fratris ſui filium, obiiſſe Macedoniæ urbes, ut principibus Antigonum commendaret.

COMMENTARIOꞨS.

ANnotavimus *ſup.* imperia quæ conſenſu populi delata ſunt, oon latius patere, id eſt non majorem diſponendi de eo facultatem tribuere principi, quam veroſimile eſt, ſi non expreſſæ ſunt conditiones quædam adjectæ, populum voluiſſe concedere. Atqui populus ſibi conſtituendo Regem, eum tantum ſibi elegiſſe videtur ad regendam, id eſt ad adminiſtrandam Rempub. procurando ne quid detrimenti capiat, ergo ipſi jus illud imperium in alium transferendi conceſſiſſe videri nequeunt. Quippe abdicare illud alienando, plane ejus voluntati contrarium eſt, & conſequenter non præſumi poteſt qui in aliquem imperium contulit ad exercendum perſonaliter, voluiſſe, ut illud abjiciat invito transferente, niſi expreſſe hoc ſit additum. Præterea præſumuntur cives in aliquem conferendo imperium, ejus perſonæ non minus rationem habuiſſe, quam neceſſitatis humanæ, quæ imperium aliquod civile conſtituendum exigit, multum enim intereſt in cujus ditiooem, atque tutelam ſe quis permittit, & idcirco deſpiciendi ſibi adminiſtratores, & gubernatores reſervaſſe facultatem, niſi expreſſe ei reounciarint, cujuſmodi reſervatio eripit ſummo imperanti alienandi facultatem, ita ut, quemadmodum imperium regi illud legitime, & juſte tractanti invito adimi nequit, ita nec populo invito alius Rex obtrudi poteſt. Ea itaque conditione ipſi delata ſumma poteſtas cenſeri debet, ut ipſe gubernaret Rempub. non alius, qoem populus ſortaſſe oon eligeret, ſi eo abdicante imperium, alius eſſet Reipub. admiſtrationi præficiendus, qua lege & ipſe princeps imperium accepiſſe videtur eo ipſo quo accipit, & ita tacite reciproca intercedit principi cum populo obligatio, qua populus teuetur venerari imperium, Princeps adminiſtrationem ſuſceptam, niſi conſenſu transferentis abdicare, licet quidem favori pro ſe introducto cuique renunciare, & conſequenter etiam abjicere imperium, quod hodie in ſummis ſortunæ bonis habetur, ideoque non verendum, ut quis ſua ſponte facile illud abdicet, revera tamen maximum eſt onus, a quo quis ſemel ſuſcepto interveniente ſtipulatione, vel contractu ſeſe excuſare pro lubitu nequit, niſi accedente couſenſu populi, atqui ſummæ integritatis, & virtutis argumentum quandoque eſt ejuſmodi ſpontanea imperii abdicandi inclinatio, etiam difficile populus imperantem ſolvet obligatione, multo mious ſinet alienare in alium transferendo. Quo enim hoc titulo faceret, nam cum illud non habeat a ſe ſed a populo, populum autem non conſiſtet alienandi ipſi tribuiſſe poteſtatem, ergo, non plus juris in alium transferre poteſt quam ipſe habet, nullum autem imperium habet a ſe ipſo oiſi quod populus ei detulit, ipſe exerceat, ergo jus illud in alium transferre nequit. Ejuſmodi itaque regnis, qui per conſenſum deferuntur convenit illud quod Albert. Cranzius *lib.* 2. *cap.* 4. tanquam aliquid novi & antehac inauditi annotat in Unguimo Gothorum Rege, cum ita ſcribit. *Unguimus Gothorum Rex, quem Haldanus poſt ſe regni moderatorem in Dania deſignavit, Norvegia Haſmundum impuberem filium relinquens, novum & antehac incompertum munus teſtamento datum. Equidem ædes, prædia, vineas, & his ſimilia teſtamento dari putavimus, regnum autem præſtari charta beneficio, prodigii loco habitum eſt.* Quamvis jam multa olim ſimilia extiterint exempla ubiqoe apud omnes fere gentes, & nationes, & etiam ab ipſis Germanis uſitatum ut annotatum, ita ut mirum ab Authore ut rem novam in Unguimo uotatam. Verùm cum de Daniæ & Norvegiæ gentibus ſermonem habeat Author, apud quas ante Haldani tempora non in uſu fuiſſe videtur ſumma imperia transferre ultima voluntate, peculiaribus hiſce nationibus conveuiunt, quæ ait Author, & idcirco injuſte taxatur ab Hottomanno, qui a novum & inauditum appellat quod jam diu in uſu fuerat. Addit enim: *Sed in hac regione, niſi inſignis aut virtus aut induſtria vires teſtamenti adjuviſſent, non eſt veriſimile, Daniæ proceros cum populo tam facile ceſſuros defuncti regis voluntati.* Quod autem legimus Carolum M. & deinde etiam filium ejus Ludovicum Pium ea de re teſtamentum condidiſſe, id conſenſu populi, vel qui eum referuot primorum regni factum conſtat ex Hiſtoriis. Ita eoim Eginhardus de Ludovico Pio *in vita Caroli*: *Carolus M. extremo vitæ tempore, cum jam morbo & ſeneſtute premeretur, evocatum ad ſe Ludovicum Aquitaniæ Regem, congregatis ſolenniter de totó regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius Regni & imperialis nominis heredem inſtituit.* Sic Umbertus Princeps Delphinatus, cum liberis deſtitueretur, principatum Regi Gallorum detulit, ea vero lege, ut eum ab imperio recognoſceret, & primogenito ab ipſo principatu oomen imponeret ac Delphinum perpetuo vocaret accedente conſenſu populi. Quippe cum animum induxiſſet principatum vendere Papæ, oppoſuerunt omnino ſeſe huic alienationi oobiles, atque obtinuit ut pretium de quo jam conventum, a Philippo Valeſio acciperet, cujus filio Philippo, qui primus oomen Delphini & inſignia geſſit, plena donatione regno poſtea obtulit ſalvo jure imperii, cui præjudicare non poterat, ut refert Aruiſæ. ex Hail. *lib.* 2. *&* 3. *de l'eſtat de France.*

Nec

2. Nec quod idem ille Lodovicus urbem Romam Paſchali Pontifici reddidiſſe legitur ad rem facit, cum Franci imperium in urbem Romam a populo Romano acceptum reddere eidem populo recte potuerint, cujus populi quaſi perſonam ſuſtinebat is qui primo ordinis princeps erat.

COMMENTARIUS.

ADmodum dubitant viri eruditi, an unquam hæc donatio, de qua Author hic agit, a Ludovico Pio Paſchali Pontifici fuerit facta. Multi merum figmentum eſſe putant; alii quorum in numero celeberrimus Jctus Hottomannus *Quæſt. illuſtr.* tanquam infallibilem veritatem hujus donationis hiſtoriam amplectitur, cujus extare inſtrumentum ajunt, apud Raph. Volater. *Geograph.* 3. ex Bibliotheca Vaticana prolatum ab ipſo Authore. Exhibet quoque illud Baronius & Sigonius *Hiſtor. Ital lib.* 4. quod ſeſe ita habet. *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi beato Petro Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo domino Paſchali ſummo Pontifici, ac univerſali Papæ, & ſucceſſoribus ejus in perpetuum, ſicut a prædeceſſoribus uſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ejus Montanis, & maritimis littoribus, ac portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis, viculis in Tuſciæ partibus, id eſt Portum, Centum cellas Cære, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepet, Caſtellum Galleſii, Ortam, Polimartium, &c.* Et Paulo poſt, *Inſulas Corſicam, & Sardiniam & Siciliam. Has omnes ſupradictas Provincias, urbes, civitates, & oppida atque Caſtella, viculos, & territoria, ſimulque & patrimonia jam dicta eccleſiæ tuæ beate Petre Apoſtole, & per te beatæ vicario tuo ſpirituali patri domino Paſchali ſummo Pontifici ac univerſali Papæ, ejuſque ſucceſſoribus uſque in finem ſeculi eo modo confirmamus, ut in ſuo detineant jure principatu atque ditione.* Verum ſi penes pontificem, ut ipſi ratiocinantur ſit totius mundi ſummum imperium, tanquam Chriſti Vicarium, quid opus fuit illa donatione ſive a Conſtantino, ut alii volunt, facta, & confirmata a Ludovico, ut ex ipſo videtur conſtare adducto inſtrumento. Optimo jure hujus univerſi conditorem Deum mundi Dominum appellamus, quare Imperatores Romani ſe hoc titulo inſigniunt, & conſequenter ſi Dei Vicarii Pontifices, immediate idem habent dominium ac imperium, quod nulli Deo ſolo acceptum ferri debeat, & non ſine majeſtatis ſuæ vilipendio fieri poteſt, ſi ab inferiori ſuo, & poteſtate humana, donationis titulo ſibi dominium acquireret, quaſi non omnium rerum penes ſe reſideret imperium. Cui etiam accedit, quod ſi aſſerant ut quidam faciunt ad Conſtantinum referendam dictam donationem jure factam, quid opus vel alia donatione ejuſdem rei, vel confirmatione. Quippe alteutrum ſtatuere oportet, vel eam factam fuiſſe a Conſtantino, vel non factam. Factam autem fuiſſe non a Ludovico ſed confirmatam ex ipſo diplomate perſpicimus. Sin autem facta a Conſtantino, vel valida fuit vel non. Si valida fuit, quid opus nova confirmatione, confirmari utique non potuit, quod enim ab initio non valet, tractu temporis convaleſcere nequit, & idcirco confirmatione non potuit plus juris transferre in Paſchalem Ludovicus, quam a ſucceſſoribus habuit, nam eandem poteſtatem idemque jus Conſtantino, quam Ludovico tribuendam nemineni negaturum mihi perſuadeo, quamobrem ſi jure donaverit urbem Romam Paſchali, fruſtra iterum donata a Ludovico, vel, etiam confirmata ipſa donatio quaſi non plena, & omnibus ſuis partibus eſſet abſoluta atque perfecta. Præterea nec a Conſtantino nec Ludovico ejuſmodi donationem factam fuiſſe patet ex eo. Quod cum mortuo Stephano Pontifice, in ejus locum elegiſſet Paſchalem, cujus audaciæ eo proceſſerat, ut ſe Pontificem gereret, antequam ab imperatore, cujus erat approbare electionem, confirmationem accepiſſet, Imperator eam rem ægre ferens, & offenſus Romanis quos hac ratione imperatoriæ dignitatis jura, cui ſubjecti erant violaſſe prætendebat, *fit reprimande aux Romains, & les admoneſta de ne plus retombez dans de ſemblables attentats*, uti teſtatur Mezeray. *Hiſt. de France. lib.* 10. Quippe ut idem ſcribit, Stephanus Pontifex ſtatim poſtquam electus erat ſucceſſor Leonis juſſiſſe populum, ut Imperatori Ludovico juramentum fidelitatis præſtaret. *Le Pape Leon eſtant mort le* 23. *de May, Eſtienne Diacre fut mis en ſa place par l'election du Clergé. Il ne ſeignit point de s'inſtaler dans le Pontificat, ſans attendre la confirmation de l'Empereur, il luy fit toute fois preſter le ſerment par les Romains, & aprés il le vint trouver a Reims pour lui rendre ſes devoirs.* Dicto quoque inſtrumento non habendam fidem probat vir Nobiliſſimus & Ampliſſimus Philippus Mornay, qui hic inſpiciendus, *de myſter. iniq.* 1°. *Quia in eo multa terræ & ditiones donantur, quæ longo poſt tempore in donatione Comitiſſæ Machtildis comprehenduntur.* 2°. *Quia ſi huic inſtrumento locus, multas Provincias, inſulas, ditiones, dominia, portus, oras, donaverit Ludovicus, in quibus nihil ei juris, imo quæ ex pacto cum Carolo & Ludovico facto, in Imperatorum Orientalium bonis cenſentur.* Quippe inter alia fit mentio Siciliæ, quod ad imperium Orientale pertinuit, nec unquam in Caroli, vel Ludovici poteſtatem venit.

XIV. Quod autem huc uſque monuimus, diſtinguendam eſſe ſummitatem imperii ab habendi plenitudine, adeo verum eſt ut non modo pleraque imperia ſumma non plene habeantur, ſed & multa non ſumma habeantur plene: quo fit ut marchionatus & comitatus facilius quam regna vendi & teſtamento relinqui ſoleant.

COMMENTARIUS.

ANnotavimus ſup. ſummum illud dici, cui nihil a læquatum, ſic ſumma dicitur poteſtas ſeu majeſtas cujus actus alterius arbitrio non ſubſunt, ita ut nemo ſibi poteſtate æqualis ſit, ſi autem ſummam etiam plenam oportet habere poteſtatem, ſcil. omnia ſummæ majeſtatis jura, non quidem ipſo actu exercenda, verum radicaliter in ſumma majeſtate fundata. Summum imperium non dicitur quis habere propterea, quod exercet omnia majeſtatis jura, verum quia nullum habet ſuperiorem cujus majeſtatem, & imperium venerari & agnoſcere tenetur. Summitas enim imperii ut ita dicam, cum dividi nequit ſua natura majeſtas, nec ejus jura partiri eſt ipſa illa plenitudo, quippe quemadmodum plenum dici nequeat quod non abſolutum omnibus ſuis partibus, ita nec ſummum cui aliquid æquale, illud enim æquale eſt pars deficiens, ob cujus defectum ſummum dici nequit & conſequenter nec plenum. Summa itaque poteſtas concipi nequit, ſine illa habendi plenitudine, ſed quidem ſine exercendi plena facultate. Et eo ſenſu intelligenda authoris diſtinctio, principes, duces, marchiones, comites, plenam quidem habent omnia in ſua juriſdictione exercendi ſummi imperii jura poteſtatem, verum agnoſcunt tamen Cæſarem ſuperiorem, verum cum plerumque Marchionatus & Comitatus ſunt feuda imperii, non adeo facile alienari quoque poſſunt, vel teſtamento, vel donatione, vel venditione, vel alio quocunque alienandi modo. Quippe cum ſecundum conſuetudines feudales bonorum, quæ in feudum alicui conceſſa, ut etiam regalium quæ iis inhærent alienatio fieri nequit, niſi præter conſenſum ipſius domini etiam Imperatoris, qui ea in feudum dedit, & agnatorum, qui jus radicatum in eo habent, accedat conſenſus, ſiquidem firma & perpetua erit alienatio, multum ſæpius habet difficultatis ejuſmodi alienandi conſenſum obtinere, Ideoque non pleno jure talia haberi imperia videntur. Ita enim 2. *feud. tit.* 39. & in ſpecie 3. *feud. tit.* 31. *Alienatio feudi paterni non valet etiam domini voluntate, niſi agnatis conſentientibus ad quos beneficium quandoque ſit reverſurum.* Sed obſervandum, quod licet abſque domini authoritate feudum alienari prohibeatur, tamen ſi paternum ſit proximiori agnato, alioqui proximitatis jure ſucceſſuro, concedi poterit, domino etiam ignorante, ſive hoc gratis, ſive tali cedatur conventione, ut annuum quid pendendum ſit, ratione feudi, hoc in agnatum proximiorem cedens accipiat, idque ratione conjunctionis, quæ non tam alienationis ſpeciem, quam refutationem quandam, id quod in perſonas tam conjunctas, funditur, interpretari ſuadet, ut annotavit ad *h. tit.* vir nobiliſſimus Fredric. Schenck a *Tautenberg*.

XV.. 1. Eſt & alterum hujus diſcriminis indicium in regni tutela, dum rex ætate aut morbo fungi poteſtate ſua impeditur. Nam in regnis quæ non ſunt patrimonialia, tutela eorum eſt quibus lex publica, aut ea deficiente conſenſus populi eam mandat. In regnis patrimonialibus eorum quos pater aut propinqui elegerint. Sic videmus in Epirotarum regno, quod conſenſu populi ortum fuerat, Aribæ regi pupillo publice tutores conſtitutos: & a proceribus Macedonum Alexandri Magni poſthumo. At in Aſia minore bello parta rex Eumenes Attalo filio fratrem ſuum tutorem dedit. Sic filio Hieronymo pater Hiero in Sicilia regnans quos voluit teſtamento tutores aſſignavit.

Juſt. l. XIII. Plut. de amore fra.

COMMENTARIUS.

CUm tutoris datio pendeat a patria poteſtate *l.* 120. *ff. de verb. ſig.* Quamobrem lex jus dandi tutorem filio impuberi patri tribuit, modo in poteſtate habeat. *Permiſſum* enim inquit Imperator, *parentibus, liberis impuberibus, quos in poteſtate habent tutores dare. inſt. de tutel.* §. 3. Nullam video differentiæ rationem, quare in regnis non patrimonialibus Regi non eſſet eadem

poteſtas

poteſtas filio ſuo, ad quem ordine ſucceſſionis regnum devoluturum eſt, impuberi teſtamento tutorem dandi, quam Author tribuit regi cujus in patrimonio regnum eſt. Quippe imperium diverſus habeodi modus ad Reipub. adminiſtrationem pertinens, non iminuere poteſt, vel tollere poteſtatem a lege naturali & civili Regi tanquam patri ſuorum liberorum conceſſa. Cui etiam accedit quod ea ſit potiſſima regni patrimonialis, & non patrimonialis differentia, quod illud alienari poteſt, hoc non item. Verum ex prohibitione alienationis deducere quoque prohibitionem tutorem dandi, ab omni ratione aliena planeeſt conſequentia, non idem licebit Regi quod privato? Non licent eadem omnibus Regibus qua Regibus, quippe ſic omnibus quoque alienandi imperii facultatem tribuere neceſſe haberemus. Verum qualis illatio, ſi omnibus Regibus qua Regibus non permiſſa eadem jura circa adminiſtrationem civilem, ergo nec eadem circa ea quæ domeſticam, gubernationem ſpectant, vel quæ alicui permiſſa propter ſibi inhærentem intrinſecam naturalem, & adnatam qualitatem, & adtitudinem. Et conſequenter non magis ea Regi poteſt adimi, quam cuique privato facultas alienandi bona privata, quia civitatis membrum eſt. Poſſumus etiam exempla adferre quæ oſtendunt, non ſemper obſervatum circa tutoris dationem illud regnorum diſcrimen de quo Author, Romanum enim regnum In Regum patrimonio fuiſſe oeminem affirmaturum credo. Et tamen Ancum Martium Tarquinium liberis teſtamento tutorem inſtituiſſe tradit Liv. *l.* 1. *c.* 34. oon requiſito conſenſu populi. Sic etiam mortuo Ænea, non proceres imperii Aſcanio nonduin maturo imperio tutorem dediſſe, ſed Lavinia mater, vel noverca tutelam ſuſcepit. Nullis autem ex indiciis conſtatque Æneam in patrimonio habuiſſe ſummum imperium in Trojanos & Latinos, quippe qui ſibi illud acquiſiviſſe videtur fœdere icto cum Latino duce, cum publico tum etiam domeſtico. Latinum vero Regem non Herili imperio præfuiſſe ſui genti, vel ex inde mihi conſtare poſſe videtur, quod præſentibus ſuis primoribus amicitiam, & fœdus cum Ænei ſanxiſſe ſcribit Livius. Deinde etiam quia teſtatur amiſſo Latino duce in certamine adverſus Turnum Regem Rutilorum, non grave ſed placidum admodum imperium ſibi in Latinos aſſumpſiſſe Æneam, ſcil. ne eorum a ſe animos alienaret, argumentum quod non herili ſed patrio ſueti erant imperio. Sine vero Regem filio impuberi teſtamento tutorem dediſſe non conſtat, jus illud ad ſanguine Regi impuberi proximos, vel & hiſce deficientibus ad populum ſpectare concedo. Niſi aliter leges Regni fundamentales circa hanc rem diſponant. Regi autem furioſo potius curatores adduntur cum vicaria adminiſtrandi poteſtate, vel proximus ſucceſſor aſſumitur, eique defertur adminiſtratio. Imperii tamen dignitas atque ſumma majeſtas penes Regem, quamvis furioſum manet propter rationes jam antea adductos.

2. Sive vero rex ſimul ſit privato jure fundorum dominus ut Rex *Lib.* 11.
Ægypti poſt Joſephi tempus, & Indorum reges, memorante Dio- *Lib.* xv.
doro, ac Strabone, ſeu non ſit, hoc imperio extrinſecum eſt, nec ad ejus naturam pertinet. Quare nec imperii ſpeciem aliam, neque alium habendi imperii modum hoc quidem conſtituit.

COMMENTARIUS.

Diſputamus de jure & natura ſummi imperii, quod eſt jus regendi cives, & adminiſtrandæ Reipub. Proprietas enim fundi ſeu territorii nullum tribuere poteſt jus in perſonas, quæ illud inhabitant, niſi ipſa inhabitatio incolas vel ſubjectos tanquam glebæ adſcriptios efficeret, quod ſine conſenſu hominis liberi fieri non poſſe cuivis notum, ejuſdem juris efficere, cujus eſt fundus, & conſequenter, nec idem imperium idem dominium in ſubjectos deferre Regi, quam habet quiſque in rem propriam. Quamobrem ejuſmodi ſundorium proprietas, Regi privato jure competens, non aliam imperii ſpeciem, vel alium imperii habendi modum cooſtituit.

XVI. 1. Tertia obſervatio ſit, non deſinere ſummum eſſe imperium, etiam ſi is qui imperaturus eſt promittit aliqua ſubditis aut Deo, etiam talia quæ ad imperii rationem pertineant. Nec jam de obſervatione juris naturalis & divini, adde gentium, loquor, ad quam reges omnes tenentur, etiamſi nihil promiſerint, ſed de regulis quibuſdam ad quas ſine promiſſo non tenerentur. Verum eſſe quod dico ex ſimilitudine patris familias apparet, qui ſi quid familiæ facturum ſe promiſerit quod ad familiæ gubernationem pertineat, non eo deſinet in ſua familia jus ſummum, quantum fert familia, habere.

 Nec

Nec maritus maritali poteſtate privatur eo quod aliquid uxori promiſerit.

C O M M E N T A R I U S.

QUæſtionem hic movet Author, an Rex, *qui imperaturus eſt, ſummum deſinat habere imperium, ſi promittat aliqua ſubditis vel Deo, ad imperii rationem pertinentia*, de qua diverſa doctorum opinio. Superius annotavimus ipſi imperii delationi neceſſario propter cauſam, & finem quem ſibi in civitatem coaleſcere animum inducentes diverſæ familiæ propoſuerunt, ineſſe pactum, quo tacite ſe obligaſſe ſummum imperantem dicendum eſſe puto ſe ea lege imperium accipere, qua cives in eum conferunt, jam vero manifeſtum eſt finem transferendi imperii eſſe, ut eo communis ſalus & ſecuritas poſſit defendi contra aliorum injuriam & violentiam, tum etiam utilitas promoveri, unde ſupremam legem populi ſalutem dicimus, & eam imperio ſummo modum & regulam præſcribere, populus autem imperio & voluntati ejus quem ſocietati tuendæ præficiunt, promittit ſe obtemperaturum, & executurum juſſa, non tamen pure ſed ſub conditione ſi imperii actus reſpondeant dicto fini. Tacitum vero hoc pactum mutuam parit obligationem, qua tenentur paciſcentes præſtare quod promiſſum eſt. Non tamen imminuit vim imperii ſummi, quia de eo nihil detrahitur, neque arbitrium utendi iis mediis eoque exercendi modo, quem iſti fini producendo putat conſentaneum. Quamvis hæc promiſſio ſemper ineſt ſuſceptioni imperii ſolet tamen expreſſe fieri, adjecto jurejurando certiſque adhibitis ſolennitatibus, quando corona & ſceptrum imperanti defertur, licet per ſucceſſionem ad imperium perveniat. Ita Puſend. *de jur. nat. gent. lib. 7. cap. 6. n.* 10. *Tacita promiſſio regni bene gerendi in ipſa ejuſdem ſuſceptione in eſſe intelligitur etiamſi nihil expreſſe dictum fuerit. Frequentiſſimum tamen eſt, promiſſionem illam fieri expreſſe, non ſine juramento, certaque rituum ſolemnitate. Neque id inuſitatum, ut in ea promiſſione officium regis deſcribatur per periphraſin, aut enumerationem præcipuarum partium. Puta, ſe diligenter invigilare velle ſaluti publicæ promovendæ, bonos defenſurum, malos coërciturum, juſtitiam integre adminiſtraturum, neminem oppreſſurum & ſimilia*, quæ omnia tacite inſunt delationi & ſuſceptioni imperii, ideoque quamvis non expreſſe ſeſe promittit princeps ea præſtiturum, promiſiſſe tamen intelligi debet in ſe recipiendo imperii onus, quia in hiſce potiſſimum officium boni regis ſive principis conſiſtit. Hæc promiſſio generalis vocari poteſt, ſecundum mentem ſtatim allegati Authoris, quia concernit univerſalem imperii gerendi & tractandi modum, nihil detrahens de ejus jure, & exercendi illud pro libitu facultate, dummodo non excedat civilem habendi modum, id eſt repugnat fini & uſui quamobrem inſtitutum eſt. Eſt autem & promiſſio quæ poteſt dici ſpecialis, qua Rex ſe obligat obſervaturum quaſdam regulas ad quas non teneretur ſine promiſſo. Quippe dum ſeſe promittit recte adminiſtraturum imperium, ſibi reſervat arbitrium quibus mediis velit civitatis ſaluti & ſecuritati conſulere; & omnia quæ huic inſervire putat, adhibendi liberam habet poteſtatem. In ſpeciali promiſſione certa quædam media & modum exprimere poteſt, quæ in adminiſtrando imperio ſe adhibiturum populo promittit, quæ vel magiſtratuum creationem, vel vectigalium impoſitionem, vel legum lationem attinent, aliaque id genus negotia ſpectat. Habet enim ſummus imperans poteſtatem & leges ferendi, & magiſtratus creandi, & vectigalia ac onera civibus imponendi, bellum gerendi, exercitum conſcribendi, hæc omnia ſunt de eſſentia ſummi imperii, & ea omnia ſunt relicta arbitrio principis, ſi nihil aliud conventum. Verum quid ſi populo certas quaſdam deſignatas perſonas in quas, vel magiſtratum conferre vel non, quid ſi nova, vel certa quædam tributa impoſiturum, vetera abrogaturum, bella quædam non ſuſcepturum, commoda in aliorum civium, vel Reipub. damnum redundatura, non daturum ſe promittit, non imminuitur ipſum ſummum imperium, nam omnes iſti actus manent ipſi intacti & integri, verum reſtringitur tantum eorum exercitium ad certum caſum, neque obligat ſeſe iiſdem hiſce ſummi imperii juribus, non uti, ſed quibuſdam in caſibus qui expreſſi ſunt. Excipitur vero niſi ſumma Reipub. neceſſitas & civium ſalus aliter requirat, nam eo caſu præſumuntur cives principem ſolutum voluiſſe promiſſione. Quemadmodum voluerunt principem obligare ad ea præſtanda, quia Reipub. utilia fore arbitrabantur, ita eum obligatione ſolutum voluiſſe præſumitur, ubi conſtat Reipub. ſalutem poſcere ut promiſſa non ſerventur. Verum ſtatuit Puſendorſius ejuſmodi Regis promiſſionem ejus conſcientiam tantum ſtringere, dum civibus nullam tribuat facultatem ſeſe juſſa principis, ſive Regis detrectandi, vel iſtos actus reddendi irritos quaſi contra datam fidem, & promiſſionem admiſſos, quoniam ſi Rex dicat, ſalutem populi, aut inſignem Reipub. utilitatem id poſtulare, ſicuti & ea præſumptio Regis actus ſemper comitatur, nihil habent cives quod regerant, quoniam cum Regi deferendo ſummum imperium, ſimul ipſi facultatem, quam ante quiſque privatus paterfamilias habebat in ſua familia, conceſſerunt judicandi quid neceſſitas & utilitas Reipub. flagitat atque poſtulat, non poſſunt ſibi judicium ſuper actibus principis vindicare, & conſequenter detrectare nequit regis juſſa atque mandata exequi, quia ea judicant promiſſioni contraria. ne itaque princeps hac ratione eludere poſſet obligationem qua tenetur ſtare promiſſis, ſuadet ut ſimul aliquod conſtituatur concilium,

lium, *Quod Rex teneatur conſulere, ſi quidem ab iſtis promiſſis tempora Reipub. deſcedere jubeant, idque concilium jure ſuo, non precario ſuper illis negotiis poſſet cognoſcere, citra cujus conſenſum cives juſſis Regis circa talia non obligantur.* Fateor hac ratione poſſe præveniri multa incommoda atque multas diſcordias, quibus ejuſmodi ſuper actibus principis judicandi facultas populo relicta occaſionem poſſet præbere. Verum concilii alicujus eum in finem conſtitutionem eo neceſſariam arbitrari, quaſi ſuper actibus principis nulla judicandi eſſet populo poteſtas, quia renunciarunt facultati judicandi de mediis quæ Reipub neceſſitas, vel utilitas exigit, non puto adeo certo conſtare. Quippe princeps imperium ſuſcipiens ea lege, ut illud ſit adminiſtraturus ſecundum ſua promiſſa, populo tribuit jus exigendi a ſe quæ facere vel non facere promiſit, non judicat de poteſtate principi conceſſa, quæ ipſi ſoli tribuit jus judicandi quid Reipub. utilitati inſerviat, & neceſſitas exigat, eaque ſuo abitrio adhibendi media, quæ neceſſaria ſtatui præſenti Reipub. maxime convenientia ſtatuit. Verum de jure ſibi reſervato circa illa quæ promiſſa ſunt, illudque læſum prætendit non præſtante Rege quod promiſit, & dum de ea inquiritur facile conſtabit quid utilitas Reipub. flagitavit, ſi hoc pretextu Rex excuſare velit quod non promiſſis ſteterit, licet enim cuique jus ſuum perſequi, ſed non ſibi dicere. Ideoque quamvis ejuſmodi concilium non conſtituatur, populum nihilominus Regem tanquam violatæ fidei reum ſecundum pacta, vel promiſſa interpoſita in ipſa inauguratione, imperium adminiſtrare declinantem, & negligentem convenire poſſe nullus dubito.

2. Fatendum tamen, id ubi ſit, arctius quodammodo reddi imperium, ſive obligatio dumtaxat cadat in exercitium actus, ſive etiam directe in ipſam facultatem. Priore ſpecie actus contra promiſſum factus erit injuſtus, quia, ut alibi oſtendemus, vera promiſſio jus dat ei cui promittitur: altera autem ſpecie erat etiam nullus defectu facultatis. Neque inde tamen ſequitur, ita promittente ſuperiorem dari aliquem; nullus enim is actus non redditur hoc caſu ex vi ſuperiore, ſed ipſo jure.

COMMENTARIUS.

IMperii fines ejuſmodi promiſſis intervenientibus coarctari certiſſimum, *Arctius vero conſtringitur Regis imperium, ſi expreſſe inter Regem & cives ſit conventum in delatione imperii, ut ad certas leges fundamentales imperium gerat, ac ſuper negotiis, circa quæ abſoluta diſpenendi poteſtas ipſi non eſt relicta, ad concilium procerum vel populi referat, neque citra iſtius conſenſum quid decernat, ſecus ſi factum fuerit nolle cives factum teneri. Tali modo qui regem ſibi conſtituit populus, obſequium ipſi promiſiſſe intelligitur, non abſolute & in omnibus, ſed quatenus imperium ad capitulationem & leges fundamentales congruit; abſque quibus diſcrepantes actus ipſe jure ſunt irriti, neque vim obligandi cives obtinent.* Pufend. *dict. loc.* Supra annotavimus omne imperium, quamvis abſolutiſſimum nunquam tamen eſſe infinitum, licet nullæ leges, nullæ conditiones, vel promiſſiones ejus delationi adjectæ, quia ſemper quibuſdam limitibus, qui ex ipſa juſti imperii natura profluunt circumſcribitur. Cum enim regendi jus ad utilitatem, & ſecuritatem civium tuendam introductum, apparet non in eorum perniciem, & damnum oportere redundare, & conſequenter utilitas atque ſecuritas ſunt imperii limites, extra quos extendi ejus exercitium non poteſt, nihil tamen de imperio detrahunt, ſed tantum coërcent ne ejus vis latius extendatur, quam ad illa quæ civium utilitatem & ſecuritatem concernunt. Abſolutum itaque manet jus regendi cives ſummo imperanti, cui nullæ aliæ conditiones præſcriptæ, quam quæ ipſi delationi imperii ipſo jure cohærent. Tribuit autem illud abſolutum jus regendi arbitrium; & judicandi facultatem privativam quid utile ſit civitati, & quænam ei media inſerviant, eaque adhibendi ipſi abſoluta poteſtas. Illa autem media varia ſunt & fere innumera, ideoque deſcribi & concludi certo numero nequeunt, ſed omnia imperantis, & eligendi ea & applicandi pro ut neceſſitatem Reipub. flagitare judicat, arbitrio relicta, imperii itaque menſura eſt utilitas & ſalus communis Reipub. quam late ea patet, tam late ſe extendit imperium, ut jam dictum ſuo loco. Verum ſunt & peculiares quidam limites, quæ imperii exercitium coarctant etiam circa ea, quorum aliter jure imperii ad ſummum imperantem pertinet, & arbitrium & adminiſtratio, eamque circumſcribunt, cujus generis ſunt ejuſmodi promiſſiones de quibus ſtatim ſermo, & etiam leges iſtæ fundamentales, quæ non omnimodam liberam diſpoſitionem de rebus quæ Reipub. adminiſtrationem ſpectant, tribuunt principi, ſed conſilium populi vel procerum adhibendi neceſſitatem ei imponunt. Verum non opus mihi videtur, ut legibus iſtis fundamentalibus adjiciatur expreſſe, cives nolle juſſis ejus ſtare ſi aliquid eorum jubet, vel imperat aut facit, quæ ſecundum iſtiuſmodi leges nec jubendi, vel faciendi poteſtatem habet, quaſi iſta clauſula adjecta arctius conſtringeret imperium, quam

illiuſ-

iſtiuſmodi promiſſiones de quibus jam dictum, cui nihil de concilio, neque de non obtemperando juſſis ſi ſecus factum fuerit additum, & conſequenter etiam majorem licentiam detrectandi juſſa, atque ſeſe obſequio exuendi populo permitteret, qui ejuſmodi ſtipulatione hoc jus reſervavit, quam quando illa omiſſa eſt. Fateor illam nocere non poſſe tanquam abundantem cautelam, ſed adeo neceſſariam eſſe nego, ut ſine illa vel ratione promiſſorum, vel legum fundamentalium, civibus non eſſet jus obſequii denegandi ſummo imperanti contra earum tenorem aliquid jubenti vel admittenti, nam tacite illa clauſula, ineſſe cenſetur omni delationi imperii, quæ fit intervenientibus quibuſdam promiſſis aut legibus quæ fundamentales dicuntur, quia eis nititur Reipub. adminiſtratio, imperanti modum præſcribentibus quo imperium ſuſcipit, tanquam condirione, ſine qua populus in cum tractandum non tranſtuliſſet illud; ea igitur conditione quoque agnoſcit tanquam ſuum ſuperiorem & legitimum principem, cui debemus & obedientiam & reverentiam. Quicquid enim contra leges imperat, injuſte jubet, injuſte autem imperanti, juſte obedientiam recuſo, quia obediendi neceſſitas dependet a juſto imperio; omne autem imperium injuſtum eſt, quod conſenſu deſtitutum eſt, quia nemo ſibi jure privato imperium in alium arrogare poteſt, atqui quod contra promiſſiones imperatur conſenſu deſtituitur eorum a quibus imperium dimanat, ergo. Leges enim iſtæ fundamentales, & promiſſiones declarant quomodo, & qua ratione populus voluit, & etiam cum effectu tranſtulit imperium, tum etiam quid juris ſibi reſervavit. Declaratio itaque iſta voluntatis imperium transferentis ſimul & habendi, atque exercendi imperii, & obedientiæ præſtandæ modus eſt; quia autem obedientia dependet a juſto imperio, juſtum vero imperium a conſenſu civium, ſequitur ubi deficit conſenſus etiam concidit imperium, tanquam neceſſarium conſequens, & cum imperio quoque evaneſcit obediendi obligatio. Sed inquirendum ulterius an ejuſmodi leges fundamentales imperii exercitium coarctantes, non reddant ſummum imperium mancum, ut inquit allegatus ſtatim Author, quod non videtur. Optime enim reſpondit poſſe in tali regno omnes imperii actus exerceri, qui in regno abſoluto, ſed exercendi modus tantum & ordo differt aliquid ab eo qui obſervatur in regno abſoluto. In hoc enim Rex ſolo ſuo judicio utitur, ſane ultimo, ita ut ſi ſibi elegit Senatum, cujus conſilio uti velit, illud tamen ſequendum non teneatur, niſi approbaverit, ideoque ſequendum judicaverit. *In illo vero penes concilium eſt cognitio velut concomitans, non ex qua radicaliter vis imperii dependeat, ſed quaſi a conditione ſine qua non.* Ita vero pergit. *Neque etiam in tali civitate exiſtunt duæ voluntates, nam utique omnia quæ vult civitas, vult per voluntatem Regis. Etſi limitatione iſta fiat, non exiſtente certa conditione, Rex quædam non poſſit velle aut fruſtra velit. Sed nec in tali regno Rex ſummum deſinit habere imperium, aut concilium ipſo rege eſt ſuperius. Non enim ſequitur; hic non poteſt agere omnia ex ſua libidine, ergo non habet ſummum imperium; ergo non teneor huic in omnibus parere; ergo ſum ipſo ſuperior aut æqualis. Et longe diverſa ſunt hæc: ego teneor ſequi, quod huic placet, quia pacto me ad hoc obligavi; & ego teneor ſequi hujus voluntatem, quia pro imperio mihi hoc injungere poteſt, nequaquam ſummum & abſolutum ſunt unum & idem. Illud enim notat abſentiam ſuperioris aut æqualis in eodem ordine: hoc autem facultatem proprio ex judicio & arbitrio qualecunque jus exercendi.* Omnia enim quæ geruntur negotia, vectigalia imponuntur, privilegia conceduntur, bella indicuntur, regis tantum aguntur nomine, & ab ejus imperio deſcendunt, tanquam a ſummo, cui nemo nec dignitate nec poteſtate æqualis, ſed omnes ſubjecti. Verum quid ſi leges fundamentales principi adimant ipſam agendi facultatem, quæ de eſſentia eſt ſummi imperii ſummæque majeſtatis, ſine quibus ſumma majeſtas concipi nequit, an & illas ſervare teneatur ſummus imperans quæritur, cum eo modo illud accipere, & renunciare majeſtati voluntatis eſt, cujus generis eſt poteſtas leges ferendi, magiſtratus conſtituendi, bellum indicendi, exercitum conſcribendi, pacem faciendi aliaque eſſentialia majeſtatis jura, ſine quibus ſummum imperium exerceri nequit. Contrarium enim videtur velle ſummum alicui imperium deferre, & ei nolle concedere ea ſine quibus exerceri nequit, nec etiam dici. Quamobrem quidam non ſine ratione dicendum opinantur regem ſub hac fide & promiſſione, etiam jurejurando confirmata, (quod tamen excipio) ſe ejuſmodi leges majeſtatem ipſam quaſi opprimentes, & plane extinguentes, imperium ſuſcipientem ſervaturum, ſummam tamen conſecutum majeſtatem, non obſtante fide data & interpoſito pacto, nihilominus legem ferendarum, belli gerendi & pacem faciendi poteſtatem habere. Itaque non præſumuntur regem vel cives ſe mutuo obligandi voluntatem habuiſſe, quia obligationis cauſam quæ poſſibilis eſſe debet tollunt: contrariorum enim nulla poteſt induci obligatio, quamobrem dum mutuam quoque fidem non ſecuti præſumuntur, contra fidem datam non videtur princeps facere, qui leges ejuſmodi fundamentales non obſervando, promiſſa non præſtat. Sed notandum nos hic ſermonem habere, ut dicere incepimus, de ejuſmodi legibus fundamentalibus, quæ hæc jura omnimodo ex Repub. exterminant, non de iis quæ ea populo reſervant. Et eo ſenſu ſumptis quæ ſtatim diximus, applicari poteſt quod ait Hobbes *cap. 7. n. 17. de civ. Monarcha ſi quid promiſerit civi, vel pluribus ſimul, propter quod per conſequens ſummum imperium exerceri non poteſt. Promiſſum illud ſive pactum jurato vel injurato factum, irritum eſt. Pactum enim eſt juris tranſlatio, quæ per ea quæ capite 2. art. 4. dicta ſunt, requirit ſigna idonea voluntatis in transferente. Qui vero ſufficienter ſignificat voluntatem retinendi finem, ſufficienter declarat, ſe non decedere de jure ad media ad eum finem neceſſaria. Jam vero qui promiſit aliquod neceſſarium ad ſummum imperium, ipſum tamen imperium retinet, ſatis idonea ſigna dat, ſe*

non

non aliter promiſiſſe, niſi quatenus ſummum imperium ſine eo retineri poteſt. Quandocunque igitur apparuerit, id quod promiſſum eſt, praſtari non poſſe, ſalvo imperio ſummo, promiſſum pro non promiſſo, id eſt invalidum cenſeri debet. Hic poſſit caſus exiſtere ſi qua ejuſmodi hominum multitudo, qui bellum atque omnem defenſionem violentem, vel tributorum exactionem, aliaque id genus jura ſummæ poteſtatis exercendæ facultatem prohibitam arbitrantes, talem civitatis admiſtrationem inducere, atque conſtituere voluerunt; non ſuaderem tamen jurejurando ejuſmodi promiſſa confirmare, ne temeritatis vel abuſus nominis divini pœnæ obooxium ſe faciat.

3. Apud Perſas rex ſummo cum imperio erat, αὐτοκρατὴς καὶ ἀνυπεύθυνος,
ut de eo Plutarchus loquitur, & ut imago Dei adorabatur: & ut apud
Juſtinum eſt, non mutabatur niſi morte. Rex erat qui dicebat pro-
ceribus Perſarum; *Ne viderer meo tantummodo uſus conſilio, vos contraxi.* *Lib. x.*
cæterum mementote, parendum vobis magis eſſe quam ſuadendum. Tamen & *Val. Max.*
jurabat cum regnum adiret, quod Xenophonti & Diodoro Siculo *lib. ix.*
notatum, & leges certa quadam forma latas mutare illi nefas erat, *c. 5.*
ut & Danielis hiſtoria & Plutarchus in Themiſtocle nos docent, Dio-
dorus quoque Siculus libro XVII, & multo poſt tempore Procopius *VI, 8,*
Perſici belli libro primo, ubi inſignis ad hanc rem hiſtoria exſtat: *12, 15.*
Idem de Æthiopum regibus tradit Diodorus Siculus. Eodem tradente
Ægyptiorum reges, quos tamen ut alios reges Orientis ſummo impe- *Lib. III.*
rio uſos non eſt dubium, ad multarum rerum obſervationem obliga- *Lib. I.*
bantur: verum ſi contra feciſſent, accuſari vivi non poterant, ſed
mortuorum accuſabatur memoria, & damnatis abjudicabatur ſolen-
nis ſepultura: ſicut & Hebræorum regum, qui male regnaſſent,
cadavera extra proprium regibus locum ſepulta, II Par. XXIV, 25.
XXVIII, 27. egregio temperamento, quo & ſanctimonia ſummæ
poteſtatis maneret, & tamen futuri judicii metu reges a fide mutanda
retraherentur. Epiri quoque reges jurare ſolitos, regnaturos ſe juxta
leges, ex Plutarcho in Pyrrhi vita diſcimus.

COMMENTARIUS.

PEerſarum Regum imperium abſolutiſſimum fuiſſe certum eſt, verum magis uſurpatione quam jure ex ipſo Valerio Maximo e quo deſcriptum dictum hoc regis Perſarum Proceribus, nam præmittit Valerius, *Jam Xerxes, cujus in nomine ſuperbia & impotentia habitat, ſuo jure quam inſolenter abuſus eſt, quum Græcia indicturus bellum adhibitis Aſiæ principibus.* Sic Rex Perſarum Darius eadem ſuperbia elatus ad Alexandrum ſcribens ſe Regem Regum, & conſanguineum Deorum appellat. *l. 2. ſupplem. ad Q. Curt.* Hinc ſe a ſuis ſubjectis permittebant adorari, *tanquam Dei omnia conſervantis effigiem.* Plut. *in Themiſt.* Quamvis vero abſolutum ſibi ejuſmodi imperium arrogarent Reges Perſarum, fas tamen ipſis non erat, mutare leges ſemel latas. *Apud Perſas religio erat, leges non ſervare ut ſemel latæ fuerant.* Plutarch. *eod. loc.* Ex qua lege argumentabantur, qui Danielem leonibus objiciendum a Rege exigebant, *Daniel. 6.* Cum vel Rex eum liberari a ſupplicio inclinare videretur, tanquam minaciter primores & principes regni ipſum admonent ut in memoriam revocaret edictum ſive ſtatutum, quod promulgaverat ejus eſſe apud Perſas Medoſque efficaciæ, & virtutis, ut immutari non liceat neque quidem ipſi Regi. Quo ſermone coactus Rex exequi quod lege ſtatutum erat, Danielem ad ſupplicium tradendo. Quæ magna ſummi imperii limatio videtur, cum apud pleraſque fere gentes & ferendi, & abrogandi leges Regi conceſſam legimus fuiſſe poteſtatem. De vivis autem regibus poteſtate ſua abutentibus ſupplicium ſumi non ſolitum fuiſſe apud geotes illas cum Perſas, tum Medos, Æthiopes atque Ægyptios, oec etiam apud Hebræos annotat quidem Author, verum non probat; veroſimile tamen eſt, cum ſervilem in modum nationes iſtæ regio parebant imperio, æquiori animo pertuliſſe principum injurias & tyrannidem, quia nefas putabant eum quem tanquam Deum adorabant, atque venerabantur, ideoque ſupra humanam ſortem, & conditionem evectus erat, humano judicio & ſupplicio ſubjectum eſſe. Sed longe aliter moratiores opinati ſunt, utpote quæ tyrannidis impatien-

tes ſæpiſſime ſervitutis jugum excuſſerunt imperio eum exuendo, vel alio quocunque modo coërcendo injuſtam dominationem, cujuſmodi exempla quam plurima Romanorum monumenta exhibent. Mortui tamen non erant a pœna immunes, quando damnatis abjudicabatur ſepultura, ſicut etiam apud Hebræos obſervatum fuiſſe probare vult Author, dum cadavera Regum qui male regnaſſent extra proprium Regis locum ſepulta, ut conſtat ex adductis locis, quod tamen perpetuæ fuiſſe obſervantiæ non adeo liquido demonſtrari poſſe videtur. Nonnulli enim ſibi Mauſoleum extruxerunt, ut videre eſt *2 Reg. cap.* 23. de Manaſſe & Oza regibus.

4. Quid ſi addatur, ſi rex fidem fallat, ut tum regno cadat? ne ſic quidem imperium deſinet eſſe ſummum, ſed erit habendi modus imminutus per conditionem, & imperium temporario non abſimile. *Apud Photium. Lib.* XVI. De Sabæorum rege narrabat Agatharchides fuiſſe ἀνυπεύθυνον liberrima poteſtate præditum, ſed ſi regia exiret potuiſſe lapidari: quod & Artemidoro auctore Strabo annotavit.

COMMENTARIUS.

Clauſulam hanc commiſſoriam tacite delationi imperio ineſſe jam demonſtravimus, verum non ſtatim cautendum ducimus, etiamſi Rex quædam fecerit contraria fidei datæ & promiſſionibus, licet expreſſe adjectum ſit ut regno excidat etſi putat ſæpius allegatus Puſendorfius imperii delationi adjectum a populo ſe *nolle teneri juſſis imperantis, ſi quid imperaverit vel juſſerit contrarium, promiſſionibus ſuis & legibus fundamentalibus.* Quod miror, cum ipſe ſtatuat paulo ante, populum qui tali modo regem ſibi conſtituit, obſequium ipſi promiſiſſe intelligi non abſolute, & in omnibus, ſed quatenus imperium ad capitulationes & leges fundamentales congruit. Clauſula enim quæ cives ſolvit obedientia, exuere etiam videtur imperio regem, quia ut ante diximus, quemadmodum obedientia dependat ab obligatione, qua cives adſtringuntur principi debitam obedientiam præſtare; ita & ab eadem quoque imperii vis derivanda, cui enim obtemperare non teneor, eum quoque non agnoſco tanquam ſuperiorem & principem, excidit itaque imperio, dum ſolvuntur cives obedientia, niſi forte dicamus iniquum eſſe ſi in quibuſdam Rex fidem fallat, in cæteris vero teneat, eum ſtatim imperio ſpoliare vi tacitæ ejuſmodi clauſulæ, quod etiam concedo. Verum etiam puto clauſulam commiſſoriam licet expreſſe adjectam, eadem iniquitate laborare, non tamen fulcire jus aliquod fortius, quam ipſo pacto & ſtipulationibus aut promiſſionibus mutuis inter poſitis ineſt, ad omnes tamen cavillationes & diſceptationes tollendas expreſſam ejuſmodi clauſulæ in imperii delatione adjectionem, non improbo. Quamvis ea imperium aliquo modo limitare videatur, non deſinit tamen eſſe vere regium & ſummum, ſed habendi modus tantum imminutus erit. Nullius momenti eſt illa objectio, quod ejuſmodi clauſula videtur tantum deferre imperium temporarium, quod pro ſummo quidam agnoſci non poſſe ſtatuunt. Sed contrarium ſuo loco verum demonſtravimus. Et inſuper poteſt reſponderi, quod cum ejuſmodi clauſulæ adimpletio dependeat a poteſtate & voluntate ſummi imperantis, non ab alieno arbitrio, imperium ipſi hac conditione delatum temporarium haud dici poſſit, quia ejus exiſtentia a regis pendet arbitrio.

5. Sic fundus qui fidei commiſſo tenetur eſt quidem fundus non minus quam ſi pleno dominio poſſideretur, ſed habetur amiſſibiliter. Talis autem lex commiſſoria non tantum in regni delatione adjici poteſt, ſed & in aliis contractibus. Nam & fœdera quædam cum vicinis videmus cum tali ſanctione inita.

COMMENTARIUS.

NOn mutat ipſam fundi eſſentiam, vel naturam fideicommiſſum ei impoſitum, ſed afficit tantum habendi vel poſſidendi modum, in eo tantum a fundo qui pleno poſſidetur dominio, diverſum, quod habetur amiſſibiliter, ſcil. eo caſu *quando poſt aliquod tempus reſtituenda hereditas: at quando ilico reſtituenda eſt poſt aditionem, vix tantillum dabitur tempus, quo dici poſſit, quod fundus talis habeatur aut poſſideatur ab eo qui gravatus eſt*, recte annotavit ad hunc locum *Doctiſſ. Zeigl.*

XVII. Quarto notandum, quanquam ſummum imperium unum quiddam ſit ac per ſe indiviſum, conſtans ex illis partibus quas ſupra

ſupra enumeravimus, addita ſummitate, id eſt τῷ ἀνυπευθύνῳ, fieri tamen interdum ut dividatur, ſive per partes puas vocant potentiales, ſive per partes ſubjectivas. Si cum unum eſſet Romanum Imperium, factum tamen ſæpe eſt, ut alius orientem alius occidentem teneret, aut ut tres etiam tripartito orbem regerent. Sic etiam fieri poteſt, ut populus regem eligens quoſdam actus ſibi ſervet, alios autem regi deferat pleno jure: Neque tamen id fit, ut jam oſtendimus, quoties cumque rex promiſſis quibuſdam obligatur; ſed tunc id fieri intelligendum eſt, ſi aut expreſſe inſtituatur partitio, qua de re ſupra jam diximus, aut ſi quid populus ad huc liber futuro regi imperet per modum manentis præcepti; aut ſi quid ſit additum, quo intelligatur regem cogi aut puniri poſſe. Nam præceptum eſt ſuperioris, ſaltem in eo quod præcipitur: Et cogere non eſt quidem ſemper ſuperioris: nam & naturaliter quisque jus habet cogendi debitorem, ſed cum inferioris natura repugnat. Itaque ex coactione ſaltem paritas ſequitur, ac proinde ſummitatis diviſio.

COMMENTARIUS.

POteſt quidem ſummum imperium in varias partes dividi, ſcil. in tot partes quod fere ſunt jura ſummæ majeſtatis, & ſingulis earum exercitium demandari, verum non poteſt concipi ſummum eſſe niſi coadunatis omnibus illis partibus ex quibus conſtare debet, quia ſummum ut annotavimus ſupr. ita ut penes quem dicimus reſidere ſummum imperium radicaliter, penes eum etiam eſſe neceſſe ſit omnes imperii partes, nam ſummitas illa eſt totum aliquid quod omnibus ſuis partibus conſtare debet, quarum una deficiente, nec totum, nec ſummum dici poteſt. Poteſt quidem imperium reſidere penes plures ut in Ariſtocratia vel Democratia, verum non diviſibiliter ut ita dicam, id eſt ut alius haberet privative illam partem, alter aliam, hic ſummum imperium in legibus ferendis, ille ſummum imperium in bello decernendo & pace facienda, alter iterum in conſtituendis magiſtratibus. Sed pro indiviſo imperium penes plures eſſe poteſt, quos omnes concurrere oportet ad ſummum Reipub. repræſentandum imperium. Partes quidem ſinguli tenere poſſunt, ſed non tanquam plures ſummitates; nam ſi plures ſummitates eſſent, una alterius reſpectu non poſſet dici ſummum, ſed æquale, ergo oportet ſummum imperium eſſe unum quiddam & per ſe indiviſum, nam aliquid unum totum eſt quod ex ſuis debet conſtare partibus antequam ſummum dici poteſt, ut ſupr. annotavimus. Non datur enim diviſio in plures ſummitates, quin ſingulæ ſummitates per ſe idem ſunt, quod ſummum vocamus: ſubſiſtendum enim eſt quoties diviſio inſtituitur tandem ad aliquod ſummum, nam ulterius illud nihil aliud poteſt concipis. Huic autem nihil deeſſe poteſt earum partium in quas dividitur, quin nec totum nec ſummum eſt, ſummum enim eum habere imperium dicimus, qui habet omnia quæ ad regendi jus pertinent, cui ſi minima tantum pars deeſt, ſummum dici nequit, quia non poteſt facere omnia ſine quibus imperii ſummi idea formari nequit: qui enim & minimam & quidem viliſſimam ejus habet partem independenter, ille & ipſe ratione ejus partis independens eſt atque ſummus, & conſequenter non una ſed plures ſummitates. Miror itaque Authorem qui & ipſe ſtatuit ſummum imperium eſſe unum aliquid & per ſe indiviſum, attamen immediate poſt ejus diviſionem affirmare in partes, quas vocant *potentiales & ſubjectivas*. Cum enim Romanum imperium diviſum erat, ita ut alter orientem alter occidentem teneret unum quidem fuit nomen imperii, ſed reveraquiſque Imperator erat independens, & ſummum tenebat imperium. Imperio enim diviſo inter Conſtantini & Theodoſii liberos, diſcors & diverſorum capitum bellua erat Roma. Quoties vero indiviſum tenuerunt imperium duo, vel tres Imperatores ſimul, non diviſa fuit majeſtas & imperium, ſed penes plures reſedit, ut in Ariſtocratia. Contigit etiam aliquando, ut ſibi Imperatores ſocium imperii elegerint, ut M. Antoninus Lucium, Diocletianus Maximianum, Valentinus Valentem. Verum eo non imminuta nec diviſa majeſtas, non ut inquit Marcell. *lib.* 27. unus nuncupatione præferebatur, alter honore ſpecie tenus adjungebatur. *Maximinianum enim ut filium patri Diocletiano obtemperaſſe*, teſtatur Pomponius Lætus. Sic etiam *Principem Marcum, Verum adoptivum fratrem abſque diminutione aliqua authoritatis Imperatoria ſocium feciſſe idem teſtatur cap. 6.* Sic Antonio cedebat per honorem L. Vero. Sic quoque Tiberius ab Auguſto in partem curarum vocatus, verum eo non diviſum imperium fuit, ſed retinuit Au-

guſtus. Quemadmodum autem imperium non poteſt dividi per partes potentiales, ut recta ratio docet & exempla confirmant, ita nec per partes ſubjectivas. Subjectum enim eſſe & majeſtatis jura participare, vel ſummum imperium habere & ſubjectum ſibi parem conſtituere contradictorium ideoque abſurdum. Quin etiam majeſtas privaretur ſubditis ſuis, ſi ſua jura cum iis communicaret. Cum enim par in parem non habeat imperium, æquales autem ſint, quorum jura ſunt æqualia, conſtat ſubjectos vel cives horum jurium communicatione futuros æquales majeſtati; hujuſque imperium periturum. Definitur enim majeſtas, quod ſit ſuperior omnibus, omnia ſua poteſtate complectens atque gubernans. Hinc ſtatuunt Hiſpani majoragia ſive ſupremam juriſdictionem, non poſſe transferri in alium, quia de eorum genere eſt quæ partitionem non admittunt. Triplici modo diviſionem in partes ſubjectivas fieri poſſe demonſtrat Author, vel ſi expreſſe inſtituatur partitio; vel ſi populus liber futuro regi aliquid imponit faciendum, vel non, quod obſervare tenetur durante tempore ſuæ adminiſtrationis; vel ſi quid adjectum quo cogi vel puniri poteſt imperans. Verum nullus modus cum ſumma majeſtate, quia dividi nequit, conſiſtere poteſt. Non ejuſmodi partitio juris, quia illa inducit æqualitatem, & conſequenter tollit ſummitatem, neque jus cogendi Imperatorem, quia ſi ſummus eſt ab inferiore cogi nequit, ſi autem par ſubjectis, ergo nec ſummus; par autem in parem non habere imperium, & idcirco nec cogi poſſe, perſpicimus ex *l. 4. ff. recept. arb.* ubi inquit Jctus. *Nam magiſtratus ſuperiores aut pars imperio nullo modo cogi poſſunt 4. ff. de recept. arb.* Quod ſi par parem cogat, id vi & armis fieri debet; ſin autem quid adjiciatur delationi imperii tanquam regula illud adminiſtrandi, id non fit per modum legiſlationis, ſed conventionis, cum enim imperium accipere non eſt neceſſitatis, ſed voluntatis, ſibi legem præſcribere videtur, qui certa quadam lege & conditione adminiſtrandum illud accipit. Non inficior conditiones & leges adjici poſſe in delatione imperii, & populum ſibi poſſe reſervare quoſdam actus, verum ſtatuo jura ſummæ majeſtatis cum pluribus communicando, ita ut quiſque ea exercere poſſit ſuo jure, ſcil. independenter, non imperii ſummi eſſe diviſionem, ſed multiplicationem plurimorum ſummorum imperantium.

2. Multi adverſus talem ſtatum quaſi bicipitem incommoda multa deferunt; ſed, ut ſupra quoque diximus, in civilibus nihil eſt quod omni ex parte incommodis careat; & jus non ex eo quod optimum huic aut illi videtur, ſed ex voluntate ejus unde jus oritur metiendum eſt. Exemplum vetus refertur a Platone de legibus tertio. Cum enim Heraclidæ Argos, Meſſenam, & Lacedæmonem condidiſſent, adſtricti reges intra præſcriptarum legum modum imperare, idque dum facerent obligati populi ipſis ipſorumque poſteris regnum relinquere, nec ut quiſquam adimeret pati. Inque id non ſuis tantum regibus populi ac populis ſuis reges, ſed & ipſi inter ſe reges, populique inter ſe, & reges vicinis populis, & populi vicinis regibus fidem dederunt, auxilioque ſe futuros alii aliis polliciti ſunt.

COMMENTARIUS.

EX hoc exemplo quod adducit Author, non poſſe deduci partitionem poteſtatis ad tres civates pertinuiſſe recte animadvertit Bœcler. *ad h. l. Sit hiſtoria, non ſatis tamen deſcribitur, ut judicari accurate poſſit. Ex hac certe, quam habemus deſcriptione, partitio poteſtatis non ad tres civitates pertinebit. In quibus fœderis ratio ſcilicet locum habet.* Inſpiciendus Plato *dict. loc.*

XVIII. 1. Multum tamen falluntur qui exiſtimant, cum reges acta quædam ſua nolunt rata eſſe niſi a Senatu aut alio cœtu aliquo probentur, partitionem fieri poteſtatis: nam quæ acta eum in modum reſcinduntur, intelligi debent reſcindi regis ipſius imperio, qui eo modo ſibi cavere voluit, ne quid fallaciter impetratum pro vera ipſius voluntate haberetur. Quale erat Antiochi tertii regis reſcriptum ad magiſtratus, ne ſibi parerent ſi quid legibus adverſum juſſiſſet; & Conſtantini, ne pupilli aut viduæ cogantur venire judicii cauſa ad comitatum mperatoris, etiamſi Imperatoris reſcriptum proferatur.

Boër. ad c. 1. de conſt. in Decret. Plu. Apoph. L. unica. C. quando imperator.

COM-

COMMENTARIUS.

CUi mandata jurisdictio eſt, ille fungitur vice ejus qui mandavit, non ſua, & conſequenter omnia fiunt nomine mandantis, ita ut ipſe feciſſe videatur, quæ fecit delegatus. Sic etiam princeps quædam per ſuum concilium agere præcipiens, vel permittens ipſe feciſſe videri debet, ita ut quando ei tribuat authoritatem improbandi ſua decreta, & reſcindendi quædam acta ſi minus Reipub. utilia fore videantur, ejuſmodi reſciſſio ipſius principis voluntate & imperio facta recte dicitur. Ideoque perperam ſtatuunt nonnulli hac ratione partiri imperium, partitio enim concedit facultatem retinendi, quod quis ea ſibi acquiſivit, quia plenum dominium & jus ſeu proprietatem transfert, ita ut proprio jure & proprio nomine exerceat quæ quis hoc habet titulo, verum quæ Rex libera ex voluntate concedit etiam eodem modo poteſt revocare, ergo dici nequit alicui pars imperii partitione quæſita, cujus uſus, & exercitium dependet a voluntate concedentis. Tradit Plutarch. in Apophthegm. *Ægyptiorum Reges legem quandam ſuam ſervaſſe, qua juramento obſtringunt judices, ut Rege ipſo injuſte flagitante ſententiam, ei morem non gerant.* Ejuſdem generis quæ Impp. Theod. & Valentin. ſtatuerunt *l. 7. Cod. de precibus imperat. offer. Reſcripta contra jus elicita ab omnibus judicibus refutari præcipimus, niſi forte aliquid quod non lædat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicantibus indulgeat.* vid. quæ annotavimus *ad* §. 10. *n.* 4.

2. Quare hæc res ſimilis eſt teſtamentis quibus adjectum eſt ne poſterius teſtamentum valeat: nam hæc quoque clauſula efficit, ut poſterius teſtamentum non ex vera voluntate profectum præſumatur. Sed ſicut hæc clauſula, ita & illa regis juſſu expreſſo ac ſpeciali poſterioris voluntatis ſignificatione tolli poteſt.

COMMENTARIUS.

ITa Brunneman. *ad l. 22. ff. de leg. 3. Nam ex clauſula derogatoria præſumitur, ſi poſtea aliud diſponat, quod id potius ex importuna ſuggeſtione alterius, quam propria voluntate teſtatoris factum ſit.* Quamobrem poſterius teſtamentum propter clauſulam derogatoriam priori inſertum non valere ſtatuunt quidam doctores, niſi expreſſe derogatur, & ita etiam judicatum refert Sande *deciſ.* Alii eorum ſententiam veriorem affirmant, qui negant clauſulam derogatoriam poſterius teſtamentum reddere invalidum, illudque etiam ſubſiſtere putant, etiamſi in eo primi teſtamenti revocatio ſpecialiter facta non fuerit, quia ambulatoria eſt hominis voluntas, & nemini ſibi teſtamenti condendi libertatem auferre poſſit, *l. 22. ff. de leg. 3.* De hac re vid. Anton. Merend. *l. 4.* controverſ. *c. 29. Mantic. de conjectur. ult. vol.* Menoch. *de præſumpt.* Anton. Fab. *de error. pragmat. dec. 37. err.* 8. Carpzov. *part. 3. conſt.* 5. Cujac. *lib. obſerv. 14. c. 7.* Qui ſupervacaneum & durum eſſe putat exigi ſpecialem derogationem, ſi alias conſtet ſcientem prudentem receſſiſſe a voluntare. Putat vero ejuſmodi ex jure conſtituendam. *Aut cum ſcripſiſſem, cui bis legavero, ſemel deberi volo, poſtea invito vel imprudenti mihi excidit ut eidem ſæpius legarem eodem teſtamento vel codicillis. Et hoc caſu prior voluntas potior habetur, qui vel memoria me diffidens, vel conſtantia, dum vereor ne ſuaſionibus forte vel blanditiis amicorum non poſſim reſiſtere, præmunivi me ſtatim ob initio, mihi præcavi in poſterum, ne ea res mihi heredive meo fraudi eſſet. Aut ſciens prudens ſæpius legavi, quod Hermogenianus non omiſit dict. l. 22. & tunc poſterior voluntas derogat priori ſatis, etiamſi ſpecialis vel latior prioris derogatio non adſcribatur in teſtamento.*

XIX. Sed neque Polybii hic utor auctoritate, qui ad mixtum genus reipublicæ refert Romanam rempublicam, quæ illo tempore: ſi non actiones ipſas ſed jus agendi reſpicimus, mere fuit popularis: Nam & Senatus auctoritas, quam ad optimatum regimen refert, & Conſulum quos quaſi reges fuiſſe vult, ſubdita erat populo. Idem de aliorum politica ſcribentium ſententiis dictum volo, qui magis externam ſpeciem & quotidianam adminiſtrationem, quam jus ipſum ſummi imperii ſpectare congruens ducunt ſuo inſtituto.

COMMENTARIUS.

NOn conveniunt eruditi, quænam forma Reipub. Romanæ aſſignanda. Exactis regibus, nonnulli, Polybium, de quo hic Author, ſequentes, eam mixtam fuiſſe dicunt; ita enim tem-

peratam æqualiter ex tribus formis ſimplicibus ſtatuit dictus Author, ut vix adpareat, quæ ipſi forma peculiaris impoſita. *Cum enim*, inquit, *lib. 6. ad conſulum poteſtatem oculos referimus, prorſus monarchica videtur ea eſſe: cum ad authoritatem Senatus, regimen optimatium: cum ad populi imperium, putet aliquis ſtatum popularem eſſe.* Poſtea enumerat quæ jura ſummi imperii conſulibus, quæ Senatus, quæ populo tributa. Conſules, inquit, quamdiu in urbe ſunt, priuſquam legiones educunt, omnia quæ fiunt, in poteſtate habent. Omnes reliqui magiſtratus præter tribunos conſulibus obnoxii ſunt iiſque parent. Hi legationes in Senatum inducunt, iidem quoties deliberari de aliqua re uſus poſtulat, referendi jus habent, eſt in eorum manibus Senatusconſulta conficiendi totum negotium, advocare conciones, rogationes ferre. Inſuper belli adornandi, gerendi, poteſtatem propemodum abſolutam habent, illi & auxiliaribus ſociorum copiis imperant quod viſum eſt, tribunos militum conſtituunt, conſcribunt exercitus, delectus agunt, animadvertere, de publica pecunia ad belli uſum pro arbitrio diſponere poſſunt. Ut merito dicat aliquis hanc partem intuens, Pop. Rom. plane ab unius imperio pendere & Regiam eſſe. In Senatus vero poteſtate eſſe ærarium, eumque decernere de maximis Reipub. negotiis, legatos etiam admittere ac dimittere. Ita ut ſi quis Romam veniat, abſentibus Coſſ. plane optimatium principatus is eſſe videatur. Populus eſt præmii & pœnæ arbiter, legum ferendarum poteſtatem habet, magiſtratus & honores confert, belli ac pacis penes eundem arbitrium. Ita ut quis rurſus intuens populi poteſtatem, *haud temere ſit dicturus, maximam Reip. partem a populo obtineri, eſſeque adeo in ea populi imperium.* Nullius vero poteſtas adeo abſoluta eſt, quin mutuo auxilio opus habeant quandoque, & ab altero queat impediri. Conſul enim poſtquam imperio ornatus, ad bellum fuerit profectus, quamvis abſolutam habere videatur poteſtatem conficiendi belli ipſi demandati, opus tamen habet ope & Senatus & populi, Senatus ad ſuppetandum commeatum exercitui, veſtes, ſtipendia. Præterquam quod etiam poteſtatem habet anno exacto demandandi provinciam alteri aut prorogandi imperii. Jam vero quoniam penes populum erat poteſtas finiendi belli, eique, depoſito imperio, eorum quæ in provincia geſſerant, rationem reddere tenebantur. *Quare nec Senatum nec populi benevolentiam contemnere ſine ſuo periculo ullo modo licuit.* Rurſus vero Senatus cui tanta erat poteſtas, populi tamen rationem habere & multitudinem reſpicere cogebatur, utpote ſine cujus authoritate graviſſima peragere judicia, neque capite punire publica delicta poſſent. Tum etiam per tribunos plebis poterat intercedere Senatus conſultis, atque ita impedire ne quicquam eorum quæ Senatus decrevit, perficeretur, & latis legibus ipſius jura premere. Similiter & populus Senatui obnoxius eſt, quippe cum multa ſint quæ a cenſoribus locantur, partim ſarta tecta operum publicorum per Italiam. Partim vectigalia fluminum, portuum, hortorum, fodinarum, agrorum, quæ cuncta a populo exercentur. *Quorum omnium jus & arbitrium eſt penes Senatum, qui & diem proferre poteſt, & ſi qua intervenerit calamitas, mercedum parte ſublevare publicanos, multaque alia ſint in quibus aut lædi aut adjuvari a Senatu poſſunt, qui tractant vectigalia vel ultro tributa. Et quod omnia ſuperat, ex hoc ordine dantur judices ad plurimas qua publicas, qua privatas cauſas, quoties paulo gravior eſt accuſatio: neceſſe eſt, quoniam omnes ſint adſtricti in fidem Senatus, metuentes ne olim forte ejus auxilio ſibi futurum ſit opus, voluntati illius obſiſtere & reluctari non audent. Similique de cauſa & conſulum inceptis haud temere ſe opponunt, quoniam & privatim ſinguli, & omnes in univerſum expeditionis tempore in poteſtate ſunt conſulum. Quoniam itaque ſingulæ civitatis partes & incommodare & commodare ſibi invicem hocmodo queant; evenit adverſus omnes caſus apte convenienterque concinnata, ex quo fit ut meliorem hac Rempub. nemo poſſit inſtituere.* Hæc Polybius. Alii nonnulli ſcriptores mixturam Reipub. Romanæ quidem probant, vero ex tribus formis ſecundum Polybii mentem temperatam fuiſſe negant: conſulum poteſtatem quæ monarchia & regia fuiſſe videtur, cum Senatus authoritate atque poteſtate conjungentes, Rempub. ex Ariſtocratia & Democratia mixtam, atque compoſitam aſſerunt. Neutram opinionem amplectendam cenſuit Author, dum Romanæ Reipub. ſtatum illo tempore mere popularem fuiſſe affirmat, ſi non actiones ipſas, & ipſam adminiſtrationem, ſed jus agendi reſpiciamis. Nam & Senatus authoritatem qui optimatum regimen refert, & conſulum quos Reges fuiſſe vult, ei ſubditam fuiſſe poteſtatem ſtatuit Author. Si Dionyſio habenda fides jam Servii regis tempore Senatui poteſtatem ereptam tradit *lib.* 4. cum populo legum ferendarum, magiſtratuum creandorum, belli ac pacis arbitrium, & provocationis extremæ jus dediſſet. Arniſæus oſtendere volens erroneam illorum opinionem, qui aliam Romanæ Reipub. formam quam ſimplicem Democratiam fuiſſe, ſtatuunt videtur ejus ſtatus initium atque primordium repetere, a momento progationis legis Horatiæ anno ab V. C. 306. quo inquit, *plebs ex Aventino in urbem revocatus Rempub. ita popularem evaſiſſe, ut eo ſenſu quo Ariſtoteles accipere ſolet, omni jure dicenda ſit Democratica; plus enim valuit authoritas plebis, quam Patrum; plus roboris habuerunt plebiſcita quam Senatus conſulta, ideoque ad plebem magis quam patres res inclinata fuit. Nec hoc dico, quod reſpublica prorſus fuerit plebeia, quodque patres in univerſum conciliis abſtinuerint, ſed quod plebis poteſtas plus valuerit quam Patrum.* Verum dicendum videtur, quanquam de facto aliquando plus valuerit poteſtas plebis, ex eo tamen non inferri poſſe videtur, impoſitam fuiſſe formam Reipub. plane Democraticam, conceſſa populo omni Reipub. gubernatione, ita ut quidem ſuadendi penes Senatum eſſet poteſtas, verum exequendi & concludendi authoritas radicaliter penes univerſum populi concilium, cui igitur & ipſe Senatus ſubjectus erat, ita ut nomine populi omnia Senatus

publica

publica negotia peregiſſe, & executioni mandaſſe dicendus ſit, quemadmodum omnes inferiores magiſtratus ſubjecti ſunt ei, qui ſummam in Repub. habet majeſtatem. Teſtantur enim rerum Romanarum ſcriptores, plebem communicari ſibi honores contendiſſe, quorum patricii ſoli participes erant. Itaque non ſpoliare Senatum ſua poreſtate, ſed coërcere ejus abuſum voluere ſibi creando magiſtratum, quo tuti eſſent adverſus injurias, & oimiam aliquando ſibi in plebem poteſtatem vindicando Senatus. Plebis enim conatus ac deſtinata eo tendiſſe ex Livio conſtat, ad æquandum patribus cum honote tum etiam virtute. *lib. 6. cap.* 35. nec ipſe Senatus queritur de erepta ſibi a populo poteſtate, vel eam adimendi animo, ut videre eſt apud Dionyſ. *lib. 7. pag.* 446. *Vos plebeji cum in gratiam cum Senatu rediretis, ſatis putabatis as alienum remitti vobis; & in auxilium pauperum, ne vi opprimerentur, magiſtratus petiiſtis creari ex veſtro corpore, & impetrato utroque magnas nobis egiſtis gratias, magiſtratum autem conſulum abrogare, aut Senatui rerum regimen adimere, partiumve Reipub. ordinem pervertere, nec petiiſtis, nec unquam petetis.* Nam ut idem ſcribit Authot, plebem nihil aliud poſtulare fatebatur Decius, quam ut ſibi nec plus nec minus juris eſſet, quam Senatui. Verum cum ſummæ majeſtatis indicium ſit habere poteſtatem ſanciendæ legis, utpote quæ nemini comperere queat, quam ei qui vi ſummi imperii non modo ſingulos, ſed etiam univerſos obligare poteſt, videtur ea ad plebem tranſlata lege Horatia, qua ſancitum, *ut quod plebs tributim juſſiſſet, univerſum populum teneret. Liv. l.* 3. *c.* 55. Verum obſervandum plebem ſuis ſeceſſionibus tandem obtinuiſſe a Patribus, ut ſibi quoque conſtituere jura liceret, quæ non univerſum populum, ſed plebem obligabant, & plebiſcita vocabantur, ad quæ ſancienda non opus erat authoritate Senatus ſive Patrum, quemadmodum in condendis legibus, quæ univerſum populum tenerent. Hinc Pomponius plebiſcitum vocat quod ſioe authoritate patrum conſtitutum eſt §. 1. *de orig. jur.* plebem tantum obligans, id eſt infimam populi multitudinem, ut inquit Cic. *pro Milon.* viliorem partem populi. Differt itaque plebs a populo ut ſpecies a genere, quippe appellatione populi univerſi cives continentur connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus; plebis autem appellatione cæteri cives, exceptis Patriciis & Senatotibus, ſignificantur. Plebiſcitum itaque eſt lex quam plebs, noo populus accepit Gell. *l.* 13. *c.* 20. Donec ut jam dictum ad tollendas diſcordias inter Patres & plebem L. Valerio & M. Horatio coſſ. Lex centuriatis comitiis lata fuerit, qua ſancitum ut plebiſcitis populus etiam teneretur. Sed cave tibi perſuadeas hac lege Patres ſibi adimere voluiſſe authoritatem, quam in ferendis legibus habebant. Populi quidem erat ſciſcere leges comitiis centuriatis rogante conſule, Senatus vero authores fieri debebant, antequam comitia haberi vel rogatio procedete poterat. Quod jus jam olim Romulus Senatui conceſſerat teſte Dionyſ. Halicar. *lib.* 1. *cap.* 66. *Plebi autem tria hac commiſit, magiſtratus creare, leges ſancire, de bello, ſi Rex permiſiſſet, decernere. Non tamen abſolutam in his poteſtatem populo eſſe voluit, niſi & Senatus in iiſdem acceſſit authoritas.* Ita quoque Liv. *lib.* 1. *cap.* 17. *Decreverunt enim, ut cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet ſi patres authores fierent, hodieque in legibus magiſtratibuſque rogandis uſurpatur idem jus, vi adempta: priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres authores fiunt.* Quid autem ſit authorem fieri, perſpici poteſt ex *l. 3. de authorit. tut. Etiamſi interrogatus tutor author fiat, valet authoritas ejus, cum ſe probare dicit id quod agitur: hoc eſt enim authorem fieri.* Sic antiqui vocabant authores mulierum ſine quorum conſenſu rata non erant, quæcunque ab iis geſta atque peracta, ut conſtat ex Cic. pro *Flacc.* & *Cecinn.* Ita etiam ſine authoritate, id eſt ſine conſenſu, & approbatione patrum nulla poterat lex olim promulgari. Huic autem jure renunciaſſe minime dici debet plebiſcitis tribuendo vim univerſum populum obligandi, ita ut & patribus & cæteris civibus præſcriberent, quæ ipſi placerent leges, verum id conceſſerunt tantum plebi, ut quod ipſi libertatis ſuæ tuendæ ſanciviſſent, etiam tenerentur Patres, quibus antea teneri declinabant, *quicquid libertati plebis caveretur, id ſuis decedere opibus credebant*, ut ait Liv. *lib.* 3. *c.* 55. Quamobrem nec leges dicebantur ſed plebiſcita, etiam poſt legem Horatiam. Donec anno *U. C.* 276. Cn. Hortenſius dictator legem hanc renovavit, & comprobavit, quibus temporibus plebiſcita dici deſierunt, ſed quod plebs ſciverat lex appellati cœpit ſive ad ſingulos, ſive ad univerſos, pertineret. Senatum enim admodum tenacem fuiſſe juris ſui probant tot contentiones, & diſcordiæ inter patres & plebem, quiſque poteſtatis quam ſibi competere ſtatuebat, defenſionem adverſum violentiam, qua ſæpe alter alteri ejus partem adimere conabatur, ſuſcipiebat. Quod ſi aliquando Senatus neceſſe habuerit ampliorem poteſtatem plebi quibuſdam in negotiis concedere, ea permiſſio ſtricte interpretanda, ideoque authoritati ſuæ non plus detraxiſſe videri debent, quam exigebat præſens neceſſitas. Ideoque ſi quæratur utri ſummum imperium competat, dicendum videtur non minorem partem Senatum, quam populum ſeu plebem habuiſſe, vel ſalem quas partes quiſque ſummi imperii habuiſſe conſtat, ſuo eas exercuiſſe jure proprio, ita ut neuter ab alterius imperio penderet, cujus arbitrio, actus qui a ſe proficiſcebantur poterant reddi irriti; & idcirco Rempublicam Romanam non popularem, ſed ejus ſtatum bicipitem fuiſſe, id eſt irregularem cenſeo, unde tot inteſtina bella, tot ſeditiones, tot diſcordiæ inter patres & plebem, tot ſeceſſiones, quia in duas partes diſtracta Repub. altera alterius imperio obtemperare recuſabat, utraque ſibi ſummi imperii vindicare partes nitente. Patres querebantur de nimia poteſtate plebis, plebs de ſumma authoritate patrum, quam ſibi vindicabant in ſe, unde continuis & quotidie fere novis contentionibus, atque diſcordiis miſere jactabatur civitas, quibus non tam aliquod ſummum poterat mederi imperium,

rium, quam vel foris neceſſitas belli gerendi, vel pacta & conventiones interponendo, ita ut tanquam æqualis cum æquali patres cum plebe convenirent, ut poſt ejectis regibus in Aventino monte factum. Neque unquam tanquam cauſa mutui diſſidii, vel a patribus, vel a plebe allegata violatum obſequium, quod vel patribus plebs, vel patres plebi tanquam penes alterum ſumma reſediſſet majeſtas, debebant, ſed pacti & fœderis violati ſæpius mentio apud Authores, quemadmodum etiam bicipitis Reipub. ſtatus, tot incommodorum & malorum, quibus Reſpub. Romana tamdiu jactata & miſere concuſſa fuit, cauſa, donec tandem neceſſe habuerit, ſi ſalva eſſe vellet unius cedere imperio. Apud Livium eſt *l. 2. c. 44.* *Principeſque in omnium Etruriæ populorum conciliis fremebant, æternas opes eſſe Romanas, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæviant, id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia eſſent. Diu ſuſtentatum id malum, partim patrum conciliis, partim patientia plebis, jam ad extrema veniſſe, duas civitates ex una factas: ſuos cuique parti magiſtratus, ſuas leges eſſe.* Et idem *lib. 2. cap. 57.* *ab Appio petitur, ut tantam conſularem majeſtatem eſſe vellet, quanta in concordi civitate eſſe poſſet, dum tribuni conſuleſque ad ſe quiſque omnia trahant, nihil relictum eſſe virium in medio, diſtractam laceratamque Rempub. per magiſtratus.* Diſertis autem verbis Reipub. ſtatum deſcribit Saluſtius *in orat. ad Cæſarem de Repub. ordinanda:* cum inquit. *In duas partes ego civitatem diviſam arbitror, ſicut a majoribus accepi, in patres & plebem. Antea authoritas ſumma in patribus erat, vis multo maxima in plebe. Itaque ſæpius in civitate ſeceſſio fuit; ſemperque nobilitatis opes diminuta ſunt, & jus populi amplificatum.* Sic apud Livium *lib. 3. cap. 67.* *Quis finis erit diſcordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc patriam eſſe licebit.* Hunc vero Reipub. bicipitem ſtatum a ſummum ſibi utraque parte vindicante imperio, ortum ſuum habentem, confirmant illa patrum cum populo non tanquam cum cive, ſed ſibi æquali jure & poteſtate ſeditionis ſedandæ cauſa inita pacta & fœdera, quorum ſæpiſſime apud Dionyſium mentio *l. 7. & l. 9. & 10.* Hinc Tribunus ad patres in cauſa Marcii, qui tollendam tribunitiam poteſtatem ſuaſerat. *Nunc ſtare debetis pacis condiſionibus. Deos enim nobis dediſtis ſponſores fœderis, multa & dira imprecati ejus tranſgreſſoribus.*

XX. 1. Magis ad rem pertinet quod Ariſtoſteles ſcripſit, inter regnum plenum, quod παμβασιλείαν vocat, (eadem eſt παντελὴς μοναρχία, Sophocli Antigone; Plutarcho ἀνυπεύθυνος βασιλεία καὶ ἀνυπόδικος. Straboni, ἐξουσία αὐτοτελής) & regnum Laconicum, qui merus eſt principatus, aliquot regni ſpecies eſſe interjectas. Ego exemplum hujus rei dari arbitror poſſe in regibus Hebræis: nam hi quin in rebus pleriſque ſummo jure imperaverint, dubitari nefas arbitror. Voluerat enim populus regem quales habebant vicini: at Orientis populi addicte admodum regnabantur. Æſchylus Perſis de rege Perſarum ſic loquentem facit Atoſſam:

—— οὐχ ὑπεύθυνος πόλει.
—— *non eſt civitati obnoxius.*

Notum illud Maronis:

Regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant.

Apud Livium: *Syri & Aſiatici genera hominum ſervituti nata.* a quo non diſcrepat illud Apollonii apud Philoſtratum: Ἀσσύριοι καὶ Μῆδοι τὰς τυραννίδας προσκυνοῦσι: *Aſſyrii & Medi dominationem etiam adorant.* Ariſtotelis III Politicorum XIV: οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες, *Aſiatici dominatum æquo animo ferunt.* Et apud Tacitum Civilis Batavi illud ad Gallos: *Servirent Syria Aſiaque & ſuetus regibus oriens*: nam & in Germania, & in Gallia tum reges erant, ſed, ut idem Tacitus notat, precario jure regnandi & auctoritate ſuadendi, non jubendi poteſtate.

Lib. XXXVI. *Hiſt. IV.*

COMMENTARIUS.

Videtur hic Author exempla quædam proferre voluiſſe mixtæ Reipub. & partitæ ſummæ poteſtatis. Sed ſaniorem eorum opinionem exiſtimamus, qui nullam mixturam Rerumpub. ad-

admittunt, tres tantum civitatis regulares formas ſtatuentes, quæ reſultant ex ſubjecto proprio ſummi imperii, & prout illud vel una perſona eſt ſimplex, vel unum concilium, vel ex paucis, vel univerſis conſtans civibus Puſend. *l. 7. c. 5. §. 3.* Quibus diverſis formis diverſa quoque nomina impoſita ſupra annotavimus, ita ut quando proprium ſubjectum ſit una perſona, ſuperiorem nullum agnoſcens, iſtiuſmodi regiminis forma vocetur monarchia; ubi penes plures, non vero omnes cives, ſumma reſidet majeſtas, Ariſtocratia; quando omnes habent facultatem deliberaodi de publicis ad adminiſtrationem Reipub. pertineotibus negotiis, atque jus ferendi ſuffragii, Democratia dicitur. Hæ formæ per ſe ſubſiſtunt, nec magis miſceri poſſunt, quam dividi majeſtatis jura, & venire nomine regularis Reipub. formæ. Quemadmodum homo biceps potius inter monſtra, quam recte formatos homines reputandus, ita ejuſmodi regiminis forma quæ ex diverſis aliis cooflata dicitur, annumerari nequeat regularibus, quæ a ſe invicem diſtinctæ eſſe debent, atque per ſe ſubſiſtere, quin irregulares etiam producere effectus neceſſe eſt, ut jam de Repub. Romana diſputavimus. Quæ autem per ſe ſubſiſtunt, miſceri nequeunt, ut unum quaſi in alterum mutando ex diuerſis eſſentiis conſtitueretur una omnibus propria, & communis. Externa quidem forma vel figura aut extrioſeca conditione & qualitate quædam adjecta & adventitia poſſent videri ſibi quaſi ita intermixta, ut unum aliquod corpus, vel unam eſſeotiam conſtituant. Verum non interna partium diſpoſitione, & qualitate formæ cuique ſecundum ſuam naturam inhærente & innata. Ita nec diverſa ſummi imperii ſubjecta per ſe ſubſiſtentia, ita mixtura ſibi invicem coagulari & uniri poſſunt, ut regularem aliquam civitatis formam tanquam unum ex diverſis tamen cooſiſtens majeſtatis ſubjectis efficerent. Quemadmodum enim unumquodque ſubjectum producit propriam regiminis formam, ex intrinſeca & quaſi innata ſibi qualitate naturali, ita ſicuti ſubjecta nec etiam diverſæ ejuſmodi formæ confundi, atque miſceri poſſunt, ſed quidem conjungi ita ut maneant cuique integræ ſuæ qualites ſuaque eſſentia, verum cum non una conſtituatur aliqua forma aut Reipub. corpus, ſed maneat quæque pars ſeu forma integra & per ſe ſubſiſtens. Quoniam itaque natura impoſſibile eſt, ut oumerus ſingularis poſſit in pluralem mutari & dici ſingularis; ita etiam fieri nequit ut imperium penes unum reſidens ſubjectum, ideoque monarchicum dicatur ſi ad plures conjunctim cives, non tamen omnes, transferatur monarchicum ſit, ſed Ariſtocraticum appellari debet: partim monarchicum partim Ariſtocraticum vero eſſe nequit, & conſtituere unum aliquod per ſe conſtans corpus civitatis, vel regiminis formam per ſe diverſam a Monarchia, vel Ariſtocratia, non magis quam ſi numerum pluralem plane diverſum diceremus a ſingulati conjungendo ſepius ſingularia. Quemadmodum itaque quod ſingulare eſt, neceſſario debet conſtare ex unitate, ita plurale ex pluralitate, unumquodque tamen per ſe ſubſiſtere debet neceſſario, ita ut quod plurale dicimus & ſingulare poſſit in ſe ita transfundi vel miſceri, ut unum non eſſet unum, & duo non eſſent duo, ſed unum & duo cooſtituendo numerum ternarium aliquid natura diverſum efficeretur a numeris ex quibus formatur, niſi quod conjunctione numeri ſuperat priores, unum enim & duo manent per ſe quod ſunt, ſcil. illud ſingulare, hic plorale, ita ut numerus ternarius quidem unum qoid ſit per ſe, & diverſum a ceteris numeris non mixtura, ſed conjunctione. Quippe in numerando quiſque numerus ſuam vim exſerit, & functionem habet diverſam ab aliis, atque etiam noo communicabilem. Idem mihi videtur dicendum de mixtura illarum formarum, quæ ex propriis imperii & ſummæ majeſtatis ſubjectis derivantur, ſcil. eas ita miſceri non poſſe, ut diverſa aliqua a tribus iſtis quas ſtatim deſcripſimus conſtitui poſſet forma, ita temperata, ut quaſi illas abſorbuiſſe videretur, & in unum transfudiſſe quæ cujuſque regiminis, & gubernationis formæ propria, & quaſi ſumma majeſtas penes ſingulas formas reſideus, ſeſe jam per omnes iſtiuſmodi formas diviſim diffuſa, in alio quodam diverſo ſubjecto concurſu coadunaret, mixtura ſubjectorum & formarum quibus indiviſa inhærer. Quippe quemadmodum monarchiæ proprium eſt ut unus ſummum teneat imperium, Ariſtocratiæ plures, Democratiæ omnes habeant cives, & quidem indiviſum, quia id ipſum eſt de natura ſummæ majeſtatis ſive poteſtatis, ita concipi nequit Reſpub. ex diverſis illis formis temperata, niſi ſimul concipiamus tot imperia, tot ſummas majeſtates, quot formas. Quod contrarium eſt civitatis fabricæ & ſtructuræ, quæ nequit diu conſiſtere, niſi tanquam uoum corpus ſub uno eodemque ſummo aliquo imperio contineatur. Uti itaque regularem formam vocamus, quæ convenit Reipub. ſtructuræ & naturæ ſummi imperii; ita irregularem, quæ illi ſimplicitati & unitati contraria eſt. Concipiamus itaque Rempub. mixtam ex diverſis formis ſeu temperatam, illarum autem formarum ſive ſubjectorum ex quibus profluunt proprium eſſe participare ſummum imperium, (nam ſine eo concipi nequeunt, quia ſi unum ſervit alteri, quod prædominatur etiam obtinebit imperium, & idcirco non amplius erunt diverſæ, & diſtinctæ formæ, quorum commune ſubjectum eſt ipſa civitas ſeu Reſpub. quæ illa mixtione peculiarem ſibi formam induit, diverſam a ſingularibus quia mixtam, dico ejuſmodi civitatem oon repræſentare unum corpus ſub uno imperio conſiſtens, nec eſſe poſſe ejuſmodi mixturæ commune ſubjectum, quia, quemadmodum ſummum imperium habere nequit duo ſubjecta propria ſimul codemque tempore, id eſt peoes unam eſſe & etiam plures perſonas, ideo nec commune ſubjectum poteſt eſſe ſubjectum alterius imperii, quam quod ſubjecto proprio inhæret, cujus ſubjectum commune eſt. Ideoque ſi penes unum eſt ſummum imperium civitas vel Reſpub. erit commune ſubjectum monarchici imperii; ſi peoes plures, Ariſtocratici; ſi penes omnes Democratici. Poſito

itaque quod propria ſubjecta imperii, & ſummæ majeſtatis debeant eſſe diſtincta, etiam civitas debet eſſe commune ſubjectum diſtinctum ejus imperii, quod proprio ſubjecto inhæret, & conſequenter non poteſt conſtare ex tribus, vel duobus diverſis iſtiuſmodi formis, quæ ſingulæ concipi nequeunt, ſine ſummo imperio, id eſt ſine ulla ſubordinatione, & ſubmiſſione ratione earum partium, quæ variis perſonis conceduntur adminiſtrandæ, nulla enim eſt ſubjectio, ubi unus alteri non parere cogitur. Verum ſupra annotavimus, ad eſſentiam perfectæ & regularis civitatis requiri, ut in ea talis ſit animorum & voluntatum unitas eademque conſpiratio, per quam omnia, quæ ad ipſam regendam faciunt, velut ab una anima videantur proficiſci, atque hoc impoſſibile eſt, ubi ex tot formis conflata Reſpub. atque penes diverſas perſonas & corpora, ejuſdem Reipub. diviſum & quidem independenter partes ſummi imperii reſideant, quas proprio quaſi jure exercent, & proprio ex judicio adminiſtrent. Ad quem fere modum, referente Appiano, a Pufendorfio adducto, quo regnum Numidiæ poſt mortem Maſiniſſæ Scipio diſpoſuit, ut tres ipſius filii legitimi regio nomine gauderent. Sed inter eos major natu Micipſa Cirtam Regiam obtineret. Alter Guluſſa bello pacique præeſſet, tertius Manaſtabales jus diceret. Addit idem Author, *Citantur inſuper multi antiquorum; apud quos mixtarum rerum pub. frequens eſt mentio. Circa quos illud jam monitum fuit, plurima quæ illi ſuper mixtura rerumpub. tradunt, haud quidquam ad dividendas ſummi imperii partes inter diverſas perſonas, aut concilia pertinere; ſed vel ad rite temperanda requiſita perſonarum, ex quibus concilium componitur, vel ad inſtituta diverſarum Rerumpub. probe combinanda. Deinde putaverim non nulla mixtionum exempla commode poſſe explicari ope diſtinctionis inter ipſum imperium, & modum adminiſtrationis, ut illa Reſpub. ex aliis admixtum quid habere videtur, quorum modus adminiſtrandi ex alia forma petitus videtur, puta ſi in civitate, ubi ſumma rerum eſt penes populum, pleraque per principem vel Senatum expediantur, aut ſi in Ariſtocratia unus inſigni authoritate polleat, vel ſuper multis negotiis populus conſulatur, aut ſi in regno ardua negotiorum ad Senatum populumve referantur.* Ita tamen ut negotiis conſpiciatur ejus ſola majeſtas & ſumma poteſtas, quamobrem diximus in mixtura rerum per ſe ſubſiſtentium quidem externam figuram & formam mutari poſſe, ſed non internam partium diſpoſitionem a qua rei dependet eſſentia, ſic externa Reipub. forma, quæ in modo adminiſtrationis conſiſtit, poteſt quidem cum aliis videri mixta, ſed non interior ejus ſtructura & fabrica, quæ non conſiſtere poteſt in pluribus, ſed una tantum forma regiminis, id eſt unius imperio. ex diverſis itaque formis conjungi non poteſt, quia tota concidere neceſſe ſit, quoniam Reſpub. unum quid eſſe debet, ſine qua unitate non eſt quod eſſe oportet, nec tale poſſunt concipi, ſed diſtractum in partes corpus, plures formæ, ſummæque poteſtates. Vereor ne me ſatis clare explicem circa hanc quæſtionem, ſed quod deeſt, lectoris dexteritati, ingenio ac judicio clarius exponendum & elucidandum relinquo, eique imprimis Puſendorf. commendo, *de jur. nat. gent. lib. 7. cap. 5.* qui diſtincte & clare hanc quæſtionem tractat. Concludimus itaque quemadmodum unum tantum corpus Reſpub. conſtituit, & tanquam una debeat conſiderari perſona, ita etiam unius tantum formæ regiminis, unius ſummi imperii capax eſt: variæ enim formæ civitatem diſtrahunt, quia imperium dividunt, quoniam ſingulæ ejus partes diverſis formis, ſeu perſonis tribui debent, & quidem independenter, quia ſine illa independentia diſtinctæ ejuſmodi formæ concipi nequeunt, & idcirco Reſpub. in tot partes diviſa quot ſunt formæ, & partes ſummi imperii ſingulis tributæ, non poteſt conſiderari tanquam regularis civilis quædam ſocietas, ſed irregularis, quia non omnia ab una anima ac voluntate procedunt, neque omnes & ſinguli communi imperio regi videntur. Quoniam itaque tres tantum formæ quibus ſingulis indiviſum cohæret imperium ſummaque majeſtas, nulla agnoſcimus cum Authore noſtro regna intermedia, diverſa a Regno pleno & Laconico, quaſi mixta quædam. Quemadmodum una tantum eſt forma quæ monarchia dicitur, quæ regni nomine venit, in qua unius tantum majeſtas conſpicitur, & unius nomine imperium tractatur; ita unam tantum regni ſpeciem quatenus diſtincta a cæteris formis regiminis, conſtituendam cenſemus, ad quam omnia referenda. cui itaque idem nomen imponimus id neceſſario ejuſdem quoque ſpeciei eſt dicendum, qui enim poſſumus diſtinctam rei ideam habere, niſi ſingulis rebus imponamus nomina naturæ, & qualitatibus quibus præditæ ſunt, convenientia. Dum itaque regnum dico, ejuſmodi Reipub. formam deſigno, in qua ſummum imperium ſummaque majeſtas integra atque indiviſa penes unum reſidet, ita tamen ut modus illud exercendi, atque habendi in quibuſdam arctius, in aliis magis abſolutus eſſe poſſit, quo fit ut quædam regna abſoluta quædam limitata eſſe dicantur, omnia tamen regni nomine veniunt, & conſequenter referenda ad illam formam & regiminis ſpeciem, quæ monarchia dicitur. Quamobrem & noſtra facimus quæ habet Henninges *in ſuis obſervat. in noſtri authoris opus.* ad hoc §. *Ubi enim apud unum majeſtas reſidet, utcunque ejus operationes externæ ſint reſtricta, regnum eſt, & quidem ſumma poteſtate, quamvis non abſoluta. Illud nunc obſervandum, non probare diviſionem majeſtatis argumentum, deſumptum a toto ad partes. Non enim continuo, quicquid totum eſt, id etiam in partes reales dividi poteſt. Ita anima noſtra totum quid eſt realiter tamen dividi nequit juxta Phyſicorum tradita, ſit in toto corpore tota, & tota in qualibet ejus parte. Idem tradunt de ſervitutibus, in qualibet fundi parte totas eſſe. Concipimus quadem jura majeſtatis mentali operatione, & a ſe invicem diſtinguimus, ob diverſas virtutes ſive potentias, quæ toti poteſtativo inſunt. Separari vero & realiter dividi in diverſa ſubjecta non magis poſſunt, quam pars intellectus Petri, ſive ſimplex, ſive Noetica, ſive etiam dianoëtica, communicari realiter. Objectis circa*

quod

quod majeſtas verſatur, varietas & differentia inducit quandam nominis diverſitatem, cum tamen una tota majeſtas circa ſingula occupeter. Propter indiſſolubilem nexum, pergit, *quo ſibi jura majeſtatis cohærent, fieri nequit, ut vel minima particula, ſine totius interitu abſcindatur, quia minima etiam in totam majeſtatem reſolvitur, vel potius ipſa eſt majeſtas: quam nos mentali conceptu aliter atque aliter nominamus, ob virtutes ſuas quas eminenti compendio complectitur, & in diverſa ſubjecta diffundit.* Regnum autem hic non vocamus cui præeſt ejuſmodi perſona, cui regis nomen tribuitur, verum ubi ut jam diximus penes unum reſidet poteſtas, ſive ducem, ſive principem, ſive comitem: nam ut regiam habere poteſtatem quis poteſt etiam, qui regia caret dignitate; ſic etiam plane regia poteſtate carere poteſt, etiamſi alicui regis nomen tribuatur; regnum itaque ubi unus imperat ſummumque tenet imperium. Quanquam quaſi excellentiori modo regnum dicere ſoleamus, ubi Rex præeſt, omnia regis habens inſignia. Sic & Æſymnetorum poteſtas ſumma & regia fuit, reges tamen non appellabantur, attamen monarchiæ forma ejuſmodi regiminis adſcribenda. Sic regia fuit poteſtas Dictatorum apud Romanos, quamvis reges non appellarentur.

2. Supra quoque notavimus, totum populum Hebræum fuiſſe ſub rege: & Samuel jus regum deſcribens ſatis oſtendit adverſus regis injurias nullam in populo relictam poteſtatem. Quod recte colligunt veteres ex illo Pſalmi: *Tibi ſoli peccavi.* Ad quem locum Hieronymus: *Quod rex erat, & alium non timebat.* Et Ambroſius: *Rex erat, nullis ipſe le-* Lib. 6. *gibus tenebatur, quia liberi ſunt reges a vinculis delictorum: Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit cui non tenebatur obnoxius.* Idem legere eſt apud Iſidorum Peluſiotam epiſtola poſtremo edita CCCLXXXIII. Video conſentire Hebræos, regi in eas leges quæ de officio regis ſcriptæ exſtabant peccanti inflicta verbera: ſed ea apud illos infamia carebant, & a rege in ſignum pœnitentiæ ſponte ſuſpiciebantur, ideoque non a lictore ſed ab eo quem legiſſet ipſe cædebatur, & ſuo arbitrio verberibus ſtatuebat modum: a pœnis autem coactivis adeo liberi erant reges, ut etiam excalceationis lex, quippe cum ignominia conjuncta, in ipſis ceſſaret. Hebræi Barnachmoni ſententia exſtat in dictis Rabbinorum, titulo de Judicibus: *Nulla creatura judicat regem, ſed Deus benedictus.*

COMMENTARIUS.

EXemplum mixturæ ab Hebræorum regno petitum, non eſt omni exceptione majus. Ex ipſis enim teſtimoniis, quæ allegat Author, conſtat regiam plane habuiſſe poteſtatem, non tamen infinitam, ſed juſtam ac legitimam, qualem & recta ratio & ipſa æquitas regi juſte imperanti tribuendam dictat. Quando itaque David inquit *Pſalm. 5. Tibi ſoli peccavi*, eo ſibi non vindicat nullis imperium limitibus circumſcriptum, quaſi omnia liceret in populum decreta etiam injuſta exequi, & quibuſcunque afficere cives injuriis impune, ejuſmodi poteſtatem, quam injuſtam potius dominationem, atque legitimum imperium appellamus, nec abſolutiſſime imperanti tributam ſupra annotavimus, & conſequenter, explicatio hujus loci ex iis quæ alibi diximus petenda. Quamobrem quando, *Tibi ſoli peccavi*, inquit David, hunc verborum ſenſum nonnulli interpretes eſſe affirmant. *Tibi ſoli*, quia interiit Urias, qui ſi viveret, in ipſum quoque peccaſſem, & me ei oporteret ſatisfacere; nunc totum ad te ſpectat, neque mihi niſi a te petenda eſt venia, & adulterii, & homicidii; vel quamvis & homines offenderim, ii tamen omnes nullius ſunt momenti ad te, imo omnes condonant mihi; hoc vero ſolum me excruciat; quod tibi peccavi, tibi qui me a teneris annis, & ab ipſis cunabulis conſervaſti ac defendiſti adverſus inimicorum inſidias, & ab eorum ſanguinolentis manibus toties liberaſti, atque in meam perniciem conflata conſilia in vanitatem mutaſti, tibi inquam & liberatori & benefactori meo ingratus fui; tibi peccavi; non eo ad regiæ dignitatis faſtigium provexiſti me, ut tyrannidem exercerem, ſed populum tuum adverſus aliarum gentium, & nationum invaſionem, & impetum defenderem, ut ſubjectis parcerem & debellarem ſuperbos, &, ut paucis dicam, ut ſaluti populi atque ſecuritati tuendæ poteſtate, quam mihi populus tua providentia conceſſit, uterer; tibi itaque peccavi, quod civem nullas pœnas meritum internecioni tradiderim, quem oportuiſſet defendere adverſum omnem vim atque injuriam, in eum ipſe injuſtus judex imo tyrannus exiſto; tibi itaque ſoli peccavi, quia tuis

vicibus tanquam Rex fungens, tamen enorme delictum admittendo, eam dignitatem adeo turpiter commaculavi. Unde concludimus Davidem quidem habuiſſe ſummum imperium idque Regium, verum affirmare negamus Davidis verba, tam indefinitam & abſolutam regibus poteſtatem tribuendam, quaſi populum nulla injuria poſſet afficere, & conſequenter nunquam ipſi jus eſſet animadvertendi in regem tyrannum, vel legum, quibus imperium accepit, contemptorem. Putat Milton. *in defenſ. pro popul. Angl.* hæc verba non enunciata a Davide quaſi jus regium ampliſſimnm & abſolutiſſimum voluiſſet ſignificare, ita ut ne quidem aliqua ratione poſſet peccare in populum, cum ita inquit *Quaſi vero Rex David in mœrore & lachrymis pœnitentia in agens, ſordidatus & ſqualidus in terra jacens miſericordiam a Deo ſuppliciter petens, quicquam de jure regio cogitaverit, hac locutus, cum ſe vix jure mancipii dignum eſſe arbitraretur. An omnem Dei populum, fratres ſuos, uſque adeo præ ſe contempſit, ut cadibus, adulteriis, rapinis, peccare in eos ſe non poſſe cenſeret? abſit a rege ignorantia, vel ſui, vel proximi. Tibi igitur ſoli peccavi, procul dubio intelligendum, ibi præcipue*, tanquam principali & proprio objecto peccati, cui uni debetur obedientia & competit poteſtas, ſive vindicandi, ſive remittendi peccata. Quod attinet verberarum inflictionem, eam nunquam uſurpatam puto, quia ejus conſuetudinis nulla ſacris in literis mentio, nec ullum exemplum adduci poteſt, regis in hunc modum coërciti, & verberibus caſtigati. Seldenus ex Maimonide refert reges hanc pœnam non ſponte ſuſcepiſſe, ſed a Synedrio, cui quibuſdam in caſibus de regibus judicandi facultatem fuiſſe e Rabbinorum turba nonnulli aſſerunt, fuiſſe inflictam. Huic opinioni quoque Baronius favere videtur, *in ſuis Annalibus. Horum namque judicio, Herodes*, ait, *Rex poſtulatus eſt*, utrumque vero falſum ſtauit, Caſaub. *Exercit. 13. ad Annal. Baron.* aut Synedrium hoc jus habuiſſe; aut in Herodem regem vim ejuſmodi aliquam exercuiſſe. Herodis exemplum nullius momenti eſſe ex eo conſtat, *cum ipſi dicta dies ſit, quando adhuc juvenis & privatus eſſet, cum pater illius Antipater viveret. Hyrcanus obtineret regnum, cum Herodes ſervus regis adhuc eſſet, cum ne ſpem quidem ullam de alieno regno invadendo haberet.* Regiæ ſummæ quoque majeſtatis & poteſtatis, qua ornati fuere reges Hebræorum, argumentum eſt iſtius legis ſolutio, quæ habetur *Deuter.* 25. 9. ſummam inurens ei ignominiam, qui illam excalceationis pœnam perferre deberet, ideoque ab illa immunes reges, ne ſumma majeſtas ejuſmodi contumeliæ obnoxia, vileſceret, & omnem ſuum ſplendorem, authoritatem, & venerationem amitteret. Quamobrem *in Talmud. tract. Sanhedrim. Non judicat Rex, neque de illo judicatur; non dicit teſtimonium, neque contra illum dicitur, non exuit calceum, neque pro ejus uxore quiſquam exuit calceum.*

Exod. XXII, 8. 3. Hæc cum ita ſint, tamen aliqua judicia arbitror regibus ademta,
Deut. I, 17. Manſiſſe penes Synedrium LXXX virûm, quod divino imperio a Moſe
inſtitutum ad Herodis tempora perpetua cooptatione duravit. Ita-
Pſalm. LXXXII, I. que & Moſes & David judices Deos vocant, & judicia vocantur judicia
II *Chron.* XIX. 6, 8. Dei: & judices dicuntur non humana ſed divina vice judicare. Imo
I *Chron.* aperte diſtinguuntur res Dei a rebus regis, ubi res Dei, monentibus
XXVI, 32. doctiſſimis Hebræorum, judicia ex lege Dei exercenda intelligi de-
& II. *Chr.* XIX, bent. Non nego regem Judæorum capitalia quædam judicia per ſe
II. exercuiſſe: qua in re ipſum regi decem tribuum Iſraëliticarum præfert
Jerem. Maimonides: quod & exempla non pauca, tum in ſacris literis, tum
XXXVIII, in ſcriptis Hebræorum, evincunt: ſed quædam cognitionum gene-
5. ra regi videntur non permiſſa, ut de tribu, de Pontifice, de Prophe-
ta. Ejusque rei argumentum eſt in Jeremiæ Prophetæ hiſtoria, quem
cum proceres ad mortem depoſcerent, reſpondit Rex: *Ecce in poteſtate
veſtra eſt, nam contra vos rex nihil poteſt*: in hoc negotiorum genere ſcili-
cet. Imo & qui alia quavis de cauſa apud Synedrium reus factus eſſet,
eum rex judicio eximere non poterat. Ideo Hyrcanus judicium de
Joſ. Ant. XV, XVII. Herode (cum impedire non poſſet) arte eluſit.

COMMENTARIUS.

QUando hoc Synedrium inſtitutum non conveniunt doctores, ſunt qui aſſerunt hoc conſilium in ipſo Ægypto jam cæpiſſe. Alii ejus originem concilio Jethronis adſcribunt, quod

quod habetur *Exod.* 13. 22. Alii a Joſaphate inſtitutum ? *Paral.* 19. 8. Alii vero rectius ſentire videntur, qui ejus originem petunt ex *Num.* XI. *v.* 16. ubi Moſes, ſe imparem ſentiens tanto ſuſtinendo oneri, quam Reipub. gubernatio & juſtitiæ adminiſtratio ſibi imponebat, tum ob populi pervicaciam, tum ob juris jam nuper inducti onus, a Deo petiit tanti oneris aliquod levamen. Deus itaque exaudiens orationem fidelis miniſtri, inquit, *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri; & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & ibi loquar tibi & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Exequitur prompte quod præceptum erat Moſes. *Egreſſus itaque narravit populo verba domini, congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos ſtare fecit circa tabernaculum. Deſcenditque dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris ſenioribus. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus prophetaverunt, nec ultra ceſſaverunt.* Illudque concilium permanſit in Repub. imo ſub ipſis etiam regibus ſuam intactam retinuit authoritatem, regiæ tamen poteſtati nihil derogantem, ut ex Caſanbono annotavimus. Conſtabat vero ex ſeptuaginta viris, cujus Moſes erat caput, in cujus locum poſt ejus obitum ſemper quendam Iſraëlitæ eligebant, quem tanquam Synedrii caput LXX. illis judicibus non adnumeratum, vocavere concilii principem. Expreſſe enim dicitur, ut *tecum ſuſtentent onus*, argumentum concilium conſtitutum ex ſeptuaqinta viris præter Moſen. Fuit autem tribunal omnium, *& numero, & dignitate judicum, utpote qui omnes erant principes populi, ampliſſimum in ea urbe, quam elegit Deus, & caput eſſe ſanctitatis atque imperii ſtatuit, id eſt primum Silo, deinde Hieroſolymis, ſeu primum in tribu Ephraim, deinde Juda, eo conſilio conſtitutum, ut qua a judicibus civitatum ſingularum, variantibus de jure factove ſententiis, definiri non poſſent, huc denique referrentur.* Sig. *de Repub. Hebr. lib.6. cap.* 7. conſtituerunt ergo hoc concilium regum tempore Rex & principes populi ac LXX. ſenioribus & Pontifex cum principibus ſacerdotum, & ſcribis id eſt legis doctoribus. Imo Rex ipſe advocabat concilium, ideoque concilio ſuperiorem fuiſſe non dubitandum, ſummæ enim majeſtatis indicium ſupra demooſtravimus jus cogendi concilium, atque comitia & populi conventus convocandi habere poteſtatem. Statuit tamen Author quædam judicia regibus fuiſſe adempta, atque quædam cognitionum genera ipſi non fuiſſe permiſſa, ut de tribu, de Pontifice, de Propheta, unde judicia vocantur Dei judicia, & Moſes ac David Judices Deos. Hinc illa in ſacris literis diſtinctio qua res Dei aperte a rebus regis diſtinguntur, verum notandum illam judiciorum & judicum appellationem minime inferre judicia quædam adempta fuiſſe regibus, & peculiari quodam jure Synedrio competiſſe atque permiſſa fuiſſe, omnia enim judicia Dei judicia recte vocantur, quia ipſe Rex regum inquit, *Per me regnant reges & judices decernunt juſtitiam.* Quod autem Dii judices vocantur id fit, quia Dei vice in terris funguntur, ab ipſo enim ſummæ poteſtates conſtitutæ; figurate itaque ipſis id dignitatis nomen tribuitur. Huc pertinet allocutio Joſaphatis ad judices a ſe conſtitutos 2. *Paral.* 19. 6. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.* Per res Dei non ſecundum authoris mentem intelligenda ea quæ ex divinis legibus dijudicanda ſunt, res regis, quæ arbitrio principis ſeu regis permiſſæ fuerunt; verum per res Dei intelligendæ videntur res eccleſiaſticæ ſeu ſacræ. Per res regis cauſæ civiles, quod probatur 2 *Chron.* 19. 11. ubi conſtitutum ut Azarias ſacerdos præſideret his quæ ad Deum pertinent. Zabadias autem Dux ſuper opera eſſet, quæ ad regis officium pertinent, non conſtituuntur duplicis generis judicia, eaque partita inter regem & Pontificem, quaſi rerum ſacrarum cognitio ſolum ſpectaret ad Pontificem ejuſque adſeſſores, civilium pertineret ad regem, ſed coram iiſdem judicibus & cauſæ eccleſiaſticæ & civiles expediebantur, cujus caput Rex ſeu princeps, cæteri judices conſtabant tum ex perſonis cultui divino peragendo deſtinatis, tum ex ſecularibus res civiles adminiſtrantibus; præſidebat vero Pontifex rebus eccleſiaſticis; Rex civilibus ad Reip. gubernationem pertinentibus. Quanquam vero concedat Author reges jus vitæ neciſque habuiſſe, excipit tamen cognitionis quædam genera. Alii ſtatuunt id ipſum nullo probari poſſe argumento, verum ea ſacris potius conſtare literis regem cum circa ea, quæ ad civilem adminiſtrationem pertinebant, tum etiam quæ ſacra ſpectabant, poteſtatem habuiſſe, cui cedere etiam ſummus Pontifex neceſſe habebat. Videtur id ipſum confirmari poſſe 1 *Sam.* 6. 12. Sic David ordinavit proceſſionem illam celebrem & gaudio plenam, qua transferebatur arca domini in civitatem David. Sic Salomon pro poteſtate ſibi conceſſa in omnis generis cives, removit a miniſterio, & a loco regali Abjathar ſacerdotem. 1 *Reg.* 2. 27. ad quem locum commentatores. *Summi ſacerdotes apud Hebræos, ſicut a regibus inſtituebantur, ita & ab iiſdem gravi ex culpa deſtitui, imo & morte puniri poterant; erant enim ſubditi, ideoque ſedente rege ſtabat ſummus ſacerdos In ſacra Hiſtoria nuſquam pontifices dejecerunt reges; at e diverſo, authoritate ſua Pontifices in ordinem redegerunt atque dejecerunt.* Sed objicit Author *Jerem.* 38. 5. ubi Rex Zedechias proceribus ad mortem depoſcentibus Prophetam Jeremiam, coactus fuit cedere eorum precibus, exponendo & tradendo virum pium ad libidinem impiorum principum, *nec enim*, inquit Rex, contra vos *quidquam poſſum*, id eſt non permittunt jura, quibus & ipſe alligatus ſum, in hoc negotiorum genere declinare quod petitis. In manibus enim veſtris eſt, cujus eſt judicare de Propheta vero & falſo. Verum non adeo liquidum eſt an illa verba de facto vel de jure interpretanda. Et puto de facto, nihil quicquam poſſe ſe fatetur Rex contra proceres, quia regiam majeſtatem tanta in vera-

neratione habebant, quin plus apud eos valeret vindictæ cupido, cui ſatisfacere & inſervire Jeremiam enixe dedi petentes, mavultis, quam regi veſtro illum dedere detrectanti, debitam obedientiam & venerationem præſtare, & conſequenter quia experior vos me non eſſe regem, atque ita dominari, ut velim nolim cogar vobis cedere; *In manibus itaque veſtris eſt*, temporibus inſervire & neceſſitati cedere coactus, *nihil quicquam contra vos poſſum.* De jure vero regem habuiſſe arbitrium quod poſcebant, vel concedere, vel denegare, conſtat ex ipſa petitione procerum, utpote cui jus vitæ & necis competiiſſe conſtat ex Maimonide quem adducit Seldenus *de Synedr. lib. 2. cap.* 14. Ideoque mens erat ut juſſu regis ad mortem raperetur Jeremias, detrectat vero Rex exequi quod poterat. Atqui obſiſterent regi, tradit eum in eorum poteſtatem addita cauſa ſine ſe facile ipſis fore totum negotium perficere. De Herode jam diximus in præcedenti *num.*

4. In Macedonia a Carano orti, ut apud Arrianum Calliſthenes ait, *οὐ βίᾳ ἀλλὰ νόμῳ Μακεδόνων ἄρχοντες διετέλεσαν; non vi ſed lege in Macedonas imperium obtinebant.* Curtius libro IV: *Macedones aſſueti regio imperio: ſed in majore libertatis umbra quam cæteræ gentes.* Nam & judicia de civium capite non erant penes regem. Idem Curtius lib. VI: *De capitalibus rebus vetuſto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi: nihil poteſtas regum valebat, niſi prius valuiſſet auctoritas.* Eſt & alterum mixturæ hujus indicium alio Curtii loco: *Macedones ſcivere gentis ſuæ mores, ne rex pedes venaretur,*
Lib. VIII. *ſine electis principum amicorumve.* Tacitus de Gothonibus: *Regnantur paulo jam addictius quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* Nam principatum ante deſcripſerat anctoritate ſuadendi, non jubendi poteſtate: regnum autem plenum poſtea his verbis: *Unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario regnandi jure.* Euſtathius ad ſextum Odyſſeæ, ubi Phæacum reſpublica deſcribitur, ait eſſe *σύνθετον βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας; mixtum aliquid ex regis & procerum poteſtate.*

COMMENTARIUS.

Exempla quæ hic adducit Author eo ſolum tendunt, ut mixturam formarum in Rebuſp. locum ſibi vindicare poſſe probaret; de ipſa mixtura jam egimus. Quod vero teſtimonia hæc attinet, nihil aliud probant, quam apud Macedones regium imperium non ita abſolute tractatum ſicuti quidem alias gentes & nationes. Capitalia judicia non erant penes regem privative, id eſt excluſa authoritate ſive exercitus in bello, ſive vulgi in pace, nec etiam exercitui vel vulgo competebat authoritas judicandi, & exequendi judicatum ſine cognitione & aſſenſu regis. Ita enim Polybius *lib. 5. cap. 27. Apellem Philippus Corinthum juſſit navigare, cognita mox Magaleæ fuga, cetratos quorum Dux erat Leontius, Triphyliam cum Taurione tanquam opera illorum in aliqua neceſſaria reuſurus, mittit; ſtatimque poſt horum abitum Leontium ad luendam pecuniam pro qua ſpoponderat in vincula duci jubet. Ejus rei certiores facti cetrati per quendam a Leontio miſſum, regem per legatos orant, ſi propter aliam aliquam cauſam Leontium duci juſſiſſet, ne ipſis abſentibus de accuſatione illius vellet cognoſcere: alioquin pro ingenti contumelia factum Philippi ſe ducturos, atque omnino haud probaturos (ſic enim Macedones æquo jure cum ſuis regibus poterant uti).* Verum an hæc mixtura regiminis dicenda, ubi ſumma majeſtas penes regem, populum vero authoritatem ſuadendi, & cum rege ſimul deliberandi, & judicandi de capite civis vel militis facultatem habet. Non denegant Philippo judicandi & cognoſcendi de crimine jus, ſed orant regem ne ſe abſentibus eam ſuſcipere velit, illud enim ſibi jus quæſitum, ut capitalibus judiciis intereſſe poſſent, vetuſto Macedonum modo in eo negotio ſe æquo jure cum rege uti poſſe. Majeſtatis enim nec ſummi imperii hic diviſa jura, ſed conjunctim exercendi jus populo, ſive exercitui quodam vetuſto more, & ab immemoriali tempore introducta conſuetudine acquiſitum, ſine dubio permiſſu & conſenſu regis; nulla mixtura regiminis ſine diviſione majeſtatis ſummique imperii, ut ſupra demonſtratum, illa enim diviſio adeo mixturæ regiminis propria eſt, ut ſine illa concipi nequeat, quod enim non habetur & exercetur jure proprio, independenter non poteſt dici ſummum participare imperium, & conſequenter ejuſmodi mixturam introducere. Sed ubi ergo ſumma majeſtas? oportet enim eam rediiſſe vel apud vulgum, vel exercitum in hoc negotii genere: apud Philippum reſediſſe non videtur, utpote qui neceſſe haberet agnoſcere authoritatem non ſolum ſuadendi, ſed etiam decernendi poteſtatem: nec apud populum vel exercitum, quia non excludere poterat cognitio-

Google

tionem regis. Reſp. penes regem, quod enim ita conjunctim exercetur, non dividit majeſtatem ipſam & ſummum imperium, ſed ejus exercendi modum coarctat, in omnibus negotiis regis ſola conſpiciebatur majeſtas, regis ubique prædicabatur nomen, regium exaudiebatur imperium.

5. Simile quid in Romanorum regum temporibus obſervo; nam tum omnia ferme negotia manu regia expediebantur. *Romulus nobis, ut libitum, imperaverat*, inquit Tacitus. *Conſtat initio civitatis reges omnem poteſtatem habuiſſe*, inquit Pomponius: tamen quædam populo excepta etiam illo tempore vult Halicarnaſſenſis. Quod ſi Romanis magis credimus, in cauſis quibuſdam provocationem ad populum a regibus fuiſſe ex Ciceronis de Republica libris, ex pontificalibus quoque libris & Feneſtella annotavit Seneca. Mox Servius Tullius, non tam jure *Epiſt.*
quam auris popularibus ad regnum pervectus, plus etiam vim regni 100.
imminuit: quippe ut loquitur Tacitus, *ſanctor legum queis etiam reges ob-* III *An-*
temperarent. Quominus mirandum quod Livius dicit, primorum *nal.*
conſulum poteſtatem a regia hoc ferme uno diſtitiſſe quod annua eſſet.

COMMENTARIUS.

REipub. Romanæ formam ſub regibus non mixtam, ſed plane monarchicam fuiſſe, quis in dubium revocare poſſet, qui eam diligenter examinat, & probaot ipſa ab Authore adducta Scriptorum antiquorum teſtimonia. Quod ſi quædam ſummi imperii jura populo communicarunt, & nonnullis publicis negotiis peragendis intereſſe conceſſerint, ex eo non poteſt inferri partitio ſummæ majeſtatis, ſine qua nulla mixtura. Aliud quid eſt aliquem admittere ad Rempub. ſecum adminiſtrandam, vel publica quædam peragenda negotia, aliud eſt partiri imperium, ita ut pars quædam ejus conferatur in alium abdicative, nullo ſibl quoad illam partem, vel approbandi, vel revocandi reſervato jure. Teſtatur quidem Dionyſ. Halicarnaſſenſis *lib.* 4. *pag.* 224. trium rerum, maximarum & ſumme neceſſariarum, penes populum ex priſco inſtituto arbitrium fuiſſe, ſcil. creaodi magiſtratus, tam domi quam militiæ, leges confirmandi vel abrogandi, bellum pacemve decernendi. Sed nulla inde mixtura monarchiæ & democratiæ derivari poteſt, nam ſecundum priſcum Romuli inſtitutum hæc tria plebi commiſſa permiſſu Romuli, ut conjunctim & ſimul cum rege decernerent de bello & pace, & magiſtratus crearent, legeſve conderent. Itaque non diviſit cum plebe imperium, ſed quarundam rerum adminiſtrationem ſibi ſoli reſervat, de quibuſdam deliberandi etiam plebi conceſſit facultatem. Nec magis mixtam Reipub. Romanæ formam probat provocatio a Rege ad populum, cujus unum tantum nobis Romanarum rerum Scriptores produnt exemplum Horatii, provocantis a Rege Tullio, ad quem in jus raptus ob interfectam ſororem fuerat, ad judicium populi. Atqui in rebus criminalibus ejuſmodi provocationem obtinuiſſe conſtat ex Livio. Verum repetendum nobis hic in tranſgreſſu quod alibi diſputavimus de ratione, qua hoc provocandi jus nititur; qua cognita facile perſpiciemus, illud ipſum neutiquam ſummum penes reges reſidens imperium imminniſſe, vel eo partitum fuiſſe inter populum regemque. Meo judicio illa provocatio non debet conſiderari tanquam jus aliquod præcipuum populo quæſitum, & ab eo exercitum tanquam jure proprio, & anthoritate independenti, verum tanquam ſpontaneam & ex libera regis voluntate profectam conceſſionem habendam exiſtimo. Videntur paullulum circa provocandi modum diſſentire a ſe invicem ſcriptores Livius, & Dionyſius, & Valerius. Tradit Liv. *lib.* 1. Horatium ad Regum Tullum Hoſtilium in jus vocatum fuiſſe, verum regem, ne ipſe tam triſtis in gratique ad vulgus judicii, ac ſecundum judicium ſupplicii Anthor eſſet concilio populi advocato, *duumviros, qui Horatium perduellionem judicarent, feciſſe*. Dionyſius teſtatur Regem Tullum Hoſtilium cognitionem criminis ſuſcepiſſe, verum cum neque condemnare vellet civem, optime de Repub. meritum, neque nocentem abſolvere, eam cognitionem ad populum remiſiſſe. Valerius ſibi non conſtat, *lib.* 6. *cap.* 3. refert enim Horatium, cum ſororem ſuam virginem, Curatii ſponſi mortem profuſius, quam illa ætas debebat, flentem vidiſſet, gladio, quo patriæ rem bene geſſerat, interemiſſe, & hoc nomine reum ad populum actum fuiſſe, nec regis, nec provocationis mentionem faciens. Cum tamen *lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 1. tradat *M. Horatium, interfecto ſororis crimine, a Tullo rege damnatum, ad populum provocato, judicio abſolutum fuiſſe*. Quibus ex verbis perſpicimus cognitionem rerum criminalium pertinuiſſe ad regem, verum a rege ad populum provocare potuiſſe reum, & ideirco a populo irritum reddi vel approbari judicium regis, qui eſt actus ſummi imperii.

Scripſe-

Scripſerat quoque M. Tullus in libris de republica referente Seneca *Epiſt.* 108. *provocationem ad populum quoque a regibus fuiſſe.* Et M. Fabius apud Liv. *lib.* 8. *cap.* 33. ad dictatorem orationem habens. *Quandoquidem*, inquit, *apud te nec authoritas Senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitaſque magiſtri equitum, a te ipſo nominati, valet: nec preces, quæ ſæpe hoſtes mitigavere, quæ deorum iras placant, tribunos plebis appello, & provoco ad populum eumque tibi fugienti Senatus judicium, judicem fero, qui certe unus plus quam tua dictatura poteſt polletque, videro ceſſuruſne provocationi jus cui Rex Romanus Tullus Hoſtilius ceſſit.* Videamus quo pacto hæc omnia poſſint conciliari. Id vero certiſſimum, penes regem fuiſſe ſummam poteſtatem, ideoque & jus animadvertendi in facinoroſos, ſed ſtio an illud habuerit a ſe ipſis, ita ut etiam illud invito populo Rex ad quem reus provocaverat exercere potuerit; quod dicendum videtur. Quippe ipſe Livius tradit *l.* 2. *Tarquinium Superbum cognitionem rerum criminalium per ſe ſolum & ſine concilio exercuiſſe, perque eam cauſam occidere, in exilium agere, bonis multare potuiſſe.* Itaque cum conſtat initio civitatis reges omnem habuiſſe poteſtatem, ut Tacitus teſtatur, & Pomponius *l.* 1. *de O. Jur.* quorſum ad populum provocatio. Si itaque diligenter examinemus, quæ ſtatim allegati ſcriptores de provocatione a rege ad populum tradunt, facile ex illis perſpicimus, Horatianæ cædis cognitionem pertinuiſſe quidem ad regem Tullum Hoſtilium, quemadmodum & ſequentes reges, verum ne tam triſtis ingratique judicii invidiam apud populum ſubiret, vel Author eſſet ſubvertendi judicii ſi abſolviſſet reum; Tulli Regi optimum factu viſum cognitionis ad populum referre. Tradit Livius regem concilio populi advocato duumviros creaſſe, qui Horatium ſecundum legem perduellionem judicarent. Quod idem eſt ac ſi ipſe ſuſcepiſſet cognitionem, quippe quod ad ſe pertinebat, demandavit duumviris, qui ſua vice fungerentur, quod enim quis per alium facit, per ſe fecisse videtur. Dionyſius quidem nullam mentionem facit concilii a Rege Tullo convocati, neque duumvirorum quibus illam cognitionem demandavit, neque provocationis. Verum teſtatur regem ipſum primo ſuſcepiſſe cognitionem, & tandem poſt longam hæſitationem ipſi viſum factu optimum illam ad populum referre, propter rationem jam dictam. Ideoque regem criminalem juriſdictionem, ſive merum imperium habuiſſe privative, & a ſe ipſo ſuo jure, & regia dignitate, regioque imperio, quamobrem affirmat Livius ſtatim poſt facinus admiſſum raptum ad regem in jus fuiſſe Horatium, & in eo cum Livio conſentit Dionyſius. Verum minus accurate formam judicij, habendi a Rege Tullo, obſervatam deſcribit, quam cum omnibus circumſtantiis, ut ita dicam, deſcribere nobis voluit Livius. Atqui nihil intereſt an per modum provocandi a duumviris, vel directe a rege ad populum interveniente provocatione cauſæ cognitio delata fuerit. Modo probetur populum de Horatiana cæde judicium non habuiſſe, niſi rege conſentiente. Itaque quod Dionyſius minus dicit, ſupplendum ex Livio. Et eo ſenſu intelligenda quæ tradit Valerius *lib.* 4. *cap.* 1. *M. Horatium interfectæ ſororis crimine a Tullo rege damnatum*, nullam duumvirorum mentionem faciens, quamvis *lib.* 6. *cap.* 3, de rege ſilens, dicat *hoc nomine apud populum reum actum Horatium*, id eſt permittente & volente Tullo Hoſtilio, cujus conſenſus rationem ſtatim allegavimus ex Livio & Dionyſ. Itaque ſponte & voluntario ceſſit Rex provocationi. Quippe conſtat Horatio regem authorem fuiſſe, ut provocaret ad populi judicium, ex iis quæ habent allegati ſcriptores, acceſſerat lictor, injiciebatque laqueum, *Tum Horatius, Authore Tullo, clemente legis interprete*, PROVOCO inquit, unde concludimus quod aliquando contigit in judicio Horatianæ cædis, principe volente, ex eo deduci non poſſe jus aliquod populo quæſitum, & eam ſummi imperii partem conceſſam cujus intuitu recte dici poſſet Romanæ Reipub. forma ſub regibus mixta fuiſſe, quoniam nulla reo ad populum provocandi licentia, niſi ex ſpeciali conſenſu principis.

6. Similis etiam mixtura ex populari & optimatum potentia Romæ fuit tempore interregni, & primis Conſulum temporibus: nam in rebus quibuſdam iiſque majoribus, ita demum ratum erat quod populus juſſiſſet, ſi patres auctores fierent: quod poſtea, vi populi aucta, ſpeciem tantum veterem retinuit, cum in incertum comitiorum eventum patres auctores fieri cœperunt, ut Livius & Dionyſius notant. Quin & ſerius aliquanto mixturæ manſit aliquid, quamdiu, ut idem loquitur Livius, imperium penes Patricios, (id eſt Senatum;) penes tribunos (id eſt plebem) auxilium erat, jus nempe vetandi, ſive intercedendi.

Liv. lib. VI.

COMMENTARIUS.

SUpra annotavimus *fieri authorem*, qui probare ſe dicit id, quod geritur. Fiebant itaque *patres authores*, quando rem factam probarent, ita ut tum demum rata eſſe poſſent quæ juſſerat populus

pulus

pulus, ſi probaſſent patres. Quamdiu itaque hoc jus patres ſibi intactum reſervare potuerunt, omnem vim imperii habuiſſe dicendum eſt, & conſequenter Ariſtocratiam fuiſſe tum temporis Reipub. Romanæ formam, negari nequit. Quando vero eo crevit authoritas tribunorum, ut ſacroſancta eorum fore corpora lege cautum, eoque venerunt poteſtatis, ut comitia conſulum prætorumve, & aliorum magiſtratuum habere, & nequid fieret inhibere, Senatum diſſolvere, quibuſcunque magiſtratibus diem dicere, Ærarii curam gerere, patricios cogere, mulctam irrogare, atque Senatus decreta approbare & improbare poterant, quid ſummi imperii Senatui ſive patriciis reliquum fuit? cujus reſpectu poſſet videri imperium cum plebe partitum, & conſequenter eo tempore mixturam ex populari, & optimatium potentia Romæ fuiſſe. Vide de amplitudine hujus tribunitiæ poteſtatis, quæ annotavimus ad §. 10. *ff. de Origine juris.*

7. Sic & Iſocrates Athenienſium rempublicam Solonis temporibus vult fuiſſe δημοκρατίαν ἀριστοκρατίᾳ μεμιγμένην, poteſtatem optimatium populari mixtam. His poſitis quæſtiones quaſdam quæ frequentem in hoc argumento uſum habent examinemus.

COMMENTARIUS.

R*Eſpublica Athenienſis non uno neque eo perpetuo Reipub. genere uſa eſt, ſed pro rerum conditione & temporum varietate, diverſo. Siquidem ab initio regium, deinde popularem, aliquando tyrannorum, ſæpe etiam paucorum dominatum atque imperium pertulit.* Sig. de *Repub. Athenienſ. cap.* I. Annotavit ad *h. l.* Doctiſſimus Boecler. *Grotium non recte cepiſſe mentem Iſocratis. Res ita habet*, inquit: *Reſpub. Athenienſium vere & proprie fuit popularis, ſed ex inſtituto Solonis Ariſtocratice temperata, non mixta. Id temperamentum ubique commendat Iſocrates: videns ſcilicet, ſubinde cives a bonis politiæ rationibus declinare ad licentiam popularem, qua is Reipub. ſtatus plurimum periclitatur.* Ita enim Ariſtoteles 2 *de Repub. cap.* 12. *de Solone. Solonem*, inquit, *autem nonnulli bonum legiſlatorem fuiſſe putant. Nam & paucorum dominatum ſuſtulit: & populum ſervientem liberavit, & patriam democratiam recte temperata Repub. conſtituit*, &c.

XXI. 1. Prima eſt, an ſummum imperium habere poſſit is qui inæquali fœdere tenetur. Inæquale fœdus hic intelligo, non quod inter viribus diſpares initur, quomodo Thebana civitas Pelopidæ tempore fœdus cum Perſarum rege habuit, & Romani olim cum Maſſilienſibus, deinde cum rege Maſiniſſa; nec quod actum habet tranſeuntem, ut cum hoſtis qui ſit ad amicitiam recipitur, dum impenſas belli ſolvat, aut aliud quid præſtet: ſed quod ex ipſa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri donat; hoc eſt ubi quis tenetur alterius imperium ac majeſtatem conſervare, ut in fœdere Ætolorum cum Romanis erat, id eſt, tum operam dare ut ejus imperium in tuto ſit, tum ut dignitas, quæ majeſtatis nomine ſignificatur, ei conſtet, Imperii reverentiam dixit Tacitus: & ſic explicat: *Sede finibusque in ſua ripa, mente animoque nobiſcum agunt.* Florus: *illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, ſentiebant tamen magnitudinem, & victorem gentium populum Romanum reverebantur.* Ad quod genus referenda ſunt jura quædam eorum quæ nunc vocantur protectionis, advocatiæ mundiburgii: Item jus urbium matricum in colonias apud Græcos: Nam ut Thucydides ait, coloniæ cum urbibus matricibus pari erant jure libertatis, ſed debebant τιμᾶν τὴν μητρόπολιν, & exhibere τὰ γέρα τὰ νομιζόμενα, reverentiam ſcilicet & honoris ſigna quædam.

Juſtin. lib. XLIII. Val. Max. l. VII. c. I. — *Lib. IV.* — *Lib. I.*

DE fœderibus & pactionibus, atque ſponſionibus infra nobis diſputandi erit occaſio; hic tantum examinandum nobis incumbit peculiaris illa quæſtio, *an fœdus inæquale ſummum im-*

perium imminuat. Fœdus enim dividitur in *æquale* & *inæquale*; ex cognitione & deſcriptione unius &c. ſcendit notitia alterius. Fœdus æquale dicitur, quando utriuſque partis conditio æqualis eſt, ita ut unus non in plus quam alter ſit obligatus ad aliquid præſtandum, vel patiendum, niſi idem præſtetur a ſocio. Pactiones ſeu fœdera æqualia vocat Iſocrates *Panegyr. cum par & æquum jus utriſque tribuitur.* Æquum enim ſive æquale dictum, quod veram ex utraque parte æqualitatem habet. Et eo ſenſu apud Phædrum *æquæ leges* dicuntur, non tantum ſimpliciter ut opponuntur iniquis, ſed reſpectu ad cives, quos & faciebant æquales, & æquali jure continebant. Cicero æqualitatem juris appellat. Quo ſenſu qui fœdere ſibi juncti alter altero non ſuperior dici poteſt, *ſi pares bello, æquo fœdere, in pacem atque in amicitiam veniunt*, ut apud Livium eſt. Inter quos omnia una eademque lance trutinantur. Et poſſunt ejuſmodi fœdera iniri, vel circa commercia, vel bellicam ſocietatem, de quibus ſuo loco. Huc ſpectat quod inquit, Joram Regi Joſaphat. *Sicut ego ſum ita & tu: ſicut populus meus ſic populus tuus, & equites mei equites tui.* 1 *Reg.* 22. 4. & 2 *Reg.* 3. 7. Vox enim Hebræa *Caph* ſignificat æqualitatem, vel æquitatis, vel conditionis. Inæquale autem fœdus dicitur, quando non pares ſunt conditiones fœderatorum, ita ut alius alio quicquam ex contracto fœdere magis minuſve præſtare, vel agere aut pati teneatur. Verum notandum quod hic Author obſervandum admonet, ſe non habere ſermonem de ejuſmodi fœdere, quod actum habet tranſeuntem ſummum imperium neutiquam imminuentem, ſcil. quod continet quaſdam præſtationes tranſitorias, quæ ſtatim ut ſolutæ ſunt, ſolutione ejus quod debebatur, perimuntur, ſcil. quando in pace alteri parti injungitur alterius militibus ſtipendium quoddam ſolvere, ſumtus belli reſtituere, vel alia quædam pangendo fœdere promiſſa præſtare, ut mœnia arceſque diruere. Sic caverant Philiſteji fœdere, ne ferrarius eſſet in omni terra Iſrael, 1 *Sam.* 13. 19. & 20. Cui convenit lex quam Porſennam regem in fœdere cum Romanis poſuiſſe, *ne ferro niſi in agriculturam uterentur*, tradit Plin. *hiſt. naturali lib.* 34. *cap.* 13. Verum omnis diſputatio eſt, an imperium non imminuant præſtationes ex vi conventionis, vel fœderis permanentis obligatoriæ a parte inferiori, quæ annexam habent ſuperioritatem & eminentiam in inferiores conjunctam cum reverentia, & veneratione quadam præſtanda ſuperiori, vel *tacite*, vel *expreſſe*. Tacite ſeſe obligaſſe & quidem per conſequentiam dicitur, ſi quis populum exterum in patronum defenſoremque ſibi aſſumpſit. *Expreſſe*, ſi ipſis fœderum tabulis inferatur, ut quis teneatur alterius imperium, & majeſtatem conſervare, ideoque alterum dignitate ſe ſuperiorem agnoſcere, & in omnibus actionibus ipſi reverentiam, & venerationem quandam exhibere. Huc pertinet fœdus Ætolorum cum Romanis de quo Livius. 38. *cap.* 11. *Diu jactati Ætoli, tandem ut ad conditiones pacis convenirent, effecerunt: fuerunt autem hæ. Imperium majeſtatemque populi Romani gens Ætolorum conſervato ſine dolo malo. Ne quem exercitum qui adverſus ſocios amicosve eorum ducetur, per fines ſuos tranſire ſinito, neve ulla ope juvato. Eoſdem hoſtes habeto quos populus Rom. armaque in eos ferto. Bellumque pariter gerito; perfugas, fugitivos, captivoſque, reddito.* Ad quem locum Bodinus. *Liberum quidem imperium Ætolis reliquerunt, ſed iis conditionibus, ut paulo minus quam Romano imperio ſubditi viderentur.* Aliter ſentire Author videtur, cum ejuſmodi fœdere nihil aliud cautum dicit, quam ut imperium ejus, qui eſt ſuperior in fœdere, in tuto ſit, tum ut dignitas ei conſtet, quæ majeſtatis nomine ſignificatur. Ideoque ſui juris manet populus, ſummumque imperium ſervat ſibi integrum, ea tamen conditione ut utatur ad conſervandum alienum, illudque veneretur & reverenter habeat, non tamen agnoſcat tanquam ſubjectus. Solent minus potentes adhærere potentioribus, non ut fiant ſubditi, ſed ut defendantur. ad hoc genus refert quoque Author jura protectionis, *Advocatiæ* & *Mundiburgii*, minus hoc eſt quam eſſe ſub protectione. *Et tamen ſub protectione aut commendatione eſſe, non eſt eſſe ſub juriſdictione, ſed ſub defenſione facti ab injuriis & violentiis, & ea per milites armaque.* Alberic. Gentil. *de jur. bell. lib.* 3. *Ridiculus*, inquit, *eſt Bartolus, & non nemo alius, & Alciatus cauſa inſervit, dum ajunt fœderatos latine loquentibus ſubditos eſſe, non ſocios aut adhærentes. Imo ſubjectio nec eſt dare aliquid in ſignum ſuperioritatis. Et vere nec ſubjecti dicebantur Pæni, Macedones, & alii, qui tributum tamen pendebant annuum.* Sic quoque jus *Mundiburgii*, nihil aliud quam jus defenſionis & tutelæ ac protectionis. Hinc *Mondboor* Patronus, defenſor, tutor capitis liberi. Apud Longobardos, unde hæc vox originem ſuam videtur habere, quævis fœminæ in *mundio*, id eſt tutela erant; puellæ in mundio ſeu tutela parentum, vel ſi deeſſent, agnatorum: uxores in mundio maritorum. Idem jus advocatiæ, unde advocatus idem quod defenſor. Sic olim advocati Eccleſiæ dicti, qui ejus bona defendebant a potentiorum injuriis, Martini 5. *Epiſtola apud du Cheſne*, referente Anton. Matthæo juris in illuſtri Academia Lugduno-Batava Anteceſſore, *de nobilitate lib.* 2. *cap.* 19. *Quoniam cum advocatus Eccleſiæ idem intelligi debeat quod defenſor*, &c. Defendebat ejus prædia & poſſeſſiones adverſum vim & injuriam; in bona vero eccleſiarum nihil habebat juris. Sic etiam Laici habebant ſuos advocatos, erant enim & provinciarum & civitatum advocati, ut annotat vir Clariſſ. *Rex Rudolphus emit jus ſeu advocatiam dominorum de Lichtenberg, quam habebant ſupra civitatem Argentinenſem*, Annal. Colmarienſ. ad annum 1283, Anonymus apud Piſtor. de Landgraviis Turingiæ *cap.* 94. *Cui comes de Katzenellebogen debebat venire in adjutorium & per advocatos Marchionis captus eſt cum omnibus.* Vide de hac materia plura apud ſtatim allegatum Authorem. Hinc advocatia tuitio & protectio. Apud Baldricum *in Chron. Camerac. lib.* 1. *cap.* 10. Abbatis advocatiam imploravit. Notandum vero, quod cum advocatorum officium erat tutari

tari

Google

tari bello res & facultates eccleſiarum, earumque milites ac vaſallos in aciem educere, eorum quoque fuiſſe eccleſiarum vexilla, cum in propriis eccleſiarum bellis, tum etiam regalibus expeditionibus, deferre, argumentum quod ſumma majeſtas & imperium non penes eum ſed eccleſiam reſidebat, cujus tutelam & patrocinium ſuſceperat.

2. Livius de veteri fœdere inter Romanos, qui Albæ jus omne acceperant, & Latinos Alba oriundos: *In eo fœdere ſuperior Romana res erat.* Recte Andronicus Rhodius poſt Ariſtotelem amicitiæ inter diſpares hoc ait proprium, ut potentiori plus honoris, infirmiori plus auxilii deferatur. Scimus quid ad hanc quæſtionem Proculus reſponderit, ſcilicet liberum eſſe populum qui nullius alterius poteſtati ſubjectus ſit, etiamſi in fœdere comprehenſum ſit ut is populus comiter alterius populi majeſtatem conſervaret. Si ergo populus tali fœdere obligatus liber manet, ſi alterius poteſtati ſubjectus non eſt, ſequitur, ut ſummum imperium retineat. Atque idem de rege pronunciandum eſt. Eſt enim populi liberi & regis, qui vere rex ſit, eadem ratio. Addit Proculus, illud adjici in fœdere, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur alterum non eſſe liberum. Superiorem hic intelligere debemus non poteſtate (jam enim dixerat talem populum alterius poteſtati ſubjectum non eſſe) ſed auctoritate, & dignitate: quod verba ſequentia apta admodum ſimilitudine explicant: *Quemadmodum*, inquit, *clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiam ſi neque auctoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſunt: ſic & eos qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt.*

Lib. 1. Nic. 11, 18.

L. non dubito. D. de cap.

COMMENTARIUS.

Recte adducit huc Author Proculi teſtimonium ad confirmandum fœdere inæquali, non imminui ſummum imperium ejus populi qui obligavit, *ſe alterius majeſtatem comiter conſervare.* Sed & primævam libertatem ac priſtinam, quæ ei competebat ante fœdus initum illibatam & integram retinere, ideoque jura ſua majeſtatis ſummique imperii, ſuperioris inſtar, libere & ex proprio arbitrio exercere, quamvis enim dignitate & authoritate ſuperiori in fœdere impar, par tamen ei libertate. *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus ſive is fœderatus eſt*, inquit Proculus *l. 7. ff. de captiv.* Sic libera erant fœderata oppida: ideoque ſine lictoribus a Romanis magiſtratibus viſebantur. Hinc apud Suet. *in Caligul. cap. 3. Domi foriſque civilis: libera ac fœderata oppida, ſine lictoribus adibat. Earum Roma legatos vetuit conſidere in Orcheſtra? cum quoſdam libertini generis mitti deprehendiſſet.* Addit autem JCtus, etiam populum liberum manere, id eſt ſummum retinere imperium licet fœdere comprehenſum, *ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret.* Quamvis enim dictio *comiter* varias habeat ſignificationes, quam *reverenter*, ut ſtatim annotatum. *Ipſe comiter conſervandi modus honorem reverentiamque majori debitam commonſtret, fidei libertatem ac voluntatem arguit, ſubjectionem non infert, libertatem probat*, inquit vir Ampliſſimus, JCtus ſubtiliſſimus Jac. vander Graeſ. *Syntag. jur. pub. cap. 59.* unde pergit, *eſt illa comis obſervatio? a fœdere. Unde fœdus? a populo libero ſui juris, eoque a libertate. Libertas autem hujus non ad libertatem illius ordinata eſt: ſed fœderis pactione convenitur, ut hic populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret; & hoc adjicitur, ut intelligatur alterum ſuperiorem eſſe. Eoque eſt hæc adjectio quaſi retributum quid, reverentia pro conſervatione. Ac ſi dicatur (quod eſt in diverbio) redhoſtimentum par pari relatum, opera pro pecunia. Hic ſuperior protegit, adſiſtit, malum avertit. Hic honorum deſiderat ab eo cui auxilio eſt, idque ſecundum naturam, qua inferiores ſuperioribus reverentiam præſtare, comiter ſuperioris majeſtatem conſervare tenentur, cum per eam conſervati, neque authoritate, neque dignitate ſuperiori pares ſint.* Pares tamen, ut diximus, libertate, nam ut inquit JCtus, hoc adjicitur, *ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur alterum non eſſe liberum.* Quanta igitur libertas Romanis competit apud exteras gentes, & nationes liberas ac ſui juris, ſuis legibus viventes, tanta viciſſim his tribuenda apud Romanos. Sed fortaſſe quis nobis objiciet illa Ciceronis, *Orat. pro Balbo* ubi inqnit. *Adjunctum etiam illud eſt, quod non eſt in omnibus fœderibus: majeſtatem populi Romani*

mani comiter conſervanto; *id habet hanc vim, ut ſit ille in fœdere inferior. primum verbi genus hoc conſervandi, quo magis in legibus quam fœderibus uti ſolemus, imperantis eſt non precantis. Deinde, cum alterius populi majeſtas conſervari jubetur, de altero ſiletur, certe ille populus in ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cujus majeſtas fœderis ſanctione defenditur*, &c. Quippe in ſuperiori conditione dicitur eſſe quoad dignitatem & authoritatem, non quoad imperium cui inferior in fœdere ſeſe ſubjeciſſe dici poſſet, ſuæ libertati renuncians. Illa itaque obligatio qua inferior tenetur comiter conſervare majeſtatem ſuperioris, non deſcendit ex ejus poteſtate aliqua legiſlatoria, vel ſummo civili imperio, ſed conventione, & conditione fœderi adjecta, in quam conſenſit inferior in ſingulari hoc caſu, & peculiari in cauſa, ſcilicet *ad majeſtatem comiter conſervandam*, id eſt, ut Cicero ipſe explicat, benigne non gravate, tanquam ſubjectus, ſed fœderis ſocius, id eſt liber populus; quod enim ex conventione, & fœdere præſtatur, demonſtrat ſibi eſſe æquales quo ad & libertatem, quæ cum ſummo imperio intelligi nequit: quod enim ſubjecti & cives præſtant, vi imperii, cui ſubſunt, præſtare coacti, ei obtemperare velint nolint, tenentur, & hujus intuitu ſui juris dici nequeunt. Et ſic etiam populis qui ſeſe alieno imperio ſubjecerunt, eadem incumbit obligatio & neceſſitas, quamobrem recte opponuntur populis fœderatis, ut ſtatim videbimus. Ita ad dictam *leg. 7. ff. de captiv.* ſtatim allegatus Author *Sytagm. jur. pub. Superiores hic accidentaliter appellantur, qui ſupra alios ex conſenſu locati, priores ſedes tenent. Simili exemplo principes aliis praeſſe, hoc eſt, aliis antecellere, quod primas capiant ſive teneant ſedes, principes dicti. Superioribus inferiores opponuntur; non quod hic alio ſuperior libertate ſit magis, quam conſularis dignitas plebejo, de quibus licet ſtatu differant, ambos libertatem illibatam ac parem retinuiſſe conſtat, quia ſtatus rei non mutat conditionem, qualitatemve perſona, quoad libertatem l. unic. C. de impon. lucrat. deſcript. Nec ſuperior in res inferiores, quoad hic ſuperior abſque magiſtratura, ille inferior ſuperioris legibus non ſubjectus rite exercet. Cum libertas non ex accidenti aliquo, quale eſt divitem eſſe vel pauperem, ſed ex ipſo politeumate libera poteſtatis aſtimetur. Non obſtante ſuperiore, inferiorem penes libertatem primævam & priſtinam permanere.*

3. Clientes in fide ſunt patronorum; ſic populi fœdere inferiores
Ap. Mithr. Lib. XXXI. in fide populi qui dignitate eſt ſuperior. Sunt ἐπὶ προστασίᾳ, οὐχ ὑποταγῇ, *ſub patrocinio, non ſub ditione*, ut Sylla apud Appianum loquitur; in parte, non in ditione, ut Livius: & Cicero Officiorum ſecundo ſanctiora illa Romanorum tempora deſcribens, patrocinium ſociorum ait
Liv. l. XXVI. penes eos fuiſſe, non imperium. Quicum ſatis convenit dictum illud Scipionis Africani Majoris: *Populum Romanum beneficio quam metu obligare homines malle, exteraſque gentes fide ac ſocietate junctas habere quam triſti ſubjectas ſervitio*: & quæ Strabo commemorat de Lacedæmoniis poſt Romanorum in Græciam adventum: ἔμειναν ἐλεύθεροι, πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν: *manſerunt*, inquit, *liberi nihil conferentes præter operas ſociales.* Sicut patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ita patrocinium publicum non tollit libertatem civilem, quæ ſine ſummo imperio intelligi nequit. Ideo apud Livium opponi videas, in fide eſſe & in ditione: Et Syllæo Arabum regi minatus eſt Auguſtus, teſte Joſepho, ni injuriis in vicinos abſtineret, curaturum ſe ut ex amico ſubditus fieret; cujus conditionis erant reges Armeniæ, quos in ditione Romana fuiſſe ad Vologeſen ſcribebat Pætus, & proinde ſono magis nominis quam re ipſa reges: quales Cypri aliique reges olim ſub regibus Perſis. ὑποταγέντες ſubditi, ut Diodorus loquitur.

COMMENTARIUS.

JCtus in dicta lege in fine, inquit *comiter conſervare majeſtatem*, nihil aliud eſſe quam inſtar clientum reverenter habere majeſtatem ejus, cujus in patrocinium te dediſti, reſervata ſua libertate & poteſtate illibata. *Clientes enim noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque authoritate, neque dignitate, neque viribus nobis pares ſunt*, ait JCtus: ad quæ verba gloſſ. *Clientes & vaſalli dominos licet habeant ſuperiores, ſunt tamen liberi.* Duplex autem clientum conditio erat, prima Theſſalorum & Priſcorum Athenienſium, qui non adeo clementer & civiliter tractaban-

ctabantur, quam quos ad exemplum Græcorum Romulus inſtituit. Solebant enim Græci ſuperbe clientibus ſuis abuti, illis imponentes negotia peragenda, liberos & ingenuos homines neutiquam decentia, & ſi quando imperata opera facere neglexiſſent, verbera intentabant, & ceteris in rebus tanquam mancipia habebant. Dionyſ. Halic. *lib.* 2. id ipſum correxit Romulus, utpote cum voluerit eſſe amicos, inſtitueritque ut potentiorum & humiliorum animos quaſi quodam mutuæ benevolentiæ vinculo conglutinaret, patrem primum, proximum deinde patronum habere juſſit, id eſt, ut interpretatur Gell. *lib.* 5. *cap.* 13. *ex moribus populi Romani, ut primum juxta parentes locum tenere pupillos debere fidei tutelæque noſtræ creditos; ſecundum eos, proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem patrociniumque noſtrum dediderunt.* Hinc M. Cato in oratione, quem dixit apud Cenſores in Lentulum, referente Gellio, ita ſcripſit. *Quod majores ſanctius habuere defendi pupillos, quam clientem non fallere, adverſus cognatos pro cliente teſtantur, teſtimonium adverſum clientem nemo dicit, patrem primum, deinde patronum proximum nomen habere.* Ex quibus liquet ſi iſtiuſmodi populi, *qui majeſtatem comiter obſervare*, ex conventione & fœdere obſtricti ſunt, clientum inſtar habendi, eos liberos fuiſſe & immunes alieni imperii, quoniam perſpicimus ex iis quæ adduximus patronum & clientem ſeſe non habuiſſe, ut imperantem & ſubjectum, quia apud Romanos pari loco cum liberis pupilliſque. Fuere itaque quidem ſub patrocinio, non ſub ditione, illud libertatem nec poteſtatem adimit, hæc eam aufert, non quidem in ſervitutem trahens populum perſonalem, ſed alieno imperio ſubjectum efficiens, ita ut ſui juris eſſe dici nequeat quatenus ſibi non licet exequi & facere ea, quæ deſiderat, ſed quæ ſibi imperantur & imponuntur a ſuperiore peragenda. Quemadmodum itaque patrocinium non aufert libertatem perſonalem, ita nec patrocinium publicum tollit libertatem civilem quæ ſine ſummo imperio intelligi nequit; ut ait Author. Hinc apud Authores ſæpius opponitur eſſe in fide & eſſe in ditione. Sic deditii plane erant in ditione ejus, cui ſe dedidiſſent, ejuſque poteſtati & imperio ſubjecti. Hinc legati miſſi a Faliſcis in ſenatu ita loquebantur. *Sub ditione veſtra ſumus, mittite, qui arma, qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant: nec nos fidei noſtra, nec vos imperii veſtri pœnitebit.* Liv. lib. 5. Samnites ut impetrarent contra Sidicinos poteſtatem arma movendi, dicebant eos, *nec in fide eſſe populi Romani, nec in ditione eſſe. Liv.* 8. *pr.* vid. Andr. Gail. *l.* 2. *cap.* 54.

4. Obſtare his quæ diximus videtur quod addit Proculus: *Et fiunt* *Lib.* xvi.
apud nos rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus. Sed ut hæc res intelligatur, ſciendum eſt quatuor incidere poſſe controverſiarum genera. Primum, ſi ſubditi populi, aut regis qui in fide eſt alterius, dicantur feciſſe contra fœdus: deinde, ſi ipſi populi aut reges accuſentur: tertio, ſi ſocii qui in ejuſdem populi aut regis fide ſunt inter ſe litigent: quarto, ſi ſubditi conquerantur de injuriis eorum quorum ſunt in ditione. Prima ſpecie ſi peccatum appareat, tenetur rex aut populus eum qui nocuit aut punire, aut ei cui nocitum eſt, dedere: quod non tantum inter inæquales, ſed & inter æqualiter fœderatos locum habet. Imo etiam inter eos qui nullo fœdere tenentur, ut oſtendemus alibi. Tenetur etiam dare operam ut damna reſarciantur; quod officium Romæ erat recuperatorum. Gallus Ælius apud Feſtum: *Reciperatio cum inter eſt populum & reges, nationeſque ac civitates peregrinas, lex convenit, quomodo per reciperatorem reddantur res reciperenturque, reſque privatas inter ſe proſequantur.* At ſociorum alter in ſocii ſubditum jus prehenſio- *Livius*
nis aut punitionis directe non habet. Itaque Decius Magius *lib.* xxiii.
Campanus ab Annibale vinctus & Cyrenas delatus, atque inde deportatus Alexandriam, docuit contra jus fœderis vinctum ſe ab Annibale eſſe: atque ita vinculis liberatus eſt.

5. Secunda ſpecie jus habet ſocius cogendi ſocium, ut ſtet fœderis legibus, atque etiam puniendi, ni ſteterit. Sed hoc quoque inæquali fœderi proprium non eſt. Idem enim locum habet in fœdere æquali. Nam ut quis ultionem ſumat ab eo qui peccavit, ſatis eſt ut

ipſe ei qui peccavit ſubditus non ſit; quod alibi a nobis tractabitur. Quare etiam inter reges aut populos non fœderatos idem uſu venit.

COMMENTARIUS.

SUbjectionem arguere videtur, ſi jus alteri competat cives noſtros ad ſorum ſuum & tribunal evocandi, atque in eos animadvertendi facultatem habeat. Magnum apparatum hic Author adhibet ad difficultatem hanc tollendam, cui tamen paucis verbis ſatisfieri poſſe arbitramur, videtur hic Proculus habere ſermonem de fœderis cujuſdam inæqualitate, quo conventum, ut ſorum ſortiantur in civitate Romana rei civitatis fœderatæ delinquentes, ideoque puniri apud Romanos tanquam competentem & legitimum judicem, non vero viciſſim Romanos apud ſocios judicari & pœnis affici propter admiſſum delictum poſſe; cujuſmodi tamen puniendi jus peculiare non reddit ſubjectas imperio Romanorum civitates fœderatas, nam & extraneus, qui in alieno territorio delinqueret a magiſtratu iſtius territorii, ubi admiſſum delictum, poteſt pro criminis gravitate & qualitate puniri, quamvis naturaliter, neque civiliter reus ſubjectus imperio illius magiſtratus ſeu principis, ex delicto tamen ſortitur forum, ſecundum illud *ubi te invenio, ibi te punio*, delinquendo ſe reddit obnoxium poteſtati & juriſdictioni alterius, quod non ſolum obtinet inter inæqualiter, ſed & æqualiter fœderatos, imo & inter eos, qui nullo fœderis ſibi vinculo conjuncti ſunt, quia id ipſum deſcendit ex naturali facultate, quam quis habet injuriam & vim ſibi illatam vindicandi: ſummo enim imperanti cura incumbit providere ne quid Reſpub. capiat detrimenti, quamobrem ne ſcelera impunita maneant adniti debet, in Authores eorum quoſcunque animadvertendo. arg. *l. 3. ff. de offic. Præſid. In mandatis principum eſt, ut curet is, qui provinciæ præeſt, malis hominibus provinciam purgare, nec diſtinguitur unde ſint.* Cui accedit quod ex delicto reum ſe obligat ex quaſi contractu ad reſarciendum damnum, quod intulit, & conſequenter jus nanciſcor eum ad præſtandum, quod ex ſuo maleficio præſtari debet, cogendi, licet mihi non ſit ſubjectus. Hæc enim facultas ſocio competit adverſus ſocium, æqualis adverſum æqualem, libero adverſum æque liberum. Veriſſimum itaque ejuſmodi conventionem nullam inſerre ſubjectionem, ſed obligationem producere, cujus vi jus meum perſequor quacunque poſſum ratione, qoa non interveniente, æqualis in æqualem nullum jus habet, vel prehenſionis, vel punitionis, vel alio quocunqoe modo perſequendi ſocium. Ad puniendum vero, niſi ſteterit ſocius legibus fœderis, recte annotat Author non præciſe imperium requiri, ſed ſubjectionem tamen excludendam; ſubjecto enim io ſuperiorem nullom puniendi jus competit, quia contradictorium eſt puniri poſſe ſuperiorem a ſubjecto ſuo quo ſuperior.

6. Tertia ſpecie ſicut in fœdere æquali ſolent controverſiæ deferri ad conventum ſociorum, quos ſcilicet res non tangit, ut Græcos, Latinos veteres, & Germanos olim feciſſe legimus, aut alioqui ad arbitros, aut etiam ad principem fœderis tanquam communem arbitrum: ita in fœdere inæquali plerumque convenire ſolet, ut controverſiæ diſceptentur apud eum qui ſuperior eſt in fœdere. Quare ne hoc quidem oſtendit imperii poteſtatem. Nam & reges apud judices a ſe conſtitutos judicio contendere ſolent.

COMMENTARIUS.

SI ſocii, qui in ejuſdem regis, vel principis aut populi fide ſunt, inter ſe litigent, ad conventum ſociorum ſolent deferri controverſiæ, inquit Author, quorum non intereſt. Quale apud Græcos concilium Amphyctionum, de quo Diodor. Sicul. *Biblioth. Hiſt.* Cic. *lib. 2. de invent. Accuſantur apud Amphyctiones, commune Græciæ concilium.* De eodem quoque Alexand. *genial. dier. lib. 5. cap. 7. Græcis vero conventum Amphyctionum ab Amphyctione, Heleni filio, inventum, quod fuit ſanctiſſimum Græciæ concilium, hujus inſtar ſacri tenuiſſe dicunt, ad quem duodecim florentes Græciæ urbes initio veris & autumni convenire, deque maximis rebus communi decreto decernere ſolebant.* Strabo vero docet ex ſeptem Græciæ civitatibus conſtituiſſe Amphyctionum conventum, atque Deucalionis fuiſſe filium tradit Pauſanias *lib. 10.* Vid. & Dionyſ. *lib. 4. pag. 229. & 230.* Hujus concilii quoque meminit Plin. *lib. 35. cap. 9. Siquidem Amphyctiones, quod eſt publicum Græciæ concilium, hoſpitia ei publica decrevere.* De Latinis veteribus. vid. & Dionyſ. *lib. 4.* Vel etiam arbitros ſibi eligere poſſunt litigantes, & quidem ad principem fœderis, tanquam communem arbitrum, cauſæ cognitionem deferre, cujuſmodi litis dirimendæ poteſtatem

tertio

tertio alicui delatam, neutiquam aliquam ſubjectionem inferre cenſeo, nam & ipſi reges ſeſe quandoque ſubmittere ſolent judicio concilii, cui cognitio de cauſis vel civilibus, vel criminalibus competit, quo tamen eſt ſuperior & manet, non obſtante ejuſmodi ſubmiſſione voluntaria. Hinc Plin. *panegyr. c. 36. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo, in jus veni, ſequere ad tribunal, nam & tribunal quoque excogitatum cruciatu eſt par ceteris, niſi illud amplitudine litigatoris metiaris. Sors & urna fiſco judicem aſſignat. Licet rejicere, licet exclamare, hunc nolo, timidus eſt, & bona ſaculi parum intelligit. Eodem foro utuntur principatus & libertas.* Sic Rex Galliæ judicium Parlamenti Pariſienſis ſubire non recuſat. Archiduces Auſtriæ conveniuntur coram eo, quem ipſi vaſallis ſuis judicem conſtituunt. Huc pertinet *l. 14. ff. de jurisdict. Qui autem major vel æqualis ſe ſubjicit juriſdictioni alterius, adverſus eum jus dici poteſt.* Vide & Bruneman. *ad h. l.*

7. In poſtrema ſpecie jus cognoſcendi nullum eſt ſociis. Ideo cum
Herodes quædam adverſus liberos ad Auguſtum ſua ſponte deferret,
dixerunt: *Poteras de nobis ſupplicium ſumere tuo jure, tum qua pater, tum qua rex.* *Joſ.* XVI.
Et Scipio cum Romæ a Carthaginienſium quibuſdam Annibal accuſa- *c. 7. 8.* *Val.*
retur, dixit non oportere ſe Patres Conſcriptos reipublicæ Carthagi- *Max.*
nienſium interponere. Et hoc eſt in quo Ariſtoteles ait ſocietatem a *l.* IV, *c.* I. *Polit.*
civitate differre, quod ſociis curæ ſit ne injuria in ipſos committatur, III. 9.
non vero ne ſociæ civitatis cives inter ſe injurias committant.

COMMENTARIUS.

EX iis quæ ſupra diſputavimus de ſumma poteſtate ejuſque limitibus, perſpicimus quando competat civibus facultas propriam defenſionem ſuſcipiendi adverſum vim & injuriam ſibi a ſuperiore illatam, & quibus eventibus ipſis liceat coërcere atque punire eum, in quem ſuum contulerunt imperium. Et omnibus eventibus, quibus cives poſſunt jure coërcere atque punire principem, etiam recte ſocii ſeſe interponunt, & immiſcent negotiis, atque controverſiis, quas civitas fœdere ſociata habet cum ſuo principe, præſertim cum videant civibus juſtam querendi eſſe cauſam. Author negat jus cognoſcendi eſſe nullum ſociis, quia civibus omnem in ſuperiorem animadvertendi facultatem eripit, quam opinionem ſupra refutavimus, & conſequenter quoties ob juſtam offenſionem cives implorant auxilium ſociorum, & ad eos cauſæ cognitionem deferunt, jure eam ſuſcipi, quia jure delata eſt, ſtatuimus. vid. Liv. *l. 4. cap. 9.*

8. *S*olet & aliud objici, quod in hiſtoriis ei qui fœdere ſuperior eſt imperandi & ei qui inferior eſt parendi vox interdum tribuitur. Sed nec hoc movere nos debet, aut enim agitur de rebus ad commune bonum ſocietatis pertinentibus, aut de utilitate privata ejus qui ſuperior eſt in fœdere. In rebus communibus, extra tempus conventus, etiam, ubi fœdus æquale eſt, ſolet is qui lectus eſt princeps fœderis (נגיד ברית Daniel. XI., 22.) ſociis imperare, ut Agamemnon regibus Græcis, Lacedæmonii Græcis poſtea, deinde Athenienſes. In oratione Corinthorum apud Thucydidem legimus: χρὴ τοὺς ἡγεμόνας τὰ ἴδια ἐξ ἴσου νέμοντας, τὰ κοινὰ προσκοπεῖν. *Decet eos qui fœderis principes ſunt, circa ſuas quidem utilitates nihil præcipuum ſumere, at in communibus rebus curandis eminere ſupra ceteros.* Iſocrates veteres Athenienſes dictum exercuiſſe ait, ὅλων ἐπιμελοῦντες, ἰδίᾳ δ' ἑκάστους ἐλευθέρους ἐῶντες εἶναι: *curam gerentes pro ſociis omnibus, ſed ita ut iis libertatem integram relinquerent*: Et alibi: στρατηγεῖν οἰόμενοι δεῖν, ἀλλὰ μὴ τυραννεῖν, *ita ut imperium habere belli, non dominari ſe debere cenſerent.* Item: συμμαχικῶς ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς βουλευόμενοι περὶ αὐτῶν, *ſocialiter non heriliter res eorum curantes.* Hoc ipſum Latini imperare, Græci modeſtius [illegible] dicunt. Athenienſes delato ſibi ductu belli in Perſas ἴπαξαν, inquit Thucydides, ὥς γε ἤδη περιέχειν

χεῖν τῶν πόλεων χρήματα πρὸς τὸν βάρβαρον καὶ ἃς ναῦς, *ordinarunt* (ſic qui Roma in Græciam mittebantur, dicebantur mitti ad ordinandum ſtatum liberarum civitatum) *quæ urbes pecunias in barbarum, quæ naves conferrent.* Hoc enim ſi facit qui princeps tantum eſt in fœdere, non mirum eſt ſi in fœdere inæquali idem faciat is qui ſuperior eſt fœdere. Imperium ergo hoc ſenſu, id eſt ἡγεμονία, libertatem aliorum non tollit. Rhodii in oratione apud Senatum Romanum quæ apud Livium exſtat:
L. XXXVII *Græci domeſticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur: nunc imperium ubi eſt, ubi ut ſit perpetuum optant: libertatem veſtris tueri armis ſatis habent,*
Lib. XV. *quoniam ſuis non poſſunt.* Sic poſt Cadmeam a Thebanis receptam narrat Diodorus multas civitates Græcas conveniſſe πάσας ὑπάρχειν αὐτονόμους, ἡγεμόσι χρωμένας Ἀθηναίοις: *omnes ut liberæ eſſent, ſed Athenienſium ductu uterentur.* De ipſis Athenienſibus Philippi Macedonis tempore Dion Pruſæenſis: ὅτε τῆς ἡγεμονίας παρακεχωρήκασι, τῆς δ' ἐλευθερίας μόνης λοιπὸν ἀντέχοντο: *quo tempore ductu belli omiſſo libertatem ſolam retinebant.* Sic Cæſar quos ſub imperio Suevorum fuiſſe dicit, eoſdem mox ſocios nominat.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum in omnibus ſocietatibus debet quis ordo & regula obſervari, ſecundum quam omnia, quæ ſocietatem concernunt, peraguntur, ne ſumma oriatur confuſio, quæ ſæpiſſime diſtrahit ſociorum animos, & fœderis ſolvit vinculum, quod concordia eſt atque unitas; ita etiam debet gubernandi, & imperandi ordo conſtitui, ſine quo nulla concordia, ſed ſumma diſtractio, & conſequenter omnis corruit ſocietas. Hinc videtur ipſam rationem tacite conſtituere voluiſſe, ut ille, qui ſuperior eſt in fœdere, earum rerum curam, quæ ad commune bonum, ſalutem utilitatemque pertinent, habeat, & conſequenter etiam imperium ipſo jure in ſocios, quatenus flagitat ſalus communis, ut ea quæ ob ejus conſervationem a ſociis præſtanda ſunt, pro ſuo imperio ipſis imponere, atque imperare dicto caſu poſſit, etiamſi de imperio nihil conventum. Videtur enim id ipſum exigere proportio, quæ in honorum, vel præmiorum, vel aliarum rerum diſtributionibus in ſocietate aliqua faciendis obſervanda, ut qui plus contulit vel dignitatis, vel virium, vel bonorum, ei quoque potiſſimum, maxima dignitatis aut imperii portio tribuatur: quippe quia non omnes ſibi ſunt æquales ſocii, rationi conſentaneum eſt ut inæquales quoque ſint portiones: æquales tamen per ſe, quatenus referuntur ad perſonas cui tribuuntur. Sic ſolet quoque etiam inter æquales fœderatos locum habere ejuſmodi dignitatis, vel imperii expreſſa fœdere diſtributio ad ordinem ſervandum: quippe impoſſibile eſt ſocietatem ſubſiſtere poſſe ſine ordine, nec ordinem aliquem obſervari, ubi ſimul fœderati idem imperium ratione earum rerum adminiſtrandarum, quæ commune bonum ſpectant, ſibi velint arrogare. Cujuſmodi imperium quod duci fœderis, ut appellatur *Daniel.* XI. 22. competit, neutiquam eripit ſociis libertatem ſummamque poteſtatem, quod quiſque habet in cives ſuos, atque Rempub. nec majeſtatem imminuit, quam ex poteſtate in ſubditos metiendam diximus. Solebant plerique populi id dare potentiæ, & majeſtati populi Romani, ut cum principem confœderationis agnoſcerent, non tamen ideo majeſtatem imminutam putabant. Tradit Dion. *lib.* 53. *pag.* 588. Polemonem regem Ponti in ſocios ac fœderatos P. R. adſcriptum, prima ſubſellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus Romanis tribuiſſe. Ideoque in fœderibus ſe primo loco nominabat Romani Polyb. 3. vid & Plutarch. *in Flam.* Dionyſ. *lib.* 4. & 3. ita in fœdere, cum Latinis a Servio inito, cautum erat, ut Romani omnium Latinorum principium ſuſciperent, quippe qui & urbis amplitudine, & rerum, quas gerebant, magnitudine, cæteris præſtabant. Pugnaturi contra Xerxem Græci, Eurybiadem Spartanum, propter Spartæ dignitatem, ſibi præeſſe juſſerunt; alias autem quiſque ſummus in ſua Repub. & civitate. Optime itaque hic admonet Grotius imperium, quod quis eo modo tenet, non efficere ſubjectos eos, qui illud venerantur, quia ſocialiter exercendum ad res communes curandas, ideoque modeſtius ordinatio circa res quaſdam peragendas dici poteſt, & illud ipſum *imperare*, *ordinare*, quia locum habet inter populos æque liberos, quorum neuter alterum agnoſcit ſuperiorem, ſic Plinius epiſt. *lib.* 8. *pag.* 505. *ad Maximum. Cogita permiſſum in Provinciam Achajam, illam veram & meram Græciam, in qua primum humanitas, literæ, etiam fruges inventæ eſſe creduntur: miſſum ad ordinandum ſtatum liberarum civitatum, id eſt ad*

homines maxime liberos, qui jus a natura datum virtute, meritis, amicitia, fœdere denique & religione tenuerunt. Quis vero liber populus dicatur ſupra annotavimus ex Proculi teſtimonio.

9. In iis vero rebus quæ ad propriam utilitatem ſpectant, ſuperioris poſtulata ſolent imperia dici, non ex jure, ſed ex effectus ſimilitudine, ſicut regum preces imperia ſæpe eſſe dicuntur, & ægroti imperare Medicis. Livius lib. XLII, *Ante hunc conſulem* (C. Poſthumium) *nemo unquam ſociis in ulla re oneri aut ſumptui fuit: ideo magiſtratus mulis, tabernaculis, & omni alio inſtrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent ſociis.*

COMMENTARIUS.

ALphenus JCtus *l. 26. ff. de operis libert.* ait, *Medicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent multo plures ſibi imperantes habiturum, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent.* Ad quæ verba *multo ſibi imperantes habiturum* annotavit Gloſſ. lectionem *Hal.* quæ habet *implorantes ſe habiturum*, non eſſe neceſſariam. Quia *imperans* hoc loco idem eſt, quod *medicus*, qui remedia ægrotis præſcribit, atque imperat. Putat vero Alciatus *imperantes* pro parentes paſſiva ſignificatione dixiſſe Alphenum. Sed notat Hottomanus *in comment. de verbis juris*, non eſſe novum medicis veteres imperaſſe: quum ſervi plerique Romæ medicinam facerent.

10. Interim verum eſt accidere plerumque, ut qui ſuperior eſt in fœdere, ſi is potentia multum antecellat, paulatim imperium proprie dictum uſurpet: præſertim ſi fœdus perpetuum ſit, & cum jure præſidia inducendi in oppida, ſicut Athenienſes fecerunt cum a ſociis ad ſe provocari paſſi ſunt; quod nunquam fecerunt Lacedæmonii *Hal.*
quibus temporibus Iſocrates Athenienſium imperium in ſocios regno *l.* VI.
comparat. Sic Latini querebantur, ſub umbra fœderis Romani *Livius lib.* XXXV.
ſervitutem ſe pati. Sic Ætoli vanam ſpeciem & inane nomen liberta- *Hiſt.* IV.
tis: Achæi poſtea, *fœdus ſpecie jam eſſe precariam ſervitutem.* Sic apud *Lib.* X.
Tacitum Civilis Batavus de iiſdem Romanis conqueritur; *neque enim* XV.
ſocietatem, ut olim, ſed tanquam mancipia haberi: & alibi: *Miſeram ſervitutem* *& lib.* XXXVIII.
falſo pacem vocari. Eumenes quoque apud Livium Rhodiorum ſocios, verbo eſſe ſocios, revera ſubjectos imperio & obnoxios: Magnetes quoque in ſpeciem liberam Demetriadem, revera omnia ad nutum Romanorum fieri. Sic Theſſalos in ſpeciem fuiſſe liberos, ſed revera ſub imperio Macedonum notat Polybius.

COMMENTARIUS.

PRudentiæ civilis eſt circa ineunda fœdera inæqualia, ut inferior ſibi proſpiciat, ne quid potentiori concedat, cujus prætextu paulatim ſibi potentiam in minorem uſurpet. Sæpiſſime enim contingit ut ſibi, qui in fœdere ſuperior eſt & potentia antecellat, paulatim arrogando, quæ initio quidem per ſe haud magni momenti eſſe videantur, ideoque negligantur, temporis curriculo ad tantam molem perveniant, ut per injuſtas conſequentias, Reipub. ruinam, & libertatis interitum ſecum trahant. Imprimis ſi conveniatur, ut præſidia ſuperioris in oppida inferioris deducantur. Facilius enim ejuſmodi præſidia admittuntur, quam ejiciuntur. Caute igitur agendum monent juris publici periti, ne quis loco ſocialis fœderis, modum ſubjectionis amplectatur, & loco libertatis ejus umbram inanem, ſubito perituram retineat. Sic Alexander Ætolorum princeps inſimulat fraudis Romanos apud Liv. *lib.* 34. *cap.* 33. *quod vano titulo libertatis oſtentato, Chalcidem & Demetriadem præſidiis tenerent.* Sic quoque Latini licet æquo fœdere in ſocietatem cum Romanis coiiſſent: tamen Annius, ut refert Liv. *lib.* 8. *cap.* 4. in eorum concilio conquerebatur ſe ſub umbra fœderis æqui ſervitutem pati, dicto parere, &, ſi innuerint Romani, arma poſituros.

nec a Longobardis nec Romanis petunt originem, ſed a Caroli Magni temporibus, qui provinciis quibuſvis judices ſuos dederit, quos appellamus *Comites*, quorum dignitates poſtea, cum imperium bellis diſtraheretur, diſtinctæ, ipſiſque provinciæ hæreditariæ tributæ ſunt. Vultej. *de feud. lib.* 1. Qui originem Romanis adſcribunt clientelis feuda ſimilia volunt, ut vaſallus clientis; dominus patroni loco ſit; in qua ſententia & Zaſ. *in lib.* 2. *ff. de orig. jur.* Quemadmodum olim clientes atque patroni mutuo ſibi invicem obligationis vinculo adſtringebantur; ita in feudis vaſallum domino, contraque dominum vaſallo teneri manifeſtum ajunt. Unde Hottoman. *Comment. de verb. jur. Feudum eſt genus clientela, quo vel dignitas, vel vectigale, vel prædium aliquod ex lege alicui datur, ut & ipſe & ipſius poſteri, atque hæredes beneficii authorem perpetuo agnoſcant, & quaſi pro patrono colant, ejuſque caput, exiſtimationem & fortunas tueantur. Illius enim*, pergit, *cauſa & origo hac fuit, ut victores cum gratiam ſuis ducibus, præfectis ac militibus pro opera in bellis ac prælis egregie navata referrent, honoribus & fortunis Italorum in illos transferendis: tum etiam certos ſibi devinctos, & tanquam devotos clientes haberent, quorùm opera bello partam regionem, in poſterum, ſi opus eſſet, tueri poſſent, quos ſua lingua modo Valvaſores, modo Vaſſalos appellant.* Nec verum quod alii objiciunt, clientibus non annexum fuiſſe onus militiæ, cum ex ſcriptoribus conſtet clientes, ut ad alia officia, ita quoque ad militiam patronum ſecutos. Sic App. Herdonium ſuæ genti imperium & dominatum vindicantem, ſive glorioſi nominis cupidum, brevi tempore è clientibus & ſervis, quos habebat audentiſſimos, magnas contraxiſſe copias, quatuor circiter armatorum millia, quibus rem Romanam convellere, animum induxerat, tradit Dionyſ. *lib.* 10. De Fabiis quoque memoriæ proditum, eundem fere armatorum numerum e ſuis clientibus confeciſſe. Alii feudorum originem militiis adſcribendam putant: quidam deducunt a colonis adſcriptitiis, ſeu hominibus. Exiſtimat autem Vultejus quem ſtatim allegavimus, rem ipſam, feuda ſcil. a Romanis, non tamen antiquiſſimis, ſed Impp. originem ſuam habuiſſe. At jura de feudis & nomina in illis juribus uſurpata a Longobardis invecta, & conſtituta fuiſſe. Hinc in fine *de feud. lib.* 1. *cap.* 1. *Feuda igitur ſemper fuerunt apud Romanos, ſed ſub Imperatoribus immutata, ſub Carolo Magno & Imperatoribus ſubſequentibus, & vocabula nova ex immutatione rei, & jus novum acceperunt.* Alii a longe vetuſtiori tempore deducunt, & quidem a tempore Noæ Niellius derivandam putat originem. *diſput. feud.* Cujuſmodi opinio vix ſinceram attentionem meretur. Vero magis conſentanea authoris ſententia, qui ea non ex jure Romano, ſed Germanorum conſuetudinibus orta & originem trahere affirmat: cui etiam aſſentitur Roſenthal. *de feud. cap.* 1. *concl.* 8. aliique plurimi ab eo adducti interpretes, quorum communem hanc eſſentiam tradit. Quia vero Gerardus ſcribit antiquiſſimum eſſe jus feudorum *c. un.* §. *& quia videmus de his qui feud. dar.* idcirco ex jure Romano derivare, non neceſſe eſſe ſcribit Cujac. *de feud.* nam & apud veteres Germanos juris feudalis veſtigia extitiſſe ex Tacito videtur poſſe adduci teſtimonium *in lib. de Mor. Germ.* quando ſcribit. *Germanorum principes ampli comitatui ſtuduiſſe, quem ex bello aluerint, & ad bellum conduxerint, quibus infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtites principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloria ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum erat, principes pro victoria pugnabant, comites pro principe, atque his vel bellator equus, vel cruenta victrixque framea, vel epula, & quanquam incomti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedebant*, non enim tam ampla poſſidebant patrimonia, ut arces, oppida, territoria pro meritis & ſervitiis in bello præſtitis dare poſſent. Quamobrem feudi nomen a Germanica voce *Feed*, quæ bellum denotat, derivatum. Iſidorus vero a fœdere deducit. Obertus a fidelitate vel fide. Quod & rectius putat Cujacius, vel eo maxime, quod hi, qui rem a domino jure feudi ceperunt, dicantur eſſe ejus Leudes ſive Leodes, quod eſt Francorum lingua, *feaux, ou loyaux*. Hinc annotatum in Scaligeranis, *Leodienſem* Epiſcopum vocandum Tungrorum Epiſcopum. vocatur ab Aotiquis Leodium vicus Sancti Lamberti; ſed quia erat feudum Epiſcopi Tungrorum, vocatum eſt Leodium, quod antiquis feudum denotare jam diximus. Unde Germanos puto feudum appellare Leudum, ſive *Leken*. *Nam & pari ratione*, *inquit idem*, *iidem illi* leudes feudales *dicuntur, quod eſt Francorum lingua* feaux, *& feudum jus ſive res, cujus acceptione fides dominis exhibenda vinculo conſtringuntur.* Unde cum definiatur feudum, quod ſit beneficium, quod ex benevolentia alicui datur, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ, ſeu in feudum datæ, penes dantem remaneat, uſusfructum ad accipientem transferat, ut ad eum ejuſve hæredes maſculos & fœminas (ſi ita actum) in perpetuum pertineat, adjiciatur, ad hoc, ut ille & ejus hæredes fideliter domino ſerviant. Duo autem in hoc contractu conſideranda dicit Author nimir. obligatio perſonalis & jus in rem.

2. Obligatio perſonalis eadem eſt, ſive quis ipſum jus imperandi; ſive aliud quidvis etiam alibi ſitum feudi jure poſſideat. Talis autem obligatio ſicut privato non erat demtura jus libertatis perſonalis, ita nec regi aut populo jus demit ſummi imperii. Quæ libertas eſt civilis. Quod apertiſſime conſpici datur in feudis liberis quæ Franca vocant,

quæ nullo jure in rem, in ſola perſonali obligatione conſiſtunt. Hæc enim nihil ſunt aliud quam ſpecies fœderis inæqualis de quo egimus, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præſidium & tutelam. Pone etiam adverſus omnes promiſſam operam, quod nunc feudum ligium vocant, (nam ea vox latius patebat) nihil id de jure ſummi imperii in ſubditos detrahit: ut jam taceam ſemper ineſſe conditionem tacitam, dum juſtum ſit bellum, de qua agendum erit alibi.

COMMENTARIUS.

OBligatio perſonalis quæ ex feudo oritur multum differt ab ea, quæ derivatur ex conditione civis. Illa quidem ad fidelitatem debitam, & certas operas domino præſtandas ratione feudi aut fiduciæ contractæ obligat vaſallum, juriſdictionem tamen in perſonam non tribuit, niſi ſuum in territorio domini habeat domicilium. Subjecti vero & cives ex ſua perſona parere coguntur principi, cujus imperium, & juriſdictionem ſubire neceſſe habent. Unde falſa illa conſequentia ego ſum vaſallus ergo & ſubditus. Ratione feudi dominus habet quandam ſuperioritatem in vaſallum ratione rei, *ut in c. caterum extra de jud.* non autem habet juriſdictionem in perſonam vaſalli. Et conſequenter dominus feudi non eſt judex ordinarius vaſalli ſui, ſed extraordinarius ratione feudi tantum, Matth. de Afflict. *lib. 2. feud.* Hinc Andr. Knichen, Vaſallus etenim alio ex capite præter feudi conditionem & legem, domino non addictus, ſubditum minime refert, quippe illud ſublimem juriſdictionem non tribuit *tract. de veſtit paction. pars 2. cap. 5.* quod & confirmat Guid. Papæ *deciſ. 118.* ubi inquit dominum non habere juriſdictionem in vaſallos, niſi ſuum foveat domicilium in ſuo territorio, quamvis bene habeat debitam ſuperioritatem. Cui etiam addi poſſunt quæ habet Bodinus *de Repub. lib. 1. cap. 9.* ubi inquit. *quod ſi ſubditus non ſit, qui fiduciam, accepto beneficio contraxit, etiamſi domini dignitatem ac ſalutem, ſine exceptione cujuſquam tueri debeat, ea tamen obligatione, deſerto feudo, ſine fraude ſe liberare poteſt; at ſubditus quantumvis feudum aut cenſuale prædium deſerat, aut nihil omnino habeat, quod ſuum dicere poſſit, perſonali tamen obligatione ſe ipſum ſine principis conſenſu exuere nullo modo poteſt. Vaſallus fidem patrono ſemel tantum præſtare tenetur, ſed ne ad id quidem cogendus eſt, ſi fiducia ita contracta; at ſubditus locis omnibus ac temporibus fidem principi dare cogitur, etiamſi Pontifex is fuerit, qui nullum omnino prædium principi acceptum ferat.* Recte hic poſſumus argumentari ab obligatione quæ ex contractibus privatorum deſcendit, ad illam quæ originem habet ex re in feudum data. Quamvis civis cum cive, vel ſubjectus cum ſubjecto contrahat de re aliqua vel danda, vel præſtanda, & conſequenter ad illud factum perſonaliter ſe obliget, attamen libertatem conſervat perſonalem, & dominium ſive liberam diſpoſitionem in ſe bonaque ſua, quatenus leges permittunt, retinet. Ita etiam quamvis princeps, vel dux aliquis, feudum accipiens, ſeſe obliget ad præſtandam fidelitatem & operas quaſdam domino, id impedimento eſſe nequit, quo minus in ſuos ſubditos retineat jura ſummæ majeſtatis, & independenter in ſuos exerceat imperium. Illa obligatio tantum concernit certas quaſdam perſonales præſtationes, quæ nullam habent relationem cum ſummo imperio in ordine ad ſubditos, & tantum imperii conferendi & tenendi modum ſub illa obligatione perſonali tanquam conditione quadam demonſtrat & conſtituit. Quamobrem Vinnius *de juriſdict. cap. 3.* Feudum cenſuſve præſtationem non adimere ſupremam poteſtatem, quam in ſubditos habent principes, ſtatuit. Hinc & Duces Italiæ, quamvis imperii Romani vaſalli, tamen exercent regiam poteſtatem, & omnia jura regalia in ſuos ſubditos, atque in ſuis Ducatibus Imperatori & regibus exæquantur. Sic & Rex Siciliæ quamvis jure feudi Pontificem agnoſcat, verus tamen Rex eſt, & liber Monarcha in regno ſuo. Verum quid ſi vaſallus ſalutem & dignitatem principis ſine aliqua exceptione tueri obligatus ſit, quales ſunt ii qui vaſalli *ligii* dicuntur. Differt feudum ligium a feudo, quod vocant Francum ſeu liberum, quod pro hoc nullum omnino præſtatur ſervitium, ideoque ab omnibus oneribus liberum eſt, quamobrem apud doctores hoc feudum improprium dicitur. Feudum autem ligium plus ligat vaſallum, ita ut etiam in eo veniant omnia bona vaſalli in poteſtatem domini etiam non feudalia, dummodo ab alio in feudum non habeat: quod ſecus in alio in quo dominus ſolum habet ſuperioritatem limitatam reſpectu bonorum conceſſorum in feudum. Curt. *de feud.* Quamvis vero hujuſmodi feudum plus liget, & plus juris tribuere videatur domino in perſonam & bona vaſalli, ſummum tamen imperium non eripit, vel diminuit in ſubjectos. Sic antea reges Anglorum vaſalli ligii dicuntur fuiſſe Francorum, cum fidelitatis jusjurandum regibus Francorum ſine exceptione dare ſoliti fuerint, quando ampliſſimas illius imperii provincias, ac beneficia fructuoſiſſima regibus Francorum accepta ferebant. Angliam tamen & Hiberniam ſumma poteſtate regebant Bodin. *de Repub. lib. 1. cap. 9.* ubi & plura ab Authore adducta exempla invenimus.

3. Jus

3. Jus vero in rem quod attinet, id quidem tale eſt, ut ipſum imperandi jus, ſi feudi jure teneatur, aut familia extincta, aut etiam ob certa crimina amitti poſſit. Sed interim ſummum eſſe non deſinit: aliud enim eſt res, ut ſæpe diximus, aliud rem habendi modus. Et tali jure multos video reges a Romanis conſtitutos, ita ſcilicet ut deficiente regia familia imperium ad ipſos rediret, quod de Paphlagonia aliiſque nonnullis Straboni notatum.

COMMENTARIUS.

CONditiones adjectas inveſtituræ non diminuere, nec adimere imperium jam dictum, ſupra ſuo loco demonſtratum, quia non ipſum afficiunt imperium, ſed ejus habendi modum. Vis enim ſummi imperii conſiſtit in effectu, id eſt exercitio juris ſummæ majeſtatis, idque ſuo nomine, & jure; ubi itaque idem effectus eodem modo, id eſt proprio jure, ibi & idem imperium obtinet, quia ſine eo produci nequit ejuſmodi effectus; nihil autem refert an ejuſmodi exercitium pro tempore aliquo ſit conceſſum, vel in perpetuum, ita ut ad hæredes tranſeat, in aliquem tranſlatum: nam pro illo tempore quis adeo liber & ſummus imperans dici poteſt, quam quiſquam alius princeps ſive Rex, quemadmodum non minuit dignitatem & æqualitatem, quæ inter homines intercedit, quod alter altero citius vitam cum morte commutare neceſſe habeat.

XXIV. Diſtinguendum quoque non minus in imperio, quam in dominio, jus ab uſu juris, ſive actus primus ab actu ſecundo. Nam ſicut rex infans jus habet, ſed imperium exercere non poteſt; ſic & furioſus, & captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium alibi ſitum liberæ ei non permittantur: omnibus enim his caſibus curatores ſive prodici dandi ſunt. Itaque Demetrius cum in poteſtate Seleuci non ſatis libere viveret vetuit aut ſigillo aut literis ſuis credi, ſed omnia quaſi ſe mortuo adminiſtrari voluit.

COMMENTARIUS.

POſſunt huc referri quæ habet Hobbes. *cap.* 13. *Diſtinguendum autem eſt inter jus ſummi imperii & ejus exercitium. Poſſunt enim ſeparari; ut puta cum is qui habet jus, vel non poſſit, vel nolit litibus judicandis, vel rebus deliberandis, ipſe intereſſe. Reges enim aliquando per ætatem res gerere non poſſunt, quandoque, etiamſi poſſunt, rectius tamen eſſe judicant, conſentientes electioni miniſtrorum & conſiliariorum, imperium per eos exercere. Ubi autem,* pergit, *ſeparantur jus & exercitium, ibi regimen civitatis ſimile eſt regimini mundi ordinario, quo Deus primus omnium motor, effectus naturales producit per ordinem cauſarum ſecundarum, ubi vero quis jus regni obtinet, omnibus judiciis, & deliberationibus ipſe intereſſe vult, ibi adminiſtratio talis eſt, ac ſi Deus præter naturæ ordinem, ſe ipſum ad materiam omnem immediate applicaret.*

CAPUT IV.

De bello Subditorum in Superiores.

I. *Status quæſtionis.*
II. *Bellum in ſuperiores, qua tales, ordinarie licitum non eſſe, jure naturæ.*
III. *Nec conceſſum lege Hebræa.*
IV. *Minus etiam lege Euangelica: quod probatur ex ſacris literis.*
V. *Et factis Chriſtianorum veterum.*
VI. *Refellitur ſententia ſtatuens inferioribus magiſtratibus licitum eſſe bellum adverſus ſummam poteſtatem: idque rationibus & ſacris literis.*
VII. *Quid ſentiendum ſi ſumma & alioqui inevitabilis ſit neceſſitas.*
VIII. *Jus belli dari poſſe in principem populi liberi.*
IX. *In regem qui imperium abdicaverit.*;
X. *In regem qui regnum alienet, ad impediendum traditionem tantum.*
XI. *In regem qui manifeſte totius populi hoſtem ſe ferat.*
XII. *In regem poſt amiſſum regnum ex lege commiſſoria.*
XIII. *In regem qui partem duntaxat imperii habeat, pro ea parte qua ipſius non ſit.*
XIV. *Si reſiſtendi libertas certis caſibus reſervata ſit.*
XV. *Invaſori alieni imperii quatenus parendum.*
XVI. *Invaſori alieni imperii vi reſiſti poſſe ex jure belli manentis.*
XVII. *Ex lege antecedente.*
XVIII. *Ex mandato jus imperandi habentis.*
XIX. *Cur extra hos caſus id non liceat.*
XX. *In controverſo jure privatos ſibi judicium ſumere non debere.*

I. 1. BEllum gerere poſſunt & privati in privatos, ut viator in latronem; & ſummum imperium habentes in eos qui itidem id habent, ut David in Regem Ammonitarum; & privati in eos qui imperio ſummo, at non in ſe, utuntur, ut Abrahamus in regem Babyloniæ & vicinos; & qui ſummum imperium habent in privatos aut ſibi ſubditos, ut David in partem Isboſethi, aut non ſubditos, ut Romani in piratas.

COMMENTARIUS.

AD *princip. cap. antecedent.* annotavimus duplicem tantum hominis vitæ agendæ ſtatum fingi poſſe, ſcil. vel pacis vel belli, ſive vi & armis certetur, ſive per diſceptationem, coram arbitro aut judice belli nomine veniens, quia etiam ejuſmodi controverſiæ inter partes litigantes tollunt aliquomodo ſocietatem & commercium illud, quod homini intercedit cum homine, diſtrahunt, illamque officiorum commutationem, ſocietatis arctiſſimum vinculum, diſſolvunt. Verum quoniam certatio illa, quæ fit per vim, omnem plane ſocietatem diſtrahit, uſu obtinuit ut belli nomen, poſtquam, hominibus in ſocietatem coalitis, controverſiæ, quas in ſtatu naturali proprio quiſque arbitrio propriiſque viribus, Marte arbitro, dirimendi & decidendi facultatem habebat, per diſceptationem coram judice ventilari debeant, qua ratione omnis vis & armorum inter privatos controverſiarum decidendarum ergo; uſus interdictus, ad illud certandi genus tranſlatum, quod fit vi & armis ſolum ab iis qui ſummum habent imperium, ſed quandoque etiam a privatis. Author hoc paragrapho ſermonem habens de iis qui belli gerendi facultatem habent, dicit & bellum gerere poſſe privatos in privatos, ſcil. in eo ſtatu conſtitutos, ut nulla ipſis judicis copia ſit, cujus opem & auxilium implorare poſſint, ad ſe tuendos adverſus vim & injuriam illatam; vel quia defenſio incontinenti fieri debet, quemadmodum ſi quis invaſus eſt a latrone, & ei nulla expediendæ ſalutis ratio eſt, niſi illico ſuam promat defenſionem; vel in locis verſatur vacuis ut ſupr. annotatum; in eo enim ſtatu quis conſtitutus ſui judex eſt & eandem recuperat facultatem, quam ſummo imperanti tribuimus, vi & armis vim & arma repellendi, ideoque gerendi bellum: unde enim belli nomen, niſi a duello, quod privatorum plerumque certamen eſt. Idem jus habere ſuperiorem non agnoſcentes principes & magiſtratus, non ulteriori probatione indiget, atque ea, quam ſupra adduximus. An vero idem jus competat privatis in eos qui ſummo utuntur imperio, quæri poſſet: diſtinguit Author & ſtatuit bellum quidem gerere poſſe privatos in ſummos imperantes, quorum imperio ſubjecti non ſunt, neutiquam vero in eos, quorum in ſe imperium agnoſcunt. Verum cum *præc. c.* demonſtraverimus etiam civibus eſſe facultatem coërcendi & puniendi principem imperio abutentem, hanc authoris diſtinctionem & exceptionem, nec in jure naturæ, nec æquitate fundatam, rejicimus. Ita ut quemadmodum viator in latronem hominem privatum, ita etiam in principem aggreſſorem, vitæ ſuæ inſidian-

tem

Digitized by Google

tem, bellum gerendi jus habere nullus dubito, nec affirmare vereor. Recte Author adducit exemplum Abrahami bellum gerentis in regem Babyloniæ ad demonſtrandum jus belli privatis in ſummo imperio ornatos comperere. Nam quamvis Abrahamus hic conſiderandus tanquam princeps ſuæ familiæ & gentis, qui ſummo utebatur eoque regio imperio in ſuos domeſticos, nullius agnoſcens ſuperiorem, ideoque ejuſdem conditionis, cujus erat Rex Babyloniæ, eadem majeſtatis & ſummi imperii jura habens, & conſequenter etiam belli gerendi, licet non tam amplum ei eſſet imperium, nec tantum civium numerint eo complecteretur, qui ſibi obtemperare neceſſe habebant: quamobrem quibuſdam videtur perperam hoc exemplum ab Authore adduci ad ſuam opinionem & ſeotentiam de jure belli privatorum in ſummos imperantes confirmaodam. Attamen recte poſtquam in gentes coiverunt mortales, & multæ coadunatæ familiæ ſub uno eodemque imperio civitatem ſeu Rempub. formarunt, Abrahamus tanquam ſingularis alicujus familiæ caput, in oppoſitiooe ad conſtitutas civitates & coalitas gentes, privata dicitur Grotio perſona. Licet fuerit princeps ſuæ gentis & familiæ ſatis numeroſæ, imperium tamen quod habebat, quamvis ſummum, ultra familiæ membra & domeſticos ſeſe non extendebat, itaque æqualis erat imperio cæteris patribusfamil. antequam in gentem vel ſocietatem civilem coaluerant mortales. Verum poſtquam gentem plures familiæ conſtituerunt & ampla condiderunt regna, magnaſque excitarunt civitates, ſingulæ familiæ, quæ in ſtatu naturæ quaſi eſſent tot civitates, quia ſibi invicem æquales imperio & jure, quemadmodum jam ſingulæ Reſpub. nullum agnoſcentes ſuperiorem, hodie tanquam privatæ perſonæ habentur, & longe inæquales cæteris ſocietatibus, non quia alieno jam ſubjecti imperio, ſed in oppoſitione, ut diximus ſtatim, ad civitatem vel Rempub. quemadmodum pars opponitur toti, quamvis per ſe ſubſiſtat, & totum aliquod conſtituat. Alterum exemplum quo probamus etiam privatos bellum gerere poſſe in eos qui ſummo imperio in ſe utuntur, jam ſupra adduximus, ubi de jure ſummi imperii diſputavimus. Si privati habeant jus belli gerendi in ſuperiores, ergo multo magis ſuperiores in privatos & ſibi ſubditos, ut teſtantur adducta exempla.

2. Tantum illud quæritur, an aut privatis aut publicis perſonis bellum gerere liceat in eos quorum imperio ſive ſummo ſive minori ſubſunt. Ac primum id minime controverſum eſt, arma ſumi poſſe in inferiores ab iis, qui ſummæ poteſtatis auctoritate armantur: qualis fuit Nehemias armatus edicto Artaxerxis adverſus vicinos regulos. Sic metatores expellendi domino prædii licentiam Imperatores Romani concedunt. Verum adverſus ſummam poteſtatem aut inferiores, ſed agentes quod agunt ſummæ poteſtatis auctoritate, quid liceat quæritur.

L. devotum. C. de Metatoribus. lib. XII.

COMMENTARIUS.

QUæſtio, de qua hic Author, jam partim a oobis in *præcedent. cap.* tractata, & etiam pene definita; verum non omnia adducta argumenta, quæ vel ex recta ratione, vel exemplis peti poſſunt; nec etiam ſatisſactum omnibus argumeotis, quibus adverſarii oppoſitam ſententiam ſuam noſtræ de ſanctitate ſummi imperii civilis ejuſque juris menſura opinioni, probare nituntur, & etiam in hoc capite conatur Author, cum ex profeſſo diſputationem ſuſcipiat. Id autem nulla probatione indiget, arma ſumi poſſe in ioferiores etiam ab iis, qui armati authoritate ſuperioris; ita ut cui adminiſtratio alicujus proviociæ demandata eſt, cum jure armorum adverſus eos qui reſiſtunt imperio & juſſis ſuis, vi & armis uti poſſit ad refractarios & rebelles ſubditos coërcendos & cogendos, vicem enim ſummi imperantis gerit, & conſequenter ea quæ agit ex authoritate, qua armatus eſt, eodem jure fiunt ex quo omnia illa, quæ a ſummo imperio directe proficiſcuntur, ut dictum *præcedent. cap.* Sic & qui privata perſona eſt, ideoque ſibi jus dicere nequit, facultatem quandoque nanciſcitur ſe ulciſceodi propria authoritate, ut conſtat *l. 5. de metat. & epidimet.* ubi Imperatores Romani licentiam domino prædii expellendi metatores concedunt *cum ſibi arbitrium ultionis ſuæ ſciat eſſe conceſſum*, inquiunt quod tamen ſpeciale eſt, & noo producendum ad conſequentias. Verum an ſeſe adverſus ſummam poteſtatem aut inferiores, ſed ſummi imperantis authoritate munitos defendere, eorumque juſſis reſiſtere, etiam propria authoritate qua privatus & civis, quærendum nobis incumbit.

3. illud quidem apud omnes bonos extra controverſiam eſt; ſi quid imperent naturali juri aut divinis præceptis contrarium, non eſſe faciendum quod jubent. Nam Apoſtoli cum dixerunt Deo magis

quam

quam hominibus obediendum, ad certiſſimam provocarunt regulam, omnium inſcriptam mentibus, quam totidem ferme verbis expreſſam apud Platonem reperias: at ſi qua ex tali cauſa, aut alioqui quia ſummum imperium habenti ita libet, injuria nobis inferatur, ea toleranda eſt potius, quam vi reſiſtendum.

COMMENTARIUS.

QUoniam principes vel reges demonſtravimus imperiom, quo utuntur non a ſe habere, ſed a populo, ſeqoitur ſe non plus juris ſibi poſſe vindicare, quam transſerens conferre potuit, vel voluit: transferens vero nihil potuit conferre quod ipſe uon habuit, nec aliunde ſibi arrogare poteſt imperans quod non in ſe collatum eſt. Atqui ipſe populus non habuit diſpoſitionem circa ea, quæ ſunt juris naturæ ſive divini neceſſarii, quia ſunt immotabilia, moralem habentia neceſſitatem, ergo nec ipſe princeps ea vel tollere, vel abrogare, & conſequenter populum obligare poteſt ad ſacieuda ea quæ huic contraria ſunt, quia ejuſmodi obligatio tolleret & abrogaret priorem, quod idem eſt ac ſi eam mutaret, quia igitur neceſſitas moralis immutabilis, qua tenemur juris naturalis præcepta ſequi & ſugere quæ illis repugnant, nunquam hominem poteſt diſpenſare a dicta obligatione, & concedere licentiam omittendi quæ præcepta, & ſaciendi quæ prohibita, quod adeo impoſſibile eſt, quam quod Deus ſe ipſum abnegaret prohibendo, quæ bona ſunt adeo oeceſſario ex eſſentia divina defluentia, quam illam conſtituentia; & præcipiendo mala, quorum prohibitio adeo neceſſario profluit ex morali neceſſitate faciendi qood booum, rectum, & juſtum eſt, quam ex ipſa mali natura dimanat privatio boni, & conſequenter abnegatio divinæ eſſentiæ, ut ſupra latius diſputavimus. Niſi ſtatuamus hominem poſſe ſeſe efficere independentem a Deo, ejuſque imperio ſubtrahere, & idcirco ſe hac morali neceſſitate ſeu obligatione ſolvere, quod quam abſurdum dictu eſt demouſtratione non eget. Quemadmodum itaque neceſſaria eſt hominis a Deo dependentia; ita etiam obligatio qua tenetur obſervare, & facere quæ, moralem neceſſitatem habent, id eſt quæ immediate ex divina profluunt natura & idcirco recta & juſta ſunt ſemper, & ubique, atque in perpetuum, immutabili neceſſitate, quia neceſſaria eſt divinæ eſſentiæ exiſtentia, ita ut quemadmodum Deus ſeſe ipſum nequit abnegare vel anuihilare (qood ſumma erga ſummum numen reverentia dictum ſit) ita etiam non efficere vult nec etiam poſſet (quia ejuſmodi voluntas imperfectionem, & vitium includeret, a quo immune illud ipſum eſſe demonſtravimus, quod ſummum vocamus) ut hominem poſſet ſolvere illa obligatione morali, quamobrem neque in alium ejuſmodi poteſt imperium transferre, ita ut ex plenitudine ſuæ poteſtatis haberet facultatem ſibi imperandi quod divinis præceptis, & juri naturali contrariom eſt. Et poſito quod prætendunt nonnulli viri eruditi, imperium ſummum a Deo immediate collatum, multo minus ſtatuendum hominis diſpoſitioni etiam ſubeſſe quæ moraliter juſta & bona. Quoad ea, quæ juris ſunt moralis ſeu naturalis, ſummum imperantem parem cæteris civibus voluiſſe Deum, ex jam dictis ſequitur, & conſequeuter imperium eo ſubſiſtit, ubi autem imperium deficit, ceſſat quoque obſequium. Cui etiam accedit quod impoſſibilium nulla eſt obligatio, atqui quæ contra bonos mores ſunt, & lædunt pietatem, per verecundiam in eorum numero habenda, quæ dicuntur impoſſibilia juxta *l. 15. ff. de cond. inſt.* ergo ad ea obligari non poſſumus, quin ipſam obligationem tanquam ipſo jure oullam evaneſcere & corruere neceſſe ſit. Verum quid ſi ſummus imperans me declinantem exequi, quod iojuſte imperavit, circa id generis negotia cogere, vel etiam punire velit, quæritur an æquo animo injuriam, qua me afficere parat, perferre debeam, vel an reſiſteodi ipſo facto facultatem eo caſu divina & bumana jura mihi tribuant. Quemadmodum ſi poſſum obſeqoi, non ſum obligatus jure divino teſte Apoſtolo, qui nobis commendat Deo magis obediendum quam hominibus; ſic etiam non teneor perferre injuriam, quam ob negatum obſequium rei illicitæ exſequeodæ cauſa mihi inſerre conatur: verum adverſum eam mei defenſionem ſuſcipere poſſum, æquitate & recta ratione dictante: ubi enim offenſio eſt injuſta, ibi defenſio juſta eſt. Quid enim illa obſequii negatio aliud, quam reſiſtere voluntati principis, ſive verbis recuſetur, ſive non præſtaudo quod imperatum, declinetur. Quippe quo ad ea quæ imperat cootraria jure naturæ, mihi æqualis eſt, quoniam circa ea nullum ipſi imperium, nulla diſpoſitio, par autem in parem oon habet imperium. Et quod ſi quis illud ſibi in me velit viodicare, poſſum illi reſiſtere, molto magis itaque repellere injuriam mihi ob joſtam obſequii negationem imminentem ab eo, cui æqualis ſum. Quemadmodum itaque non conſiderare debet princeps tanquam vi ſui imperii civem obligans ad obediendum juſſis juri naturæ coutrariis, qua ſummo imperio hoc caſu deſtituitur; ita nec eivis debet conſidetari tanquam ſummi imperii violati reus declinando ea quæ injuſte ſibi imperata ſunt, quia ceſſat imperium, & idcirco non violatum imperium, uec etiam ei reſiſtere dici poteſt ſubditus, ſeſe opponens injuriæ imminenti, ſed defeuſionem ſuam ſuſcepiſſe adverſus ſibi parem & æqualem. Quamobrem non reſiſtit principi, qua ptincipi, ſed qua privato & ſibi æquali, verum hae reſiſtendi

licentia

licentia non omni occaſione & tempore uti debemus. Sunt enim injuriæ quædam leves, quædam ſatis graves, quæ vel tolerari poſſunt ſine ſummo, vel propriæ perſonæ, vel familiæ, detrimento. Leves injuriæ tolerandæ potius, quam vi depellendæ; præſertim ſi conferamus magna incommodi & pericula, quæ Reipub. imminent ex ejuſmodi reſiſtentia, cum parvo dammo, quod ex ejuſmodi injuria, ſi perferatur, pervenit ad cives. Prætetquam quod etiam nobis commendat lex motalis, & rationis dictamen a Chriſto repetitum, ideoque approbatum in Euangelio, oportere hominem propter levem injuriam non illico, omnem exuentem patientiam, ad vim, & arma confugere, & paratum eſſe ad eam vindicandam, vel a ſe depellendam: præſertim ſi majus bonum levius perferendo malum conſequi poteſt. Si enim ſatius eſt levis injutiæ, etiam nobis ab æquali illatæ, patientia defungi, quam vindicandi noſmet ipſos aut tuendi cauſa vim adhibere, magis rationi & æquitati convenit, ut tales nos præbeamus erga ſummos imperantes. facile compenſari poſſunt damna ex injuria injuſte nobis illata, *interventu meliorum*, ut inquit Tacitus. Sunt publica quandoque privatis anteponenda bonis.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum eſt:
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.
Ovid. *in Epiſt Oenon. ad Parid.*

Veniunt in tali caſu multæ ponderandæ circumſtantiæ, quæ bono civi agendorum regulam præſcribunt.

II. I. Et naturaliter quidem omnes ad arcendam a ſe injuriam jus habent reſiſtendi, ut ſupra diximus. Sed civili ſociètate ad tuendam tranquillitatem inſtituta, ſtatim civitati jus quoddam majus in nos & noſtra naſcitur, quatenus ad finem illum id neceſſarium eſt. Poteſt igitur civitas jus illud reſiſtendi promiſcuum publicæ pacis & ordinis cauſa prohibere: Et quin voluerit dubitandum non eſt, cum aliter non poſſet finem ſuum conſequi. Nam ſi maneat promiſcuum illud reſiſtendi jus, non jam civitas erit, ſed diſſociata multitudo, qualis illa Cyclopum.

---- Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος *Eurip.*
Παίδων τῶν ἀλόχων. *Cyclope*
---- *Dant conjugibus jus*
Quiſque ſuis ſobolique.
Νομάδες, ἀκούει δ᾽ οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.
Confuſa turba, nemo ubi audit neminem:

Et Aboriginum, qui Salluſtio tradente, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum: & apud eundem alio loco Getuli qui neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regebantur.

COMMENTARIUS.

QUemadmodum leges naturæ cuique curam, & conſervationem ſui agendam non commendant ſolum, ſed & præcipiunt; ita etiam quiſque naturaliter ſe tueri poteſt adverſus vim & injuriam illatam, & conſequenter reſiſtendi jus habet eam ſibi inferentibus, vel inferre comminantibus. Defenſio enim ſui potiſſimum in jure reſiſtendi, & conſervatio in defenſione conſiſtit; itaque poſita una, & alteram poni neceſſe eſt. Verum cum illud ſiſtendi jus quod quiſque naturaliter habet, ſæpiſſime cauſa eſt ut publica pax, & tranquillitas, ſine qua nulla ſocietas humana diu ſubſiſtere poteſt, quia, ea ſublata, ſocietas diſtrahitur mutuis diſcordiis atque bellis, & diſſociata eſt multitudo. Hinc neceſſe habuerunt homines, in civilem ſocietatem coaleſcentes, ad pacem & tranquillitatem, quæ in ſtatu naturali propter illam cuique a natura conceſſam reſiſtendi facultatem, perturbatur, obtinendam, renunciare hinc libertati, quod etiam fecerunt ſubmittendo ſe imperio, & voluntati ejus, quem ſocietati præfecerunt, & cui curam demandarunt, ut provideret, ne quid publica tranquillitas detrimenti caperet: itaque qui civitati præeſt, eam limitare, & certis eventibus jus reſiſtendi concedere poteſt, cujus eſt judicare, & definire qualis & quanta hujus reſiſtendi poteſtatis portio cuique aſſignanda & tribuenda, quo tempore & loco, atque quo modo ea utenda, ſcil. prout arbitratus fuerit expedire tranquillitati publicæ. Verum in totum tamen tolli poſſe jus reſiſtendi a civitate, vel qui eam repræſentat, principe aut ſummo magiſtratu, cum Authore ſtatuere nequeo,

nec etiam homines, in ſocietatem coaleſcentes, id voluiſſe mihi perſuadeo, Societatem civilem potiſſimum excitarunt, ut ſemet ipſos in ſecuritatem aſſererent, & valerent ad arcenda communibus viribus a ſe ea pericula, quibus obnoxii erant in naturæ ſtatu. Atqui ſocietas civilis ſubſiſtere nequit ſine tranquillitate, nec tranquillitas ſine ſummo imperio, nec imperium haberi ſine ſubmiſſione voluntatis, nec ſubmiſſio voluntatis ſine renunciatione iſtius libertatis naturalis, quæ cuique tribuebat jus reſiſtendi ad depellendam a ſe injuriam & vim. Hinc omnia illa, quæ hic enumeravimus, expetierunt propter ſocietatis conſervationem; conſervationem vero ſocietatis ob conſervationem & defenſionem ſui, qui finis eſt primarius, tranquillitas publica ſecundarius: tantum itaque detrahere de jure reſiſtendi voluerunt, quantum civitas judicaret ad obtinendum finem ſecundarium neceſſarium. Inſervit autem tranquillati publicæ, adeoque conſervationi ſocietatis, ut promiſcuum reſiſtendi jus, quia diſtrahit, imo tollit ſocietatem, tollatur a principe civitatis, ſed non in totum prohibeatur & cuique privato adimatur; tam late non patet poteſtas ſumma: quia es quibuſdam eventibus utendi ſibi facultatem reſervaſſe cives ſive populus præſumendus eſt. Quippe quoniam ſecuritas & conſervatio ſui in cauſa fuerit, quamobrem in civitatem coaluerit, cujuſque defenſio vero reſiſtendi jus potiſſima pars ſit, deterioris longe conditionis eſſet jam membrum civitatis, quam in ſtatu naturali degens, in quo poteſt a ſe naturaliter depellere omnem injuriam, & reſiſtere illam ſibi inferentibus, quam poteſtatem, cuique a natura conceſſam, jam civitatis membro adimunt quicunque ſtatuunt civibus nullum prorſus reſiſtendi jus eſſe reliquum, vel ſaltem a ſummo imperaote eripi poſſe. Quod axioma multas iniquas & a ratione & æquitate alieniſſimas illationes producit, de quibus in ſeq. quædam dicenda.

2. Ita ut dixi habent mores omnium civitatum: *Generale pactum eſt ſocietatis humanæ*, inquit Auguſtinus, *Regibus obedire.*

Æſchylus:

τραχὺς μόναρχος κ' οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.

Rex eſt ſuo utens jure, nulli obnoxius.

Sophocles:

Ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον. τί μή;

Nam principes ſunt: obſequendum. quippe ni?

Euripides:

τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼν φέρειν.

Imperia habentum perferenda inſcitia eſt.

Adde quod ſupra ex Tacito in hanc rem adduximus: cujus & hoc eſt; *Principi ſummum rerum arbitrium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt.* Hic quoque.

Indigna digna habenda ſunt Rex quæ facit.

Seneca:

Æquum atque iniquum regis imperium feras:

Quod ex Sophocle ſumptum, qui dixerat:

Ἀλλ' ὃν πόλις στήσῃ, τοῦδε χρὴ κλύειν,
Καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία.

Et quod apud Salluſtium eſt: *Impune quidvis facere, id eſt regem eſſe.*

COMMENTARIUS.

VEriſſima hæc exempla adducta, modo ſano ſenſu intelligantur. Rex juſte imperium tractans nullius obnoxius eſt judicio vel cenſuræ, ipſius juſſa leges civibus eſſe debent, quibos reſiſtere nequeunt. e repub. eſt ut imperii ratio uni tantum reddatur. Rex utens ſuo jure, omnibus civibus ſuperior eſt, nemo ei æqualis; hinc reſiſtere legitime imperanti, ſummum nefas ducendum. Verum regem bonum juſte imperare dicimus, juxta Xenophon. *lib.* 8. *de prædia Cyri*, cujus opera ſimilia ſunt boni paſtoris, qui, civium, tanquam paſtor, omnium curam habet, pro eorum ſalute & ſecuritate invigilare non deſinit, qui non deglubit eos, ſed tondet exigente neceſſitate; qui publica commoda privatis anteponit, qui non iniqua & injuſta imperat, ſed æqua & honeſta. Reges enim vocati a recte agendo & imperando, quamobrem recte faciendo regis nomen tuetur. Senecæ autem dictum potius concilium eſt, quam juris regula, & intelligendum

ligendum eo ſenſu, quaſi nobis ſuadere velit, ut potius perferamus quaſdam regis injurias, & condonemus leviora principi delicta, cujus cura tranquillitas ſocietatis, unde cujuſque privati ſalus & vitæ ſecuritas pendet, continetur, quam ut ſtatim in eum inſurgamus. Præſertim cum & noſtrum quiſque in multis labitur, & officium non ita accurate juxta leges ſibi impoſitas erga ſocium exequitur, & ipſe quandoque privatorum delicta diſſimulare mavult, quam in authores animadvertere.

3. Hinc ubique majeſtas, id eſt dignitas, ſive populi, ſive unius
qui ſummo fungitur imperio, tot legibus, tot pœnis defenditur: quæ *L. Mili-*
conſtare non poteſt ſi maneat reſiſtendi licentia. Miles qui caſtigare *tes. §. Ir-*
volenti ſe centurioni reſtiterit, ſi vitem tenuit, militiam mutat: ſi ex *reverens.*
induſtria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur: *D. de re*
Et apud Ariſtotelem eſt, εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν οὐ δεῖ ἀντιπληγῆναι. *ſi magiſtratum* *mil. Ru-*
gerens aliquem verberavit, reverberandus non eſt. *fus legi-* *bus mili-* *taribus* *c. XV.*

COMMENTARIUS.

QUemadmodum ſummum imperium introductum eſt ad incolumitatem ſecuritatemque generis humani; ita ejus ſummopere intereſt, ut majeſtas & dignitas eorum ſit inviolabilis, qui eo ornati ſunt, quod & ſupr. annotatum. Illibata autem nec intacta conſervari poteſt, niſi nefas eſſe ducamus reſiſtere ſummo imperanti, atque eo ipſo quo imperium in principem collocavimus, ſimul ſtatuamus nobis imponi obligationem, qua tenemur ejus parere juſſis citra reluctantiam, faciendo, vel omittendo, quod ab eo imperatur. Nam in eo conſiſtit vis imperii, & ſummæ majeſtatis ac dignitatis defenſio adverſum omnes nequiſſimorum hominum pravas machinationes, & nefandas conjurationes.

III. In lege Hebræa mortis ſupplicio damnatur qui inobediens *Deute-*
fuerit aut ſummo Pontifici, aut ei qui extra ordinem rector populi a *ron. XV.*
Deo eſſet conſtitutus. Quod vero apud Samuelem eſt de jure regis, *1, 12.*
omnino recte inſpicienti apparet, nec de jure vero intelligendum, id *Joſ. 1. 18.*
eſt, de facultate honeſte & juſte aliquid agendi, (longe enim alia vi- *1 Samuel.*
vendi ratio præſcribitur regi in ea parte legis, quæ eſt de officio regis) *VIII, 11.*
neque nudum factum indicari: nihil enim eſſet in eo eximium, cum *Deute-*
injurias facere etiam privati privatis ſoleant: ſed factum quod effe- *ron.*
ctum aliquem juris habeat, id eſt non reſiſtendi obligationem. *XVII,*
Ideo additur, populum preſſum iſtis injuriis Dei opem imploraturum, *14.*
quia ſcilicet humana remedia nulla exſtarent. Sic ergo hoc jus vo- *L. Jus*
catur, quomodo prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique *pluribus.*
decernit. *D. de* *Juſt. &* *jure.*

COMMENTARIUS.

QUemadmodum, ut ſuo loco annotavimus, Deus hominem creavit animal ſociale, id eſt aptum ad colendam cum ſui ſimillimis ſocietatem in omni tranquillitate & concordia, atque propter multorum hominum male compoſita deſideria vix ſocietas aliqua poteſt ſubſiſtere, niſi conſtituto ſummo imperio civili, quod, ſceleribus conſtituendo ſupplicia, ejuſmodi tranquillitatem, & proinde inter homines ſocietatem conſervare poſſit; hinc etiam Deum voluiſſe tanquam neceſſarium conſequens ſtatuere neceſſe habemus, ut ejuſmodi imperium eſſet ſanctum ab improborum hominum violatione: nam ſine illa ſanctitate omnis poteſtas concideret, & cum ea quoque ſocietas humana, tanquam ſuo fundamento deſtituta: inviolabilis autem eſſe nequit, ſi cuique competeret principi vel ſummo magiſtratui reſiſtendi, eorum juſſa negligendi, & imperata exequi recuſandi, vel in eum inſurgendi ſub aliquo vel injuriæ aut iniquitatis prætextu, facultas. Quamobrem etiam divina jura in ſummæ majeſtatis violatores, & rebelles imperantibus graviſſimas ſtatuerunt pœnas, ut videre eſt loco ab Authore allegato *Joſ.* 1. 18. Qui tamen ſano ſenſu interpretandus, ſcil. de iis quæ recte & juſte imperantur, quod autem ſi manifeſte iniqua & in-

juſta, ſtatuo non obligatus populus cenſeri debeat ad ea facienda, vel etiam ad non reſiſtendum Joſuæ imperio, ſi ad exequenda iniqua voluiſſet populum ipſo facto cogere. Erat qnidem lege Hebræa pœna mortis ſtatuta in rebelles, & contumaces erga principem ſeu ſummum magiſtratum, ejus mandata exequi detrectantes. Qua lege damnati dicebantur damnati *cauſa regni*, quemadmodum apud Romanos *majeſtatis*. Verum lex illa pertinet ad ejuſmodi actum, qui vitium includit ut patet ex voce *rebellis*, ideo ad manifeſte iniqua imperata exequi civem recuſantem non pertinet. Rebellis enim dici nequit, qui obſequium non præſtat, vel reſiſtit non habenti imperium. Hioc ad hunc locum annotant interpretes, populum obſequium promittere quatenus a Deo ipſe imperator non deſciverit, neque alia quam recta atque ſaluti ac tranquillitati communi utilia & cum lege Dei convenientia præſcripſerit atque imperarit. Unde additur in lege *Deut.* 17. 12, mortis pœna dignum qui nolit obedire ſacerdotis imperio, *qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo.* Qui facit quod Deus ab eo repoſcit, ideoque quod juſtum & rectum, quia ſecundum verbum Domini decernentis. Vult itaque Dominus ſacro ſanctum haberi authoritatem Judicum, & imperium ſummorum imperantium legitime, id eſt ſecundum Dei verbum, quod imperii ſummi exercendi debet eſſe menſura & regula, illud exerceri, ſub pœna mortis. Nihil huic obſtare poteſt quæ habentur de jure Regis apud Samuelem, quia quæ ibi deſcribuntur, non juſte & honeſte a rege potuiſſent agi jure regio, ſed imperata tamen & in actum deducta, quamvis injuſta, perferenda potius incommoda, quæ ex ejuſmodi mandatis, & factis ſummorum imperantium in cives redundant, quam ut reſiſterent principi, quem ſumma majeſtas ſuperiorem efficit omnibus civibus, cujus eſt imperare quod optat, ſubjectis juſſa exequendi impoſita obligatione, ita ut ſacrilegii inſtar videatur habendum diſputare de poteſtate principis, multo itaque magis crimen exiſtimandum reſiſtere ejus imperio. Nonnulli eorum ſententiam veritati, & ſenſui iſtins loci magis conſentientem arbitrantur, qni ſtatuunt, non deſcribi a Samuele nudum regis factum, & conſequenter nec jus regium, vel vitioſam aliquam conſuetudinem, quæ apud illas gentes, ad quarum ſimilitndinem regem exoptabat populus, obtinebat, ſed verum jus regium, quod a Deo coocesſum regibus, quo & ad majeſtatem regiam tuendam, & exigente Reipub. neceſſitate ad ejus conſervationem commnnemque ſalutem utilitatemque aſſerendam in ſecuritatem, juſte & honeſte, ſalva itaque conſcientia, utendi facultatem habet. Quod facile conſtabit, ſi ſingulas juris regis partes quæ a Samnele enarrantur, diligenter examinemus. Filios ſubjectorum in totius regni publicum commodum uſurpare nulla vetant jura. Præcurſores, armigeros, aurigas, tribunos, centuriones, quando utilitas ac neceſſitas Reipub. exigit, unde vero ſibi eos ſumeret, niſi e civibus. Filias ſibi unguentarias, focarias, & panificas facere, ſecundum cujuſque regionis morem & conſuetudinem, quid iniqui, quid iojuſti vel inhoneſti habebit. Segetes & vineas ad ſuſtentanda onera Reipub. vel etiam regiæ familiæ, cui ſua debet conſtare majeſtas & dignitas, ſibi vindicare non iniquum videtur. Nonne in bona ſubjectorum eminens dominium regi? ut ea tollere poſſit in uſum Reipub. quæ iniqua videntur extra caſum neceſſitatis, licita fiunt Reipub. neceſſitate exigente, quæ omnes leges & obligationem quam imponunt ſolvit, aurum & argentum cæteraque pretioſa ſuppellex cenſetur juxta Philonem magis regis eſſe, quam eorum, apud quos in arca aſſervantur. *Bona enim omnia in civitate habitantium velut domeſtica ſunt regum bene imperantium*, ait Iſocrates. Poſita itaque Reipub. neceſſitate, & majeſtate regis exercitium juris, a Samuele deſcripti, exigente, nihil iniqui, nihil inhoneſti & injuſti continêre videtur, poſitis, ut ita dicam, terminis habilibus; nam & uſus ejuſmodi poteſtatis poteſt aliquando in abuſum mutari, ideoque & jus legitimum quandoque in uſurpativum, ſcil. quando pro lubitu extra caſum neceſſitatis Rex deſcripta jura exercere vellet, ut ſolebant Reges Orientis, cui etiam impune nou pareri, imo etiam reſiſti poſſe tanquam ſuæ poteſtatis limites maxime excedenti, itaque jus dicenti extra territorium. Si itaque de caſu neceſſitatis intelligamus quæ apud Samuelum habentur, facultas juſte & honeſte ea omnia agendi regi competere videtur, cui reſiſtere ſummum nefas merito habetur. Non obſtat locus *Deut.* 17. 14. ubi longe alia vitæ agendæ ratio regi præſcribitur; non enim ibi deſcribitur quid Rex pro poteſtate ſibi conceſſa exigente neceſſitate, & Reipub. utilitate ſuadente facere poſſit, verum quam vivendi regulam ſequi oporteat regem qua regem, quamvis enim vitæ inſtituendæ & degendæ ratio debeat eſſe conveniens tantæ majeſtati, poteſt Rex peccare tamen in exceſſu, quem prohibet Deus, quamobrem abrogat quidem Moſes regi nimium faſtum, non diminuit tamen authoritatem, equos vetat multiplicare ad oumerum excedentem, impenſas augere inutiles, unde graviſſimorum onerum injuſta impoſitio, libidinem dehortatur, quæ ſemper illicita, & ſubjectis ſæpiſſime damnoſa. Sed quem in finem illa adjungit Samuel verba, *& clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegeſtis vobis*, quam ut injuſtam dominationem ſe depinxiſſe demonſtret. Quamobrem enim *clamaret* populus, niſi ob tyrannidem regis, qua oppreſſus quamque perferre coactus erat. Verum reſpondent illam implorationem divini auxilii non reſpicere injurias & injuſtam dominationem aut abuſum regiæ poteſtatis, verum impatientiam populi hac denotari, cui, regibus parere non ſueto, videretur potentia regum & tantus faſtus nimis gravis & intolerabilis, ideoque ſub democratia & judicum imperio, quo majori libertate frui ſolitus, monarchicum ſtatum pertæſus Dei ope imploraturum prædicit, ut priſtinam velit Reipub. imponere adminiſtrationis formam, ſive Democratiam ſeu Ariſtocratiam. Abſurdum itaque eſ-

ſet

ſet ex hiſce verbis deducere illam conſequentiam, populus implorabit auxilium divinum ad ſe liberandum a poteſtate regia, ergo Samuel ſermonem habet de injuſta dominatione, vel tantum facto aliquo regis injuſto, jure divino nec humano probato, non de vero jure regio, cum jam demonſtravimus cauſam populi querelis præbere potuiſſe adſtrictam ſub regibus libertatem, ideoque ſibi imperium diſplicuiſſe. Quemadmodum Avidius Caſſius jactabat cauſam armorum, quæ in M. Antonium ſuſceperat, fuiſſe, *quod ſibi hujus imperium diſpliceret, quod non poſſet ferre nomen imperatorium.* Verum nos ſtatuimus a Samuele non deſcribi verum jus regium, ſed quod Reges Orientis ſibi uſurpaverant & vindicaverant in populos, ad quorum ſimilitudinem ſibi regem expopoſcerant, ideoque ultro ſeſe ſubjecerant ejuſmodi imperio, quamvis tyrannico, & proinde tenerentur illud æquo animo perferre, ita ut etiamſi non reſponderet eventuis majoris libertatis dulcidine jam antea experti populi deſiderio, ejuſmodi Reip. tamen ſtatus non erat juſta reſiſtendi cauſa. Poſtquam enim populus ſibi electione talem regem conſtituiſſet, ipſi eadem quoque imperii tribuenda jura, quæ invito ei auferri nequeunt. Quamobrem non videtur mihi hunc locum probare, quod Authori probandum incumbit, ſcil. reſiſtendi facultatem non habere populum, etiamſi iniquiſſima quæcunque peragenda ipſi Rex imponat, nec ſe tueri poſſe adverſus principis injurias, ſed æquo animo perferendas, ideoque nullum ipſis eſſe refugium niſi ad preces quibus divinum auxilium implorare neceſſe habet, ut velit ſe liberare ab injuſta regis dominatione. Quippe eſt hic caſus ſpecialis.

IV. 1. In novo fœdere Chriſtus præcipiens dari Cæſari quæ Cæſaris ſunt, intelligi voluit a ſuæ diſciplinæ ſectatoribus non minorem, ſi non majorem, obedientiam cum patientia (ſi opus ſit) conjunctam ſummis poteſtatibus doberi, quam ab Hebræis regibus Hebræis debebatur; quod latius exſequens optimus ejus interpres Paulus Apoſtolus, officia ſubditorum late deſcribens, inter alia, *Qui obſiſtit*, *Rom.* XIII. inquit, *poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit: tum vero qui obſiſtunt, ſibi ipſis condemnationem accipient.* Addit mox, *Dei enim miniſter eſt qui poteſtate fungitur tuo bono.* Deinde, *Quapropter neceſſe eſt ſubjici, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam.* In ſubjectione includit non reſiſtendi neceſſitatem, neque eam ſolum quæ ex formidine majoris mali oritur, ſed quæ ex ipſo ſenſu officii noſtri manat, neque hominibus tantum, ſed & Deo nos obligat. Rationes addit duas: primam, quod Deus ordinem illum imperandi, & parendi approbaverit, & olim in lege Hebræa, & nunc in Euangelio, quare poteſtates publicæ eo loco nobis habendæ ſunt quaſi ab ipſo Deo eſſent conſtitutæ. Noſtra enim facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur. Alteram, quod hic ordo noſtro bono inſerviat.

COMMENTARIUS.

AUthor hic iterum incidit in errorem ſæpius a nobis refutatum, inducens Chriſtum tanquam novum legiſlatorem hic, & multis aliis hujus operis locis: quaſi in Euangelio a Chriſto majorem obedientiam cum patientia conjunctam, quam Hebræi ſuis regibus, præſtare obſtricti eſſemus ſuperioribus magiſtratibus ac poteſtatibus, qualem exigit ſocietatis civilis conſervatio, & communis utilitas ac ſalus, & rectæ rationis dictamen, & idcirco ex jure naturali deſcendens obligatio, per ſe immutabilis omni tempore, & in omni regiminis forma, quæ ſemper ſummum aliquod imperium præſupponit, commune omnibus ſocietatibus civilibus, & eandem optemperandi obligationis menſuram producit. Quemadmodum unum idemque eſt ſummum illud imperium, quod civitates & Reſpub. conſervat; ita eadem imperii jura, eadem & obligatio, qua cives ad obedientiam, ſummis imperantibus debitam exhibendam tenentur, quod enim ſummum eſt, augumentum per magis, vel minus, tanquam gradus, non patitur, quin dici deberet, vel minus, vel magis ſummum, ergo non ſummum. Chriſtus itaque præcipiens dare Cæſari quæ Cæſaris ſunt, non aliquid novi in majori gradu præcipit, ſed inculcat quæ jus naturæ, quod rectæ rationis dictamen eſt, exigit vel præcipit, non ſuum itaque præceptum proponit, ſed quid naturalis lex imperet, explicat, & quaſi repetit. Quemadmodum effigies Cæſaris nummo impreſſa referebat ſummam majeſtatem, & poteſtatem penes Imperatorem reſidere, diſciplinæ

ſuæ adjectatores ſuo reſponſo admonet, ot juxta divina & humana juta debitam ſummis magiſtratibus obedientiam exhibeant, ei omnibus ſummæ majeſtatis juribus uti frui permittant, ſine quibus nullum diu poteſt ſubſiſtere imperium, & conſequenter ei oeceſſario, & inſeperabiliter cohærentibus. Verum cum adjicit, & *date Deo quæ Dei ſunt*, manifeſte teſtatur quouſque magiſtratibus obedientia debita a civibus pateat atque ſeſe extendat. Obediendum Cæſari ſe continenti intra jura propria, nec Dei jura ſibi uſurpanti. Itaque ſi quid poteſtas humana præcipiat contrarium legi divinæ, ei impune non paretur, quia Deo, coram quo reſpectu obligationis, quæ ex jure divino deſcendit, princeps & cives ſibi æquales ſunt, & ejuſdem conditionis, ideoque alter in alterum nullum habet imperium, potius parendum, quam hominibus juxta illud Apoſtoli. In cæteris vero Reipub. adminiſtrationem ſpectantibus omnioo ſuperiorum juſſis obtemperandum, juxta divina atque huioana jura commendat Chriſtus, eo enim ipſo, quo, humana neceſſitate exigente, recta ratio ad cœtus celebrandos, & ſocietates excitandas, ſine quibus neque vita trauſigi, nec homini cum homine commercium, vel ſocietas, ad quam colendam ſociale animal eum effinxit rerum omnium Author, intercedere nequit, mortales impulit ipſe Deus, qui homini impoſuit obligationem ſe conſervandi, quamobrem ejus naturæ indidit acres ſtimulos, qui eum ad ſe tuendum, & conſervandum vehementer impellerent, ſimul quoque ei facultatem tribuit adhibendi illa media, ſine quibus ſe conſervare nequit, quem in finem rationis quoque participem fecit, cujus vi poſſet eligere & indagare media ejuſmodi, quæ huic fini inſerviunt, ideoque & ipſe conſtituiſſe videri debet, quæ, recta ſuadente rationes, homines introduxerunt, atqui jam dictaverit homini recta ratio conſervationem ſui ipſius haberi non poſſe, niſi in ſocietatem civilem coaleſcant, & cœtus cum ſui ſimillimis celebrent, ſocietatem autem ſubſiſtere non poſſe ſine ſuo fundamento, quod eſt ſummum imperium. impetium autem nullum effectum præſtare, niſi cives omnem neceſſariam & legitimam, quam ſocietatis fabrica atque ſtructura exigit, obedientiam, ſummis imperantibus præſtent; hinc omnis poteſtas recte dicitur a Deo eſſe, eique obediendi obligationem divinam quoque voluntatem civibos imponere. Quo ſenſu intelligenda nobis videntur, quæ dicit Apoſtolus & alio quoque loco interpretati ſumus *Rom.* 13. Cujuſmodi obedientia includit ſubjectionem, ſubjectio non reſiſtendi neceſſitatem. Reſiſtendi enim licentia omnem diſtrahit ſocietatem, & idcirco qui voluit ut homines ſe conſervarent, etiam voluit ut ſumma conſtitueretur aliqua poteſtas, quæ nobis præſtaret omnem ſecuritatem adverſus ea quæ conſervationi noſtræ, & ſocietati nocitura videntur. Nullam poteſtatem haberi poſſe docet ipſa ratio, niſi nos ſubjiciamus in omnibus ſummo imperanti, quæ honeſta & recta, & ſocietatis conſervationi conſentanea; nulla vero ejuſmodi ſubjectio ſublata reſiſtendi licentia, ergo qui approbavit conſtitutionem ſummæ poteſtatis civilis, etiam voluit ut ei ſubjecti ſimus, ideoque vetat omnem reſiſtendi licentiam. Habet itaque Apoſtolus ſermonem de legitima poteſtate, eamque a Deo ordinatam dicit, & idcirco qui ei obſiſtit, Dei ordinationi obſiſtit, eoque ſenſu Dei miniſtrum vocat, cui ſubjici & civium intreſt, cum propter ſalutem propriam, tum etiam conſcientiam, quæ nobis dictat obtemperandum divinæ voluntati; obtemperamus autem nos ſubjiciendo poteſtatibus ſupereminentibus recte & juſte imperantibus, quo ſenſu a Deo eſſe dicuntur. Unde Theophylactus ex Chryſoſtomo. *Quid ais? an omnis a Deo electus princeps? non de ſingulis, ait, principibus, ſed re ipſa loquor: alios parere, alios imperare, nec omnia ſurſum deorſum ferri, id vero ſapientia divina opus eſt, non enim dixit, non eſt princeps, ſed non eſt poteſtas niſi a Deo, ut de principatu intelligas loqui, ut cum ſapientes dicunt, non ſine numine virum cum uxore conjungi, non de ſtupro aut libidine, ſed juſto matrimonio loquuntur. Omnes igitur poteſtates, ſive patris in filium, ſive mariti in uxorem, atque adeo quæ in animantibus, apibus, gruibus, piſcibus ſunt, a Deo ordinata ſunt.* Manifeſtum itaqoe eſt Apoſtolnm loqui de juſta & legitima poteſtate; ſi enim omnem poteſtatem, & omne imperium, quantumvis injuſtum & iniquum, a Deo eſſe diceret, & propterea ei nos ſubjectos eſſe debere præciperet, potius omnem imperandi & parendi veram rationem everteret, quam commendaret, atque etiam iniquitatis inſimularet omnis juſtitiæ & æquitatis authorem, quod abſurdiſſimum dictu. Hinc & alibi Tertull. ait, *omnes hujus ſeculi poteſtates & dignitates non ſolum alienas, verum & inimicas Dei eſſe, quod per illas adverſus Dei ſervos ſupplicia conſulta ſunt.* Sermonem habens de magiſtratibus Ethnicis, quos & *a Dæmone* eſſe alibi pronuociat.

2. Atqui, dicat aliquis, injurias pati utile non eſt. Hic quidam, vere magis quam ad ſenſum Apoſtoli, ut arbitror, appoſite dicunt, has quoque injurias utiles nobis eſſe, quia iſta patientia ſua non ſit caritura mercede. Mihi videtur Apoſtolus conſideraſſe finem univerſalem iſti ordini propoſitum, qui eſt tranquillitas publica, in qua & ſingulorum comprehenditur. Et ſane quin plerumque hoc bonum per poteſtates publicas conſequamur, dubitandum non eſt: nemo enim ſibi male vult: at imperantis felicitas in ſubditorum felicitate conſiſtit.

Sint

Sint quibus imperes, ajebat ille. Proverbium eſt apud Hebræos: *Niſi poteſtas publica eſſet, alter alterum vivum deglutiret*: qui ſenſus & apud Chryſoſtomum: τῶν πόλεων τοὺς ἄρχοντας ἂν, θηρίων ἀλόγων ἀλογώτερον βιωσόμεθα βίον, δάκνοντες ἀλλήλους καὶ κατεσθίοντες, *niſi rectores civitatum eſſent, feriorem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, ſed & vorantes alios alii.*

COMMENTARIUS.

LEves ſane pati injurias, quam eas vindicare reſiſtendo principi, vel etiam coërcendo regis poteſtatem, Reipub. ſaluti, unde & cujuſque civis conſervatio atque ſalus utilitaſque pendet, utilius eſt: quoniam ejuſmodi reſiſtentia multa ſecum quandoque trahit incommoda, ut diximus, & Rempub. in ſummum adducit diſcrimen, imò miſere bellis inteſtinis & civilibus diſcordiis dilacerat, ſi non funditus evertat. Commendat quoque patientia Chriſtiana ne ad vindictam ſimus nimis prompti, quæ ſæpiſſime velo neceſſariæ defenſionis adverſus principis illatam injuriam & injuſtam dominationem, obtegitur. Merces itaque, quam nobis ex ejuſmodi patientia polliceri habemus, eſt propria ſecuritas & utilitas, quæ conjuncta eſt cum tranquillitate publica. Fortaſſe Author alio ſenſu patientiæ ſuam mercedem tribuit, quaſi per eam nobis merituri ſimus ſingularem gratiam apud Deum, faciendo quod oportet; cujus generis obedientiam, quæ omnem prohibet reſiſtentiam, an exhibere ſummis teneamur magiſtratibus, eſt error, quem ſupra refutavimus. Qui itaque propriam ſalutem atque utilitatem amat, idem ſentire debet, quid enim ſalvum, quid intactum ab improborum hominum manibus & crudelitate ſervari poſſet, ſublato ſummo imperio, atqui eam conſiſtere non poſſe jam diximus, ſi cuique ei reſiſtendi competeret licentia, non facile extremo hoc utendum remedio monuimus. Huc pertinent illa Colot. apud Plutarchum *p.* 1124. *Qui vitam, qui leges compoſuerunt, atque jura, utque regerentur urbes & imperio magiſtratuum parerent, inſtituerunt, is in tranquillo admodum ac tuto nos collocaverunt, tumultibuſque liberaverunt. Iſta ſi quis aboleret, ferarum porro vitam victuri eſſemus, & quiſque obvium quemque tantum non devoraturus.* Hinc olim Perſæ, cum Rex deceſſiſſet e vita, quoque deinceps ſine lege & imperio vitam egerunt, *ut diſcerent reipſa*, quantum malum afferat defectus legum & imperii, cædes, rapinas, & ſi quid deterius introducens, ut ſint regum cuſtodes fideliores apud Sextum Empiricum *adverſ. Mathemat. l.* 2.

3. Quod ſi quando nimia formidine aut iracundia aliiſve affectibus
transverſi agantur rectores, quo minus rectam ineant viam quæ ad *L. τὸ γὰρ*
tranquillitatem ducit, id inter minus frequentia habendum eſt; & *D. de legibus.*
quæ, ut ait Tacitus, interventu meliorum penſantur. Leges autem *L. III.*
ſatis habent id quod plerumque accidit reſpicere, ut ajebat Theophra- *in fine. D.*
ſtus, quo & illud Catonis pertinet: *Nulla lex ſatis commoda eſt: id modo* *de pet. hered.*
quæritur, ſi majori parti & in ſumma prodeſt. quæ autem rarius contingunt, *Livius lib.*
communibus tamen regulis conſtringenda ſunt, quia etſi ratio legis XXXIV.
in iſto ſpeciali facto ſpecialiter locum non habeat, manet tamen ratio *Lib.* VII.
in ſua generalitate, cui ſpecialia ſubjici fas eſt. Id enim ſatius quam *de benef.*
ſine norma vivere, aut normam cujuſque arbitrio permitti. Seneca *c.* 16.
appoſite ad hanc rem, *Satius erat a paucis etiam juſtam excuſationem non accipi,*
quam ob omnibus aliquam tentari.

COMMENTARIUS.

DIximus ſummam poteſtatem vel imperium principem non Deo ſimilem reddere, ab humanis imbecillitatibus exemptum, ſed hominem eſſe, licet longe ſupra communem hominis conditionem majeſtate evectus, ideoque nihil humani ab eo ſit alienum. Quamobrem etiam quædam vitia humanæ principis naturæ condonanda, nec ſtatim arripienda tanquam cauſa juſtæ rebellionis & reſiſtentiæ, ſed perferenda ut cætera naturæ mala & incommoda, quæ interventu meliorum penſantur. Potius eſt minus malum perferre, quam dum huic mederi conamur, nos majori incommodo ac periculo exponere, quod ſæpius metuendum propter incertum eventum & exitum, quem habere ſolent ejuſmodi remedia, quæ ejus generis malo corrigendo adhiberi neceſſe eſt. Hinc affirmat vir prudens apud Plutarch. nullam Reipub. formam meliorem eſſe bello civili.

li. *Ferenda regum ingenia* apud Tacit. licet quandoque ipſis deſint illæ virtutes, quas in optimo & bono principe, officium, quod ſibi, qua principi, incumbit erga cives, juſto imperandi modo, explente, deſideramus; non enim ſemper utiles principum mutationes. Si quidam a recto tramite deflectant reges, attamen non generalis illa regula, quæ dictat non reſiſtendum eſſe regibus, in ſummis poteſtatibus mutanda: hoc enim non adeo frequens eſt, quamobrem non ideo interverti debet regendi & parendi ordo, iſtiuſmodi generali & univerſali ſanctione inductus, contraria lege tribuente reſiſtendi principi licentiam civibus. Si ejuſmodi caſus ſingularis extat, viri prudentis eſt judicare quid ſibi faciendum incumbat, ponderatis temporis, loci, perſonæ, officii, juris, aliiſque id genus rerum circumſtantiis, quæ omnia legibus aliquando nequeunt comprehendi, quæ tantum reſpicere ſolent id, quod plerumque accidit. Præſumitur princeps, quia ejus felicitas poſita in felicitate civium, & ſalute Reipub. imperio quoque ad illam tuendam uſurus; quod ſi ſecus accidit, præter opinionem eſt, & legis, obſequium regi præſtare præcipientis, intentionem: unde *l.* 10. *ff. de ll.* neque Senatusconſulta, neque leges ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. Sed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri. vid. Bolognet. *de leg. jur & æquit. cap.* 29. Unde & recte infertur, licet princeps aliquando quædam admittat contraria boni principis officio, ideoque nec ſpecialis lex ſtatim ferenda, quæ libertatem cuique concederet reſiſtendi ſummæ majeſtati, ſed valet les generalis, prohibens reſiſtendi licentiam, excepta tamen atrociſſima & intolerabili injuria. Verum ejuſmodi caſum perraro extiturum præſumitur, ideoque lex ejus non habet rationem.

4. Locum & hic habere debet illa nunquam ſatis memorata Periclis apud Thucydidem ſententia: *Sic exiſtimo, etiam ſingulis hominibus plus eam prodeſſe civitatem quæ tota recte ſe habeat, quam ſi qua privatis floreat utilitatibus, ipſa autem univerſim laboret. qui enim domeſticas fortunas bene collocatas habet, patria tamen everſa, pereat & ipſe neceſſe eſt: Contra vero, etiamſi quis in beata republica parum felix eſt, multo tamen facilius per illam incolumis ſervatur. Quare cum civitas quidem ſingulorum poſſit ſuſtentare calamitates, ſinguli autem publicas non item; quid eſt cur non univerſim ipſi conſulere, ipſamque tueri oporteat, nec id facere quod vos facitis, dum quaſi attoniti jactura rei familiaris ſalutem proditis reipublicæ?* Quem ſenſum breviter ita explicat Livius: *Reſpublica incolumis & privatas res ſalvas facile præſtat: publica prodendo tua nequicquam ſerves.* Lib. xxvi. Plato dixerat legum IV: τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις. καὶ συμφέρει τῷ κοινῷ τε καὶ ἰδίῳ ἀμφοῖν, ἢ τὸ κοινὸν τίθηται καλῶς μᾶλλον ἢ τὸ ἴδιον. *Quod commune eſt connectit civitates, quod ſingulorum, diſſipat; quare & publice & privatim utilius eſt ut publica magis quam privata curentur.* Xenophon vero: ὅστις ἐν πολέμῳ ὢν στασιάζει πρὸς τὸν ἄρχοντα, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν στασιάζει: *qui in bello contra ducem ſeditioſe ſe gerit, facit hoc cum ſuæ ſalutis periculo.* Eodem & illa Jamblichi pertinent: *Non disjuncta eſt privata utilitas a publica, imo in bono communi ſingulare etiam continetur: & ut in animalibus cæteraque natura, ita in civitatibus in totius ſalute ſalus eſt partium.*

COMMENTARIUS.

QUemadmodum a conſervatione totius cujuſque partis, ex quibus conflatur totum, ſalus dependet; hinc qui ſemet ipſum ſalvum velit civis, prius curare debet ut civitas vel Reſpub. ſervetur incolumis & ab interitu vindicetur, quia & ipſe interire neceſſe habeat, everſa Repub. *Quid eſt igitur civium profeſſio? ne quid privatim utile ducat, & de nulla re, tanquam emancipatus, deliberet: ſed ita ut manus aut pes, ſi ratione uterentur & naturalem ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter nec deſiderarent quicquam, niſi ratione habita univerſi.* Arrianus *Epicteto lib.* 2. *cap.* 10. *Omnibus bonis expedit ſalvam eſſe Rempub.* inquit Philo. Hinc publicæ ſaluti privata incolumitas eſt poſtponenda. Turpe enim eſt pluris privatum quempiam, quam civitatem facere univerſam, eſt apud Xenoph. Huc etiam pertinent illa Cæſaris apud Dionem *lib.* 38. *Privatim quidem, ait, nemo omnium ita poteſt lætis rebus uti, ut non idem cum Repub. corruente pereat: at Rempublicam, ſi proſpero ſucceſſu utatur, etiam privatorum omnes calamitates ſublevare.*

5. In

5. In publicis autem præcipuum haud dubie eſt ordo ille, quem dixi, imperandi parendique; is vero cum privata reſiſtendi licentia conſiſtere nequit. Explicare libet hoc ipſum nobili Dionis Caſſii loco: οὐ μὴν τι καὶ ἐγὼ οὔτ' ἄλλως καλὸν εἶναι νομίζω ἄρχοντά τινα τῶν ἀρχομένων ἡττᾶσθαι, οὔτ' ἂν σωτήριόν τι γενέσθαι ποτὲ, εἰ τὸ ταχθὲν ὑπηρετεῖν κρατεῖν αὐτοῦ ἐπιχειρήσειε. σκέψασθε δὲ ποῖος μὲν κόσμος οἰκίας γένοιτο, ἂν οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ ὄντες τῶν πρεσβυτέρων καταφρονήσωσι. ποῖος δὲ τῶν διδασκαλείων, ἂν οἱ φοιτῶντες τῶν παιδευτῶν ἀμελήσωσι. τίς ὑγίεια νοσοῦσιν, ἂν μὴ πάντα τοῖς ἰατροῖς οἱ κάμνοντες πειθαρχῶσι. τίς δ' ἀσφάλεια ναυτιλλομένοις, ἂν οἱ ναῦται τῶν κυβερνητῶν ἀνηκουστῶσι. φύσει τε γὰρ ἀναγκαῖά τινα καὶ σωτήρια τῷ μὲν ἄρχειν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, τῷ δὲ ἄρχεσθαι τέτακται. *Eſſe vero neque decorum exiſtimo, ut rector civitatis ſubditis cedat, neque ſpem eſſe ad ſalutem ſi quod parere poſitum eſt velit imperare. Cogitate enim quis futurus ſit ordo in familia, ſi a junioribus ſenes ſpernantur: unde ſanitas ægrotantibus, ſi non per omnia Medicis pareant: quid tuti navigantibus, ſi plebs nautica gubernantium juſſa contemnat. Natura quippe id neceſſarium & hominibus ſalutare, ut alii quidem imperent, alii vero pareant.*

COMMENTARIUS.

ORdinem imperandi & parendi non poſſe conſiſtere, manente penes cives reſiſtendi licentia, ſupra demonſtravimus, atque hoc exemplo confirmat Author. Reſiſtendi enim facultas facit ſubjectum æqualem principi, & conſequenter intervertit imperandi & parendi ordinem, quia æqualitas, tollendo poteſtatem imperandi, tollit quoque ſubjectionem; nullum enim imperium ſine ſubjectis, nec ſubjecti ſine imperio concipi poſſunt; ſublata autem ſubjectione, evaneſcit obſequendi neceſſitas; vanum autem imperium ſine obſequii obligatione. Præterquam quod & ſummam confuſionem illam licentiam parere neceſſe ſit, quæ tandem univerſam peſſundet Rempub.

6. Paulo comitem addamus Petrum; cujus hæc ſunt verba: *Regem honorate. Servi, ſubditi eſtote cum omni timore dominis, non ſolum bonis* 1 *Epiſt.*
& æquis, ſed etiam duris. Hoc enim cedit gratiæ, ſi quis propter conſcientiam II. 18.
Dei ſuffert moleſtiam injuſte afflictus. quæ enim gloria eſt ſi peccantes & colaphis cæſi ſubſiſtitis? ſed ſi bene agentes, & tamen male habiti ſubſiſtitis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum. Confirmat mox hoc a Chriſti exemplo. Idemque ſenſus in Clementis conſtitutionibus his verbis exprimitur: ὁ δοῦλος εὔνοιαν φερέτω πρὸς τὸν δεσπότην μετὰ φόβου θεοῦ, κἂν ἀσεβὴς, κἂν πονηρὸς ὑπάρχῃ. *Servus Deum timens ſimul bene hero ſuo velit, quamvis impio, quamvis injuſto.* Notanda hic duo: quod dicitur ſubjectionem dominis deberi etiam duris, idem ad reges quoque referendum: Nam quod ſequitur, ei fundamento ſuperſtructum, non minus ſubditorum quam ſervorum officium reſpicit. Ac deinde talem a nobis requiri ſubjectionem quæ injuriarum patientiam ſecum ferat: ſicut de parentibus dici ſolet.

Ames parentem, ſi æquus eſt: ſi non, feras.

Et Eretrienſis quidam adoleſcens qui Zenonis ſcholam diu frequentaverat, quid ibi didiciſſet rogatus reſpondit; ὀργὴν πατρὸς φέρειν, *iram pa-* *Lib.* XV.
tris ferre. De Lyſimacho Juſtinus: *Magno animo regis, velut parentis, contumeliam tulit.* Et apud Livium eſt: *Ut parentum ſævitiam, ſic patriæ, pa-* *Lib.* XXVII.
tiendo ac ferendo leniendam eſſe. Apud Tacitum: *Ferenda regum ingenia:* & *Annal.* XVI.
alibi: *bonos Imperatores voco expetendos, qualeſcunque tolerandos.* Apud Perſas, laudante Claudiano: *Hiſt.* VI.

Quamvis crudelibus æquo
Paretur dominis.

COMMENTARIUS.

NOn quaſcunque ſummorum imperantium injurias ſtatim civibus vel ſubjectis juſtam rebellionis, & reſiſtendi cauſam præbere, ſtatuimus ſup. quippe non ſolum bonis & æquis, ſed etiam duris domihis, quo nomine etiam magiſtratus denotari recte Author opinatur, obedientiam præſtandam loco allegato Petrus docet. Verum qui duri domini? qui vel rigidi laborum juſto graviorum exactores ſunt, qui nihil humanitatis; vel parum clementiæ & benevolentiæ ſervis exhibent, parci alimoniæ diſtributores, quique eos tractant inhumaniter. Quid ſi autem ultra modum ſæviunt domini in ſervos, & tyrannicam poteſtatem exercent reges in cives, non duri dicendi vel aſperi, ſed crudeles humani generis hoſtes, tyranni, cum quibus nulla nobis ſocietas, nec commercium officiorum, quæ homo homini debet, ideoque multo minus eorum crudelitatem & belluinam feritatem perferre tenemur; illis enim non competit nec nomen dominorum, nec regum. Præterquam quod in omnibus conditio civium non adeo dura eſt, quam ſervorum, ideoque non obſtricti ad tantam injuriarum patientiam cenſeri debent, quam ſervi, quorum in omnibus longe deterior conditio eſt. Quam conditionis differentiam etiam annotavit Tertullianus, cum inquit: *Minus eos anxios eſſe debere, ne in Deum peccent, ubi domini juſſis parent, quam liberos. Etiam ſervis, ait, plus permittit, ſcil. propter majorem ſubjectionem, quam liberis circa idola, non ut ea colant, ſed ut dominis ſuis miniſtrent & ſimpliciter pareant. Jam nunc, qui de Joſepho & Daniele argumentaris, ſcito non ſemper comparanda eſſe vetera & nova, rudia & polita, cœpta & explicita, ſervilia & liberalia: nam illi etiam conditione ſervi erant, tu vero nullius ſervus, in quantum ſolius Chriſti, qui te etiam captivitate ſeculi liberavit, ex forma dominica agere debebis.* Commendat itaque Apoſtolus ſubjectionem cum civibus, tum etiam ſervis, non qualemcunque, nec in eodem gradu, ſed pro cujuſque conditione & qualitate; itaque non herilem civibus, nec civilem ſervis ſubjectionem imponit; utrique tamen ſubjectionem injungit, quæ infert patientiam injuriarum, quia duris etiam dominis obtemperandum vult, quatenus opponit bonis & æquis iniquos & injuſtos, injuriis cives afficientes, non quibuscunque, ſed quæ perferri poſſunt, quæ licet graves, non tamen adeo intolerabiles ſunt, ut præſtaret, eas vindicando, illam patientiam, quæ vel æquitas, vel communis Reipub. ſalus exigit a bonis civibus, vel Chriſtiana diſciplina a ſuæ ſectatoribus requirit, exuere. Interpretanda ſunt Apoſtoli verba eo ſenſu, ne noceant ſocietati humanæ & ſecuritati humani generis, quam ſalvam voluit ipſe Deus. De ejuſmodi itaque ſubjectione cum injuriarum patientia conjuncta, ſermonem habere Apoſtolum arbitror, quæ ſubſiſtere poteſt cum humani generis & ſocietatis civilis, a qua ejus ſalus & ſecuritas pendet, conſervatione. Hæc itaque erit menſura alterius. Eo ſenſu quoque intelligenda, quæ habet Auguſtinus. *Ita a plebibus principes, & a ſervis domini ferendi, ut ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna.* Huc quoque pertinent quæ habet Simplicius *in Epict. cap.* 37. *Legitimis autem & Germanis principibus parere in omnibus populus debet, & alacriter obtemperare & venerari eos, ut qui proxime ſecundum Deum maxima in Rempub. beneficia conferant*, & paulo poſt. *Sin autem verbo tantum principes erunt, & magiſtratus officia negligent: improbandi quidem illi erunt, ut ſunt improbi, ſed quod magiſtratui convenit, eis præſtabimus: ut & principatum in eis defendamus, & iis in rebus pareamus, quibus animus non læditur.* Æſchylus Prometheo vincto, ἔχων πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς, ὁρῶν, ὅτι τραχὺς μόναρχος οὐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ. *Verum contra ſtimulos membra portendes, quum cernas monarcham aſperum & nemini obnoxium.* Et Plato *Epiſt.* 7. *Ea mente circa patriam vir prudens eſſe debet, ut ita reprehendat civitatis errores, ſi neque fruſtra ſit reprehenſurus, neque ob reprehenſionis ſtudium periturus: vim autem patriæ per Reipub. mutationem afferet nunquam, quando abſque expulſione & cæde civium emendari non poſſit, ſed quietem aget, votoque precabitur optima & ſibi, & patriæ.* Heſiodi & Homeri monitum, ne cum potentioribus contendamus

V. 1. Nec ab hac lege Domini diſcedit conſuetudo veterum Chriſtianorum, optima legis interpres. Nam quanquam peſſimi ſæpe homines imperium Romanum tenuerunt, nec defuerunt qui obtentu adjuvandæ reipublicæ iis ſe opponerent, nunquam tamen eorum conatibus ſe adjunxerunt Chriſtiani. In Clementis conſtitutionibus eſt βασιλείᾳ οὐ θεμιτὸν ἐπανίστασθαι, *regiæ poteſtati reſiſtere nefas.* Tertullianus Apologetico: *Unde Caſſii, & Nigri & Albini? unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem? unde qui faucibus ejus exprimendis palæſtricam exercent? unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigeriis* (ſic diſerte habet manuſcriptus qui eſt apud omni laude ornatiſſimos juvenes Puteanos) *ac Parthe-*

niis

niis audaciores? De Romanis, ni fallor, id eſt de non Chriſtianis. De Palæſtrica, quod ait, ad Commodi mortem pertinet, peractam imperio præfecti Ælii Læti, manu palæſtritæ; quo tamen Imperatore vix quiſquam fuit ſceleratior. Parthenius, cujus factum iridem deteſtatur Tertullianus, erat ille qui peſſimum Imperatorem Domitianum oppreſſerat. His comparat Plautianum præfectum Prætorio, qui Septimium Severum valde ſanguinarium Imperatorem occidere in palatio voluerat. In eundem Septimium Severum arma, quaſi pro reipublicæ caritate, ſumpſerant in Syria Peſcennius Niger, in Gallia & Britannia Clodius Albinus. Sed horum quoque factum Chriſtianis diſplicuit, quod & ad Scapulam jactat Tertullianus: *Circa majeſtatem Imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani.* Caſſiani illi erant qui ſecuti erant Avidium Caſſium, virum egregium, qui in Syria ſumtis armis cauſabatur Rempublicam ſe ire reſtitutum, quam M. Antonini negligentia perderet.

COMMENTARIUS.

Conſuetudini veterum Chriſtianorum tantum authoritatis concedimus, quantum habent conſenſus cum ſacra ſcriptura & recta ratione, ut ad Prologom. annotavimus. homines fuere ut nos, ideoque & multis quoque erroribus obnoxii. Non mirum quod Chriſtiani primis illis veræ fidei propagandæ temporibus neque ipſi publice ejuſmodi dogmata & opiniones in vulgus diſſeminare & profiteri, nec etiam ſe iis adjungere auſi fuere, qui ſeſe juri peſſimorum imperatorum Romanorum, crudeliſſimis & iniquiſſimis injuriis ac ſceleribus, quæ in ſubjectos & cives ſuos, inter quos etiam Chriſtiani plurimi, admittebantur, opponerent: invalidi enim reſiſtendi tantæ potentiæ, in id potius incubuerunt, ut patientia lenirent animum Imperatorum, ex odio ergo Chriſtianos mirum in modum exacerbatum, quam ut, ſe opponendo & tuendo adverſus implacabile odium & iram, magis eos irritarent, & conſequenter rigidiori perſecutioni, & acerbiſſimis cruciatibus atque pœnis ſeſe magis exponerent. *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum habebant*, ait Tertull. omnium calamitatum cauſa reputabatur. Hinc idem Author. *Si Tiberis aſcendit ad mœnia, ſi Nilus aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim, Chriſtianus ad Leonem, clamabatur.* Quia ſama percrebuiſſet & Apoſtolos, & veteres Chriſtianos, & Euangelii doctrinam ejuſque ſectatores docere ſummis poteſtatibus, infidelibus & a Chriſti doctrina alienis, obedientiam præſtandam non eſſe, quotidie ſuis prædicationibus & doctrinæ regulis inſeruere obediendum eſſe principibus & ſummis magiſtratibus, eamque doctrinam ſua patientia confirmare magis magiſque voluere, ut oſtenderent Euangelium non docere defectionem & rebellionem adverſus magiſtratus, ſed modeſtiam potius & obſequium. Quamobrem Chryſoſtomus ad Pauli locum, paulo ante ab Authore adductum, *Rom.* 13. addit, hic monere etiam Apoſtolum, *ne ſuſcipiantur ſupervacanea bella, quia fama communis erat, quaſi, ſeditioſi & rerum novarum cupidi, Apoſtoli omnia ad evertendas leges communes agerent & dicerent.* Huic etiam accedit, quod ſibi perſuadebant ſe non a Deo miſſos ad Euangelii doctrinam vi & armis propagandam, ſed prædicatione, & ejus hoſtes non humano imperio, ſed rationibus, profligandos & Chriſti imperio ſubjectos reddendos; cujuſmodi victoriam potiſſimum deportari hac ratione arbitrabantur, ſi & ſua patientia, imo etiam, exigente neceſſitate, ſanguine ſuo, veritatem doctrinæ, quam profitebantur, & alios docebant, confirmarent; unde Martyrum ſanguis fundamentum dicitur, quo ſundata Eccleſia & Chriſti doctrina propagata; hinc tot injurias æquo perferebant ſæpiſſime animo, vel a magiſtratu, vel plebe ſibi illatas. *Defendenda eſt religio non occidendo, ſed moriendo; non ſævitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum: & neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis; jam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil enim eſt tam voluntarium, quam religio*, ait Lactantius *de juſto lib.* 5. Verum, ut dixi, ad ſummas erant Chriſtiani veteres redacti anguſtias, impares ad reſiſtendum, exoſi maxime ab Ethnicis imperatoribus, omni poteſtate deſtituti, ideoque temporibus cedere, & neceſſitati inſervire neceſſe habebant, & a Chriſto vocati videbantur ad omnia hæc incommoda perferenda, doctrinæ propagandæ cauſa:

quæ ſpecialis Dei voluntas non ad conſequentias trahenda, niſi pateat, vel ex revelatione, vel etiam ex aliis circumſtantiis, eandem a nobis Deum exigere patientiam, in eadem neceſſitate conſtitutis; quando vis major eſt, quam cui reſiſtere poſſimus; vel propter majus malum evitandum, neceſſe nobis ſit potius perferre injuriam, quam depellere. Cui etiam addi poteſt, quod nonnulli Chriſtiani veteres bello omnino abſtinendum, etiam defenſionis cauſa ſuſcepto, cenſuerint contra rationis dictamen, & etiam doctrinæ Chriſtianæ verum & genuinum ſenſum. Quod & ab aliis quoque improbata fuerit hæc ſententia, argumentum, quod nec conſuetudo, nec veterum Chriſtianorum opinio a nobis, tanquam veritas falli neſcia, haberi debeat, nec legis optima interpres, nec idcirco tanquam agendorum nobis norma. Præterquam quod probari nequeat illam univerſalem fuiſſe conſuetudinem & opinionem, ut Author arbitratur, ſcil. *regiæ poteſtati reſiſtere nefas eſſe*, ſumpto eo ſenſu, qui regium imperium ſignificat injuſtum plane ac iniquum legibus divinis, & humanis contrarium. Quippe regiæ poteſtati ſive ſummis magiſtratibus, qua legitimis poteſtatibus, id eſt regi, qua regi, nunquam reſiſti poſſe, ſæpius jam diximus, & eo ſenſu & Apoſtolorum, & quorundam patrum dicta interpretanda; quemadmodum ſæpius quæ univerſaliter enunciantur, ad caſum ſpecialem & ſingularem reſtringenda ſunt, quin ſummam iniquitatem vel injuriam ſæpius inferrent, & veritati manifeſte repugnarent, quod non præſumi poteſt de viris piis, ideoque ſano ſenſu & qui vitio caret, interpretanda quæ ab iis ſcripta, ut voluntas eorum conſervetur *l. 18. & 19. ff. de ll.*

2. Ambroſius, cum injuriam non ſibi tantum, ſed & gregi ſuo, &
Chriſto fieri crederet a Valentiniano Valentiniani filio, populi ſatis
Lib. v. orat. in Auxent. concitati motu ad reſiſtendum uti non voluit. *Coactus*, inquit, *repugnare non novi: dolere potero, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. talia enim ſunt munimenta ſacerdotum. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere.* Mox: *Exigebatur a me ut compeſcerem populum: referebam, in meo jure eſſe ut non excitarem, in Dei manu ut mitigaret.* Idem Ambroſius Maximi copiis adverſus Imperatorem, &
Theodoret. hiſt. Eccleſ. lib. v. c. 4. Arianum & Eccleſiæ gravem, uti noluit. Sic Julianum defectorem cum peſſima conſilia agitaret, lacrymis Chriſtianorum repreſſum, ait Nazianzenus, addens, τῶτο μόνον ἐχόντων τῷ διώκτῃ φάρμακον, *quia ſolum hoc contra perſequutorem erat remedium.* Atqui exercitus ejus ferme omnis ex
Orat. 1. in Julianum. Chriſtanis conſtabat. Adde quod, ut obſervat idem Nazianzenus, ſævitia illa Juliani non tantum in Chriſtianos erat injuria, ſed & rem-
Prov. 74. publicam in ſummum adduxerat periculum. Accedat his illud Auguſtini ubi illa Apoſtoli ad Romanos dicta explicat: *Neceſſe eſt propter hanc vitam nos ſubditos eſſe oportere, non reſiſtentes ſi quid illi* (rectores) *auferre voluerint.*

COMMENTARIUS.

FAcile videtur hic Authori, Ambroſii locum adducenti, reſponderi poſſe, ſi dicamus Ambroſium hic ſermonem habere de armis & munimentis, quibus qui boni ſacerdotis officium explere velit, non uti debet, quem, Dei miniſterio mancipatum, non decet uti carnalibus armis ſed ſpiritualibus precibus & patientia, idque nec contra injuſtam vim & invaſionem hoſtium infidelium, contra quos nemini defenſio deneganda vel adimenda. Poſſumus quoque Ambroſio opponere, vel potius allegare tanquam interpretem eorum, quæ nimis univerſaliter ab Ambroſio & Auguſtino dicta, Bernardum, de ſe etiam tanquam ſacerdote loquentem, & idcirco & majorem patientiam perferendæ injuriæ, & abſtinentiam a bellis & armis, ſibi impoſitam arbitrantem, hæc tamen ſcripſiſſe. *Si orbis totus adverſus me conjuraret, ut quippiam molirer adverſus regiam majeſtatem, ego tamen Deum timerem & ordinatum ab eo regem offendere non temere auderem.* Juſte itaque offendere non vereretur, exigente neceſſitate, vel recuſando exequi quæ inſtituit, vel reſiſtendo injuriis injuſte ſibi illatis.

VI. In-

VI. Inventi ſunt noſtro ſæculo viri, eruditi quidem illi, ſed temporibus & locis nimium ſervientes, qui ſibi primum (ita etiam credo) deinde aliis perſuaderent, ea quæ jam dicta ſunt locum habere in privatis, non etiam in magiſtratibus inferioribus, quibus jus eſſe putant reſiſtendi injuriis ejus cujus ſummum eſt imperium; imo & peccare eos ni id faciant. Quæ opinio admittenda non eſt. Nam ſicut in dialecticis ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias, eſt ſpecies; ſi ſpeciem infra poſitam, genus: ita magiſtratus illi, inferiorum quidem ratione habita, ſunt publicæ perſonæ; at ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt. Nam omnis facultas gubernandi quæ eſt in magiſtratibus, ſummæ poteſtati ita ſubjicitur, ut quicquid contra voluntatem ſummi imperantis faciant, id defectum ſit ea facultate, ac proinde *Averr. v. Metaph. tom. 6.* pro actu privato habendum. Locum enim hic quoque habet quod dicunt Philoſophi, ordinem non dari niſi cum relatione ad aliquid primum.

COMMENTARIUS.

NOn temporibus & locis, ſed rectæ rationi, æquitati & veritati ſervire dicendi, qui ſibi & etiam aliis perſuadent, non inferioribus ſolummodo magiſtratibus, ſed cuique privato, multo magis nniverſo populo, facultatem tribuendam ſeſe tuendi adverſus vim illatam, non tantum ab iis, qui ſibi æquales ſunt, ſed & ſuperioribus, non qua ſuperioribus, ſed æqualibus. Quippe, ut recte annotat Author, magiſtratus ratione inferiorum publicæ perſonæ ſunt, ſed reſpectu ſuperiorum magiſtratus inferior ejuſdem conditionis & juris eſt, cujus omnes cives, ita ut non major ipſis reſiſtendi licentia conceſſa videri debeat, quam cæteris civibus, ſed omnibus æqualis poteſtas, exigente neceſſitate. Quemadmodum omnis poteſtas, quam habet inferior magiſtratus, derivanda eſt ab eo, qui ſumma majeſtate ſummoque imperio ornatus eſt; ita tota ab eo dependet, tanquam a ſua cauſa & origine. Atqui non præſumendum eſt principem tam amplam alteri poteſtatem demandaſſe, quæ ſuæ majeſtati obeſſe & reſiſtere poſſet, & conſequenter eſſet independens. Hinc æqualis & civibus, & inferiori magiſtratui, tribuenda licentia; eſſet enim contrarium voluntati demandantis, qnia, dum ipſe ſummus velit eſſe, alias poteſtates ſibi ſubordinatas voluit, & idcirco nihil efficere poteſt inferior magiſtratus ſine conſenſu ſuperioris, quin quod factum eſt, tanquam a privato factum habendum. Atqui omnis reſiſtendi facultas repugnat ſuperioritati, ergo qui ſuperior eſt omnibus civibus, ſi ea ſe ſuperioritate ſemet ipſum exuere nec actu nec verbis declaraverit, nunquam præſumi poteſt cuiquam tam amplam poteſtatem tribuere, quæ ſuam majeſtatem imminueret & aliquid ei detraheret. ita ſummus non maneret; unde ſequitur dignitatem magiſtratibus inferioribus non majorem licentiam, quam ceteris civibus, tribuere, ſed ejuſdem eſſe conditionis & juris: nam deſtituuntur ejus intuitu conſenſu ejus, a quo poteſtatem & dignitatem, qua a cæteris civibus diſtinguntur, habent, & idcirco magiſtratu & dignitate ipſo jure exuti, inſtar privatorum civium habendi. Hinc ſi civibus non licet ſe opponere juſſis ſummi imperantis, ergo nec inferioribus magiſtratibus. atqui omnibus naturæ jus, non habens rationem dignitatis vel perſonæ ejus, qui ſe defendit, nec etiam qui injuriam infert, concedit licentiam & facultatem ſeſe tuendi adverſus vim illatam; cujuſmodi defenſionis potiſſima pars eſt jus reſiſtendi. ergo æqualis poteſtas & civibus, & magiſtratibus inferioribus, tribuenda, quia omnes ejuſdem conditionis, id eſt homines nati, cujus intuitu ejuſmodi facultas a jure naturæ cuique competit, quare eodem omnes jure gaudent. Notandum vero, quod, quemadmodum magiſtratus inferior propter dependentiam ſuæ poteſtatis dependet a ſuperioris conſenſu & imperio, & quemadmodum, eo deſtitutus, tanquam privatus conſiderari debet, concedente Authore; ita etiam ſuperior, abutens ſummo imperio, deſtituitur conſenſu civium, a quibus illud habet, & propterea etiam velut privatus habendus, cui vim & injuriam inferenti reſiſtere licet, ſuamque promere defenſionem.

2. Ac mihi videntur, qui contra ſentiunt, talem ſtatum rerum inducere qualem antiqui fabulabantur in cœlo fuiſſe antequam Majeſtas oriretur, quo tempore ajunt minores Deos Jovi non conceſſiſſe. At is quem dixi ordo, & ὑπαλληλισμὸς non tantum ſenſu communi cognoſcitur: unde illud,

Omne

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Et Papinii illud:

vice cuncta reguntur:

Alterniſque regunt:

C. qui reſiſtit. x. I. qu. 3. Et Auguſtini dictum celebre: *Ipſos humanarum rerum gradus adverte: ſi aliquid juſſerit curator, faciendum: non tamen ſi contra proconſul jubeat: aut ſi conſul aliquid jubeat, & alud Imperator; non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire: nec hinc debet minor iraſci ſi major prælatus eſt.* Et hoc ejuſdem de Pilato: *Talem quippe Deus dederat illi poteſtatem, ut eſſet etiam ipſe ſub Cæſaris poteſtate.* Ad Johan. I. Ep. 11, 1.

COMMENTARIUS.

NUlla Reſpublica, nulla ſocietas, nulla familia, ſubſiſtere poteſt ſine ordine, quo & ſervatur mundus, totaque cœleſtis machina perpetuo pendet ab ordine. in omni autem ordine debet eſſe quædam ſubordinatio, quæ eſt relatio ad primum, unde ad cetera deſcenditur per gradus; cujus reſpectu neceſſario ab illo primo dependent in ordine, quia ſine illo nullus ordo, & conſequenter non poſſet deſcendi ad cetera. Si in numerando non ordiremur a primo, tanquam ceterorum numerorum principio, non poſſet deſcendi ad ſecundum; nam ſecundus eſt, quia exiſtit aliquod primum. Donec itaque primus, exiſtit quoque ſecundus, ſed ſublato primo, tollitur quoque ſequens, ac deinde tertius & quartus, qui a ſe invicem dependent ratione ſubordinationis; alter tamen altero prior, quamobrem in omni ordine maxime neceſſaria illa relatio, ſine qua nullus poteſt ordo concipi. Unde & magiſtratus inferior tamdiu magiſtratus eſt & dignitatem ſuam tueri poteſt, quamdiu pendet ex authoritate principis: nam inferior iſte gradus, quem in relatione ad principem obtinet, neceſſariam quandam dependentiam infert. dependentia cauſam, a qua dependeat, quæ princeps, & conſequenter jure magiſtratus & dignitatis ſuæ nunquam reſiſtere poteſt imperanti, quia ſemper ejus intuitu inferior eſt; reſiſtendi vero facultas æqualitatem inducit, & propterea illam dependentiam tollit. Ex quibus perſpicimus, cum in omni civitate & Reipub. forma ordo debeat ſervari, ſine quo nequit ſubſiſtere; ordinem vero illam ſubordinationem neceſſe requirere, utpote ſine qua nullus ordo; ſubordinationem relationem habere ad aliquod primum, ſine quo nulla ſubordinatio concipi poteſt; ergo in omni regiminis forma & ſummum imperium eſſe debet, ſive penes plures, ſive unum, a quo omnia cætera minora imperia deſcendant ac dependeant neceſſario, ita ut nec poſſent dici minora, niſi a ſummo aliquo derivarentur, cui nunquam æqualia concipi poſſunt, & conſequenter reſiſtere, quin evaneſcere debeant, & non eſſe quod revera ſunt. ipſa vox relationem infert alicujus ſuperioris, unde dependent tanquam a prima cauſa & origine, & in ea dependentia ac gradibus imperii vel dignitatis, conſiſtit ordo civitatis imperandi & parendi. *Sane nequaquam*, ait Nazianz. *rerum & ordinis apud nos laudo confuſionem, quum aliquando perverſe a quibusdam præſidetur in gradibus: ſi quidem non omnes accuſare audeo neque viſum eſt: Obiter tamen legem dando nautarum, quæ prius gubernatori remum in manus dat, indeque in proram deducit & ulteriora concredit.* Hinc videmus civitatem, principe deſtitutam, ad ſummam rerum confuſionem recidere, omnemque eo interverti ordinem. Notandum etiam cives, qua cives, ſubjectos ſummo imperio, eſſe ab eo quidem dependentes, & conſequenter nullam ipſis reſiſtendi licentiam eſſe, quatenus a principe, tanquam inferiores, dependent, & ad illum relationem habere debent pro ſua conditione; verum ea qualitate non reſiſtunt principi tanquam ei inferiores, ſed æquales. Ordo quidem civitatis & omnium ſocietatum poſtulat, ut ſit aliquis & poteſtate, & dignitate primus, unde & omnes cæteræ poteſtates, & quotquot ſunt cives, ratione ſuæ conditionis & qualitatis, tanquam origine & prima cauſa, dependeant; ſed non neceſſe eſt, ut certæ alicui perſonæ tribuatur, vel, delata ei, in perpetuum apud eum reſideat; ad ordinem ſervandum, conſtitui debet imperium, quod ſummum, ideoque primum ſit, & unde cives, & cæteræ minores poteſtates dependeant. Hoc per ſe neceſſarium, ſed non reſpectu ſubjecti cui inhæret, quod ejuſmodi prioritate & poteſtate exui poteſt, ipſo facto & jure inde excidens, & cæteris civibus æquale ſeſe efficiens, manente tamen ſummo imperio perſe & ſua natura ſemper primo, cui nihil æquale, ſed omne ſubordinatum, quod in civitate imperii nomine venit.

3. Sed & divina probatur auctoritate. Nam Apoſtolorum princeps ſubjectos nos eſſe vult aliter regi, aliter magiſtratibus: Regi, ut ſupereminenti,

minenti, id eſt ſine ulla exceptione, præter ea quæ Deus directe imperat, qui injuriæ patientiam probat, non interdicit: Magiſtratibus, tanquam miſſis a rege, id eſt poteſtatem ſuam a rege ducentibus. Et cum Paulus omnem animam ſupremis poteſtatibus eſſe ſubjectam vult, etiam magiſtratus inferiores incluſit. Neque in populo Hebræo, ubi tot fuere reges divini humanique juris contemptores, unquam inferiores magiſtratus, in quibus plurimi fuere viri pii & fortes, id ſibi juris ſumpſerunt ut regibus vim ullam opponerent, niſi ſi qui a Deo, cujus in reges ſummum jus eſt, mandatum ſpeciale acceperant. quin contra, quod procerum officium ſit oſtendit Samuel, cum proceribus & populo inſpectante Saulem jam perverſe regnantem ſolita veneratione eſt proſequutus. *1 Samuelis 21. 30.*

COMMENTARIUS.

QUamvis non videam, qui Author noſter ex illis verbis Apoſtoli, quibus commendat *regi obediendum, tanquam ſupereminenti*, inferat ejuſmodi obedientiam, quæ eſt ſine exceptione, itaque omnem, ſtatui poteſt ejuſmodi interpretationem verborum meram detorſionem in ſuæ opinionis confirmandæ favorem & quaſi munimentum ab Authore excogitatam, dicamus. Verum concedamus hunc eſſe verborum ſenſum, quænam inde poteſt deduci conſequentia, atque ea, quam & nos non approbamus. Vult Apoſtolus ut regi, tanquam *ſupereminenti, præſidibus, ut a rege miſſis, pareamus*, quia ſcil. in illis principis majeſtatem veneramur, a quo omnem habent poteſtatem, quam exercent, ideoque quæcunque civibus imperant, tanquam ab ipſius principis poteſtate & majeſtate profecta cenſeri debent. dum itaque Præfecti & inferiores magiſtratus dependent a ſummi imperantis impetio, iis morem gerere in omnibus, quæ vi poteſtatis ſuæ jubent facienda vel omittenda, cives tenentur. cujuſmodi obligatio & alteram includit, qua obligantur non optemperare juſſis inferiorum magiſtratuum, contrariis imperio & majeſtati ſummi principis & magiſtratus. Sic quoque dicendum cives obligatos parere regi, quatenus ſupereminenti, id eſt legitime ſecundum leges cum naturales, tum etiam civiles, & mores, quibus ſubjicere eum voluere, a quibus accepit imperium, imperanti. nam ea lege ipſi obſequium præſtandum cives, & ſummus imperans tractandum imperium accepiſſe præſumi debent; hoc ſenſu ſupereminens dicitur, atque eatenus ex toto in dignitate illa ſumma conſtituto obſequium debent cives, ut & iis quoque qui ab eo miſſi ſunt.

4. Atque adeo religionis quoque publicæ ſtatus nunquam non a regis ac Synedrii arbitrio pependit. Quod enim poſt regem magiſtratus ſimul cum populo Deo ſe fideles fore promiſerunt, id intelligi debet quatenus in cujusque id futurum erat poteſtate. Ne ſimulacra quidem falſorum Deorum, quæ publice exſtabant, dejecta unquam legimus, niſi juſſu aut populi in libera republica, aut regum cum regnabantur. Quod ſi quid aliquando factum eſt vi contra reges, narratur in teſtimonium divinæ providentiæ id permittentis, non in facti humani approbationem.

COMMENTARIUS.

SI civitatis ordo & publica tranquillitas unum ſummum, ſive penes plures, ſive principem reſidens, imperium, flagitat, ita ut ab eo omnes magiſtratus inferiores dependere debeant, ejuſque nomine fieri, quicquid publice geritur; hinc etiam neceſſario & publicæ religionis ſtatus ab ejus dependet authoritate, cum ea maxime pertineat ad Reipub. tranquillitatem conſervandam; quare etiam potiſſima quoque pars eſt ſummi imperii, ejuſque exercitium, jam receptum & introductum ab eo, qui ſummum imperium in civitate habet, a nemne poteſt impediri nec mutari, niſi conſenſu ſummi imperantis, ſalva tamen cuique libertate publicum inductum cultum divinum amplectendi, vel non; quippe ut diximus ad *prolegom.* quemadmodum Rex vel magiſtratus nemini poteſt fidem inſtillare, ita nec cuiquam poteſt neceſſitatem imponere per externum cultum pro-

fiteri

fiteri quod intus non credit, quia conſcientiæ & rationis dictamini contrarium. Aliquem tamen cultum publicum conſtituendi penes eum authoritas vi ſummi imperii; & ſi quædam poteſtas eccleſiaſtica ad illum ordinem in cultu divino peragendo obſervandum & tuendum conſtituatur, poteſtati civili ſubordinata cenſeri debet, quemadmodum cæteri magiſtratus politici inferiores, ne imperium in imperio ſit, atque ita deformatum & inordinatum aliquod corpus politicum biceps, inſtar horendi monſtri, producamus. Quam opinionem viri eruditi, clariſſima eccleſiæ lumina, tuentur, quorum in numero P. Martyr, Muſculus, David Pareus: ita enim Petrus Martyr *loc. com. claſ. 4. loc. 3. §. 5. & ad 8. cap. 1. Sam. una poteſtas, ut ait Ariſtoteles, in politicis curare debet, ut omnes officium faciant, ut juris conſulti, ut medici, ut ruſtici, ut Pharmacopolæ, inter quos etiam numerare poſſumus miniſtros & concionatores.* Imo ſtatuit poteſtatem eccleſiaſticam ſupervacaneam, cum ad illam exercendam ſufficiat *civilis magiſtratus, nec opus ſit multiplicare capita. Salomon, David, Joſias, cum eſſent magiſtratus civiles, tamen putabant religionem a ſua cura non eſſe alienam. Conſtantinus, Theodoſius, Juſtinianus nihil magis cogitabant, quam ut veram Dei eccleſiam inſtituerent.* Et idem Author, *ipſa gubernationis ratio & natura ferre nequit, ut duæ ſint in eodem populo poteſtates authenticæ, duæ diverſæ legiſlationes ac dominationes, niſi per ſubordinationem, perinde atque duobus in uno corpore non poteſt eſſe locus capitibus.* Cui addi poſſunt quæ habet Triglandius, ſtrenuus alias eccleſiaſticæ poteſtatis propugnator, jus ſubordinationis politico magiſtratui vehementer opponens, cum ait: *penes poteſtatem civilem eſt judicare & ſtatuere de religione, quam in publico inter ſubditos ſuos velit exerceri; ſi veram religionem removet, & falſam ei ſubſtituit, abutitur quidem poteſtate ſua, non tamen ipſi neganda poteſtas.* Et Rivet *Decalog. Procuratio cultus divini imprimis magiſtratui demandata eſt: adminiſtratio Reipub. in ſecundis curis eſſe debet.* Poſſent & plura eruditiſſimorum Theologorum, idem ſentientium, teſtimonia adduci, ſed ſufficere hæc ducimus ad probandum poteſtatem ſummam circa ſacra quoque verſari in jure ſummæ majeſtatis, & ſi quædam circa ea adminiſtranda cura ſingularibus quibuſdam perſonis demandata, eorum poteſtas dependet a civili majeſtate eique ſubordinata eſt; quia enim Deus dat poteſtatibus ſecularibus facultatem populos regendi, eorum felicitatem naturalem procurandi, ei ſimul concedit poteſtatem omnem circa illa omnia, quæ ad publicam Reipub. adminiſtrationem pertinent. Atqui divinus cultus & religionis publicæ ſtatus, ſacrorumque uſus, maxime humanam externam politiam quod juvent, dum medium neceſſarium, quo homines contineantur in officio, ſequitur ea omnia, quæ divinum cultum reſpiciunt, ad ſummam in Repub. poteſtatem pertinere, & illi, quibus ſacrorum cura eſt demandata, omnia, quæ agunt & diſponunt circa eorum ritus vel cerimonias, & ipſum cultum peragendi modum, faciunt nomine ſummi imperantis; & quia ejus authoritate decorati ſunt, obſequium ipſis præſtandum in illis omnibus, quæ imperant, ejus intuitu faciendo, modo non lædant majeſtatem principis, ejuſque imperium imminuant, vel aliquid ei detrahant.

5. Solet a contrariæ ſententiæ auctoribus proferri dictum Trajani, cum pugionem præfecto prætorio traderet: *Hoc pro me utere, ſi recte impero, ſi male, contra me.* Sed ſciendum eſt Trajanum, ut ex Plinii Panegyrico apparet, id unice curaſſe ne quid regium oſtentaret, ſed verum principem gereret, qui proinde ſubeſſet ſenatus populique judicio; quorum ſententias exſequi præfectus deberet etiam in ipſum principem. Simile eſt quod de M. Antonio legimus, qui publicam pecuniam attingere noluit, niſi conſulto ſenatu.

C O M M E N T A R I U S.

Nihil juvat dictum Trajani eorum opinionem, qui inferioribus magiſtratibus jure ſuæ demandatæ poteſtatis reſiſtendi jus ſummo imperanti tribuunt. non profert hæc verba Trajanus, ut demonſtraret Præfecto Prætorio jure ſui magiſtratus & dignitatis plus poteſtatis in ſe, abutentem imperio, quam cæteris civibus eſſe. Verum nihil aliud hiſce verbis indicare voluiſſe mihi perſuadeo, quam jus gladio vel pugione utendi, quo ſummum imperium denotat, ſibi ſoli competere, officium boni principis adimplenti; contra vero ſe eo privari dignum a ſenatu populoque, ſi quid imperaret quod contrarium eſſet officio ſuo, & cui idcirco, tanquam illegitimo mandato & præcepto, impune non tantum non pareret populus, ſed & contra ſe eodem uteretur imperio, quo ipſe, armatus conſenſu populi, animadvertere poterat in cives, ad quem tanquam naturali modo revertebatur ipſo jure, ſeſe eo ſe indignum reddente abuſu; quamobrem Præfectum Prætorio, ſi quid tale imperaret, quod contrarium eſſet ſaluti communi civitatis, & ſecuritati ac utilitati civium, non ſolum ſolutum pronunciat obſequio, ſed & eodem gladio contra ſe utendi poteſtatem ei eſſe affirmat, Senatus & populi, ad quem reverſum erat imperium, authoritate munitus.

VII. 1. Gra-

VII. 1. Gravior illa eſt quæſtio, an lex de non reſiſtendo nos obliget in graviſſimo & certiſſimo diſcrimine. Nam leges etiam Dei quædam, quanqum generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſſitatis: quod de lege ſabbati Haſamonæorum temporibus a ſapientibus definitum fuit: unde dictum celebre: *periculum animæ impellit ſabbatum*: & Judæis apud Syneſium cauſam neglectæ legis de ſabbato hanc reddit: σαφῶς ὄντες ψυχῆς κίνδυνον: *in certiſſimum vitæ periculum adducti ſumus.* Quæ exceptio probata eſt ipſi Chriſto: ut & in lege altera de non edendis panibus propoſitionis. Et Hebræorum magiſtri legibus de cibis vetitis, aliiſque nonnullis ex veteri traditione eandem addunt exceptionem, recte quidem: non quod Deo jus non ſit ad certam mortem ſubeundam nos obſtringere, ſed quod leges quædam ejus ſint argumenti, ut non credibile ſit datas ex tam rigida voluntate. Quod in legibus humanis magis etiam procedit.

Dion. l. VI.

COMMENTARIUS.

QUamvis Author ſummæ & abſolutæ poteſtatis propugnator ſit, ei nunquam reſiſti poſſe a civibus, etiamſi male habitis a ſummo imperante, in præcedentibus ſtatuens, quoſdam tamen hic caſus excipere videtur a communi regula, & primo quidem caſum ſummæ neceſſitatis, quem omne legis vinculum diſſolvere & obligationem tollere ſæpius annotavimus; ea etiam mente leges feruntur, ne noceant humano generi, ſed ei proſint. ipſæ etiam leges naturales, quamvis moralem & perpetuam vim obligandi continentes, ita tamen ſemper interpretandæ, ne noceant humanæ ſocietati, vel ſingulis ejus membris, ad quorum conſervationem, utilitatem, atque ſecuritatem latæ ſunt, quatenus reſpiciunt dictam ſocietatem: ſumma enim legum naturalium lex eſt, eaque prima & fundamentalis, conſervatio ſui ipſius, quia ſine ſingulorum membrorum conſervatione univerſam ſocietatem perire neceſſe eſt. Hinc cuique jus ſe tuendi adverſus vim illatam & injuriam. defenſionis autem potiſſima pars jus reſiſtendi, quæ nulla lege aut conſtitutione divina nec humana tolli poteſt; ipſum enim hoc univerſum & omnia individua diximus Deum produxiſſe, ut eſſent atque exiſterent quamdiu Deus decrevit, quamobrem omnibus innati acres ſtimuli, quibus feruntur ad ſe conſervanda. huic autem neceſſitati cæteræ leges omnes cedere neceſſe habent, ſive naturales, ſive civiles; imo cum ea convenire, quia ſi huic eſſent contrariæ ipſe legiſlator, cujus voluntas & decretum, quemadmodum ipſe immutabilis eſt, omnis mutationis expers, non eſſet perfectiſſimus, & idcirco nihil velle potuiſſe ſtatuendus, quod abrogaret vel tolleret illam legem fundamentalem; atqui ſublato jure reſiſtendi, etiam tollitur lex, quæ cuique dat facultatem ſui defenſionem ſuſcipiendi; ergo concludendum legem de non reſiſtendo tolli non poſſe, ſed quidem reſtringi ad certos caſus, ita ut non omni tempore ea uti liceat: omnes enim leges debent explicari juxta æquitatem & rationis dictamen. nam eam eſſe mentem ſummi legiſlatoris, quis poſſet in dubium vocare? Hinc ſtatuimus cuique non eſſe facultatem reſiſtendi ſummo imperanti ob quaſcunque injurias, ſed graves, quas recta ratio, omnibus diligenter ponderatis circumſtantiis, dictat ejus eſſe generis, ut ſecundum divina atque humana jura nobis liceat noſtri defenſionem ſuſcipere; ideoque non opus eſt ut cum Authore reſiſtendi licentiam metiamur ex graviſſimo & certiſſimo, ac præſenti quaſi diſcrimine; quippe non ſemper ſumma neceſſitas exſpectanda, ſed ſufficit quod ratio nobis dictet reſiſtendi neceſſitatem, in qua conſtituti ſumus, ad ſuo jure utendum, ſufficere. Omnes enim nationes non ad quævis mala & injurias perferendas eodem modo obſtrictæ. Neceſſitas itaque metienda ex obligationis vinculo, qua tenemur ſummo obſequi imperanti ſecundum leges, delatione in imperii imperio adjectas, vel ipſo jure ei inhærentes; cujuſmodi leges naturales, quibus circumſcribitur omnis poteſtas regendi cives & etiam facultas reſiſtendi, civibus reſervatæ, iiſque utendi illis conceſſa eſt licentia. Summum autem & certiſſimum diſcrimen eam facultatem populo, & cuique etiam e populo, tribuere, certiſſimum: ſed qui illud definiri, & deſcribi quantum, & quale illud eſſe debeat, antequam obligatione & lege de non reſiſtendo ſoluti ſumus, poſſit. Nec etiam præſens & certiſſimum diſcrimen exſpectandum in obligatione eſſe, arbitror ex jure naturæ, vel humano, probari poſſe. Ejuſmodi itaque diſcrimen & neceſſitatem legem de non reſiſtendo abrogare mihi perſuadeo, quæ ratio dictat, poſitis ponendis, ſatis gravia eſſe. Quamobrem plane ridicula, & inſanis illa Judæorum ſuperſtitio, ideoque rectæ rationi ac etiam voluntati divinæ contraria, qui adeo ſtricte præceptum de obſervando ſabbato interpretabantur, ut non ſolum ipſa charitatis officia præſtare omitterent, ſed etiam ſui

defenſionem adverſus hoſtes ſuſcipere nefas ducerent. Hinc ſe diebus feſtis jugulari paſſi ſunt a Mithridate, & Antiochi Epiphani temporibus Judæi, cum oppugnarentur die ſabbati, vitam potius cum morte commutare voluerunt, quam ſeſe tueri adverſus vim illatam, ut videre eſt 1 *Maccab.* 2. Eadem ſuperſtitio occaſionem præbuit Pompejo urbem redigendi in poteſtatem ſuam. Sed contra tenorem legis & divinam voluntatem, ejuſmodi vana ſuperſtitione ducti, Judæi iſtiuſmodi ſabbati obſervationem indixerant. Ipſe Chriſtus, optimus legis interpres, obligationis, quæ vel ex legibus naturalibus, & a divina atque humana voluntate deſcendit, vinculum neceſſitate diſſolvi, vel potius eam ipſa lege excipi, ne obligatio naturalis, quæ perpetua eſt, mutari vel abrogari poſſe videatur, affirmat *Matth.* 12. 4. ubi exemplum Davidis adfert, qui, urgente fame, comedit de pane propoſitionis, quem in cibum ſumere lege erat vetitum, ut convinceret Judæos erroris & ſuperſtitioois, qui diſcipulos Chriſti, ſtimulante fame ſpiculas vellentes, calumniabantur, quaſi legen de ſabbato violaſſent faciendo opera quæ erant prohibita, qualia ſunt arare, ſerere, metere; nam juxta Maimon. *Metens ſabbato vel tantillum reus eſt. Et vellere ſpicas eſt ſpecies meſſionis. Et quicunque aliquid decerpit a germinatione ſua, reus eſt ſub nomine metentis.* Quicunque vero prohibita quædam opera fecerat, pœnæ lapidationis ſeſe obnoxium reddebat. Verum Chriſtus, diſcipulorum defenſionem ſuſcipiens, reſpondit, famis neceſſitate eos coactos feciſſe quod lege prohibitum, excepto caſu neceſſitatis, quem lege non comprehenſum affirmat exemplo Davidis. Veriſſimum Deum, qui vitæ noſtræ Author eſt, ejus etiam, veluti rei, cujus penes ipſum dominium & proprietas eſt, liberum arbitrum eſſe, & conſequenter de ea diſponendi pro lubitu facultatem habere, ac nos obligare poſſe ut abjiciamus ejus defenſionem, certiſſimum periculum ſubeundo, atque morti noſmet ipſos offeramus; verum id non præſumendum, niſi expreſſa extet ejuſmodi voluntatis declaratio, vel ex indiciis luce clarioribus perſpiciamus eo uſque Deum nos voluiſſe obligare: non enim facile a communi jure recedendum in rebus magni momenti, niſi de expreſſa legiſlatoris voluntate conſtet, quam ſemper benigne interpretemur oportet, utpote cujus intentionem fuiſſe arbitrari debemus, ſaluti & conſervationi hominis, a ſe ex ſumma benevolentia conditi, conſulere. Quod multo magis procedit in legibus humanis, quæ potius ipſo jure nullæ exiſtimandæ, conſtituentes aliquid ſaluti & vitæ hominis noxium. Competit quidem ex juſta cauſa ſummo imperanti jus vitæ & necis in cives, ſed non in eam graſſandi pro lubitu licentia; multo minus obligandi cives ad certam ſubeundam mortem ſine juſta cauſa, facultas. ejuſmodi impoſitam neceſſitatem potius arbitror legitimam cauſam reſiſtendi ſummo imperanti, legem exequi volenti, præbere civibus, tanquam in certiſſimum & graviſſimum vitæ diſcrimen vocatis, quod depellere cuivis licitum.

2. Non nego a lege etiam humana quoſdam virtutis actus poſſe præcipi ſub certo mortis periculo, ut de ſtatione non deſerenda; ſed nec temere ea voluntas legem condentis fuiſſe intelligitur, neque videntur homines in ſe & alios tantum jus accepiſſe, niſi quatenus ſumma neceſſitas id exigat. Ferri enim leges ab hominibus ſolent & debent cum ſenſu humanæ imbecillitatis. Hæc autem lex, de qua agimus, pendere videtur a voluntate eorum, qui ſe primum in ſocietatem civilem conſociant, a quibus jus porro ad imperantes manat. Hi vero ſi interrogarentur an velint omnibus hoc onus imponere, ut mori præoptent, quam ullo caſu vim ſuperiorum armis arcere, neſcio an velle ſe ſint reſponſuri, niſi forte cum hoc additamento, ſi reſiſti nequeat, niſi cum maxima reipublicæ perturbatione, aut exitio plurimorum innocentium. Quod enim tali circumſtantia caritas commendaret, id in legem quoque humanam deduci poſſe non dubito.

COMMENTARIUS.

Summum imperantem jus vitæ & necis habere in cives, negari nequit, ideoque etiam ſub certo mortis periculo, neceſſitate Reipub. exigente, pro cujus conſervatione mori nemo bonus recuſabit, quoſdam actus præcipi poſſe, veriſſimum: quoniam enim patria omnes charitates complectitur, inquit Cicero, eaque ſeſe bene habente, ſingulorum quoque ſaluti & ſecuritati ac utilitati ſatis proſpectum, præſumendi in eum, quem ejus ſaluti tuendæ præeſſe voluerunt, quoque facultatem arbitriumque cum ipſo imperio tribuiſſe utendi omnibus mediis, nullis exceptis, quæ conſervationi totius inſervire arbitraretur. Ideoque & ſingulorum viribus ac perſonis, etiam

ſummo

ſummo cum vitæ periculo ad communem ſalutem ſecuritatemque tuendam & firmandam, ſcil. ſi alia non eſt ſalutis expediendæ ratio; quippe cum vita hominis eſt res pretioſiſſima atque inæſtimabilis, de ea non, tanquam de aliis rebus, quarum facilis eſt recuperatio, adeo libera diſponendi ſummo imperanti poteſtas; ſed ea circumſcripta ſumma neceſſitate civitatis aut Reipub. Sic ſub mortis periculo injungi poteſt ut quis ſtationem, in qua collocatus, ad extremum uſque vitæ halitum tueatur; quia enim ſummopere Reipub. intereſt eam non deſeri ab iis, qui in ea collocati ſunt, hinc graviſſima pœna conſtitui ſolet in eos, qui illam deſerunt. Quo majus periculum imminet civitati ex quibuſdam delictis, eo graviori pœna deterreri homines flagitat communis ſecuritas & ſalus, & eo caſu ad illam neceſſitatem redactus ſummus imperans videri debet, qua uti poſſit ſuo imperio, quod ipſi tribuit facultatem, injungendi civibus ut vitam exponant certiſſimo periculo mortis, communis utilitatis cauſa.] Stationem deſerere capitali vindicatum ſupplicio apud Romanos perſpicimus ex reſponſione præfecti Romani apud Livium *lib.* 24. *cap.* 37. cum inquit, *Ad ea Romanus, ſe in præſidio impoſitum eſſe dicere ab Imperatore ſuo: claveſque portarum, cuſtodiam arcis ab eo accepiſſe, qua nec ſuo, nec Ænnenſium arbitrio haberet, ſed ejus qui commiſiſſet. Præſidio decedere apud Romanos capitale eſſe: & nece liberorum etiam ſuorum eam legem parentes ſanxiſſe, conſulem Marcellum haud procul eſſe: ad eum mitterent legatos, cujus juris atque arbitrii eſſent.* Sic tradit quoque Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 7. Poſtumum filium ſuum, quia non ſuo juſſu, ſed ſponte præſidio progreſſus, quamvis hoſtes ſuderat, victorem tamen ſecuri ferire juſſiſſe. Et apud Suet. legimus Auguſtum Centuriones, ſtatione deſerta, itidem ut manipulares, capitali adnimadverſione puniiſſe, *in ejus vita cap.* 24. vid. Polyb. *lib.* 1. *c.* 17. & *l.* 3. & 10. *ff. de re milit.* Hæc autem lex potiſſimum locum ſibi vindicat belli tempore, quia majus tum periculum ex ejuſmodi deſertione imminet; quare etiamſi maneat in vigore pacis tempore, videtur tamen, ſi idem caſus legis exequendæ extiterit, ea potius moderanda, quia jam ceſſat periculum & ſumma neceſſitas, itaque idem ſupplicium obtinere non poſſe videtur. Author hic in ſequentibus idem nobiſcum ſentit de imperii collatione, dependente a voluntate in civitate coaleſcentium, & conſequenter imperii, quod delatum eſt ſummo imperanti, latitudinem & amplitudinem ex voluntate vel tacita, vel expreſſa ejus, a qua ad imperantes manat, metiendam, ut patet ex iis quæ ſequuntur, de quibus jam ſatis prolixe ſupra diſputavimus.

3. Dicat aliquis, rigidam illam obligationem, mortem potius ferendi, quam ullam unquam ſuperiorum injuriam repellendi, non ex lege humana ſed divina proficiſci. Sed notandum eſt, primo homines non Dei præcepto, ſed ſponte adductos experimento infirmitatis familiarum ſegregum adverſus violentiam in ſocietatem civilem coiiſſe, unde ortum habet poteſtas civilis, quam ideo humanam ordinationem Petrus vocat: quanquam alibi & divina ordinatio vocatur, quia hominum ſalubre inſtitutum Deus probavit. Deus autem humanam legem probans cenſetur probare ut humanam & humano modo.

1 Petr. 11. 13.

COMMENTARIUS.

NEgamus ex divina voluntate ejuſmodi rigidam obligationem derivandam: quippe quemadmodum omne imperium humanum, Deo approbante, proficiſcitur ex conſenſu hominum, qui coëunt in unam ſocietatem; ita & imperii tenendi atque exercendi modus ſeu ratio ex eodem deducenda, ut ante dictum & late demonſtratum rationibus, ex recta ratione petitis, quæ hic repetere ſupervacaneum foret; quamobrem imperii omnem vim in conſenſu obedientium conſiſtere dicitur. Qui cum ſibi nocere & injuriam inferre non præſumi poſſint, atque etiam ſcopus, cujus intuitu in ſocietatem coaluerunt, fuerit ſui conſervatio, & ut communibus viribus valerent eas injurias a ſe depellere, quibus reſiſtere ſinguli in primævo naturæ ſtatu impares erant; hinc rectæ rationi maxime repugnat ejuſmodi voluntatis & conſenſus interpretatio, quæ omnem civibus eriperet injuriam etiam ſuperiorum repellendi facultatem. Quod autem rationi repugnat, nullam vim obligandi habet, quia nec factum vel actum fuiſſe præſumitur, ſed de eo latius alibi in *præced.*

4. Barclajus, regii imperii aſſertor fortiſſimus huc tamen deſcendit, ut populo & inſigni ejus parti jus concedat ſe tuendi adverſus immanem ſævitiam; cum tamen ipſe fateatur totum populum regi ſubditum eſſe. Ego facile intelligo, quo pluris eſt id quod conſervatur eo

Lib. III. adv. Monarchom. c. 8.

 ma-

Lib. VI. majorem eſſe æquitatem, quæ adverſus legis verba exceptionem por-
c. 23. & 24. rigat: attamen indiſcriminatim damnare aut ſingulos aut partem
populi minorem, quæ ultimo neceſſitatis præſidio ſic olim uſa ſit
ut interim & communis boni reſpectum non deſereret, vix auſim.
1 *Samuel.* XXII. 2. & XXIII. 13. Nam David, qui extra pauca facta teſtimonium habet vitæ ſecundum
leges exactæ, armatos circum ſe primum quadringentos, deinde
plures aliquanto habuit: quo niſi ad vim arcendam ſi inferretur? Sed
ſimul illud notandum eſt, non factum id a Davide, niſi poſtquam
& Jonathanis indicio, & pluribus aliis certiſſimis argumentis
compererat Saulem vitæ ſuæ imminere. Deinde vero nec urbes invadit,
nec pugnandi captat occaſiones, ſed latebras quærit, modo in
lociis deviis, modo apud populos externos, & hac religione ut popularibus
ſuis nunquam noceat.

COMMENTARIUS.

NOn ſolum ob immanem ſævitiam, ſed & omnes graves injurias, quibus rex populum afficit, vel male & crudeliter eum tractando, & leges ad muniendam populi libertatem adverſus ſervilem ſubjectionem, in quam trahere cives conatur, conditas, negligendo obſervare, vel privilegia & commoda, ſibi reſervata & conceſſa, eripiendo, vel jus quæſitum circa proprias poſſeſſiones & res, quarum juſto titulo ſibi dominium & proprietatem acquiſiverunt, non exigente publica Reip. neceſſitate, auferendo, & hac ratione vitæ ſuſtentandæ ſubſidiis & mediis privando cives, reſiſtendi principi eumque coërcendi, facultatem tribuere populo nullus dubito, motus rationibus ad *præced. c.* adductis. Verum quæri poſſet an civis, vel minor pars populi, in ea neceſſitate principis injuria conſtitutus, ut ſui defenſionem ſuſcipiendo, ei reſiſtere coactus ſit, non debeat reſpicere communem tranquillitatem, quæ perturbatur hac ratione, & ſæpiſſime univerſam Rempub. in ſummum adducit diſcrimen, & an idcirco non ſit obligatus perferre privatam potius ſibi illatam injuriam, imo etiam propriam vitam mortis exponere periculo, quam, ſeſe tuendo adverſum vim & injuriam ſuperioris, Rempub. gravibus turbis belliſque inteſtinis involvere: videtur enim Author licentiam ſeſe tuendi adverſus immanem ſævitiam etiam limitare illa cautione. Sed reſpondeo ipſam illam patientiam etiam ſingularis alicujus membri maxime perniciosam futuram univerſæ Reipub. Quippe hac ratione poſſet tota Reſp. peſſundari, ſingula e medio tollendo membra, & ad univerſos cives perveniret calamitas, ſi ſingulos cives perferre injurias obſtrictos arbitremur, ne publica tranquillitas perturbaretur, quippe ſingulis membris jura ſua auferendo, tandem totam civitatem jure ſuo privabit, quemadmodum coporis ſingulorum membrorum interitu tandem totum diſſolvitur: niſi enim principiis obſtemus, & venienti morbo occurramus, vires ſumit, & omnia inficit corporis membra. Cui etiam accedit, quod cuique privato ſui conſervatio impoſita cum relatione quidem ad Rempub. eatenus, quatenus univerſæ Reipub. ſaluti privata poſtponenda, quando juſto & legitimo modo quis ad illam tuendam vocatus ſit; eo enim caſu publicum commodum atque ſalus propriæ cum vitæ amittendæ periculo etiam anteponenda privatæ ſaluti & conſervationi. Verum quid utilitatis, quid boni aut commodi expectandum ab ejuſmodi principe, qui in propria viſcera ſævire ſe animum induxiſſe non obſcure teſtatur? quoniam enim univerſis opprimendis ſeſe imparem vidit, ſingulos perdere aggreditur. Quamobrem non poſſumus ſubſcribere opinioni Puſendorfii, ſtatuentis, ſi fugæ via non datur civi male a principe habito, moriendum potius, quam occidendum eſſe, non tam propter ipſius principis perſonam, quam propter totam Rempub. quæ tali occaſione grandibus ſere turbis ſolet involvi. Videtur enim Reſpub. ſub ejuſmodi principis imperio in ejuſmodi neceſſitate conſtituta, ut, niſi per magna rerum diſcrimina ſalva eſſe nequeat. Puto etiam ſingulos & omnes cives teneri ad vindicandam injuriam ſocii injuſte opreſſi, quaſi ea ad omnes pertineret; nam eo pacto in civitatem coaluerunt, ut ſibi mutuo opem ferrent, omnem adverſus injuriam & vim illatam. Nec magis poſſumus amplecti opinionem eorum, qui omnem prorſus licentiam reſiſtendi civi ademptam volunt, etiam adverſus immanem ſævitiam imperantium, quorum in numero & doctiſſimus Zeigl. hanc opinionis ſuæ rationem reddens, *quia fingi non poteſt legitima vocatio ſubditorum ad capienda arma contra ſupremum magiſtratum, cum nulli mortalium juriſdictio competat in talem magiſtratum.* Juſta enim defenſio, qualis eſt reſiſtentia, eſt legitima vocatio ad arma capienda contra principem vel ſupremum magiſtratum, ſi deficit omnia alia expediendæ ſalutis ſuæ ratio. Defenſio non deducenda ex juriſdictione, ſed jure, quod cuique connatum, qua homini & ejuſdem conditionis cum ſui ſimillimis; itaque ex æqualitate potius derivandum. Qnippe cum omnes homines naſcantur ſibi æquater, ita ut nullus in alterum jus habeat, proinde injuria aliqua afficere ipſi non licet ſocium, quin alter huic ſeſe jure opponere poſſit, & vim vi repellere.

Digitized by Google

repellere. Optime Puſend. *lib. 7. cap. 8. Quaſi vero defenſio eſſet effectus jurisdictionis; aut quaſi præter neceſſitatem ſe ipſum conſervandi peculiaris requireretur vocatio in eo, qui vim injuſtam a capite ſuo eſt propulſaturus; magis atque in eo qui famem ac ſitim cibo potuque depellere ſtudet.*

5. Simile videri poteſt factum Maccabæorum: nam quod quidam hæc arma eo titulo defendunt quaſi Antiochus non rex ſed invaſor fuerit, vanum puto: cum nuſquam in omni hiſtoria Maccabæi, & qui eorum partes ſequebantur, Antiochum alio quam regis nomine compellent; & merito ſane, cum jam pridem Macedonum imperium agnoviſſent Hebræi, in quorum jus Antiochus ſucceſſerat. Nam quod lex vetat alienigenam populo præfici, de voluntaria electione intelligendum eſt, non de eo quod temporum neceſſitate adductus populus facere cogebatur. Quod vero ajunt alii, uſos Maccabæos jure populi, cui αὐτονομία deberetur, ne id quidem firmum. Nam Judæi primum a Nabuchodonoſore devicti jure belli ex eodem jure ſucceſſoribus Chaldæorum Medis & Perſis paruerant: quorum totum imperium ad Macedonas devenit. Hinc Judæi Tacito vocantur, *Dum Aſſyrios penes Medoſque & Perſas Oriens fuit, viliſſima pars ſervientium.* Nec quicquam ab Alexandro ejuſque ſucceſſoribus ſtipulati ſunt, ſed ſine ulla conditione in eorum ditionem venerunt, ſicut ante ſub ditione Darii fuerant. Quod ſi & Judæi interdum ritus ſuos & leges palam exercere permiſſi ſunt, id fuit ex regum beneficio jus precarium, non ex lege aliqua imperio addita. Nihil ergo eſt quod Maccabæos tueatur præter ſummum certiſſimumque periculum: quamdiu ſcilicet intra ſui defendendi terminos ita ſe continuerunt, ut in loca devia exemplo Davidis ſecederent, quærendæ ſecuritati; nec arma expedirent, niſi ultro oppugnati.

Hiſt. l. l. v.

COMMENTARIUS.

EXemplum Maccabæorum, ab Authore adductum, ut probaret in ſumma neceſſitate civibus reſiſtendi licentiam competere, quidam commentatores hic non quadrare ſtatuunt, quia non adeo liquidum eſt an Mathathias & Maccabæi reſtiterint principi legitimo, an regni injuſto invaſori; tum quia Mathathias non videtur fuiſſe perſona aliqua privata, ſed princeps, & clariſſimus & magnus in populo. Cui alii addunt, quod ea tempeſtate nondum ſceptrum ablatum eſſet a populo Judaico & proinde ſumma majeſtas adhuc penes populum reſideret, qui duces ſibi eligere poterat ad ſe tuendum adverſum omnem vim hoſtilem, quos e Maccabæis elegiſſe videntur. Quibus rationibus adjiciunt exemplum probationis loco adduci non poſſe, cum petitum ſit ex Apocryphis. Verum rationes noſtri authoris longe hiſce præponderare facile lectori, eas diligenter examinanti, & cum illis, quas jam deſcripſimus, conferenti, conſtabit.

6. Illa interim cautio tenenda eſt, etiam in tali periculo perſonæ regis parcendum: quod qui factum a Davide putant non ex officii neceſſitate, ſed ex ſublimiore propoſito, falluntur. Ipſe enim David aperte dixit, inſontem neminem eſſe poſſe qui manus regi inferret. *1 Samuel. xxvi, 9.*
Nimirum ſciebat ſcriptum in lege: *Diis*, id eſt Judicibus ſummis, *non maledices, & Principi in populo tuo non maledices.* in qua lege mentio facta ſpecialis enimentium poteſtatum, oſtendit aliquid præcipi ſpeciale. Quare Optatus Milevitanus de hoc Davidis facto loquens, *Obſtabat*, ait, *Deuter. xxii, 28.* *Lib. 11.*

ait, *plena divinorum memoria mandatorum.* Et verba Davidi hæc tribuit: *Volebam hoſtem vincere, ſed prius eſt divina præcepta ſervare.*

COMMENTARIUS.

SI perſonæ regis parcendum, quatenus rex eſt, ergo nec ei reſiſtendum; nam regem dicimus qui toto populo ſoperior eſt; ſi ſuperior, ergo ei reſiſti nullo modo poteſt. Quamobrem eo caſu, quo reſiſtendi principi licentiam civibus tribuimus, non tanquam ſuperior habendus, ſed æqualis civi cui infert injuriam, ideoque non magis ei parcendum videtur, quam injuſto invaſori & cuilibet hoſti, injuſte in me irruenti, nam principi, qua principi, civis nunquam jure reſiſtit, quia ipſum principis ſeu regis nomen juſtum imperii habendi titulum & exercendi modum denotat, cui reſiſti nunquam licet. Quamobrem regio imperio opponitur injuſta & ſuperba dominatio apud Salluſtium. Hinc & Livius ait, *cum Servio Tullio juſta & legitima regna occidiſſe* & Plinius, *diverſa natura ſunt dominatio & principatus.* Tyrannum vero & iniquum principem ſeſe indignum propria culpa reddentem imperio, eoque ſe exuentem, occidere licitum, multi viri eruditi mecum ſentiunt, & ſupr. Ciceronis teſtimonio probavimus. Cui etiam addi poteſt illud Senecæ:

Victima haud ulla amplior
Poteſt majuſque opima mactari Jovi,
Quam Rex iniquus.

Quamobrem Hercules non alio magis nomine ad Deos fama ſublatus, quam quod tot tyrannos, tot humana facie & forma belluas, interfecerit. Hinc quoque Boxhorn. *inſtit. Polit.* 4. *ubi tamen ad ſummum iniquitatis gradum evecta tyrannis principum, & modeſtia, patientia, & ſupplicationibus nihil eſt profectum, tollere principes, aut eos ejicere, eorumque imperium exuere licitum exiſtimamus.* Contra quem enim licet ſe defendere etiam vi & armis, eum quoque & occidere fas erit; atqui contra regem iniquum ſe defendere etiam armis quidam ſtatuunt, etiam concedere neceſſe habent perſonam regis quoque interfici poſſe, nec magis parcendum principi, quam communi hoſti: ſic enim argumentatur Cicero pro *Rabirio.* *Si interfici Saturninum nefas fuit* (utpote qui ſacroſanctus, quia Trib.) *arma ſumta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt. Si arma jure ſumta concedis, interfectum jure concedas neceſſe eſt.* Quod Davidis exemplum attinet; ad illud poteſt reſponderi. Quamquam Davidem perſequeretur Saul, attamen ſemetipſum quia privatus contra regem quidem defendere, ſed eum neutiquam offendere vel in eum inſurgere, multo minus occidere extra caſum neceſſitatis poterat. Atqui neceſſitas non cogebat eum interimere regem alto ſopore oppreſſum, quia nullum ipſi ab eo imminebat periculum, potius offendiſſe regem quam ſe defendiſſe in certiſſimo mortis periculo conſtitutum, videri debuiſſet: nam quamvis Davidem inſequeretur, metuens fortaſſe, ne ſibi imperium potius eripere, quam exſpectare, mallet, & proinde ſibi inſidias ſtruenti potius prævenire quam ab eo præveniri ratus, e medio eum tollere conaretur, (qui metus licet injuſtus eſſet reſpectu Davidis juſtus tamen per ſe aliquando eſſe poteſt, verum tamen non juſta aliquem perſequendi cauſa, niſi quis indiciis luce clarioribus ſuum animum declaraverit hoſtilem) condonandum tamen aliquid ejuſmodi timori. non injuſtum nec illegitimum in ſubjectos exercebat imperium, quare venerandus & ſanctus habendus tanquam Rex legitimus, unctus a Deo ſuper populum ſuum. Deſignatus Rex quidem David erat, verum vivente Saulo tanquam privatus conſiderari tantum poterat, qui vitam eripere principi ſuo legitimo ſine ſummo piaculo nequibat. E. Rabbinis affirmant nonnulli Davidem manus ſuas Sauli cæde polluere noluiſſe non tam pietate, quam quidem civili prudentia, ut alios ſcil. ſuo exemplo doceret ſanctam & inviolabilem ſummam majeſtatem eſſe, atque eo animis civium majorem devotionem & reverentiam erga ſe ipſum, utpote qui tantæ majeſtatis deſignatus proximus ſucceſſor, imprimeret, tanquam certiſſimum ſummi imperii, quod ad ſe devolutum iri neceſſe erat, munimentum. Quod in lege ſcriptum; *Diis*, ſcil. ſummis magiſtratibus vel judicibus *non maledices, & principis in populo ſuo non maledices*, nihil hic ponderis ad probandum non lædendam principis perſonam: nam maledictio eſt res per ſe illicita, quia proximum lædere, vel ipſo actu, vel verbis, vel animo & voto repugnat charitati & dilectioni ideoque prohibita.

Sect. XL. 7. At falſa maledicta ne in privatum quidem licet jacere; in regem ergo veris quoque abſtinendum. Quia, ut ait ſcriptor problematum, quæ Ariſtotelis nomen præferunt: ὁ κακηγορῶν τὸν ἄρχοντα, εἰς τὴν πόλιν ὑβρίζει. *Qui rectori maledicit, in civitatem eſt injurius.* quod ſi voce lædendus non eſt, manu certe multo minus: unde & pœnitentia tactum Davidem legi-
1 Samuel. XXIV. 6. mus, quod veſtem ejus violaſſet: tantam intelligebat perſonæ iſtius eſſe ſanctitudinem. nec immerito. nam cum ſummum imperium non poſſit non multorum odiis patere, ſecuritas fungentis peculialiter fuit mu-

munienda. quod Romani etiam in Tribunis plebis conſtituerunt, ut ἄσυλοι, id eſt inviolabiles eſſent. Inter Eſſenorum dicta erat, reges ſanctos habendos: & inſigne illud apud Homerum:

Περὶ γὰρ δίε ποιμένι λαῶν,
μή τι πάθοι.
Nam pro populi paſtore timebat
Ne quid ei accideret.

Nec immerito, ut apud Curtium eſt, *regium nomen gentes, quæ ſub regibus ſunt, pro Deo colunt.* Artabanus Perſa: ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι· τὸ τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν, εἰκόνα Θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος. *Nobis inter leges multas eaſque bonas hæc optima eſt, regem colendum & adorandum, ut Dei cuncta ſoſpitantis effigiem.* Plutarchus Agide: οὐ θεμιτὸν οὐδὲ νενομισμένον βασιλέως σώματι τὰς χεῖρας προσφέρειν, *nec fas nec licitum regis corpori manus inferre.*

COMMENTARIUS.

IMo & veris quoque in privatum maledictis abſtinendum; nam omnis læſio proximi prohibita, quia, ut jam diximus, per ſe mala, repugnans dilectioni. Concedimus tamen Authori majorem Perſonæ Principis ſanctitatem, quam alicujus privati, ideoque gravior injuria, quamobrem & ſeverius vindicanda, quæ infertur Regi, qua Regi, quam privato. Actum enim eſſet de ſocietate civili & publica authoritate, a qua ſingulorum ſalus & ſecuritas pendet, ſi ſumma majeſtas exponeretur privatorum odiis & injuriis.

8. Illa quæſtio gravior, an quantum Davidi, an quantum Maccabæis licuit liceat & Chriſtianis, quorum magiſter crucem ſubire toties
jubens, exactiorem patientiam videtur requirere. Certe ubi ſuperio- 1 Petr.
res ob religionem mortem intentant Chriſtianis, Chriſtus fugam con- IV, 12,
cedit, his ſcilicet, quos officii neceſſitudo nulli loco alligat: ultra fugam 13, 14, 15, 16.
nihil. Petrus vero Chriſtum ait, cum pateretur, nobis reliquiſſe exemplum quod ſequamur, qui cum peccato vacaret, & doli omnis immunis eſſet, convitia convitiis non repoſuit, neque inter patiendum minatus eſt, ſed rem permiſit juſte judicanti. Idem gratias agendas Deo ait, & gaudendum Chriſtianis, ſi, tanquam Chriſtiani, pœnis ſubdantur. Et hac maxime patientia invaluiſſe Chriſtianam religionem legimus.

COMMENTARIUS.

INcidimus hic in illam quæſtionem, quam ex iis, quæ de amplitudine ſummæ poteſtatis dixi, facili negotio decidendam arbitror, an reſiſtere liceat principi, ob religionem mortem intentanti. Negativam ſententiam tueri videtur Author. Quam omni æquitati, rectæ rationis dictamini & ſano judicio contrariam probare conabor. Primo falſum jam ſæpius annotavimus, quod Author ſtatuat majorem a Chriſtianis patientiam exigi, quorum magiſter ſingulare admirandæ patientiæ exemplar fuit, ipſis imitandum, quam in V. T. a Davide aliiſque viris piis e Judæorum gente. Quanto anima corpore præſtantior, eo quoque gravior injuria, quæ infertur illi, quam huic, & idcirco eo major licentia reſiſtendi principi tribuenda videtur civi. Quoniam vero religio ad animæ ſalutem ſpectat, quæ a nullius, niſi divina, voluntate & gratia pendet; hinc non eſt fori humani hominem cogere vi ſummi imperii, ſub comminatione pœnæ graviſſimæ, ut fidem vel religionem amplectatur, quam ſummus imperans ei præſcribit, conſcientiæ ſuæ dictamini contrariam. Quippe cum fides ſit Dei donum, a ſolo Deo poteſt inſtillari homini; atqui quiſque putat ſalutem ſe ſuam æternam per fidem, quam intus habet, & cujus coram hominibus publice per cultum externum profeſſionem facit, obtinere & operari; ergo qui vim inferre vult conſcientiæ, idem eſt, ac ſi vellet aliquem privare æterna ſalute, atque ita ani-

mam

mam perdere; cujuſmodi injuriæ depellendæ, & arcendæ proportionata videtur concedenda civibus facultas, & proinde major, ac vel ſaltem non minor, Principi, illam inferenti, reſiſtendi poteſtas, quam corpus noſtrum male tractanti, vel alia quacunque ratione aliquid intentanti, quod temporali noſtræ ſaluti noceat, vel perniciosſum futurum. Atqui hujus conſervandæ cauſa in extrema neceſſitate ipſe Author concedit principi reſiſtere licitum. multo ergo magis concedendum, cum animæ ſalus in ſummum vocatur diſcrimen. Subſiſtit hic imperium, quod ex conſenſu civium derivandum, quia illud ipſum nec transferri potuit, nec etiam voluiſſe, ſi potuiſſet, præſumendus eſt populus; deficit ergo populi voluntas & ratione impotentiæ, & ratione intentionis. Atqui ſummum, quod poſſidet princeps, imperium, habet a populo, ergo non poteſt majus dominium poſſidere, quam habuit populus, a quo imperium in ipſum transiit arg. *l. 175. ff. de R. J.* Quemadmodum circa moralia nulla competit principi diſponendi facultas, ita etiam nec circa ea, quæ animæ ſalutem ſpectant. Quippe cum Deus voluerit ut quiſque ſalutem ſuam operaretur in timore & tribulatione, etiam cujuſque arbitrio reliquit quibus id vellet efficere mediis. media autem ea ſunt, quæ conſcientia mihi dictat ab obtinendam ſalutem neceſſaria, ita ut humanæ poteſtati non competat jus præſcribendi regulas, quibus unumquemque velit alligatum ſalutem ſuam operari, contrarias mediis, quæ adhibenda mihi dictat conſcientia. Quamobrem rejicimus impiiſſimum & abſurdiſſimum juxta ac falſiſſimum illud Hobbeſii dogma, ſtatuentis *ſimpliciter obediendum Principi in materia religionis & cultus divini, etiam ei, cui conſcientia dictat lege divina aliter determinatum. Leviat. cap.* 42. 43. Quia ſingulis civibus judicium de religione & cultu divino denegat, de quo ſtatim. Injuſtum & uſurpatum imperium ac dominium ſtatuimus, quod Principes in animum & conſcientiam ſibi arrogare velint. Revera uſurpatum, quia nunquam delatum, nec deferri potuit. Injuſtum merito, quia omni juſtæ poſſeſſionis titulo deſtitutum. Ubi autem deeſt juſtus titulus, ratio juris prohibet poſſidentes dominium acquirere *l. 24. ff. de rei vind. l. 7. C. de acquir. poſſeſſ.* Qnippe quoniam nnllus imperii juſtus titulus poteſt excogitari, quam populi conſenſus & voluntas, ſequitur, ubi hæc deficit, deeſſe quoque juſtum titulum. Atqui ratione imperii in conſcientiam, quantum animi ſalutem ſpectat, deficit conſenſus; ergo corruit quoque imperium, tanquam juſto titulo deſtitutum. Quamobrem ſi de facto illud imperium exercere velit princeps, jure ei reſiſtunt cives, quaſi privato, ſibi injuriam inferenti. Quamvis vero homines ſtatuamus habere jus in conſcientiam etiam transferendi imperium, conſtat tamen ex intentione non voluiſſe majus conferre in principem imperium, vel libertatis naturalis majorem partem amittere, vel quam abjicere neceſſe habebant ad obtinendum finem, quo impulſi, in civitatem coaluêre. Quoniam antem iſte finis non ad animæ beatitudinem, ſed temporalem hominis ſalutem & conſervationem pertinet, ulterins extendi imperium humanum nec ratio, nec juris benignitas patitur; quo autem ſubſiſtit populi voluntas, eo etiam imperium finire debet; & quid ſi voluiſſent, non potuiſſent, ut diximus, quia obſtat delationis impoſſibilitas, quoniam ejuſmodi imperium non cadit in commercium, ideoque nec conſenſu, vel pacto ſeu contractu, vel præſcriptione, vel alio id genus juſto imperii acquirendi titulo acquiritur: quod enim nullius eſt, id ut alicujus fieret, nulla valet efficere obligatio *l. 182. ff. de R. J.* unde concludimus principi, vim inferre conſcientiæ volenti, quaſi privato, injuriam inferenti, quia deſtituitur imperio, & idcirco majeſtatem, qua omnibus civibus ſuperior eſt, amittit & exuit, poſſe reſiſti; imo etiam vi & armis reſiſtere poſſe principi civem, quem ad amplectendam religionem, conſcientiæ ſuæ dictamini contrariam, cogere vult, rationem & omnia jura permittere mihi perſuadeo. Poſſet objici Chriſtianam doctrinam & perfectiſſimum exemplar Chriſtum commendare nobis tolerantiam & patientiam, & idcirco nos obligari ad perferenda potius mala, quæ propter eam nobis inferuntur, quam ad ea vi depellenda, ne majeſtatem principis, quæ ſancta & inviolabilis eſt, violemus. Reſpondeo Chriſtianam religionem docere quidem tolerantiam, eamque etiam laudibilem, & Chriſtianos decere; verum eo uſque ea non obligat, ut juſtam defenſionem non liceat opponere injuſtæ offenſioni principis, neceſſitate exigente. Concedo patientiam rationi conſentaneam etiam eſſe in obligatione; verum infinitam, vel etiam talem, quam exigit a diſcipulis ſuis Chriſtus, & ipſe præſtitit, etiam omnibus impoſitam, qui Chriſtianorum ſacris initiati ſunt, mihi perſuadere nequeo. Temporis enim ratio & reliquæ circumſtatiæ videntur majoris patientiæ & tolerantiæ flagitaſſe teſtimonia, illuſtriori quodam modo primis illis temporibus exhibenda, quibus Gentiliſmus ubique hominum animos obſidebat. Virtutum menſura ſeſe a Gentilibus diſtinguere voluêre Apoſtoli & Chriſtianæ doctrinæ ſectatores. Deinde etiam voluit Chriſtus eos magis magiſque ad patientiam adhortari, ut oſtenderet regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, vel doctrinam, quam adeo immaniter & crudeliter perſeqnebantur Imperatores Ethnici, ullam redolere ſeditionem, vel homines ad rebellionem, tumultus, & inteſtina incitare bella; ſed eſſe pacificam & imperare patientiam ac tolerantiam. Cui accedir, quod & ſupra dictum, non conſultum fuiſſe Apoſtolis violenta defenſione ad majorem barbariem & crudelitatem in Chriſtianos irritare principes, a veri Dei notitia alienos, ſub quorum imperio immanem ſævitiam & inauditam crudelitatem perferre coacti erant. Hinc ex duobus malis minimum eligendum. Pati autem ſatius ducebant quaſcunque injurias, quam obſtinata defenſione perſecutiones aggravare. *Neceſſitati cedere temporique inſervire ſemper ſapientis habitum*, ait Cic. in *Epiſt. ad fam.* Ponderandæ itaque circumſtantiæ temporum, locorum, & etiam diſtinguenda com-

commendatio ſive doctrina aliqua a præcepto, & lege. Hæc involvit obligationem & neceſſitatem; illa adhortationem & commendationem, a qua abeſt omnis coactio & imperium; commendationem ſequi poſſumus; quod præcipitur, exequi & facere debemus. Verum notandum quamvis vi religio poſſit defendi, non tamen ea propagari ipſam poſſe, & idcirco ſumma ratione nititur defenſio violentæ oppoſita propagationi, quæ fit armis. Non enim intruditur pietas, ſed inſtillatur, mentibus; non impingitur, ſed infunditur, non imperatur, ſed ſuadetur & docetur. Non a vi & armis dependet, ſed divina voluntate, quæ hominis animum præparat, & ad recipiendam doctrinam ac fidem reddit idoneum; quamobrem non coactum, ſed voluntarium militem elegit Chriſtus. Non debent injici mentibus vincula. voluntates ad ſtudium veræ religionis allici & invitari debent, non cogi; non imperari, ſed ſuaderi oportet, quæ ad animæ ſalutem pertinent. Coactio imperium includit, ſuaſio libertatem, quæ cuique in materia fidei & religionis concedi debet, ita ut poſſit amplecti ea, quæ cum conſcientia conveniunt, religionis dogmata, contraria rejicere. Hinc inquit Theodoſius & Valentianus *l. 1. C. de ſum. trinit. Decere arbitramur noſtrum imperium ſubditos noſtros de religione commonefacere.* Cogere itaque ſui imperii non eſſe exiſtimat. Sed libertas, quam cuique concedimus circa religionem, limitanda ita eſt, ne noceat religioni receptæ & publica authoritate confirmatæ aut introductæ, ſua dogmata diſſeminando in vulgus, ad publicam perturbandam religionem, & idcirco tollendam pacem & tranquillitatem Reipub. vid. quæ annotavimus *ad n.* 58. *Prolog.* Verum ſtatuit Author ſi vis aliqua nobis religionis cauſa inferatur, vel etiam mortis pœna intentetur, Chriſtum fugam quidem ad illam declinandam concedere, neutiquam vero vim vi repellendi, & idcirco principi reſiſtendi facultatem tribuere. Conſultius ſane eſt periculo ſe fuga ſubtrahere, quando ſine magno detrimento fieri poteſt, quam vim vi repellendo, ſe innumeris periculis exponere. Sed probandum eſt Chriſtum nihil ultra fugam concedere, quando in ea neceſſitate conſtituti ſumus, ut vel ſine ſummo noſtro damno, vel etiam omnino non fuga noſtræ ſaluti conſulere poſſimus, niſi optemperando injuſtis ſummi imperantis mandatis, vel perferendo mala & injuriam nobis imminentem, principe ob religionem nobis vim inferente, vel intentante mortem: defenſio enim juris eſt naturalis, quod nemini eripere voluiſſe Chriſtum ex eo patet, quia non ad ſolvendam, ſed implendam legem naturalem, ſive moralem, venit. Ipſa etiam declinandi fuga malum imminens, licentia a Chriſto conceſſa, ſatis innuit, eum non ad omnem patientiam obligare voluiſſe ſuæ doctrinæ ſequentes, ſed eam, quam dictat recta ratio, & poſtulat æquitas.

9. Quare Chriſtianis veteribus, qui recentes ab Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum diſciplina eorum præſcripta & intelligebant melius & perfectius implebant, ſummam injuriam fieri puto ab iis qui quo minus ipſi ſe defenderent in certiſſimo mortis periculo, vires putant illis, non animum defuiſſe. Imprudens certe & impudens fuiſſet Tertullianus, ſi apud Imperatores, qui ejus rei ignari eſſe non poterant, ita confidenter auſus eſſet mentiri: *Si enim hoſtes & apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum: ſola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere?* Sequitur hic quoque magiſtrum ſuum *Ad Demetrianum.* Cyprianus, & aperte prædicat; *Inde eſt, quod nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur: nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt.* Et Lactantius: *Lib. v.* *Confidimus enim majeſtati ejus, qui tam contemtum ſui poſſit ulciſci, quam ſervorum ſuorum labores & injurias. Et ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur: ſed Deo remittimus ultionem.* Nec aliud ſpectavit Auguſtinus, cum dicit: *Nihil juſtus præcipue cogitet in his rebus, niſi ut*

bellum ſuſcipiat cui bellare fas eſt; non enim fas eſt omnibus. Ejuſdem eſt illud: *Quoties imperatores in errore ſunt, leges ad tuendum errorem contra veritatem condunt, per quas juſti examinantur & coronantur.* Idem alibi: *Ita a plebibus principes & a ſervis domini ferendi ſunt, ut ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna.* Quod veterum Chriſtianorum exemplo alibi ſic explicat: *Neque tunc civitas Chriſti, quamvis ad huc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum adverſus impios perſecutores, pro temporali ſalute pugnavit, ſed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro ſalute contemnere.*

Lib. 6. qu. 10. in Joſ. Ep. CLXVI.

De Civit. Dei l. XXII.

COMMENTARIUS.

VEterum Chriſtianorum exempla non in omnibus imitanda diximus ſupra, atque eorum patientiam & paratum ad quævis mala ob religionem, quam profitebantur, perferenda animum, magis adſcribendum impotentiæ, quam ſpontaneæ obediendi doctrinæ Chriſtiano deſiderio, qua teneri ſe putabant ad quasvis injurias ſummorum imperantium æquo animo potius perferendas, quam ut reſiſterent principi, qui Dei vice in terris fungitur: plus enim ſolatii & remiſſionis injuriarum ſpes in patientia, quam auxilii in reſiſtentia & defenſione. Quoniam enim erant plerique homines humiles & viles, alieno ſubjecti imperio, deſtituti armis, duce, magiſtratibus, ideoque nulla uſi forma regiminis, ſine qua nihil quicquam recte geri vel ſuſcipi poteſt, ſi reſiſtere voluiſſent injuriis imperatorum, verendum fuiſſet, ne eos irritaſſent magis, & conſequenter gravioribus malis, & injuriis obruerentur. Cui etiam accedebat, quod nonnulli cenſebant Chriſtum ad majorem patientiam obligaſſe ſuos diſcipulos, quam vel olim Iſraëlitæ, vel etiam gentiles jure naturæ obligati erant, quam opinionem falſam & contrariam ſacræ ſcripturæ, atque etiam doctrinæ Chriſti probare conati fuimus, & conſequenter eorum patientiam non poſſumus nobis proponere tanquam exemplum imitandum: cui addi poſſunt quæ habet in ſuis commentariis Gronovius: *non vires illis modo, ſed & animum reſiſtendi defuiſſe, ideoque nec potuiſſe, nec ſi potuiſſent, voluiſſe, non tam quia illicitum, quam ob nimiam martyrii ambitionem.* Præterquam quod functioni & officio ſacerdotali, vel eccleſiaſtico non conveniens putabant, arma tractare, & vi propagare, vel etiam defendere doctrinam ſuam. Hinc Theodoretus contra gentes jactat. *Agite vero, Græci, ſaltem nobis oſtendite unum Spartium civem, qui pro tuendis Lycurgi legibus; unum Athenienſem, qui pro Solonis; Locrenſem, qui pro Zaleuci; Cretenſem qui pro Minois ſubire mortem pertulerit. Nemo autem veſtrum id nobis oſtendere poterit. At nos contra vobis oſtendimus pro piſcatorum ſutoriſque noſtri legibus virorum mulierumque multa millia mortem ſæviſſimam ſubiiſſe.* Cui addi poſſunt quæ legimus apud Minutium *in Octavio*, cum inquit: *Vos ipſi fertis ad cælum Mucium Scævolam, qui cum erraſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus, niſi dextram perdidiſſet. Et quod ex noſtris non ſolum dexteram, ſed totum corpus uri ac cremari ſine ullis ejulationibus pertulerint, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate: viros cum Mucio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo. Pueri & mulierculæ noſtræ cruces, tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terricolas inſpirata patientia doloris illudunt.* Et veroſimile etiam nonnullos in eam adductos fuiſſe opinionem, quaſi ejuſmodi patientia ſibi viam patefacerent, qua ad vitæ æternæ & ſalutis poſſeſſionem pervenirent, ideoque eo majori conſtantia & quaſi obdurato animo perferre mala quævis maluiſſe, quam reſiſtendo hoc præmio ſuæ patientiæ privari.

10. Nec minus egregia ſunt quæ in eandem ſententiam habet Cyrillus in locum Johannis de gladio Petri. Thebæa legio, ut acta nos docent, militibus conſtabat ſexies mille ſexcentis ſexaginta ſex Chriſtianis omnibus: Qui, cum Maximianus Cæſar apud Octodurum exercitum compelleret ſacra diis falſis facere, primum Agaunum iter arripuerunt: & cum eo miſiſſet Imperator qui eos ad ſacrificandum venire juberet, ipſique ſe id facturos negaſſent, Maximianus decimum

cimum quemque juſſit interfici per apparitores: qui nemine repugnante facile imperium ſunt exſecuti.

COMMENTARIUS.

DE inaudita Maximiani crudelitate & ſævitia, qua uſus eſt in Chriſtianos, vide Lactant. *de mort. perſecut. cap. 9. & ſeqq.*

11. Mauritius ejus legionis primicerius, a quo Agaunum vicus Mauritii dictus eſt poſtea, narrante Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi, eo tempore commilitones ſic allocutus legitur: *Quam timui, ne quiſquam, quod armatis facile eſt, ſpecie defenſionis, beatiſſimis funeribus manus obviam afferre tentaret! jam mihi ad hujus rei interdictum Chriſti noſtri parabatur exemplum, qui exemtum vagina Apoſtoli gladium propriæ vocis juſſione recondidit: docens, majorem armis omnibus Chriſtianæ confidentiæ eſſe virtutem, ne quiſquam mortali operi mortalibus dextris obſiſteret, quin imo cœpti operis fidem perenni religione compleret.* Cum hoc ſupplicio peracto Imperator ſuperſtitibus eadem quæ ante præciperet; ſic omnes reſpondent: *Milites quidem, Cæſar, tui ſumus, & ad defenſionem reipublicæ Romanæ arma ſuſcepimus: nec unquam aut deſertores bellorum aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus ſubire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, niſi inſtituti legibus Chriſtianis dæmonum cultus & aras ſemper pollutas ſanguine vitaremus. Comperimus præcepiſſe te, ut aut ſacrilegiis pollueres Chriſtianos, aut de denis interfectis nos velles terrere: Non inquiras longius latitantes: Nos omnes Chriſtianos eſſe cognoſce: habebis poteſtati tuæ ſubdita omnium corpora: auctorem vero ſuum reſpicientes Chriſtum animas non tenebis.*

COMMENTARIUS.

NOn quæritur quidnam cenſuerint & fecerint veteres Chriſtiani, verum quid facere potuerint. Exempla quæ Author adfert probant quidem factum, ſed jus non ſtatuunt. Atque jam rationes annotavimus, quæ in cauſa eſſe potuerint, cur maluerint injurias ſibi illatas patientia defungi, quam eas vindicare: nam, ut recte annotavit Doctiſſimus Gronovius; imperatores, jam ad Chriſtianam converſi religionem, & ipſi Reipub. gubernaculo admoti, ſui defenſionem promere adverſus vim & impetum etiam ſummi imperantis ſibi licitum eſſe, ipſo facto demonſtrarunt. Cujus exempla adducere ſupervacaneum foret, cum neminem ea fugere poſſint, niſi plane ſit hoſpes in hiſtoriis. Etiam non inficior noſtro ſeculo in quibuſdam regionibus, neceſſitate coactos cives, inſurrexiſſe ad conſervandam religionem, ejuſque profeſſionis faciendæ facultatem, & exercitium tuendum, ac ſibi illibatum reſervandum adverſus vim & potentiam ſuorum principum, qui, fortaſſe impulſi deteſtandis quorundam Eccleſiaſticorum crudeliſſimis conſiliis, Reipub. ſemper pernicioſiſſimis, iis nimium indulgentes, eam ſibi eripere, imo penitus eradicare animum induxerant, quaſi a principis poteſtate dependeret ejuſmodi religionis profeſſionem civibus injungere, quam introducere placet. Non inficior, quemadmodum annotavimus ſupra, ſpectare ad imperium Principis, cui cura publicæ tranquillitatis conſervandæ commiſſa eſt, religionem ſive publicum Dei cultum introducere & ſtatuere, non ſolum ut imbuantur cives dogmatibus, quæ quodammodo ad ſocietatis civilis tranquillitatem pertinent, quorum in numero ſunt, *ſummas poteſtates a Deo eſſe, ideoque Dei ordinationi eum reſiſtere, qui ſummis imperantibus reſiſtit, Deo dandum quod Dei, Cæſari quod Cæſari debemus, colendam juſtitiam, proximum diligendum*; ſed etiam iis, quibus arbitratur æternam ſalutem & animæ tranquillitatem comparari, ſed ita, ut ad ea dogmata amplectenda, quæ ſaluti animæ inſerviunt, non cogantur cives, ſed ea ipſis perſuadeantur.

12. Tum Exuperius legionis ſignifer ſiceam allocutus ibidem narratur:

ratur: *Tenere me, commilitones optimi, ſæcularium quidem bellorum ſigna perſpicitis: ſed non ad hæc arma provoco, non ad hæc bella animos veſtros virtutemque compello. Aliud vobis genus eligendum eſt præliorum. Non per hos gladios poteſtis ad regna cæleſtia properare.* Deinde Imperatori hæc nuntiari jubet: *Non nos adverſum te, Imperator, armavit ipſa, quæ fortiſſima eſt in periculis, deſperatio, Tenemus ecce arma & non reſiſtimus, quia mori magis quam vincere volumus, & innocentes interire quam noxii vivere præoptamus.* Et poſtea: *Tela projicimus: exarmatas quidem dexteras ſatelles tuus, ſed armatum fide catholica pectus inveniet.*

13. Sequitur poſt hæc laniena in non repugnantes, in cujus narratione hæc ſunt Eucherii verba: *Ne juſti punirentur multitudo non obtinuit, cum inultum* (male editur *multorum*) *eſſe ſoleat quod multitudo delinquit.* In veteri Matyrologio res eadem ſic narratur: *Cædebantur itaque paſſim gladiis non reclamantes, ſed & depoſitis armis cervices perſecutoribus vel intectum corpus offerentes, non vel ipſa ſuorum multitudine; non armorum motione elati ſunt, ut ferro conarentur aſſerere juſtitiæ cauſam, ſed hoc ſolum reminiſcentes, ſe illum confiteri qui nec reclamando ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus non aperuit os ſuum, ipſi quoque tanquam grex Dominicarum ovium laniari ſe tanquam ab irruentibus lupis paſſi ſunt.*

14. Valens impie & crudeliter ſævi it in eos qui ſecundum ſacras literas & Patrum traditionem τὸ ὁμούσιον profitebantur, quorum quamvis maxima multitudo, nunquam ſe armis tutata eſt.

COMMENTARIUS.

EX Martyrum exemplis male conſequentiam deduci, quaſi idem omnes Chriſtiani imitari eſſent obſtricti, mecum quoque præter alios viros eruditos ſentire videtur Hornius de *civit. lib. 2. cap. 12. Quod Martyres concernit*, inquit, *qui potius habuerunt vitam ponere, quam vel gerere morem dominis impiis, vel iiſdem reſiſtere: id eo haud pertinet, quaſi ex lege Chriſtianæ profeſſionis ad hoc fuerint obſtricti; quum nulli præceptum a Deo inveniamus, ut ſine omni circumſpectione tradant ſpiritum, quoties libuerit tyranno. Dicendum igitur potius quod nec fugere, nec ob paucitatem ſe tueri potuerint. diſperſa hinc inde erat primitiva eccleſia, ut facile in unum haud poſſent congregari omnia ejus membra, potentes inſuper tyranni conjunctionem diſſipare & opprimere valebant. Neceſſitatis igitur inevitabilis erat, quod deprehenſi volentes ponerent vitam: non mandati, ut ſe ſponte offerrent jugulandos*, & paulo poſt. *Verum enim vero multa perpetrantur a piis & dilectis Dei hominibus, quæ laudanda interdum potius & admiranda, quam imitanda, & ideo ad communem regulam trahenda non ſunt.* Martyrum *igitur*, concludit, *exempla ſingularem æquitatis laudem habent. Interpretanda vero neutiquam ſunt, quaſi perpeſſi talia ſint propter negatam jure reſiſtendi facultatem*, cui addi poſſunt rationes quas ſtatim allegavimus.

1 *Petr.* 15. Certe ubi patientia nobis præſcribitur, ſæpe adduci videmus,
II. 21. & a Thebæis militibus adductum jam audivimus Chriſti exemplum,
Matth. ut nobis imitandum, cujus patientia ad mortem ſe extendit. Ac qui
x. 39. ita animam perdit, is vere eam acquiſiviſſe a Chriſto pronuntiatur.
Luc. XII. Diximus ſummum imperium tenentibus reſiſti jure non poſſe. Nunc
33. quædam ſunt quæ lectorem monere debemus, ne putet in hanc legem delinquere eos qui revera non delinquunt.

COMMENTARIUS.

LAudabile nobis Chriſtum proponere imitandum tanquam perfectiſſim exemplar omnium virtutum, ut, quantum fert natura humana, vitam noſtram inſtituamus conformem regulæ

gulæ & normæ, quam Chriſtus obſervavit in totius vitæ curſu. Verum hic notare poſſumus, quæ ipſe Author habet *cap. præced.* §. 3. *n.* 8. ubi inquit, *Chriſti facta quidem omnia virtutis eſſe plena, & quæ, quoad ejus fieri poteſt, imitari laudabile ſit, non tamen omnia ejuſmodi eſſe, ut aut ex lege veniant, aut legem faciant* Quemadmodum Chriſti ſpontanea vitæ cum morte ſuis pro inimicis commutatio, ut ibi annotavimus, longe alium finem habuit, quam obligare ſuos diſcipulos, & diſciplinæ ſuæ ſectatores ſuo exemplo ad ſe imitandum abjiciendo propriam defenſionem pro inimicis iiſque facultatem concedere pro lubitu graſſandi, & ſæviendi in corpus, & membra noſtra, vitamque adimendi; ita etiam alium finem habet Chriſti ad mortem uſque patientia, quam obligare doctrinam ſuam amplectentes, ut eadem patientia utantur, & quæcunque mala potius, imo mortem ſubeant, quam reſiſteant iis, quæ nos illis afficiunt, præſertim ſummis imperantibus. Quemadmodum ipſe Author ſtatuit Chriſtum pro inimicis non mortuum eſſe, quaſi obligatum ad id lege aliqua communi nobis cum Chriſto, ſed vi pacti peculiaris, ideoque peculiarem producentis obligationem inter paciſcentes, quod ad alios, eodem pacto non comprehenſos, neutiquam pertinet. Sic etiam patientia illa Chriſti ad mortem uſque non poteſt eſſe menſura & regula patientiæ, quam recta ratio & lex, omnibus hominibus communis, exigit, & idcirco perperam Chriſti patientia ab Authore adducitur, quaſi nobis eam imitandi obligatio incumberet.

VIII. Primum ergo, qui principes ſub populo ſunt, ſive ab initio talem acceperunt poteſtatem, ſive poſtea ita convenit, ut Lacedæmone, ſi peccent in leges ac Rempublicam, non tantum vi repelli poſſunt, ſed, ſi opus ſit, puniri morte: quod Pauſaniæ regi Lacedæmoniorum contigit. Atque hujus generis cum fuerint vetuſtiſſima per Italiam regna, mirum non eſt, ſi poſt narrata crudeliſſima Mezentii facinora ſubjungat Virgilius:

Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis:
Regem ad ſupplicium præſenti morte repoſcunt.

COMMENTARIUS.

CUm nulla ſit regula, quin ſuas exceptiones habeat, ſic etiam ab eo, quod generaliter propoſuerat Author, ſcil. *ſummum imperium tenentibus reſiſti jure non poſſe*, excepit quoſdam caſus, qui quando incidunt, tribuunt civibus facultatem reſiſtendi ſummis poteſtatibus. Et primum quidem ait, quando principes populi ſubſunt poteſtati & imperio, vel ea lege imperium acceperunt, vel poſtea ita conventum inter principem & populum: ut Lacedæmone principes, admittentes aliquid, quod contra leges erat, & communem Reipub. utilitatem ſecuritatemque lædebat, poterant vocari ad capitis judicium, & dignitate vel imperio exui. Sed obſervandum, ut annotatum ad *cap. præcedens.* revera ſummum imperium in Repub. Lacedæmoniorum fuiſſe penes populum, regeſque magis nomine & titulo, quam re ſeu imperio, reges fuiſſe, ideoque non mirum quod in eos, peccantes in leges vel Rempublicam animadvertere potuerit populus, tanquam privatum aliquod Reipub. membrum. Quamobrem non videtur mihi hoc exemplum applicari poſſe ad noſtram quæſtionem, quæ agit de eo caſu, quo inferior jus nanciſcitur reſiſtendi principi, populo ſuperiori, & plenum atque abſolutum habenti imperium. Præterquam quod Rex Pauſanias, quem Author hic adducit tanquam exemplum, non fuerit regia dignitate ornatus, ut annotavit Doctiſſimus Gronovius, ſed regis Pliſtarchi, Leonida geniti, tutor & patruelis. quem vide ut & alia ab eo adducta exempla.

IX. Secundo, ſi rex, aut alius quis, imperium abdicavit, aut manifeſte habet pro derelicto, in eum poſt id tempus omnia licent quæ in privatum. Sed minime pro derelicto habere rem cenſendus eſt qui eam tractat negligentius.

COMMENTARIUS.

NOn eget hoc probatione. Non quemadmodum ſumma majeſtas regem facit ſuperiorem populo, ſine qua cæteris eſſet æqualis; ita, ea abjecta, redit ad priorem ſtatum naturalem, in quo quis naſcitur, æqualis conditione & ſtatu cæteris ſui ſimillimis. Idem autem eſt an expreſſe princeps abdicet imperium, vel an ex ſatis manifeſtis indiciis perſpiciant cives eum regnum deſeruiſſe, & pro derelicto babere. Quemadmodum voluntatis eſt imperium delatum accipere, ita & illud abdicare.

niſeſtum eſt indicium regni derelicti, quando Rex ſponte ſua clam excedit regno, nullis electis perſonis, quibus Reipub. negotia committat ſuo nomine adminiſtranda. Poſſet fortaſſe mihi objici regem, excedentem regno, nemine conſtituto, qui ſuo nomine Rempub. adminiſtret, ejus adminiſtrationem, quaſi tacito quodam conſenſu penes eos reſidere voluiſſe, præſumendum, quos participes publicorum gerendorum negotiorum ſe præſente facere ſolitus fuerit, & conſequenter ejuſmodi furtivam regis diſceſſionem non habendam pro manifeſto indicio derelicti imperii. Sed videtur mihi reſponderi poſſe, Imperium non eſſe ejus generis, ut tranſeat in eum, quem non conſtet expreſſo conſenſu ad illud admiſſum, idque favore libertatis, quam, veluti rem inæſtimabilem & ab omnibus vitam juxta habitam, nemo facile abjeciſſe præſumitur, ſe alieno ſubmittendo imperio, niſi accedat expreſſus tranferentis conſenſus, vel indicia omni exceptione majora teſtentur illud delatum, &, exigente ſumma neceſſitate, translatum præſumi debere. Quemádmodum itaque expreſſo conſenſu transferri debeat, antequam quis illud in alium ſibi competere poſſit prætendere, ita nemo, abſente rege, ſibi ſummi imperii exercitum, & moderamen vindicare poteſt, niſi accedat conſenſus regis quaſdam perſonas deſignantis ad adminiſtranda imperii negotia ſuo nomine, & conſequenter a populo ut tales habendas & venerandas, quo non facto, cenſetur imperium abjeciſſe, ideoque pro derelicto habere poteſt populus, ſibique illud iterum vindicare & transferre in alium. Quid ſi dicamus non ſtatim pro derelicto habendum, quod ex ignorantia potuiſſet id eſſe factum. Reſpondeo eam ignorantiam eſſe juris; quæ nemini prodeſt; cui etiam accedit, quod eo ipſo, quo clam aufugit, ſatis indicat ſe curam imperii abjeciſſe; ſi enim tanquam ſuum voluiſſet retinere, etiam ejus curam, bonum ut oportet principem, habuiſſet. Sic Poloni, poſtquam Henricus III. certior factus de obitu fratris Caroli IX. clam Cracovia cum pancis egrediens, regno Poloniæ exceſſiſſet, quaſi pro derelicto imperium habuere fuga ejus clandeſtina, Henricum regno excidiſſe ſequenti anno declarentibus primoribus. *Annam Sigiſmundi Auguſti Regis ſororem, virginem tunc quinquagenariam, reginam conſtituunt, eique Stephanum Bathorium Tranſilvaniæ principem, natione Hungarum, maritum deſtinant, ac regem eodem decreto renunciant*, ut apud Thuanum legimus *lib.* 61. Recte vero addit Author neutiquam cenſendum pro derelicto imperium habere principem, qui fortaſſe luxuriæ & voluptatibus deditus, non tanta deligentia, quam boni principis officium poſtulat, publica negotia tractat. Quemadmodum quædam vitia tanto dignitatis faſtigio condonanda; ita etiam, quamvis non ea exacta diligentia imperii negotia curet, & Rempub. adminiſtret, qua oportet, iniquum ſane eſſet ex eo ſtatim conjicere principem habere pro derelicto imperium, atque hoc prætextu eum exuere ſumma majeſtate. nemo, niſi ſumma in neceſſitate conſtitutus, abjeciſſe præſumendus eſt id, quod habet ſummo in pretio: quamobrem nec privatum, nec ſuarum rerum dominium & proprietatem abjicere voluiſſe exiſtimare debemus, niſi ex manifeſtis indiciis & teſtimoniis conſtet dominum rem ſuam amplius eſſe nolle, ideoque eam abjiciat, vel deſerat. *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum ſuarum eſſe nolit*, ait Imp. §. 47. *ff. de rer. diviſ.* Sed iſte animus, ut diximus, non facile præſumendus, niſi, ut diximus, accedant juſta indicia. Quorum in numero haberi non debet negligentior cura ſive adminiſtratio rerum ſuarum; quamobrem, ſi contingat, ut imprudentibus in via quædam excidant, vel rheda currente, non intelligentibus dominis, cadant, quia vel non ſatis diligenter cuſtodita, vel obſervata, pro derelicto haberi vetant jura. Verum quemadmodum Jcti diſtinguere ſolent inter culpam latam, levem, & leviſſimam, ut ſua cuique ſit proportionata pœna. Sic tutor ſuſpectus, remotus ob latam culpam, fit infamis, ob culpam leviorem non æque, ut ait *Imp.* §. 6. *inſt. de ſuſpect. tut.* eodem modo diſtinguendum inter negligentiam latam vel levem. Levis negligentia principis in adminiſtrandis regni negotiis condonanda ipſi videtur, & conſequenter non interpretanda, quaſi pro derelicto imperium haberet. Verum lata ejus neglentia alium producit juris effectum; ita ut, nullus dubitem, quin princeps omnem plane abjiciens Reipub. curam, quamvis ſæpius a populo ſit monitus, ne velit deſerere publicam & communem civium utilitatem ac ſecuritatem, negligendo curare ea, qnæ ad ejus conſervationem neceſſaria ſunt, cenſeatur ſatis manifeſtum indicium dediſſe unde cognoſcatur, pro derelicto eum habere imperium, ideoque ipſum removeri poſſe a populo. Licet vero dereliquendi imperii non habeat animum, idque teſtetur coram populo, attamen cenſetur habere imperium pro quaſi derelicto per ſuam negligentiam, quæ debet conſiderari veluti factum, proteſtationi contrarium.

Lib. IV. *c.* 16. X. Tertio, exiſtimat Barclajus, ſi rex regnum alienet, aut alii ſubjiciat, amitti ab eo regnum. Ego hic ſubſiſto. Nam talis actus, ſi regnum electione aut ſucceſſoria lege deferatur, nullus eſt: quæ autem nulla ſunt nullum habent juris effectum. Unde & de uſufructuario, cui regem talem ſimilem diximus, verior mihi videtur Juris conſultorum ſententia, ſi extraneo jus ſuum cedat, nihil eum agere. Et quod dicitur ad dominum proprietatis reverti uſumfructum, intelligendum legi-

Inſtit. de uſuf. §. *fruitur.*

legitimo tempore. Si tamen rex reipſa etiam tradere regnum aut *L. uſu-*
ſubjicere moliatur, quin ei reſiſti in hoc poſſit non dubito. Aliud eſt *fructus,*
enim, ut diximus, imperium: aliud habendi modus, qui ne mutetur *D. de jure dotium.*
obſtare poteſt populus: id enim ſub imperio comprehenſum non eſt. *Lib. 11. controv.*
Quo non male aptes illud Senecæ in re non diſſimili: *Et ſi parendum in* 9.
omnibus patri, in eo non parendum quo efficitur ne pater ſit.

COMMENTARIUS.

QUare Rex regnum, quod non eſt in ejus patrimonio, alienare nequeat, ſupra annotavimus *ad §. 12. n. 3. cap. præced.* Quod ſi autem alienaverit, ejuſmodi alienatio habet effectum, ut amittatur ab eo regnum. Contra illum actum potius nullum ipſo jure exiſtimat Author, & idcirco nullum juris habere effectum; quamobrem dicendum videtur, imperium non transferri, ſed manere penes regem, illud transferre volentem, inſtar uſufructuarii, cui regem, qui electione, vel ſucceſſoria lege ad regnum pervenit, ſimilem diximus, qui nihil agere dicitur cedendo jus ſuum extraneo. Sed verior mihi videtur eorum ſententia, qui ſtatuunt dicto caſu amitti regnum: alienando enim regnum ſatis manifeſte renunciat imperio ipſo facto, vel declarat ſeſe illud pro derelicto habere. Adimere autem alicui quod amplius nolit habere, nihil aliud eſt, quam exequi voluntatem rem abjicere in animo habentis, & idcirco nulla ei fit injuria, ſi ea privetur. Nihil hic obſtat quod dicitur §. 3. *inſt. de uſuf.* uſufructuarium, jus ſuum extraneo cedentem, nihil agere, quæ verba interpretanda ſecundum Authoris noſtri & aliorum Ictorum mentem; quaſi dixiſſet Imp. cedendo uſufructum extraneo, non finiri, nec reverti ad dominum proprietatem, aut tranſire ſecundum voluntatem domini ſeu poſſeſſoris ad extraneum, ſed manere penes uſufructuarium: at illa verba *nihil agi*, referenda ſunt ad mentem & intentionem cedentis, & diverſum exitum ceſſionis: nihil enim agitur reſpectu extranei, quia non tranſit in eum uſusfructus, ſed aliquid actum dici poteſt reſpectu domini proprietatis, quoniam temerario iſto ceſſionis conatu facit, ut uſusfructus ad proprietatem revertatur, ut ait Catiuncula *paraph. ad inſt. de uſufr.* §. 3. & perſpicimus ex *l. 6. ff. de jur. dot.* ubi Pomponius diſertis & claris verbis ſtatuit cedendo extraneo uſumfructum, nihil ad eum tranſire, *ſed ad dominum proprietatis reverſurum uſumfructum.* Quæ verba putat Author reſpicere tempus futurum, ita ut dicatur reverti uſufructus ad dominum tempore legitimo. Eodem ſenſu verba intelligenda, cenſet ſubtiliſſimus juris anteceſſor *Lugduno Bat.* Johan. Voet *ad tit. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* ubi Reſp. *ad dict. leg. dici reverſurum de futuro, cum nempe modus legitimus finiendi extiterit, ad excluſionem ejus, cui ceſſus erat.* Obſt. *punienda cedentis malitia.* Reſp. *punitur ſatis actus geſti ſeu ceſſionis contra leges facta nullitate, quod frequens in jure.* Concedo Viro Clariſſ. Jctumlo qui de tempore futuro, verum non definitur certum aliquod tempus, quo reverſurus eſt uſusfructus ad dominum proprietatis; an poſt mortem uſufructuarii, an vero ſtatim & immediate poſt factam ceſſionem: & proinde verbum *reverſurum* ſimplici ſenſu, pro ut poſitum in lege, tempus futurum ſignificans, neutrum definit caſum; commode etiam dici poteſt reverſurus uſusfructus, qui redit ad dominum ſtatim, poſtquam ceſſio facta eſt extraneo, atque eo ſenſu accipiendum eſſe hiſce rationibus motus ſtatuo. 1°. Quia Jctus habet ſermonem de caſu ſpeciali, qui peculiarem producit juris effectum, cui actionem præbet ceſſio, facta ab uſufructuario, extraneo: jure enim communi & naturali, de quali modo, finitur uſufructus morte uſufructuarii, atque ad proprietatis dominum revertit, qui caſus non opus habet ſpeciali deciſione. Quia, ſi per ceſſionem, extraneo factam, uſusfructus non ſtatim amitteretur, non opus fuiſſet conſilio, ut uſusfructus mulieri locetur, vel imaginarie vendatur, ut perſpicimus ex *dict. leg.* Puniri etiam non videtur qui manet in eodem ſtatu, in quo fuit ante delictum (delinquere enim videtur qui fortaſſe jus in perſonam diutius victuram transferendo, deteriorem conditionem proprietatis facere animum induxit) utens fruens re & fructibus, quos inde ſibi acquirit, qui puniri dici poteſt lucrum faciens: quia fortaſſe alienatione invalida majori lucro deſtituitur ipſo jure, non poteſt venire nomine pœnæ ejuſmodi lucri acquirendi erepta facultas, quia nihil aufertur quod habuit, ad compenſandum delictum. Sin ipſo jure amittat regnum ſeu imperium inſtar uſufructuarii, ergo jure poteſt ei reſiſti, ſi cum effectu conatur, quod ceſſione facta, non magis eſt in ejus dominio; imo etiamſi penes regem, non obſtante ceſſione, concedamus manere imperium, quia ipſo jure nullus eſt actus, ideoque Rex maneat, attamen jure ei reſiſti recte cenſet Author; quia excedit limites imperii & poteſtatis ſuæ, quare impune ei reſiſtitur, quia reſpectu hujus actus tanquam privatus habendus, quoniam deſtitutus conſenſu populi, a quo, ut ſæpius diximus, omne derivatur imperium, omnis majeſtas, quamobrem eo nititur tanquam ſuo fundamento, quo ſublato, & ipſa concidit.

XI. Quar-

XI. Quarto, ait idem Barclajus amitti regnum ſi rex vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur, quod concedo; conſiſtere enim ſimul non poſſunt voluntas imperandi & voluntas perdendi. Quare qui ſe hoſtem populi totius profitetur, is eo ipſo abdicat regnum, ſed vix videtur id accidere poſſe in rege mentis compote, qui uni populo imperet. Quod ſi pluribus populis imperet, accidere poteſt, ut unius populi in gratiam alterum velit perditum, ut colonias ibi faciat.

COMMENTARIUS.

QUoniam Rex conſtitutus, ut regeret rempub. id eſt, ut veluti communis pater civium ſalutem ac utilitatem ſecuritatemque tueretur ac conſervaret, diringendo omnia negotia civiumque actiones ad eum finem obtinendum, qui fuit in cauſa quod Rex & princeps declaratus, omnium conſenſu, ſive expreſſa, ſive tacita electione, vel per continuationem ſucceſſionis, quæ prima illa conſtitutione a conſenſu expreſſo derivanda, tanquam ſuo fundamento nititur. Quoniam igitur ſumma poteſtas conſtituta eſt ad incolumitatem generis humani, cui & obſequium & reverentiam ac venerationem debemus, & quæ ſacroſancta habenda, quia ſanctitate imperii civilis ſublata eſt obſequii neceſſitatem corruere neceſſe, & cum ea quoque concidit ſocietas civilis & Reipub. fabrica, quamobrem concipi nequit, quo modo principis & hoſtis perſonam erga civem ſimul ſuſtinere queat, & qua fronte poſtulet, ut ipſe ſacroſanctus ſit, qui civem innocentem tanquam miſeram belluam ſuæ libidini audet immolare Puſend. *l. 7. c.* 8. Sacroſanctus eſt propter ſummam, qua decoratus eſt, majeſtatem; ſummam autem majeſtatem intactam & illibatam eſſe voluit populus, quia ſine ea non poſſet ſubſiſtere ſocietas civilis; atqui ſocietas civilis eſt inſtituta, ut ſe ſuaſque poſſeſſiones in ſecuritatem quiſque aſſereret, regis vel ſummi imperantis ſub anſpicio atque poteſtate. Hinc etiam ſumma majeſtas ſacroſancta eſt, propter ſalutem civium eorumque ſecuritatem, qua neglecta a principe, ipſe tutus eſſe nequit adverſus coërcitionem civium, quia illa ſanctitas circumſcripta limitibus communis ſalutis & ſecuritatis tuendæ, cui contrario imperio utens princeps, hoſtem populi ſeſe gerendo & profitendo, deſtituitur illa ſanctitate, & idcirco cives facultatem recuperant eum coërcendi, tanquam privatum, in quem licet animadvertere civitati, pœna delicto proportionata, ſuo jure vel imperio, cujus exercitium conſolidatur iterum cum proprietate, quæ penes civitatem, tanquam commune ſubjectum, reſidet, ut dictum alibi, eo ſua culpa ſe exuente ſummo imperante. Itaque non neceſſe, ut fingamus eo ipſo, quo hoſtem pro principe induit, civi quoque obligationem, qua ei devinctus eſt, remiſiſſe, quaſi non ſuo jure, ſed conſenſu principis obſequii vinculo ſolveretur. Quippe nullo fundamento ejuſmodi fictio niti videtur, & conſequenter nunquam civi ei reſiſtendi facultas competere dici poſſet, quia quiſquis in ſe ipſo facile experitur, neminem, niſi coactum, abjicere imperium, quod tanto deſiderio ambiit, & idcirco, acquiſitum, non facile, niſi ſumma exigente neceſſitate, abdicaturum, quamobrem ſi jus reſiſtendi penderet ab illa fictione, nunquam conſcientia civi dictare poſſet reſiſtendi facultatem principi, abutenti imperio, ſibi vindicare jure poſſe, quia nunquam certo perſuaſus eſſe poteſt ſibi obſequii neceſſitatem remiſſam, quamvis tyrannidem exerceat.

XII. Quinto, ſi regnum committatur, ſive ex felonia in eum cujus feudum eſt, ſive ex clauſula poſita in ipſa delatione imperii, ut, ſi hoc aut hoc rex faciat, ſubditi omni obedientiæ vinculo ſolvantur, tunc quoque rex in privatam perſonam recidit.

COMMENTARIUS.

FElonia ſignificat non ſolum rebellionem, ſed omnem culpam, fraudem, perfidiam, improbitatem vaſalli in dominum, cujus vocis originem Cujacius, quem & alii feudiſtæ ſequuntur, deducunt a Græco vocabulo φήλωμα vel φήχωσις, quo ſignificantur impoſturæ, fallaciæ, & deceptiones. De feudi autem natura, quæ ei tanquam inſeperabile quid inhæret, ut vaſallum ob delictum, vel ſcelus commiſſum in dominum, privetur feudo, utpote qui tanto beneficio ſeſe indignum reddiderit. vid. Vult. *de feud.* benevolentiam non tamen ipſo jure amittit, ita ut Dominus propria authoritate vaſallum feudo exuendi facultatem habeat, ſed oportet vaſallum a judice ſuo jure judicialiter privari, etiamſi notorium eſſet delictum. *de feud. cap.* 10. *concl.* 41. Amittitur

titur etiamſi delationi ſit clauſula adjecta commiſſoria. Sed notandum, ut annotavimus ſupra, ſemper illam clauſulam naturaliter imperium comitari, quæ ſubditis, rege imperio abutente facultatem concedit expediendæ propriæ ſalutis cauſa denegandi obſequium, ipſi debitum, eumque exuendi imperio, adhibitis iſtiuſmodi cautionibus, quas ſuo loco allegavimus. Clauſulæ etiam aliæ addi poſſunt a civibus, quæ non inhærent ipſo jure delationi, ſed, adjectæ, idem jus tribuunt conveniendi principem, ut præſtet, quod promiſit facere, vel omittat omittere, ne jure ſuo quod iſta clauſula ſibi reſervarunt, uti neceſſe habeant: nunquam, ut diximus, perveniendum ad extrema, eaque ſæpe violenta, remedia, quin prius moderata adhibuiſſe oporteat.

XIII. Sexto, ſi rex partem habeat ſummi imperii, partem alteram populus aut ſenatus, regi in partem non ſuam involanti vis juſta opponi poterit, qui eatenus imperium non habet. Quod locum habere cenſeo, etiamſi dictum ſit, belli poteſtatem penes regem fore. id enim de bello externo intelligendum eſt: cum alioqui quisquis imperii ſummi partem habeat, non poſſit non jus habere eam partem tuendi. quod ubi fit, poteſt rex etiam ſuam imperii partem belli jure amittere.

COMMENTARIUS.

SUmmæ majeſtis jura non poſſe dividi cum populo, demonſtravimus, quia in una eademque civitate penes duos ſummum reſidere imperium nequit, ita ut pro ea parte, quam quiſque obtinet, alter alterius imperio non ſubjectus ſit, & ita ambo reſpectu cujuſque partis quam obtinent, ſibi æquales ſint, ita ut regi, in partem, non ſuam, violanti, opponatur vis juſta ab inæquali, ſed ſibi pari gaudente imperio, quamvis non eodem titulo ornatus, unde iterum apparet populum non reſiſtere regi, qua regi, ſed ſibi æquali, imperium non habenti in partem, populo acquiſitam, ſed inter monſtroſas ſeu irregulares imperii Reipub. formas recenſenda ejuſmodi ſummi imperii diviſio, quæ concipi nequit, niſi perturbato ordine bene conſtitutæ Reipub. bellis inteſtinis & civilibus diſcordiis. Quippe qui habet imperii partem independentem ab alio, ille etiam ipſo jure habet facultatem & jus illam partem tuendi: cum autem ſummum imperium conſortis impatiens ſit, hinc omnibus rationibus alter alteri conatur eripere partem, quam habet, per fas & nefas, per inſidias, dolum, aliaſque pravas machinationes, vel etiam vim apertam, unde diſtrahitur ſtatim in partes civitas & miſere dilaceratur factionibus, imo ſæpiſſime funditus evertitur, & nullum avertendo interitui remedium, niſi ad unum vel plures indiviſum imperium deferatur.

XIV. Septimo, ſi in delatione imperii dictum ſit, ut certo eventu reſiſti regi poſſit, etiamſi eo pacto pars imperii retenta cenſeri non poſſit, certe retenta eſt aliqua libertas naturalis, & exempta regio imperio. Poteſt autem qui jus ſuum alienat & jus pactis imminuere.

COMMENTARIUS.

SUnt quidam eventus, quo ipſo jure reſiſtendi regi, eumque exuendi imperio, facultas reſervata cenſeri debet populo, quem exprimere non eſt neceſſe, quia licet non exprimatur & expreſſis verbis adjiciatur, adjectus tamen videri debet: reſiſtendi autem eo in caſu facultas non diminuit imperium, nec illud dividit; nam illa non competit ex parte imperii civilis, ſibi retenta, verum ex naturali jure, quæ cuique concedit de jure ſuo pro lubitu diſponendi libertatem, ita ut qui jus ſuum in alium transferat, poſſit illud certa quadam lege circumſcribere & pactis limitare vel imminuere, quæ dictat ratio ſervanda, & paciſcentibus tribuit poteſtatem jus, ſibi quodam pacto quæſitum, reſervare atque tueri contra quoſcunque, atque etiam ſocio, illud ſibi eripere volenti, reſiſtere, vel etiam quod conventum præſtare recuſantem, vi & armis, neceſſitate exigente, cogere ad promiſſum adimplendum.

XV. 1. Vidimus de eo qui jus imperandi habet aut habuit. Reſtat ut de invaſore imperii videamus, non poſtquam longa poſſeſſione *Vict. de poteſt. civ. n. 23.*

Suares de legib. lib. III. *c.* 10. *n.* 9. *Leſſius de juſt & jure. l.* II. *c.* 29. *dub.* 5. *n.* 73. † *Lib.* II. *cap.* I.

aut pacto jus nactus eſt, ſed quamdiu durat injuſte poſſidendi cauſa. Et quidem dum poſſidet, actus imperii quos exercet vim habere poſſunt obligandi, non ex ipſius jure quod nullum eſt, ſed ex eo quod omnino probabile ſit eum qui jus imperandi habet, ſive is eſt populus ipſe, ſive rex, ſive ſenatus, id malle, interim rata eſſe quæ imperat, quam legibus judiciiſque ſublatis ſummam induci confuſionem. Improbat Cicero Syllanas leges, ut crudeles in proſcriptorum liberos, ne honores petere poſſent. Servandas tamen cenſuit, affirmans (ut nos docet Quintilianus †) ita his legibus contineri ſtatum civitatis, ut his ſolutis ipſa ſtare non poſſet. Florus de ejusdem Syllæ actis: *Lepidus acta tanti viri reſcindere parabat, nec immerito, ſi tamen poſſet ſine magna clade reipublicæ.* Et mox: *Expediebat ægræ quaſi ſauciæque reipublicæ requieſcere quomodocumque, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur.*

COMMENTARIUS.

QUoniam homines qua, homines, ſibi natura æquales, alter in alterum nullum ſibi poteſt vindicare imperium, niſi ex ſpontanea ſubjectione & conſenſu ſeſe alieno imperio ſubmittentis. Quamobrem omne imperium injuſtum nullam obſequii obligationem producere arbitramur, quod per violentiam in alterum quis ſibi acquiſivit, illud abjicere jure poteſt, ſi quam occaſionem ejuſmodi ſubjectus nanciſcitur. Hinc invaſores imperii jure ſtatuimus eo poſſe exui, eorumque juſſis impune non pareri; quippe ex illegitima & injuſta cauſa non poſſunt derivari legitimi effectus; cum imperium, conſenſu deſtitutum, illegitimum eſt, quia uſurpatum vi, non poſſunt actus, qui ab eo proficiſcuntur, legitimi eſſe, & conſequenter vim obligandi habere per ſe ſuaque natura, ita ut civis, juſſa & mandata invaſoris exequi recuſans, peccati reus ſit, tanquam voluntati divinæ, quæ nobis neceſſitatem & obligationem imponit, qua tenemur obſequium præſtare ſummis poteſtatibus, obſiſtens, cui ſi quis obſiſtit, Dei ordinationi obſiſtit, & idcirco ſeſe reddit obnoxium condemnationi & iræ divinæ. Sermonem enim habet Apoſtolus de poteſtate, a Deo ordinata, & proinde de ea quæ juſta eſt, legitimoque modo acquiſita; ea conſcientiam civium obligat ad obſequium præſtandum legitimo ſuo principi, quia eum, tanquam a Deo populo præfectum, cujus voluntati nobis parendi atque morem gerendi neceſſitas incumbit, venerari indiſſolubili vinculo tenemur. Legitimus vero modus nullus alius excogitari poteſt, quam quæ naturalis dictat ratio & idcirco quoque a Deo approbatus imo & introductus videri debet, quam conſenſus populi; quippe eo ipſo, quo Deus hominem voluit naſci liberum, etiam ipſi tribuiſſe neceſſario videri debet deſiderium libertatem illam naturalem conſervandi, niſi fortior aliqua ratio ipſi ſuadeat illam abjicere, quæ eſt ſui conſervatio, quæ haberi nequit, niſi ſeſe alieno ſubjiciat imperio: ubi itaque non conſtat de ejuſmodi ſpontanea ſubjectione, homo præſumitur ſui juris, quare nemini in eum competit imperium, juſto titulo acquiſitum. nullius itaque juſſis vel mandatis conſcientia obtemperare obligata, niſi rectæ rationis dictamini, unde ſequitur peccati reum non eſſe qui invaſori reſiſtit, ejuſque mandata, tanquam obligandi vim non habentia, exequi recuſat. Huc pertinet quæ habet vir Celeber. juris naturæ & gentium peritiſſimus Sam. Puſend. *lib.* 7. *cap.* 8. cum inquit, *nullam ad obſequium produci obligationem, niſi legitimam poteſtatem alter in me habeat. Nam per ſolam violentiam poteſt quidem alicui adferri extrinſeca quædam neceſſitas aliquid præſtandi, non autem obligatio, quæ vinculum eſt intrinſecum, animum ita ſtringens, ut, ni fecerit, peccati ſit reus. Hinc ſi vis a validiore intentetur, majori malo declinando utique adigitur quis facere ea ad quæ non tenetur & a quibus abhorret. Si qua tamen via datur, nemini vitio vertitur, ſi iniquam illam neceſſitatem perrumpat.* Sic quoque Scot. *de juſt. & jur. lib.* 3 4 4. ſtatuit, *eum qui per tyrannidem regnum occupavit, neque legem ferre ullam poſſe, neque jus dicere, quod ullo pacto cives in conſcientia obligat, niſi forſan præſcriptione aut reſpub. conſenſu legitimi fuerint tandem principes.* Non puto tamen præſcriptione acquiri poſſe uſurpatum imperium, quia legitima nulla præſcriptio, niſi bona fides præcedat, juſtus præſcribendi titulus, qualis eſſe nequit, quæ ab invaſione & uſurpatione habet initium, quia hoc vitium, inhærens, tractu temporis non poteſt purgari, quod enim non valet ab initio, tractu temporis convaleſcere nequit. vid. *l.* I. *Cod. de uſucap. transform. l.* I. *Cod. de acquir. poſſeſ.* & *l.* 3. *Cod. comm. de uſuc.* Quamobrem non poſſum ſubſcribere nec Authoris, nec Puſendorfii opinioni, ſtatuentis imperium juſte exercentem, atque boni principis officium explentem, pro legitimo principe habendum, quaſi vitium imperii, injuſte occupati, tolleret juſta ejus moderatio & admi-

adminiſtratio, quia juſtus imperii conferendi nullus titulus, niſi conſenſus transferentis, vel legitima ſucceſſio, quæ initium habet a conſenſu; vel etiamſi juſto bello ſit acquiſitum, in quod etiam conſenſiſſe videri debet devictus & debellatus populus, deficiente itaque vel expreſſo, vel tacito conſenſu, deficie quoque imperium. Oportet itaque ut voluntas populi, vel expreſſis verbis vel tacite ex manifeſtis & jure ſeu recta ratione indiciis probatis conſtans, accedat, ut imperium, vi vel fraude, aliiſque illegitimis modis de facto acquiſitum, legitime obtineatur, & droinde imponat civibus obſequii neceſſitatem, eique parendi intrinſecam obligationem producat. Ab hoc vitio conſenſu populi purgatur, ſi populus, vel pacto, vel aliqua conventione, agnoſcat imperium quod de facto obtinet invaſor, vel longa patientia declarat ſeſe ſubmiſiſſe ſe ejus imperio, veluti legitimi principis regimini, præſertim cum habuerit poteſtatem eum exuendi imperio, ſi voluiſſet illud abjicere. Quamobrem quoniam tacite hac ratione videtur conſenſiſſe in ejus imperium, cenſetur quoque ſeſe obligaſſe ad præſtandum obſequium, ſummis legitime imperantibus, debitum. Finis enim, qui in cauſa fuit, cur imperio, juſto titulo acquiſito, morem gerant, ſpectat communis ſalutis conſervationem, atqui eam tueri & procurare velle perſpiciunt invaſorem; ergo cum civitas rectore indiget, videntur potius ejus imperium agnoſcere velle, qui teſtatur ſe boni principis officium imitari animum induxiſſe, quam eum expellendo ad alium transferre, quem nondum conſtat bene vel male adminiſtraturum Rempub. Sed fortaſſe hoc poſſit habere locum, quando populus ſui juris eſt. Verum quid ſi, pulſo legitimo principe, imperii ſata in ſe vertit, & pro rege ſe gerit; non videtur populus qui legitimo ſuo principi fidelitatem præſtare obligatus eſt eumque agnoſcere ſuperiorem, ejus imperio, qui regni poſſeſſionem injuſto & illegitimo modo ſibi acquiſivit, parere eique ſeſe ſubmittere poſſe, quia ejuſmodi ſubmiſſione, & alteri obſequium præſtando, legitimum principem ſuum exuit imperio ipſo facto. Quid enim magis rationi contrarium, quam ſine juſta cauſa alieni jus quæſitum auferre ſummum imperium conſenſu civium ſibi acquiſivit princeps legitimus, cui obſequium præſtare ſeſe obligarunt ſubjecti, quo ſolvere nequeunt ſemet ipſos, nec valent alterum ſuperiorem agnoſcere, niſi conſenſu principis ſui accedente, vel quando ipſo jure ſumma majeſtate excidit, eaque ſeſe indignum reddit, abutendo ſibi delato imperio, aut illud abdicando, vel pro derelicto habendo. Sed dicendum videtur, quanquam ipſo facto agnoſcant imperium uſurpatoris extrinſece cum ejus mandata exequendo ei obſequium præſtent, eo tamen ipſos non exuere imperio legitimum principem, nec obedientiam ei denegare animo, quam factis præſtare nequeunt; imo obſequi principi ſuo videri cum ad communem ſalutem & ſecuritatem conſervandam, neceſſitate exigente, invaſoris imperium potius agnoſcant, quam ut illud, tanquam injuſtum & illigitimum, abjicere volentes, Rempub. in ſummum adducerent diſcrimen, & privatas poſſeſſiones ac ſortunas cum vita, quæ hiſce longe præſtantior, temere & incaute ſummo periculo exponerent: præſumendum enim quemlibet principem, ex æquitate atque humanitate malle ſervare cives ſuos hac ratione, quam ipſos dum ipſe eos nequeat tueri adverſus vim & impetum uſurpatoris, obligare, ut in certiſſimum periculum ſeſe, reluctando, omnibus deſtituti viribus, invaſori, conjicerent; nec etiam ulterius ſeſe obligaſſe cives principi ratione fidei & obſequii præſtandi præſumendi, quam donec eos poſſit tueri & defendere contra quæcunque incommoda & mala, quæ homini ab homine in naturæ ſtatu imminent: cujuſmodi cives tuendi poteſtate fato quodam orbato legitimo principe, cives iterum recuperant libertatem propriæ ſalutis expediendæ aliam quærendi occaſionem. Iniquum eſſet obligationem illam interpretari in incommodum & damnum ejus, qui ſe obligavit ad agnoſcendum ſuperiorem, ſi ejuſmodi ſubmiſſione ſeſe ſuaſque poſſeſſiones conſervet & aſſerat in ſecuritatem: neceſſitas enim ſolvit omne juris vinculum, quia ſemper ejuſmodi caſus, de quo nec cogitarunt, & quo impoſſibile eſt præſtare quod pollicitum, exceptus videri debet. Huc pertinet quod eſt apud Livium, ubi Romani, implorantibus Petellinis auxilium, fateri neceſſe habebant, *nihil jam longinquis ſociis in ſe præſidii eſſe: redire domum, fideque ad ultimum expleta, conſulere ſibimet ipſos in reliquum præſenti fortuna juſſerunt.* Verum non poſſum ſubſcribere opinioni eorum, qui putant præſumi principem expulſum tantiſper civibus remiſiſſe obligationem erga ſe, quoad fata ipſi viam iterum ad regnum aperiant, & quidem, quantum ad conſervationem ipſorum, & declinandis periculis, eſt neceſſarium. Et hactenus quoque duntaxat fides, quam invaſori cives dederunt, ſtringere videtur, ut illa ſit temporaria, expirans, ubi regi expulſo ſit facultas regnum ſuum recuperandi Puſend. *lib. 7. cap. 9. de jur. nat. gent.* Quippe præterquam quod ejuſmodi fidei datæ interpretatio maxime damnoſa videatur reipublicæ, quia, cum invaſor de fide civium erga ſe nunquam certus eſſe poſſit, ſemper ipſi erunt ſuſpecti, & idcirco non tanta æquitate, vel animi moderatione eos tractabit, ſed rigido imperio & pene ſervili in eos dominabitur, atque omnem licentiam & libertatem ipſis eripiet, ne, laxiori ipſis conceſſa libertate, imperium, quod illegitimum cenſent, principe legitimo ſuperſtire, abjiciendi occaſionem arripiant. Huic etiam accedit, quod mentalis ejuſmodi fidei datæ & jurejurando confirmatæ limitatio repugnet religioni ac doctrinæ Chriſtianæ atque juri naturæ: promiſſio enim ſeu fides interpoſita ſuper re aliqua eſt interpretanda ſecundum mentem & intentionem ejus, qui eam ab altero exigendi jus habet, atque ſeſe tam late extendit, quam honeſtas & recta dictat ratio, vel veroſimile eſt illum cogitaſſe, cui fidem præſtare obligamur. Jam vero manifeſtum eſt invaſorem a civibus non exegiſſe fidem temporariam, qua obligarentur ſibi fideles eſſe & obſequium præſta-

re, donec princeps legitimus, qui ad ſuos redeundi nunquam præſumitur depoſuiſſe animum, nactus eſſet occaſionem imperium ſibi iterum extorquendi; ſed exegit fidem, quam debent ipſo jure cives ſummis imperantibus, atque etiam ejuſmodi fidem polliciti cenſentur, dum agnoſcunt ejus imperium, eique ſeſe ſubjiciunt, qualis ſubjectio, quemadmodum non temporaria, ſed perpetua eſt, ſcil. quamdiu ſceptrum regnumque tenet, & boni principis officium explet, conſequenter eodem quoque ſenſu & fides data, præſertim ſi jurejurando munita. Caveat ſibi qui jurisjurandi vim ejuſmodi mentali reſervatione eludere conaturus, & ſciat non impune Deum permiſſurum ſe decipi; ſed graviſſimas daturum aliquando pœnas, qui, aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum habens, fidem ſallit. Quid vero, ſi vel morte ejus, qui imperium occupaverat, vel alio caſu, principi naturali & legitimo pateat aditus in regnum dicendo puto, populum non fieri ſui juris, ſed cadere in poteſtatem legitimi principis qui quaſi jure poſtliminii ſibi recuperat imperium, ſublata quippe neceſſitate, quæ præſtandi ipſos obſequii obligatione ſolvit, reviviſcit priſca fides, quæ pro tempore aliquo ſuſpenſa fuit reſpectu expulſi principis; cedendum enim neceſſitati & idcirco facile condonandum civibus, quod & communis & privatæ ſalutis conſervandæ intuitu alieno ſeſe ſubmittere neceſſe habuerint. Quamobrem Henricus VII. Rex Angliæ æquitati maxime conſentaneum judicavit edicto ſtatuere, *ut nemo, qui regis partes, tunc de facto regnantis, ſecutus fuerat, propter ejuſmodi crimen unquam impeteretur, aut condemnaretur, vel proceſſu legis, vel per actum Parlamenti.*

2. In his tamen quæ ita neceſſaria non ſunt, & pertinent ad raptorem in iniqua poſſeſſione firmandum, ſi ſine gravi periculo poteſt non pareri, parendum non eſt. Sed an talem raptorem imperii vi dejicere, aut denique occidere liceat, quæritur.

COMMENTARIUS.

UBi fides interpoſita, parendum in omnibus, quæ a civibus exiguntur, & etiam præſtanda quæ exigit boni civis officium; quippe eo in caſu non magis veluti raptor, ſed legitimus princeps, conſenſu civium electus, conſiderari debet, quamvis, coacti neceſſitate, in ejus imperium conſentire debuerint: coacta enim voluntas etiam voluntas eſt. Secus autem, ſi ad fidem nondum præſtandam adacti: tunc enim nihil præſtandum quam quod neceſſitas extorquere videtur imo eo, caſu licet adhibere omnia media, quibus cives ſe ſubducere ejus imperio illegitimo poſſe putant, atque etiam violenta remedia adhibere licet, ut ex ſequentibus patet.

XVI. 1. Ac primum, ſi bello injuſto, & cui juris gentium requiſita non adſint, imperium arripuerit, neque pactio ulla ſequuta ſit, aut fides illi data, ſed ſola vi retineatur poſſeſſio: videtur manere belli jus, ac proinde in eum licere quod in hoſtem licet, qui a quolibet etiam privato jure poteſt interfici. *In reos majeſtatis*, inquit Tertullianus, *& publicos hoſtes omnis homo miles eſt.* Sic & adverſus militiæ deſertores, cunctis jus pro quiete communi exercendæ publicæ ultionis indultum eſt.

Apolog. C. quando liceat unicuique. l. 2.

COMMENTARIUS.

NUlla fide data, nec interpoſito pacto, in ſtatu belli raptor imperii & cives manent quamobrem licitum ipſi jure belli imperium, quod vi injuſta ſibi acquiſivit, vi eripere, & quibuſcunque modis eo raptorem exuere, etiam ipſum tollendo e medio, non tantum publica, ſed & privata authoritate, quia pro hoſte Reipub. habetur, quem interficere cuique privato licitum. qua membro quippe civitatis, ejus defenſio incumbit ipſi eo ipſo, quod in civitatem adſciſcitur. Boni civis enim eſt officium tueri præſentem Reipub. ſtatum adverſus omnes qui eum perturbare aut invertere conantur, ejuſque perturbatores & hoſtes dejicere, ac oppugnare, quantum vires ſerunt. vere autem ejus perturbat tor & hoſtis habetur, qui, vel imperio ſibi arripiendo ſtatum ejus mutare velit, vel auferendo ei, cui legitime illud delatum perturbat ejus tranquillitatem, cujuſmodi injuſta invaſio civibus tribuit facultatem in infinitum, id eſt, omnibus mediis recuperandi quod amiſſum, & quod vi poſſidetur vi iterum vindicare jure belli, donec interveniat conventio vel pactum, quod injuſtam illam poſſeſſionem quaſi legitimare poſſit, accedente conſenſu ejus, penes quem eſt facultas de illa diſponendi.

XVII. Idem cum Plutarcho, qui ita ſentit libro de fato ad Piſonem, ſtatuendum cenſeo, ſi ante invaſionem lex publica exſtiterit quæ unicuique poteſtatem facit occidendi eum qui hoc aut illud quod in aſpectum cadit auſus fuerit; puta qui privatus ſatellitium ſibi circumdederit, arcem invaſerit; qui civem indemnatum, aut non legitimo judicio necaverit; qui magiſtratus ſine juſtis ſuffragiis creaverit. Tales leges multæ exſtabant in Græciæ civitatibus, ubi proinde juſta cenſenda fuit talium tyrannorùm interfectio. Talis erat Athenis lex Solonis renovata poſt reditum ex Piræeo, in eos qui ſtatum popularem ſuſtuliſſent, aut eo ſublato honores geſſiſſent. Ut & Romæ lex Valeria, ſi quis injuſſu populi magiſtratum gereret: & lex Conſularis poſt decemvirale imperium, ne quis magiſtratum ſine provocatione crearet. qui creaſſent, cum jus faſque eſſet occidi.

COMMENTARIUS.

PRæterquam quod jure communi civibus facultas tribuitur publicæ ſalutis & ſecuritatis tuendæ cauſa interficere eum, qui in Rempub. hoſtilem ſuum animum declaravit; poteſt tamen lex caſus quoſdam ſpeciales lege definire, quibus unicuique poteſtatem concedit eum occidendi, quem aliquid machinatum ex manifeſtis indiciis contra tranquillitatem & ſummam majeſtatem perſpicimus: præſtat enim principiis obſtare, & prævenire malum, ac ipſum quaſi in cunabulis opprimere, quam tali non obviam ire negotio, quod ubi jam vires accepit, ſine ſummo ſæpiſſime Reipub. detrimento tolli nequit. Ejus generis eſt lex Valerii Poplicolæ apud Dionyſium Halicar. *lib.* 5. qua ſancitum, *ne quis Romæ magiſtratum gereret, niſi a populo mandatum, mortis pœna propoſita, ſi quis contra faceret; & impunitate conceſſa, ſi quis talem occideret.* vid. & Liv. *lib.* 3. *cap.* 55. Ejuſmodi caſus ſpeciales definiri a lege, intereſt publicæ tranquillitatis, quippe ſi lex, tyrannum occidendi facultatem concedens, non definiat crimina, quæ reum ſuſpectum reddunt tyrannides ſed cuivis e populo ſuo arbitrio alterius quaſdam molitiones tanquam indicia tyrannidem redolentia, & idcirco, juſtam eum occidendi cauſam ſibi præbentia, liceret judicare, eveniret, ut quot cives tot fere tyranni exiſterent, qui in mutuam perniciem ſæpius privatæ vindictæ cauſa advolarent, qua ratione cædes cedibus ſub prætextu extirpandæ tyrannidis cumularent.

XVIII. Nec minus licebit ivaſorem imperii interficere, ſi diſerta *II Paral.*
auctoritas accedat ejus qui jus verum imperandi habet, ſive is rex eſt, XXIII.
ſive ſenatus, ſive populus. His annumerandi & regum puerorum tutores, qualis Joaſa erat Jojada, cum Athaliam regno depelleret.

COMMENTARIUS.

LIcebit, antequam cives conſenſerint in imperium, quod invaſor arripuit: nam eo ipſo, quo cives ſeſe ejus poteſtati ſubmittunt, renunciant imperio principis expulſi: nemo enim duobus dominis ſervitium & fidem præſtare poteſt, & ipſa deſtituuntur mandata & leges etiam, antequam invaſoris imperium agnoverint, vi obligandi, & idcirco ſalva conſcientia civis non poteſt interficere jure invaſorem imperii, cui jam obſequium præſtare promiſit, licet accedat authoritas ejus, cui verum jus imperandi legitime & juſte acquiſitum.

XIX. 1. Extra hæc ut privato vi dejicere aut interficere liceat ſummi imperii invaſorem, probare non paſſum: Quia fieri poteſt, ut is qui jus habet imperii malit invaſorem in poſſeſſione relinqui, quam periculoſis & cruentis motibus occaſionem dari, qui plerumque ſequi ſolent iis violatis aut interfectis qui validam habent factionem in populo; aut externos etiam amicos. Certe an rem in id periculum

adduci velit rex aut populus incertum eſt, quorum ſine cognita voluntate vis juſta eſſe non poteſt. Favonius dicebat, χεῖρον εἶναι μοναρχίας ἀνόμου πόλεμον ἐμφύλιον, *pejus eſſe bellum civile dominatu illegitimo.* Et Cicero: *Mihi pax* Liv. lib. XXXIV. *omnis cum civibus bello civili utilior videtur.* Ajebat T. Quintius ſatius fuiſſe Lacedæmone tyrannum Nabidem relinqui, cum aliter opprimi non poſſet quam ruina graviſſima civitatis in ipſa vindicta libertatis perituræ. Nec alio ſpectat illud apud Ariſtophanem, leonem in civitate non alendum; ſi alitus ſit, ferendum eſſe.

COMMENTARIUS.

NOn oportet cuique privato tam amplam dejiciendi invaſorem libertatem ac licentiam competere, quam populo univerſo, vel etiam principi expulſo, antequam fides ſit interpoſita; quamobrem recte invaſorem privata vi ejicendi & interficiendi cuique conceſſa facultas circumſcribitur ſuis limitibus, reſtringendo eam ad certos caſus a ſummo imperante, vel populo ejus vicem gerente, vel a recta ratione, præſcriptos. Quamvis legitimus princeps expulſus ſit, quiſque tamen civis manet privatum univerſitatis membrum, ſubjectum civitati ſeu principi, cujus eſt judicare, quidnam ſit Reipub. utilius, an invaſorem relinquere in poſſeſſione, an vero illum vi dejicere. Quippe cum ejuſmodi violenta dejectio Rempub. ſæpiſſime in ſummum diſcrimen adducat, æquum eſt ne privato, niſi in caſibus expreſſis, dejiciendi invaſorem licentia competat: oportet enim omnes in id conſentire, cujus dubius eventus poſſet univerſis damnum adferre; nec ipſe quidem legitimus princeps populum obligare poteſt, ut invaſorem vi imperio exuat vel interficiat, ſi præſentiſſimum & certiſſimum inde Reipub. immineret periculum. Et in caſu dubio præſumitur, qui habet jus imperii, malle invaſorem in poſſeſſione relinqui, quam periculoſis & cruentis motibus dari occaſionem. Videtur relinquendum populi arbitrio, quidnam in ejuſmodi caſu, ponderatis omnibus circumſtantiis ſuadeat ſibi faciendum civilis prudentia. Præſtat enim ſæpius perferre illegitimum dominatum, quam incerto belli civilis eventui exponere univerſam Rempub. Quo pertinet illud apud Nicetam Choniaten: *Nec Imperatorem, qui abſit, quærendum; nec qui adſit, pellendum eſſe*; ſi fieri nequeat ſine gravi Reipub. incommodo.

2. Profecto graviſſima cum ſit deliberatio, libertas an pax placeat,
Lib. IX. ad Att. epiſt. 4. ut Tacitus loquitur, & difficillimum hoc σκέμμα πολιτικὸν Ciceroni, εἰ τυραννουμένης τῆς πατρίδος παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πειρατέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν: *An cum patria illegitimo imperio premitur, omnimodo danda ſit opera ejus demendi, etiamſi civitas eam ob rem in ſummum diſcrimen adducenda ſit*: non debent ſinguli quod populi commune eſt judicium ad ſe rapere. Illud vero plane iniquum:

Detrahimus dominos urbi ſervire paratæ.

Sicut Sylla, interrogatus quid ita armatus patriam peteret, reſpondit, ἐλευθερώσων ἀπὸ τῶν τυραννούντων, *ut eam a tyrannis liberem.*

App. civ. 1. Epiſt. fam. lib. I. Bello Jug. 3. Melius Plato epiſtola ad Perdiccam ſuadet, cujus verba Latine ſic poſuit Cicero: *Tantum contendere in republica, quantum probare tuis civibus poſſis: vim neque parenti neque patriæ afferri oportere.* Qui ſenſus & apud Salluſtium exſtat: *Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quanquam & poſſis & delicta corrigas, tamen importunum eſt, cum præſertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hoſtilia portendant.* Unde non longe abit illud Stallii apud Plutarchum in vita Bruti: τῷ σοφῷ καὶ νοῦν ἔχοντι διὰ φαύλους καὶ ἀνοήτους κινδυνεύειν καὶ ταράττεσθαι μὴ καθήκειν: æquum non eſſe ut vir prudens ac ſapiens improborum & deſipientium cauſa in pericula & turbas ſe conjiciat.
De Off. II. c. I. Huc & Ambroſii illud non male referas: *Adjuvat hoc quoque ad profectum bonæ exiſtimationis, ſi de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas:*

eruas, quantum ſine confuſione fieri poteſt; ne videamur jactantiæ magis facere 2. 2. q.
cauſa quam miſericordiæ, & graviora inferre vulnera dum minoribus mederi deſi- 42. art. 2.
deramus. Thomas ſeditioſam eſſe dicit interdum quamvis tyrannici
regiminis deſtructionem.

COMMENTARIUS.

GRaviſſimæ ſane deliberationis eſt, an per multa rerum diſcrimina libertatem, injuſto invaſoris imperio perditam & ereptam, repetere & recuperare præſtet, quam, perferendo tyrannidem, pace frui: Cujuſmodi deliberatio cum pertineat ad univerſum Reipub. ſtatum, judicium ejus non poteſt ſibi privatus vindicare, quia de communi agitur ſalute atque libertate, quæ, amiſſa, communibus viribus recuperanda, ideoque & communi quoque conſenſu de ejus vindicandæ modo iniri debet conſilium. Quippe enim ad exequendum, quod pertinere judicatur ad communem Reipub. conſervationem, univerſi populi vires requirantur, quibus utendi facultas nemini conceſſa, niſi cui ſe ſubmiſit populus, idcirco ſingulorum civium, qui nullum imperium in ſe invicem habent, ideoque nec in univerſum cœtum, nullius effectus eſſe poſſet judicium, quia illud ſequi cæteros nequit obligare, cum ipſe ſit ſubjectus univerſitati ſeu civitati, quæ eſt univerſus populus. Singulis quidem licet judicare, quid utile fore arbitrantur Reipublicæ, ſed non exequi quaſi ejuſmodi poteſtatem haberent, quæ nemini cum effectu competit, niſi cui cura incumbit, ne quid Reſpub. detrimenti capiat, providendi. Quamobrem nec privata authoritate Rempublicam, oppreſſam ab illegitimo imperio, ſed tamen pacificam liberandi vi & armis ſibi poteſtatem nemo arrogare poteſt, quia pax illa indicium eſt populum præſentem ſtatum præferendum dubio bello arbitrari, in quo judicio ſingulis acquieſcendum. Si ejuſmodi Reipub. ſtatus non arrideat quibuſdam, alibi lares ſuos ac penates transferendi & conſtituendi libertatem habent. Sed aliud dicendum videtur, cum invaſor imperii adhuc ipſo actu molitur libertatem magis magiſque imminuere: hoc enim caſu ſingulis concedendum, quod univerſo licet populo, in nam cum præſumitur populum, libertatis dulcedinem expertum, præſentem Reipub. ſtatum tueri & defendere in animum induxiſſe, conceſſiſſe quoque videri debet ſingulis civibus facultatem, quibuſcunque eum conſervandi mediis, præſertim, quando civitas factionibus diſtracta, ſtatus mutationi proxima, ac tum in præcavendo imminenti Reipub. malo optime de Repub. meretur, qui ſua ope atque conſilio, quocunque modo illud avertendo, ad priſtinum ſtatum eam reducere arbitratur. vid. quæ annotavimus *ad* §. 5. *n.* 5. hiſce addenda. Sed caveat ſibi quiſque ne quid incaute vel temere ſuſcipiat, ne invidia, odio & ira percitus, præceps ruat ad arma capienda, & inteſtina cienda bella tyrannum opprimendi cauſa; quæ enim per ſe licita, caſu quodam & mutatione temporis, illicita quandoque ſunt, quia Reipub. nocitura. Diligenter vero examinandus præſens ſtatus & futurus, atque conferendum præſens incommodum cum illis periculis, quæ rerum mutationes comitantur neceſſe, ut ex ejuſmodi contemplatione perſpiciamus, quid magis Reipub. utile futurum videatur; quod enim utilius, id amplectendum: communem enim utilitatem propriis commodis anteponere, boni civis officium eſt, quamobrem non ad privatum, ſed ad commune bonum referenda, quæ patriæ ex amore ſuſcipit agenda. Quamobrem tantum quiſque debet contendere in Repub. civis, quantum ſociis ſuis probare poteſt, quos non debet in certum periculum conjicere; vim, patriæ liberandæ cauſa ab injuſta dominatione, propria authoritate adhibendo, ſi majus inde perſpiciat Reipub. vulnus imminere, quam ex præſenti ſtatu & injuſta dominatione incommodum. *Civem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque ſummiſſum & abjectum; neque ſeſe efferentem: tum in Repub. ea velle, quæ tranquilla & honeſta ſunt.* Cic. 1. *off.* *Nihil bono civi magis convenit, quam abeſſe a civilibus controverſiis.* Ad *Att. lib.* 9. *epiſt.*

4. Non debet movere nos in contrariam ſententiam factum Ao- *Jud.* III. 15.
dis in Eglonem regem Moabitarum. nam aperte teſtatur ſacra au- *Nehem.*
ctoritas, hunc a Deo ipſo vindicem ſuſcitatum, mandato ſcilicet IX. 27.
ſpeciali. Neque vero conſtat hunc Moabitarum regem nullum jus II *Reg.*
imperandi ex pactione habuiſſe. Nam & in alios reges Deus per IX.
quos volebat miniſtros ſua judicia exſequebatur, ut per Jehun in Joramum.

COMMENTARIUS.

TEſtatur quidem ſacra ſcriptura Deum populo Iſraëli, oppreſſo duro ſervitutis jugo, quod Rex Moabitarum ipſi impoſuerat, clamanti & auxilium imploranti a Domino, ſuſcitaſſe Ehud ad

exco-

excogitandum opportunum medium occidendi tyrannum, in cujus imperium nondum conſenſiſſe præſumi debeat populus, quia admodum duriter eos tractabat, metuens fortaſſe ne abjicerent imperium ſuum, dulcedinem priſtinæ libertatis experti: & quid ſi agnoviſſent imperium, id ea mente feciſſe dicendum, ut legitimo uteretur imperio, non tyrannico, cui impune non parendum exiſtimarunt, non quidem propria authoritate, ſed ſpeciali mandato populi, ut colligi poſſe videtur e textu. Nam quoniam nomine populi munera regi Egloni obtulit Ehud, nequaquam dubitare poſſumus, quin ejuſdem quoque authoritate occiderit tyrannum, ejus relicto arbitrio opportune ſibi medium eligendi, quo potiſſimum facinus exequi poſſe judicaret. Cui maxime inſerviebat iſtorum munerum oblatio, utpote qua ratione ſibi ad regem aditu patefacto occaſionem opportunam nanciſcebatur, ad rem ſibi mandatam perficiendam. Sed & dicendum videtur, cum populus aperte ſæpius teſtatus fuiſſet clamando ad Dominum, ut ſibi placeret ſe liberare a manu & injuſta tyranni dominatione, etiam privata auctoritate quemvis ſuſcipere potuiſſe populi liberationem, ex tacita quaſi cuique conceſſa facultate, eo ipſo quod aperte teſtabatur populus, non amplius ſe perferre poſſe ſervitutem, in quam inviti tracti erant vi injuſta, ideoque nihil tam vehementer deſiderare, quam ſe in priſtinam vindicare libertatem, quod ipſe palam tentare nequibat, ne in majus ſe conjiceret periculum. Itaque ſi quis poſſet excogitare aliquod medium, quod valeret populum magis ſecure liberare ſervili tyranni dominatione, eo utendi cuique libertas ex præſumpta populi voluntate, tributa videtur dicenda.

Matthæi xxii. 20. XX. Maxime autem in re controverſa judicium ſibi privatus ſumere non debet, ſed poſſeſſionem ſequi. Sic tributum ſolvi Cæſari Chriſtus jubebat, quia ejus imaginem nummus præferebat, id eſt, quia in poſſeſſione erat imperii.

COMMENTARIUS.

NOn habet Chriſti reſponſum præciſe ſuam relationem ad Cæſarem Auguſtum, eo tempore regnantem, ideoque nec ea mente datum puto, ut eo confirmarentur Imperii Romani jura in Judæos; verum nihil aliud eo Chriſtum ſignificare voluiſſe dicendum cenſeo, quam, quemadmodum imago, nummo impreſſa, refert jus cudendæ monetæ apud eum reſidere, cujus eſt imago; ita etiam teſtatur ſummum imperium habere, cujus illa eſt, & idcirco ei obediendum, ſolvendo tributa, quæ imponit vi ſummæ poteſtatis rex ſeu princeps, quia nemini jus illud, niſi ſummum habenti imperium; atqui mihi, inquit Chriſtus, conſtat ex iſta imagine, jus illud habere Cæſarem, ergo ſummum quoque imperium oportet habere, tanquam neceſſarium conſequens. Quem autem ſuperiorem agnoſcitis utendo nummo illo, ei quoque obedientiam debetis ſolvendo quæ vobis imperat tributa: cujus enim quis agnoſcit imperium, ejus quoque juſſa faceſſere fas eſt. *Ubicunque enim numiſma regis alicujus obtinet, illic incolæ regem iſtum pro domino agnoſcunt*, eſt apud Maimon. ex ipſis Hebræorum ſcholis deſumtum. Conſequentia argumenti, quo Chriſtus utitur, ut inſpiraret & inſtillaret hominum mentibus obedientiam ſuperioribus præſtandam, trahi poteſt quoque ad Cæſarem, quia ejus imperium etiam agnoſcebant Judæi, non ſolliciti de poſſeſſione, nec imperii acquirendi titulo, modo ipſi ſe eo tueri poſſent adverſus vim & injuriam improborum; nec etiam in eo ſtatu erant, ut potuiſſent ſeſe opponere tantæ majeſtati, quamobrem ei potius acquieſcendum, quemadmodum ceteri cives & imperio Romano ſubjectæ gentes nationeſque fecerant, quam de poſſeſſionis & imperii acquirendi jure ac titulo diſputare, atque hac ratione Cæſaris in ſe iram provocare, & in certiſſimum omnium miſeriarum abyſſum ſemet conjicere.

CAPUT

CAPUT V.

Qui Bellum licite gerant.

I. *Belli cauſas effectrices alias eſſe principales in ſua re.*
II. *Aut in aliena.*
III. *Alias inſtrumentales, ut ſervos & ſubditos.*
IV. *Natura jure neminem a bello prohiberi.*

I. ET in aliis rebus ita & in voluntatis actionibus tria eſſe ſolent efficientium genera, principales, adjuvantes, & inſtrumenta. Cauſa effectrix principalis in bello plerumque eſt is cujus res agitur: in privato privatus: in publico poteſtas publica, maxime ſumma. An & pro aliis nihil moventibus bellum moveri ab alio poſſit alibi videbimus. Illud interim tenebimus, naturaliter quemque ſui juris eſſe vindicem. ideo manus nobis datæ.

L. ſervus D. de ſervis export. Cic. lib. 11. off. ex Panatio. D. D. ad l. Si quis in ſervitutem. D. de fur. l. prohibemus. C. de jure fiſci.

COMMENTARIUS.

CAuſa principalis eſt qui injuriam, vel vim ſibi illatam, vel corpori & perſonæ, vel rei ad ſe pertinenti, depellit vel vindicat, in ſtatu civili poteſtas publica, cui cura demandata, ne reſpub. quid capiat detrimenti, vel etiam privato ceſſante judicio. In ſtatu naturali cuique idem jus, quoniam tanquam publica perſona, vel ſaltem omnia habens ſummæ poteſtatis jura, quæ civili poteſtati delata: quo ſenſu intelligendum naturaliter quemque ſui juris vindicem eſſe, id eſt naturam cuique libertatem ac facultatem conceſſiſſe ſeſe tuendi adverſus vim illatam; ſed etiam recuperandi res ablatas injuria, vel reparandi damnum quod paſſus eſt, nec non pœnis afficiendi aggreſſorem in poteſtatem redactum, vel eum perſequendi, donec ſibi ſatisfecerit, aut injuriam vel damnum reparaverit, quamobrem manus nobis datæ: quippe quod non eadem facultas ſit, qua cuique poteſt privata authoritate ſibi jus dicere, in ſocietatem coalitis in cauſa eſt, quod in civitatem coëuntibus neceſſe fuerit eam deferre in ſummum imperantem; *ideoque nihil tam contrarium juri & legibus, quam compoſita & conſtituta repub. quicquam agi per vim*, ait Cicero de *ll. lib.* 3. Et Quintil. *declam.* 13. *Nos ideo magiſtratus legeſque a majoribus noſtris accepimus, ne ſui quiſque doloris ſit vindex; & aſſidua ſcelerum cauſa ſe refellant, ſi ultio crimen imitabitur.* Sublato itaque ſummo imperio, quiſque naturali jure vindex ſui juris, quia neminem, niſi ſeſe ipſum agnoſcit ſuperiorem.

II. 1. Sed & alteri prodeſſe qua poſſimus non licitum modo ſed & honeſtum eſt. Recte qui de officiis ſcripſerunt ajunt, nihil eſſe homini utilius homine altero. Sunt autem diverſa hominum inter ſe vincula quæ ad mutuam opem invitant, nam & cognati ad opem ferendam coëunt, & vicini inclamantur, & qui ejuſdem civitatis ſunt participes; unde illud, *Porro Quirites, & quiritari.* a Ariſtoteles dixit oportere quemque, aut pro ſe arma ſumere, ſi injuriam acceperit, aut pro cognatis, aut pro benefactoribus, aut ſociis injuria affectis auxilia ferre. Et Solon docuerat beatas fore reſpublicas in quibus alienas injurias quiſque ſuas exiſtimaret.

2. Sed ut cætera deſint vincula, ſufficit humanæ naturæ communio. Ab homine enim nihil humani alienum eſt. Menandri dictum eſt:

Injuriarum ſi improbis auctoribus
Reponeremus ultionem ſinguli,
Nobis putantes fieri quod fit alteri,
Inter nos juncti conſpiratis viribus,

a *Rhet. ad Alex. c. 3. Bart. in l. Ut vim. D. de juſtit. & jure. n 7 & 8. Jaſ. ibid. n. 29. Caſt. ad l. 1. §. jus gent. eodem. Bart. ad l. hoſtes. D. de capt. c. 9.*

Innoc. ad c. ſicut, de jurejur. & inc. olim de reſt. ſpol. n. 16. Panor. n. 18. Syl. veſt. in verbo bellum, q 8.

Lib. VI. L. cum ſumus, C. de agricolis. lib. XI.

Non prævaleret innocentiæ impetus
Audax malorum, qui cuſtoditi undique
Juſſique pœnas quas merentur pendere,
Aut nulli penitus eſſent, aut pauci admodum.

Democriti hoc vero ἀδικευμένοισι τιμωρέειν κατὰ δύναμιν χρὴ καὶ μὴ παριέναι. τὸ μὲν γὰρ τοιοῦτον δίκαιον καὶ ἀγαθόν. *Injuria oppreſſos defendere pro viribus oportet, & non negligere: illud enim juſtum bonumque eſt.* Quod ſic explicat a Lactantius: *Deus qui cæteris animalibus ſapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurſu & periculo tutiora generavit. Hominem vero quia nudum fragilemque formavit, ut eum ſapientia potius inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat & præſtet auxilium.*

COMMENTARIUS.

PRoponit hic cauſas belli ſuſcipiendi adjuvantes, eaſque recte petit a ſocietatis humanæ, quæ homini cum homine intercedit, conſervandæ neceſſitate & obligatione, qua tenemur non ſolum ſuſcipere defenſionem noſtri, ſed & ſocii, vel quia nobis ſanguine conjuncti, vel vicinitatis, vel fœderis, vel communis tantum ſocietatis humanæ vinculo devincti. Homines enim hominum cauſa, ideoque in mutuum adjutorium generatos, paſſim in *antecedentibus cap.* demonſtravimus; ſocietas enim coli nequiret, niſi cujuſque pars ſalva eſſet & integra, atqui quiſque, deſtitutus alieno auxilio & communi, ope ſibi non ſufficiat, vel ad paranda ea, quibus indiget, utpote ad vitam ſuſtentandam neceſſaria, vel depellenda quæ ad ſui interitum tendunt, incommoda. Hinc ipſa natura hominem devinxit homini, ut ſibi mutuo ſuccurrerent, mutuaſque ſublevarent neceſſitates communi ope; imo & natura nobis inſevit acres ſtimulos, queis rapimur ad ſocietatem cum noſtris ſimillimis colendam, & conjunctionem ac cognationem naturalem conſervandam; cujus vinculum potiſſimum eſt illa lex charitatis, qua tenemur proximum eodem amore proſequi, quo noſmet ipſos amplectimur. Huc etiam tendit ratio, cujus ſumus participes, & a ceteris animantibus omni plane mentis diſcurſi deſtitutis, diſcernimur. Præterquam quod ejuſdem naturæ communio, quam ab eadem origine derivamus, indiſſolubili vinculo ad communem opem ſibi invicem ferendam homines ligat. Hinc eorum optimam illam naturam exiſtimarunt gentiles, qui ſe natos ad homines ſervandos arbitrarentur. Hinc *civica Corona.* Hinc illæ inſcriptiones: OB CIVES SERVATOS. Optime Juvenalis hæc omnia *Sat.* 15. quæ ſic deſcribi merentur.

Ulla aliena ſibi credat mala? ſeparat hoc nos
A grege multorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti
Senſum a cæleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Adfectus petere auxilium, & præſtare juberet
Diſperſos trahere in populum, & migrare vetuſto
De nemore, & proavis habitatas linquere ſilvas:
Ædificare domos, laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Ut collata daret fiducia, protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare ſigna tuba, defendier iiſdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.

Sic etiam Cic. de Orat. *Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare adflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate.* Et idem 3. *off. Itemque, magis ſecundum naturam eſt, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, aut juvandis, maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere, imitantes Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilium cæleſtium collocavit.* Quippe, ut inquit, Plinius *Hiſt. Nat. Dei eſt mortali juvare mortalem: & hac ad æternam gloriam via.* Huc etiam *pertinent eadem Ciceronis* 1. *off. Sed injuſtitiæ genera duo ſunt. Unum eorum qui inferunt: alterum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint non propulſant injuriam.* Hiſce adde exemplis quæ ad §. 6. & 7. *Proleg.* annotavimus.

III. Inſtrumenta cum dicimus, non arma hîc intelligimus, & ſi quæ ſunt his ſimilia, ſed eos qui ita agunt ſua voluntate, ut ea voluntas ab altera pendeat. Tale inſtrumentum eſt patri filius, pars quippe ejus naturaliter; tale & ſervus, quaſi pars ex lege; nam ſicut pars non tantum pars eſt totius eadem relatione qua totum eſt totum partis, ſed hoc ipſum quod eſt totius eſt: ita poſſeſſio eſt aliquid ipſius poſſidentis. Democritus: οἰκέτῃσιν ὡς μέρεσι τοῦ σκήνεος χρῶ ἄλλῳ πρὸς ἄλλο. *Famulis tanquam partibus corporis aliis ad aliud utere.* Quale autem in familia eſt ſervus, tale in republica eſt ſubditus, ac proinde inſtrumentum imperantis.

Arist. lib. 1. de moribus. cap. 10. l. Gracchus. C. de adul. Sen. 1. con. 4. Th. 22. 40. art. 2. Sylveſt. de bello. p. 3.

COMMENTARIUS.

INſtrumenta non inanimata, ſed animata, hic Author intelligit, ratione, & proinde voluntate, prædita, ſuo tamen arbitrio ea utendi facultate, vel naturali naſcendi, vel civili adventitia conditione privata; ideoque quicquid agunt, aliis per ea agere videntur, quorum ab arbitrio & voluntate pendent, quale inſtrumentum eſt filius patri, ſervus domino, ſubditus imperanti. Habent hi relationem ſuam ad cauſam primam & principalem, a qua dependent tanquam pars a toto, non eodem modo, ſed pro cujuſque qualitate & conditione. Quemadmodum enim eſt neceſſaria partis ad totum relatio; ita quoque & ejuſdem operatio neceſſario debet ad totum referri; itaque quicquid agit pars, agere videtur totum per partem ſuam, tanquam inſtrumentum cujus, opera & ſervitio utitur.

. IV. Nec dubium quin naturaliter omnes ſubditi bello adhiberi poſſint, ſed quoſdam ſpecialis lex arcet, ut olim Romæ ſervos, nunc paſſim clericos: quæ tamen lex, ut omnes ejus generis, cum ſummæ neceſſitatis exceptione intelligenda eſt. Et hæc quidem generaliter de adjutoribus & ſubditis dicta ſunto: nam quæ ſpecialia ſunt ſuis locis tractabuntur.

COMMENTARIUS.

SUbditi, qua ſubditi, id eſt partes & membra ejuſdem civitatis, ejuſdem quoque omnes ſunt conditionis, id eſt ſibi æquales, ideoque eadem opera, idem ſervitium præſtare tenentur, quæ qualitas illa adventitia ab iis poſtulat. Quamobrem nemo ſe excuſare poteſt ab illo onere ſeu ſervitio præſtando, quod ſummus imperans, flagitante communi Reipub. neceſſitate vel utilitate, civibus imponit aut injungit. Hinc & belli tempore omnes militiæ dare nomina adſtricti, imperante principe, niſi quoſdam vel lex ſpecialis, vel ipſe princeps ab ea arceat, ut olim Romæ ſervos, vel qui ſtatus controverſiam patiuntur. *l. 8. l. 11. ff. de re milit.* Quamobrem cum aliquando Reſpub. Romana ingenti clade accepta, laborabat liberorum capitum inopia ad conſcribendum exercitum, ſervos in militiam legere neceſſe habuerunt, at eos liberos prius fecerunt, ut conſtat ex Liv. *l. 22. cap. 57.* ubi inquit. *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac neceſſitas dedit; octo millia juvenum validorum ex ſervitiis, prius ſciſcitantes ſingulos* vellentne militare? *empta publice, armaverunt.* & Flor. *lib. 2. c. 6.* *Arma non erant, detracta ſunt templis; deerat juventus, in ſacramentum militia liberata ſervitia.* Sic & Spartanos olim ad ſupplementum exercitus, exigente neceſſitate Reipublicæ, ſervos ſuos manumiſiſſe tradit Juſtin. *lib. 3. cap. 6.* Adde & Liv. *lib. 24. cap. 6.* Eximuntur quoque a belli muneribus Clerici, ſeu qui divino cultui peragendo deſtinati ſunt, ut cœleſti poſſent vacare militiæ, niſi Reipub. neceſſitas eorum poſtulat ſervitium & operas. Eſt enim hæc immunitas commodum aliquod ipſis conceſſum, quod ita interpretari debemus, ne noceat Reipublicæ. præterquam quod munus illud perſonale eccleſiaſticum ipſos ſolvere nequit obligatione præſtandi officii, quod debent Reipub. quia ejus membrum & civis, cujus neceſſitatem ſublevare omnes æquo jure tenentur cives. Hæc obligatio inhæret cuique ab ipſo nativitatis momento & ita quaſi ei naturalis eſt, quamobrem nulla jura vel munera civilia eam in totum tollere poſſunt.

ANNOTATA AUTHORIS

AD

PROLEGOMENA.

A*Pud Thucydidem*] Verba ſunt lib. VI. Ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅ, τι ξυμφέρον. Idem ſenſus libro V, ubi Athenienſes præpotentes eo tempore, ſic Melios alloquuntur: ὅτι δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης ἀνάγκης κρίνεται. δυνατὰ δὲ οἱ δυνατοὶ πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς ξυγχωροῦσι: *Juſta humana rationi ea cenſeri, quæ par neceſſitas indicit: cæterum quæ fieri poſſunt ea fieri a validioribus, ab infirmioribus tolerari.*

A ſe poſſe exaudiri] Apud Plutarchum Lyſander machæram oſtendens: ὁ ταύτης κρατῶν βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται. *Hanc qui habet, is optime de terrarum finibus diſputat.* Apud eundem Cæſar: οὐ τὸ αὐτὸν ὅπλων καὶ νόμων καιρὸν εἶναι: *Non idem eſſe tempus armorum quod legum.* Seneca quarto de beneficiis capite XXXVIII. *Multa interim reges, in bello præſertim, opertis oculis donant. non ſufficit homo juſtus unus tot armatis cupiditatibus: non poteſt quiſquam eodem tempore & bonum virum & bonum ducem agere.*

Armatus leges ut cogitem?] Plutarchus hanc ſententiam Pompeji ad Mamertinos ſic enuntiat: οὐ παύσεσθε ἡμῖν ὑπεζωσμένοις ξίφη νόμους ἀναγινώσκοντες, *Non deſinetis nobis hominibus gladiis accinctis leges recitare.* Curtius libr. IX: *Adeo etiam naturæ jura bellum in contrarium vertit.*

Ὀικείωσιν *Stoici appellabant*] Chryſoſtomus ad Romanos Homilia XXXI. ἔχομεν γὰρ φυσικήν τινα πρὸς ἀλλήλους οἰκείωσιν, ἣν καὶ θηρία πρὸς ἄλληλα κέκτηνται. *Habemus natura homines cum hominibus ſocietatem. quidni, cum tale quid inter ſe & feræ habeant?* Vide eundem capite primo ad Epheſios, ubi a natura nobis data docet ad virtutem ſemina. Marcus Antoninus Imperator ſumme Philoſophus: ὅτι γὰρ πρὸς κοινωνίαν γεγόναμεν πάλαι δέδεικται. ἢ οὐκ ἦν ἐναργές, ὅτι τὰ χείρω τῶν κρειττόνων ἕνεκεν, τὰ δὲ κρείττω τῶν ἀλλήλων; *Pridem patuit ad ſocietatem nos genitos. Nonne in aperto eſt deteriora eſſe meliorum cauſa, meliora vero alterum alterius cauſa?*

Aliquatenus temperant] Vetus eſt proverbium, *Canis caninam non eſt.* Juvenalis;

Tigris agit rabida cum tigride pacem:
Parcit cognatis maculis fera.

Eſt locus Philonis egregius ad Decalogi præceptum quintum, quem Græce qui volet legat. Ego eum, quia longior eſt, ſemel, id eſt Latine, hic ponam: *Imitatores ſaltem mutorum animantium eſtote, homines. Beneficio vicem rependere illa edocta norunt. Canes domus defenſores ſunt: quin & pro heris moriuntur: ſi quod ſubito periculum eos contigerit. Dicuntur & canum illi qui greges comitantur præcedere pecora, depugnantes ad mortem uſque, ut paſtores illæſos præſtent. Nonne inter fœda fœdiſſimum eſt, in referenda gratia vinci hominem a cane, mitiſſimum animal a ferociſſimo? quod ſi a terreſtribus non ſatis edocemur, tranſeamus ad naturam volucrum, aëris viatricem, ut vel inde diſcamus, quod oportet. Ciconiarum ſenes in nidis manent. volare invalidæ. Harum ſoboles per omnes, prope ſic dixerim, terras mariaque volitant, victum undique parentibus quærentes; illæ pro ætatis merito fruuntur quiete, rerum copia, deliciis etiam: hæ vero itineris moleſtias ſolantur pietatis conſcientia & exſpectatione paris olim, ubi ſenuerint, a ſua prole, atque ita legitimo tempore debitum perſolvunt neceſſarium, quod accepere reddentes. neque enim ab aliis alimenta habere poſſunt, aut initio vitæ parvæ cum ſunt, aut natu grandes in vitæ exitu. quapropter non alio quam natura magiſtro didicerunt educare vetulas, educatæ & ipſæ cum teneræ eſſent. Nonne vero hæc ubi audiunt, habent cur ſe præ pudo-*

re abſcondant, qui parentum curam non habent, atque eos negligunt, quos aut ſolos aut præ cæteris ſublevare debuerant, præſertim cum id facientes non tam daturi ſint quippiam, quam id quod debent reddituri? Nihil enim eſt liberis proprium quod non parentum ſit prius, qui aut de ſuo dederunt, aut acquirendi præbuerunt cauſas. De columbarum cura eximia circa fœtus ſuos vide Porphyrium de non eſu animalium tertio. De Scarorum & ſaurorum pro Sociis Caſſiodorum XI, 40.

Cum ſocietatis appetitu excellente] M. Antoninus libro IX: ὁ ἄνθρωπος εὐεργετικὸς πέφυκε. *Homo in id natus eſt bene ut aliis faciat.* item: θᾶττον γοῦν εὕροι τις ἂν γεῶδές τι μηδενὸς γεώδους προσαπτόμενον, ἤπερ ἄνθρωπον ἀνθρώπου ἀπεσχισμένον. *Facilius reperiat quis terreſtre aliquod ad terram ſe non ferens, quam hominem ab humano genere abſciſſum.* Libro X: ἴδιον τὸ λογικὸν εὐθὺς καὶ πολιτικόν. *quod ratione utitur, neceſſario & cætum appetit.* Nicetas Choniates: ἐνεσημήνατό πως ἡ φύσις ἡμῖν καὶ ἐνεφύτευσε πρὸς τὰ οἰκεῖα συμπάθειαν. *Natura inſculpſit inſevitque nobis animi conſenſionem cum iis quæ cognata ſunt nobis.* Adde Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana libro III. c. 14.

Societatis cuſtodia humano intellectui conveniens] Seneca IV de Beneficiis cap. XVIII: *Ut ſcias per ſe expetendam eſſe grati animi affectionem, per ſe fugienda res eſt, ingratum eſſe, quoniam nihil æque concordiam humani generis diſſociat ac diſtrahit, quam hoc vitium. Nam quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis? hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos, quid ſumus? præda animalium & victimæ ac viliſſimus & facillimus ſanguis: quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcumque vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. duas res dedit, quæ illum, obnoxium cæteris, validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. itaque qui par eſſe nulli poſſet ſi diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: Societas terris genitum in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit: hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita ſuſtinetur, ſcindes. Tollitur autem, ſi efficies ut ingratus animus non per ſe vitandus ſit.*

Quo pertinent alieni abſtinentia] Porphyrius de non eſu animantium: ἡ δὲ δικαιοσύνη ἐν τῷ ἀφεκτικῷ καὶ ἀβλαβεῖ κεῖται παντὸς ὁτουοῦν τοῦ μὴ βλάπτοντος. *Juſtitia in eo ſita eſt ut abſtineatur alienis neque noceatur non nocentibus.*

Prudens diſpenſatio, ut quæ nunc ſapientiorem minus ſapienti, nunc propinquum extraneo, nunc pauperem diviti, prout actus cujuſque & rei natura fert, præponit] Agit hac de re Ambroſius libro primo de officiis.

Ex libera Dei voluntate] Inde M. Antonino judice libro IX: ὁ ἀδικῶν ἀσεβεῖ: *qui injuſte agit, impius eſt.*

Deo tamen adſcribi merito poteſt] Chryſoſtomus I ad Corinthios XI, 3: ὅταν δὲ εἴπω τὴν φύσιν, θεὸν λέγω. ὁ γὰρ τὴν φύσιν δημιουργήσας αὐτός ἐστιν. *Cum naturam dico, Deum dico. ipſe enim eſt naturæ opifex.* Chryſippus III de Diis: οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομέν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. *Non poteſt inveniri principium aliud aut origo juſtitiæ, quam ab Jove & communi natura. inde enim initium duci debet, ubi de bonis maliſque differendum eſt.*

A quo Jovis nomine jus Latinis dictum] Niſi forte verius per abſciſſionem, ut ex eo quod fuit oſſum factum eſt os, ita ex eo quod fuerat juſſum factum jus, juſis, poſtea juris, ut ex Papiſiis Papirii, de quo vide Ciceronem lib. IX, epiſt. 21.

Dii quidam ſunt parentes] Θεοὶ ἐπίγειοι, Hierocli ad aureum carmen *Dii terreſtres*: Philoni ad Decalogum ἐμφανεῖς Θεοὶ μιμούμενοι τὸν ἀγέννητον, ἐν τῷ ζωοπλαστεῖν, *conſpicui Dii, qui ingenitum Deum imitantur vitam dando*: ſecunda poſt Deum fœderatio Hieronymo epiſt. XCIV. Parentes Deorum ſimulacra Platoni de legibus XI. Honos parentibus ut diis debetur, pronuntiante Ariſtotele Nicomachæorum IX, cap. II.

Utilitas juſti prope mater & æqui] Ad quem locum Acron, aut quiſquis eſt vetus Horatii interpres: *repugnat præceptis Stoicorum. oſtendere vult juſtitiam non eſſe naturalem, ſed natam ex utilitate.* contra hanc ſententiam vide quæ diſputat Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana libro III, c. XIV.

Sicut civis qui jus civile perrumpit] Hac ipſa ſimilitudine appoſite utitur lib. IX. M. Antoninus: ἥτις ἐὰν οὖν πρᾶξίς σου μὴ ἔχῃ τὴν ἀναφορὰν, εἴτε προσεχῶς εἴτε πόρρωθεν ἐπὶ τὸ κοινωνικὸν τέλος, αὕτη διασπᾷ τε βίον, καὶ οὐκ ἐᾷ ἕνα εἶναι, καὶ στασιώδης ἐστὶν ὡς ἐν δήμῳ ὁ τὸ κατ᾽ αὐτὸν μέρος διϊστάμενος. *Quæcumque tua actio reſpectum non habebit ſive cominus ſive eminus ad propoſitum communitatis, ea vitam diducit, nec unam eſſe patitur, ſeditioſaque non minus eſt quam is qui in populo partem ſeorſim facit.* Et libro XI: ἄνθρωπος ἑνὸς ἀνθρώπου ἀποσχισθεὶς, οὐ δύναται μὴ καὶ ὅλης φυλῆς ἀποκεκόφθαι: *Homo ab uno abſciſſus homine, non poteſt non & ab univerſo genere abſciſſus haberi.* Nimirum, ut eidem Antonino dictum eſt, quod examini expedit: idem api.

Vim juſque parilis copulans vincli jugo] Ovidius:

Valet cauſa, cauſamque tuentibus armis.

Quod memorabili latronum exemplo probabat Ariſtoteles] Chryſoſtomus in caput IV ad Epheſios: πῶς ἂν λῃσταὶ εἰρηνεύοιεν, φησί. πότε; εἰπέ μοι, πάντως ἔξω οὐ λῃστικῷ τρόπῳ χρήσωνται, ἂν γὰρ ἐν αὐτοῖς οἷς ἂν διανέμονται, μὴ τοὺς νόμους φυλάξωσι τοὺς τοῦ δικαίου καὶ ἑκάστῳ ἀπονείμωσι τὸ δίκαιον, εὑρήσεις ἂν κἀκείνους ἐν πολέμοις καὶ μάχαις.

At

At qui ſit ergo, dicet aliquis, ut in pace vivant latrones? Quando vero? dic quaſo. Nempe cum non ut latrones agunt. nam ſi in dividendis rebus praſcripta juſtitia non ſervent, neque partitionem ex aquo faciant, videbis & ipſos inter ſe bellis ac praliis implicari. Plutarchus cum Pyrrhi recitaſſet dictum, regnum ſe ei liberum ſuorum relinquere cui acutiſſimus futurus eſſet gladius, dicit hoc nihil aliud eſſe quam quod in Phœniſſis poſuit Euripides.

Θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.

Ut ſanguinante dividant ferro domum.

additque acclamationem egregiam: οὕτως ἀμικτός ἐστι καὶ θηριώδης ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις. *Adeo inſociabile ferinumque eſt propoſitum plus ſuo habendi.* Cicero epiſt. XI, 16. *omnia ſunt incerta cum a jure diſceſſum eſt.* Polybius IV: καὶ γὰρ καθ᾽ ἰδίαν τὸ τῶν ῥᾳδιουργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον τούτῳ μάλιστα τῷ τρόπῳ σφάλλεται, τῷ μὴ ποιεῖν ἀλλήλοις τὰ δίκαια, καὶ συλλήβδην διὰ τὴν εἰς αὑτοὺς ἀθεσίαν. *Nam & privata coitiones facinoroſorum ac furum hoc maxime modo everti ſolent, ubi inter ſe jus non praſtant, & in ſumma, ubi fides inter ipſos periit.*

Graviter eos accuſat Ariſtoteles] Et Plutarchus in Ageſilao: Λακεδαιμόνιοι τὴν πρώτην τοῦ καλοῦ μερίδα τῷ τῆς πατρίδος συμφέροντι διδόντες, ὅτι μανθάνουσιν, ὅτι ἐπίστανται δίκαιον ἄλλο, πλὴν ὃ τὴν Σπάρτην αὔξειν νομίζουσι: *Lacedamonii primam honeſti partem ponentes in patria ſua utilitate, jus aliud nec norunt nec diſcunt quam unde Spartam putent poſſe augeri.* de iiſdem Lacedæmoniis Athenienſes libro V: πρὸς σφᾶς μὲν αὐτοὺς καὶ τὰ ἐπιχώρια νόμιμα πλεῖστα ἀρετῇ χρῶνται. πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους πολλὰ ἄν τις ἔχων εἰπεῖν ὡς προσφέρονται, μάλιστ᾽ ἂν δηλώσειεν, ὅτι τὰ μὲν ἡδέα καλὰ νομίζουσι, τὰ δὲ συμφέροντα δίκαια. *Quod ipſos inter ſe & civilia jura attinet, plurimum virtute utuntur; Quales vero ſint adverſus alios, multa adferri poſſint eo pertinentia, breviter autem rem expoſuerit, qui dixerit eis honeſta videri qua ſuavia ſunt, juſta qua utilia.*

Qui militari fortitudini juſtitiam antepoſuit] Ageſilaus cum Perſarum regem magnum audiret appellari, *quomodo*, inquit, *major me eſt: niſi ſit juſtior?* Eſt hoc apud Plutarchum.

Sed φιλανθρώπως] Optime M. Antoninus: πόλις καὶ πατρὶς ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μοι ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος. *civitas & patria mihi ut Antonino Roma, ut homini mundus.* Porphyrius de non eſu animantium III: ὁ λόγῳ ἀγόμενος καὶ πρὸς πολίτην τηρεῖ τὸ ἀβλαβές, καὶ ἔτι μᾶλλον πρὸς ξένους καὶ πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὁ τὴν ἀλογίαν ἔχων ὑπήκοον καὶ αὐτὸς παρ᾽ ἐκείνους λογικώτερος, διὰ τοῦτο δὲ καὶ θειότερος: *Qui ratione ducitur, innocentiam in cives ſervat, imo & in peregrinos & homines quoſvis, quanto ratione praſtans, tanto divinior.*

Minois] De quo verſus eſt veteris poëtæ:

Καὶ νήσων δυεργισι βαρὺν ζυγὸν ἔμβαλε Μίνως.

Inſula cuncta jugo Minois preſſa gemebat.

vide hac de re Cyrillum adverſus Julianum libro VI.

Valere non ſcripta] Ideo Alfonſus rex interrogatus pluſne libris an armis deberet, dixit, ex libris ſe & arma & armorum jura didiciſſe. Plutarchus: εἰσὶ δὲ καὶ πολέμων ὅμως τινὲς νόμοι τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι, καὶ τὸ νικᾶν οὐχ οὕτω διωκτέον, ὥστε μὴ φεύγειν τὰς ἐκ κακῶν καὶ ἀσεβῶν ἔργων χάριτας. *Sunt apud viros bonos quadam & belli jura, nec ita ſectanda victoria eſt, ut non fugiatur utilitas ex pravis impiiſque actionibus proveniens.*

Juſtitia conſcientia] Bene apud Appianum Pompejus: θαρρεῖν δὲ χρὴ τοῖς τε θεοῖς καὶ αὐτῷ τῷ λογισμῷ τοῦ πολέμου καλὴν καὶ δικαίαν ἔχοντι φιλοτιμίαν ὑπὲρ πατρίου πολιτείας. *conſidere oportet diis & cauſa belli honeſte juſtoque ſuſcepti ſtudio ad tuendum patria ſtatum.* Caſſius apud eundem: μεγίστη δ᾽ ἐλπὶς ἐν τοῖς πολέμοις ἐστὶ τὸ δίκαιον. *In bellis ſpes optima eſt, cauſa jus.* Joſephus XV Antiquæ hiſtoriæ: μεθ᾽ ὧν τὸ δίκαιον, μετ᾽ ἐκείνων ὁ Θεός. *Abs quo ſtat jus, ab eo Deus.* multa ſunt apud Procopium in hanc ſententiam: ut in oratione Beliſarii in itinere in Africam, ubi hoc inter cætera: τὸ ἀνδρεῖον οὐκ ἂν νικώη μὴ μετὰ τοῦ δικαίου ταττόμενον, *Victoriam fortitudo datura non eſt niſi juſtitiam habeat commilitem*: & in altera oratione ante prælium non longe a Carthagine: & in Longobardorum ſermone ad Herulos, ubi hæc, ſed correcta a nobis: μαρτυρόμενοι τὸν θεὸν ὅπερ τῆς ῥοπῆς καὶ βραχεῖά τις τὸ παρέχειν ἡμᾶς πάσῃ τῇ ἀνθρώπων δυνάμει ἀντίξουν ἐστί, αὐτόν τε εἰκὸς ταῖς πολέμου αἰτίαις ἐγγραφέντα, ἀμφοτέροις πρυτανεύσειν τῆς μάχης τὸ πέρας. *Teſtamur Deum, cujus potentia vel minima particula omnem humanam vim aquiparat; is, ut credibile eſt, belli cauſas intuens, dabit debitum utriſque pralii exitum.* quod dictum eventus mox admirabilis comprobat. Sic & apud eundem ſcriptorem ad Gothos Totilas: οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι τὸν ἀδικοῦντα καὶ βιαζόμενον ἐν τοῖς ἀγῶσιν εὐδοκιμεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὸν βίον ἑκάστῳ ἡ τοῦ πολέμου πρυτανεύεται τύχη. *Fieri nequit, nequit inquam, fieri, ut qui violentia & injuſtitia utuntur, decus pugnando pariant, ſed prout vita cuique eſt, ita ei obtingit belli fortuna.* Mox capta jam Roma alteram habet orationem Totilas, pertinentem eodem. Agathias vero libro II: ἀδικία γὰρ καὶ θεοῦ ἀθεραπευσία φευκτὰ μὲν ἀεὶ καὶ ἀσύμφορα, μάλιστα δὲ ἐν τῷ πολεμεῖν καὶ παρατάττεσθαι. *Injuſtitia & Dei neglectus vitanda ſemper & noxia, tum vero maxime ubi res belli in acie cernitur.* Probat id alibi Daril, Xerxis, & Athenienſium in Silicia illuſtribus exemplis. Vide ſi libet & Criſpini orationem ad Aquilejenſes apud Herodianum VIII. Apud Thucydidem libro VII, Lacedæmonii clades ad Pylum & alibi acceptas ſuæ culpæ acceptas ferunt, quod judicium provocati accipere recuſaſſent. Sed cum poſtea Athenienſes multis editis improbis facinoribus judicium defugiſſent, ſpes inde meliorum ſucceſſuum ad Lacedæmonios rediit.

Omnia arma interdicerent] Tertullianus de Reſurrectione carniſ: *Gladius bene de bello cruentus & melior homicida.*

Wilhelmo Matthæi] Adde his Johannem de Carthagena editum Romæ anno clↃ IↃ cix.

Rudibus pariter & doctis patent] Idem Euripides Andromacham Hermione dicenti:

Οὐ βαρβάρων νόμοισιν οἰκοῦμεν πόλιν.

Non barbarorum more in urbe hac vivitur.

reſpondentem facit:

Κἀκεῖ τάγ' αἰσχρὰ κἀνθάδ' αἰσχύνην ἔχει.

Quæ turpia illis, hic quoque haut culpa vacant.

Teſtimoniis Philoſophorum] Quid ni, cum Alexander Severus Ciceronis de Republica & Officiis libros perpetuo lectitarit?

Veritatem ſparſam per ſingulos] Verba ſunt Lactantii Inſtitutionum VI. cap. 9. Juſtinus Apologetico priore: οὐχ ὅτι ἀλλότριά ἐστι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι πάντῃ ὅμοια. ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων Στωικῶν τε καὶ ποιητικῶν καὶ συγγραφέων. ἕκαστος γάρ τις ἀπὸ μέρους τοῦ σπερματικοῦ λόγου τὸ συγγενὲς ὁρῶν καλῶς ἐφθέγξατο. *Non quod plane aliena ſint Platonis dogmata a Christi dogmatibus, ſed quod nec plane conveniant, ut nec aliorum dogmata, puta Stoicorum, poëtarum, & hiſtoriæ ſcriptorum. Eorum enim quiſque ab inſita ratione id quod ei conſentaneum eſt, ex parte videns eatenus recte dixit.* Tertulliano, Seneca ſæpe noſter. ſed, ut idem nos monet; nulli hominum univerſitas ſpiritualium documentorum competebat, niſi in Chriſtum. Auguſtinus epiſtola CCII: *Mores illi quos Cicero philoſophique alii commendant, in eccleſiis toto orbe creſcentibus docentur atque diſcuntur.* Vide ſi vacat hac ſuper re eundem Auguſtinum de Platonicis, quos paucis mutatis ait Chriſtianos eſſe epiſtola LVI. & de vera religione capite III, & confeſſionum libro VII, c. 9. & libro VIII, c. II.

Et Chriſtiani veteres] Late hoc perſequitur Lactantius libro VI. Inſtitutionum, capitibus XV, XVI, XVII. Caſſiodorus: *non affectibus moveri, ſed ſecundum eos moveri utile vel noxium.*

In quibuſdam modum ſequendum dictat, in quibuſdam ad ſumma incitat] Agathias libro V, in oratione Beliſarii, τῶν γὰρ τῆς ψυχῆς κινημάτων, τὰ μὲν ὅσα πεφύκασι καθαρὸν ἔχειν καὶ ἀκραιφνὲς τὸ αἱρετὸν καὶ καθῆκον, τούτων ἐντελῶς καὶ δὴ ἀνθεκτέον. οἷς δὲ μέτεστι καὶ τῆς πρὸς τἀναντία τροπῆς καὶ ἐκκλίσεως, τούτοις οὐ διὰ πάντων χρηστέον, ἀλλ' ἐς ὅσον ἔχουσι τὸ συμφέρον. τὸ μὲν γὰρ φρονεῖν ἀμιγὲς ἀγαθὸν καὶ ἀνόθευτον ἅπαντες εἶναι φήσαιτε ἄν. τῆς δὲ ὀργῆς τὸ μὲν δραστήριον εὐκλεές, τὸ δὲ ὑπέρμετρον φευκτὸν καὶ ἀσύμφορον. *Ex animi motibus illi omnino ſimpliciterque arripiendi in quibus id quod officio convenit eligique dignum eſt, purum reperitur atque ſincerum. At quibus accidit, ut & in malum vergant atque declinent, his non omnimode utendum, ſed quatenus conducunt. Prudentia, bonum eſt merum & incorruptum, quod nemo negaverit. In ira id quod actuoſum, laudabile; quod modum excedit, vitandum ac damnum afferens.*

Hebræi ſcriptores] Ita ſenſit Caſſianus Inſtitutione divinarum Scripturarum.

ANNO-

ANNOTATA AUTHORIS

In opus ſuum de

J U R E   B E L L I

E T

P A C I S.

NOn actio, ſed ſtatus] Philo II. de legibus ſpecialibus: ὥσπερ γὰρ οἰκεῖοι πολεμίους οὐ μόνον τοὺς ἤδη ναυμαχοῦντας ἢ πεζομαχοῦντας νομιστέον, ἀλλὰ καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερον παρεσκευασμένους καὶ τὰς ἑλεπόλεις ἐφιστάντας τοῖς λιμέσι ἢ τείχεσι κἂν μὴ συμπλέκωνται, κρίνομεν. *Hoſtes non ſoli exiſtimantur, qui jam navali aut terreſtri prælio certant, ſed pro talibus habendi & qui machinas admovent portubus aut mœnibus, etiamſi nondum pugnam incipiunt.* Servius ad illud primæ Æneidos:

Nec bello major & armis.

Bellum & conſilium habet. arma tantum in actu ipſo ſunt. Idem ad VIII: *Bellum eſt tempus omne, quo vel præparatur aliquid pugnæ neceſſarium, vel quo pugna geritur. Prælium autem dicitur, conflictus ipſe bellorum.*

Salva enim eſſe ſocietas niſi amore & cuſtodia partium non poteſt] Seneca idem epiſtola XLVIII: *Hæc ſocietas diligenter & ſancte colenda eſt, quæ nos omnes omnibus miſcet, & judicat aliquod eſſe commune jus generis humani.* Videri poteſt hac de re Chryſoſtomus I Cor. XI, I.

Alia eſt ſine inæqualitate] Ut in Grammaticis alia conſtructio convenientiæ, alia regiminis.

Deum & homines] De hac ſocietate vide Philonem in ἀνενήψε Νῶε. Habet & Plutarchus quædam in Numa.

Quæ libertas dicitur] Quam propterea facultatis nomine optime definiunt Romani Juriſconſulti.

Dominium] *Jus pro Dominio.* Scholiaſtes ad Horatium.

In res ſingulorum majus eſt dominium regis] Philo περὶ φυτουργίας. καὶ μὴν ἄργυρός τε καὶ χρυσὸς καὶ ὅσα ἄλλα κειμήλια παρὰ τοῖς ἀρχομένοις θησαυροφυλακεῖται τῶν ἡγεμόνων μᾶλλον ἢ τῶν ἐχόντων ἐστίν. *Certe argentum, aurum, & quæ pretioſa alia apud ſubditos cuſtodiuntur, eorum qui regnant magis ſunt quam poſſidentium.* Plinius Panegyrico: *cujus eſt quicquid eſt omnium, tantum ipſe quantum omnes habent.* Et mox: *Ecquid Cæſar non ſuum videat?* Adde Sariſberienſem in Policratico lib. V, c. I.

Ἀξίαν] Cicero de Officiis I: *Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes ſunt, patria, & parentes, quorum beneficiis maxime obligati ſumus; proximi liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibuſcum etiam communis plerumque fortuna eſt: quamobrem neceſſaria præſidia vitæ debentur iis maxime, quos ante dixi. vita autem victuſque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maxime.* vide quæ infra dicentur libro II, capite VII. §. IX. & X. Seneca de Beneficiis libro IV, c. II. ubi de teſtamentis agit: *Quærimus digniſſimos, quibus noſtra tradamus.* ipſum locum vide. Adde Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana lib. I, cap. XXVIII, & XXIX.

Nomen habet proportionis] Habitudinis comparationem vocat Caſſiodorus. Eſt hujus proportionis, qua Juſtitia attributrix uti ſolet, non incommoda apud Homerum deſcriptio:

Ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸν ἔδωκε, χέρεια δὲ χείρονι δίδωκεν.

Præſtanti dabat hic præſtantia, vilia vili.

Utra poſſeſſione juſtior] Vide eundem Xenophontem παιδείας ſecundo. Huc ſpectat lex per Moſem data: *non miſereberis in judicio pauperis.* Exodi XXIII, 3. Levit. XIX, 15. Oportet enim, ut Philo ait, τὰ πράγματα ἀφέλκειν τὴν τῶν δικαζομένων φαντασίας, *res abſtrahere a litigatorum reſpectu.*

Tertia juris ſignificatio quæ idem valet quod lex] Hoc ſenſu dixit Horatius:

Jura

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt.
Et alibi:
Jura neget ſibi nata.
Ubi Scholiaſtes: *legum ſit contemtor.*

Jus hac notione, non ad ſolius juſtitiæ, qualem expoſuimus, ſed & aliarum virtutum materiam pertinet] Exemplum ſit in Zaleuci lege, pœnam irrogante ei qui contra Medici præceptum vinum bibiſſet.

מצות] משפט. Sic Maimonides libro III, ductoris dubitantium cap. XXVI.

Jus naturale eſt dictatum rectæ rationis] Philo libro, omnem virum bonum eſſe liberum. Νόμος δὲ ἀψευδὴς ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος, ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς. *Lex mentiri neſcia eſt recta ratio, quæ lex, non ab hoc aut illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis exanimis exanima, ſed corrumpi neſcia, quippe ab immortali natura inſculpta in immortali intellectu.* Tertullianus de corona militis: *Quæres igitur Dei legem, habens communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis.* M. Antonius lib. II. τέλος λογικῶν ζώων, ἕπεσθαι τῷ τῆς πόλεως καὶ πολιτείας τῆς πρεσβυτάτης λόγῳ καὶ θεσμῷ. *Finis animantium ratione utentium, ſequi legem ac normam civitatis ac reipublicæ omnium antiquiſſimæ.* Adde Ciceronis locum de Republica III, quem adducit Lactantius VI, 8. Præclara ſunt quæ in hanc rem habet Chryſoſtomus XII, & XIII, de ſtatuis. Nec ſpernenda quæ Thomas Secunda Secundæ LVII, 2. & Scotus III, diſt. 37.

Furtum naturali jure prohibitum] Julianus, ὁ δεύτερος νόμος (poſt illum de Deo agnoſcendo & colendo) ἱερὸς φύσει καὶ θεῖος, ὁ τῶν ἀλλοτρίων πάντη καὶ πάντως ἀπέχεσθαι κελεύων· καὶ μήτε ἐν λόγῳ, μήτε ἐν ἔργῳ, μήτε ἐν αὐταῖς ταῖς λανθανούσαις τῆς ψυχῆς ἐνεργείαις ταῦτα ἐπιτρέπων συγχεῖν. *Lex altera & ipſa ſuapte natura ſancta atque divina ea eſt, quæ ſemper & ubique alienis abſtineri jubet, neque vero aut verbo, aut facto, aut arcanis animi cogitationibus contra iri ſinit.* Cicero de Officiis III. ex Chryſippo: *In vita ſibi quemque petere quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri ſurripere, jus non eſt.*

Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην] Juvenalis Satyra XV:

— *venerabile ſoli*
Sortiti ingenium divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti,
Senſum e cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communes Conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, &c.

Chryſoſtomus ad VII. Rom. τὸ τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου λόγον οὐδὲ κινεῖν δεῖ ἐπὶ τῶν ἀψύχων καὶ ἀναισθήτων.

Si quis in parentes injurius fuiſſet] Exemplum vide in Chamo, Gen. X, 22. ubi pœna ſequitur.

Καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς πταίουσι] Chryſoſtomus XIII. de ſtatuis, καὶ γὰρ τὸ συναγανακτεῖν τοῖς ὑβριζομένοις φυσικὸν ἅπαντες ἔχομεν. εὐθέως οὖν τοῖς ἐπηρεάζουσιν ἐχθροὶ γινόμεθα κἂν μηδὲν ὦμεν αὐτοὶ πεπονθότες. *Natura id habemus, ut indignationem noſtram conjungamus cum iis qui male tractati ſunt. illico enim injurioſis hominibus infenſi ſumus, etiamſi ad nos nulla pars injuriæ pervenit.* Scholiaſtes ad Horatium Satyra III, lib. I. *Senſus aliter indignatur & animus cum audierit homicidium factum, aliter cum furtum.*

Si quando brutis animantibus juſtitia tribuitur] Divinationem quandam juſtitiæ in elephantis notat Plinius lib. VIII, cap. V. Idem libro X. narrat, aſpidem fuiſſe quæ ſuum ipſa catulum necaret, quod is catulus hoſpitis filium interemiſſet.

Ex quadam in ipſis umbra rationis atque veſtigio] Seneca de ira libro V. cap. III. feras ira carere dixit, ſed pro ira habere impetum. *Muta animalia*, ait, *humanis affectibus carent: habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus.* Sic in beſtiis non eſſe κακίαν ſed οἱονεὶ κακίαν, non vitia ſed vitiorum ſimulacra dixit Origenes contra Celſum. ὡς ἂν θυμοῦσθαι τὸν λέοντα, *velut iraſci leonem:* Peripatetici apud Porphyrium de non eſu animantium tertio.

Τὰ κοινῇ φαινόμενα πᾶσι] Ariſtoteles Nicom. X, II. ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ τοῦτο εἶναι φαμέν, ὁ δ' ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. *Quod omnibus ita videtur, id ita eſſe dicimus, qui vero hanc fidem velit tollere, nihilo ipſe credibiliora dicet.* Seneca: *In tanta judiciorum diverſitate referendam bene merentibus gratiam omnes uno tibi, quod ajunt, ore affirmabunt.* Quintilianus: *Conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum, ſicut vivendi, conſenſum bonorum.* Joſephus antiquæ hiſtoriæ XVI: ἔθεσι μὲν γὰρ οὐδέν ἐστι γένος ὃ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ χρῆται. κατὰ πόλεις ἐσθ' ὅτε πολλῆς γινομένης τῆς διαφορᾶς τὸ δίκαιον δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως ἐπιτήδειόν, λυσιτελέστατον ἐν Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, οὗ πλεῖστον οἱ παρ' ἡμῖν νόμοι λόγον ἔχοντες, ἅπασιν ἡμᾶς, εἰ καθαρῶς ἐμμένοιμεν αὐτοῖς, εὔνους καὶ φίλους ἀπεργάζονται. διὸ καὶ ταῦτα παρ' ἐκείνων ἡμῖν ἀπαιτητέον καὶ δέον οὐκ ἐν διαφορᾷ τῶν ἐπιτηδευμάτων εἶναι τὸ ἀλλότριον, ἀλλ' ἐν τῷ πρὸς καλοκἀγαθίαν ἐπιτηδείως ἔχειν. τοῦτο γὰρ κοινὸν ἅπασι καὶ μόνον ἱκανὸν διασώζειν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον. *Moribus gens nulla eſt quæ iiſdem tota utatur, ſæpe oppidatim diſcrepatur plurimum. At jus ipſum omnibus æqualiter hominibus expedit, tam barbaris utile quam Græcis, cujus quidem rationem habentes maximam, quæ apud nos ſunt leges, faciunt nos, eas pure modo obſervemus, cunctis hominibus benevolos & amicos. Talia ſunt quæ exigi a legibus par eſt. Neque illas averſari a ſe alienas arbitrari debent alii, in eo quod inſtitutis differunt, ſed id potius ſpectandum an ad virtutem ac probitatem ſint accommodata. Hoc hoc enim ad omnes communiter pertinet, ſolumque per ſe ſufficit ad tutandam hominum vitam.* Tertullianus præſcriptione adverſus hæreticos: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum.*

Τινὰ

Τινὰ τῶν ἐθνῶν ἐξηγγέλονται] Juſtinus colloquio cum Tryphone: πλὴν ὅσοι ὑπὸ ἀκαθάρτου πνεύματος ἐμπεφορημένοι, καὶ ὑπὸ φαύλης ἀνατροφῆς, καὶ ἐθῶν φαύλων, καὶ νόμων πονηρῶν διαφθαρέντες τὰς φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλεσαν. *Exceptis illis qui ab impuris ſpiritibus abrepti, & per malam educationem, inſtituta prava & leges iniquas corrupti, naturales notiones perdiderunt.* Philo libro Omnem bonum eſſe liberum: διὸ καὶ θαυμάσαι ἄν τις τῆς ἀμβλυωπίας τοὺς τρανὰς οὕτω πραγμάτων ἰδιότητας μὴ συνορῶντας: *merito igitur miretur quis, tantam illis offuſam caliginem, ut tam claras rerum proprietates non videant.* Chryſoſtomus oratione, Chriſtum Deum eſſe, μὴ τοίνυν ἀπὸ τῶν διεφθαρμένων τὰς γνώμας, τὰς κρίσεις ποιοῦ τῶν πραγμάτων. *Ne ergo rerum dijudicationem ab illis mutuare quibus corruptus eſt animus.*

Ζῶον ἥμερον φύσει] Idem dicit Chryſoſtomus XI. de Statuis. Latius id explicat Philo decalogo: ἀγελαστικὸν γὰρ καὶ σύννομον ζῶον τὸ ἡμερώτατον ἡ φύσις γεννήσασα πρὸς ὁμόνοιαν καὶ κοινωνίαν ἐκάλεσε, λόγον δοῦσα συναγωγὸν εἰς ἁρμονίαν καὶ κρᾶσιν ἠθῶν. *Quod animantium eſſe debebat manſuetiſſimum, idem natura fecit gregale & cœtus appetens, & ad concordiam ſocietatemque vocavit, ſermonem etiam præbens qui ingenia attemperando & ad concentum perducendo conciliaret.* Idem de Mundi immortalitate: ἡμερώτατον γὰρ ζῶον ὁ ἄνθρωπος, λόγον δωρησαμένης φύσεως αὐτῷ γέρας, ᾧ καὶ τὰ ἐξηγριωμένα πάθη κατεπᾴδεται καὶ τιθασεύεται. *Manſuetiſſimum animantium homo eſt, ut cui natura pro munere ſermonem dederit, quo affectus quantumvis efferati velut incantando cicurantur.*

Aut multarum] Vaſquius II. Controverſ. LIV, 4.

Dicebat Anaxarchus] Eſt apud Plutarchum in Alexandro.

Quibus data ſit lex, ipſa loquitur: Audi Iſrael] Ita ſentit & Moyſes Maimonides, & probat ſententiam ſuam ex Deut. XXXIII, 4.

Titulo Thalmudico de rege] Et titulo de Synedrio cap. XI.

Incolam incircumciſum] De tali agitur & Exodi XII, 45. A quo diſtinguitur proſelytus, id eſt circumciſus advena, ut oſtendit collatio loci Num. IX, 14. De piis illis incircumciſis multa habet Maimonides libro de Idololatria c. X, §. 6. Idem in commentario ad Miſnajoth, & alibi ſæpe, pios illos ex gentibus participes ait futuros bonorum futuri ſæculi. Chryſoſtomus ad Romanos cap. II. ποῖον Ἰουδαῖον ἐνταῦθά φησιν, ἢ περὶ ποίων Ἑλλήνων διαλέγεται; τῶν πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας. οὔπω γὰρ εἰς τοὺς τῆς χάριτος ἔφθασε χρόνους ὁ λόγος: *quem Judæum hic indicat, & de quibus Græcis diſſerit? de iis qui ante Chriſti adventum fuere: nondum enim ad Gratiæ tempora perducta eſt oratio.* Deinde: Ἕλληνας δὲ ἐνταῦθά φησιν, οὐ τοὺς εἰδωλολατροῦντας, ἀλλὰ τοὺς θεοσεβοῦντας, τοὺς τῷ φυσικῷ πειθομένους λόγῳ, τοὺς πλὴν τῶν Ἰουδαϊκῶν παρατηρήσεων πάντα τὰ πρὸς εὐσέβειαν συντελοῦντα διατηροῦντας. Exemplaque dat in Melchiſedeco, Jobo, Ninivitis, Cornelio. mox: Ἕλληνα δὲ πάλιν οὐ τὸν εἰδωλολάτρην, ἀλλὰ τὸν θεοσεβῆ καὶ ἐνάρετον καὶ τῶν νομικῶν παρατηρήσεων ἀπηλλαγμένον φησί. *Græcos hic dicit, non idolorum cultores, ſed in Deum pios, naturali rationi obſequentes, qui, præter Judaica inſtituta, cuncta quæ ad pietatem facerent ſervabant. Et Græcum rurſum vocat, non cultorem idolorum, ſed pium, virtute præditum, a legis veroritibus liberum.* Eundem in ſenſum trahit illud, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, *lege ſolutis ut lege ſolutus.* & oratione XII. de Statuis: Ἕλληνα ἐνταῦθα καλεῖ οὐ τὸν εἰδωλολάτρην, ἀλλὰ τὸν προσκυνοῦντα μὲν τὸν θεὸν μόνον, οὐκ ἐνδεδεμένον δὲ τῇ τῶν Ἰουδαϊκῶν παρατηρήσεων ἀνάγκῃ, σαββατισμοῖς λέγω καὶ περιτομῇ καὶ καθαρισμοῖς διαφόροις, ἀλλὰ φιλοσοφίαν ἅπασαν καὶ εὐσέβειαν ἐνδεικνύμενον. *Græcum hic appellat, non idolis deditum, ſed unius Dei invocatorem, talem tamen qui Judaicorum rituum neceſſitati alligatus non ſit, ſabbatorum puta obſervationibus, circumciſioni, variis ablutionibus, interim qui in omnibus ſapientiæ ſtudium pietatemque oſtendat.*

Stantibus in loco peculiari] Vide Joſephum ubi Templi Salomonis hiſtoria tractatur.

Neque Eliſæus Naamani Syro] Idem ſentit Hilarius ad Matth. XII.

Hieronymus] Addi poteſt Theodoretus.

Ex Cethura poſteris] Ex his orti videntur Æthiopum illi, quos circumciſis annumerat Herodotus: Homeritas illos vocat Epiphanius.

Natura ſuapte] Τοῖς τῆς φύσεως λογισμοῖς, *collectionibus naturalibus* ait Chryſoſtomus. Idem mox: Διὰ τοῦτο γάρ, φησιν, εἰσὶ θαυμαστοὶ ὅτι νόμου οὐκ ἐδεήθησαν. *Ob hoc, inquit, admirandi ſunt quod lege opus non habuerint.* Item: ἀρκεῖ ἀντὶ τοῦ νόμου τὸ συνειδὸς καὶ λογισμός: *Sufficit pro lege conſcientia & rationis uſus.* Tertullianus adverſus Judæos: *Ante legem Moyſis ſcriptam in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & a patribus cuſtodiebatur.* Non longe hinc abit Iſocrateum illud: δεῖ τοὺς εὖ πολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον; *Qui bona republica frui velint, ii debent non literis implere porticus, ſed in animis quod juſtum eſt ferre.*

Etiam citra circumciſionem Deum recte coli & propitium haberi poſſe] Ipſe Tryphon, de rigore remittens, Juſtino ſic ait: μένοντί σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ φιλοσοφίας τρόπῳ ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας: *ſi in illa philoſophandi ratione manſiſſes, erat tibi reliqua ſpes aliqua ſtatus melioris.*

Pari jure erant cum Iſraelitis] Juſtinus colloquio cum Thryphone: προσήλυτος περιτεμνόμενος, εἰ τῷ λαῷ προσκεχώρηκεν, ἐστὶν ὡς αὐτόχθων. *Proſelytus qui circumciſus populo ſe aggregavit, par eſt indigena.*

Partim ut earum promiſſionum eſſent participes] Et ob id ad Paſchalis ritus communionem admittebantur.

De poſteriori genere aliter ſe res habet] Vide Chryſoſtomum ad fiocm VII. ad Romanos.

Id nunc etiam, ſi non & amplius a Chriſtianis præſtandum] Tertullianus de Pudicitia: *Libertas in Chriſto non fecit innocentiæ injuriam,*

manet lex tota pietatis, veritatis, conſtantiæ, caſtitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, benevolentiæ, pudicitiæ.

In majore gradu] Chryſoſtomus de Virginitate XCIV, μείζονα ἐπιδείκνυσθαι δεῖ τὴν ἀρετὴν, ὅτι πολλὰ ἡ τοῦ πνεύματος χάρις ἐκκέχυται νῦν καὶ μεγάλη τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας ἡ δωρεά. *Major nunc virtus oſtendenda eſt, quia multa nunc ſpiritus effuſa eſt gratia, & ingens donum eſt Chriſti adventus.* Similia habet idem oratione, Eſſe ex neglectu vitia; & de jejuniis tertio; & ad Romanos VI, 14, & VII, 5. Adde Irenæum lib. IV, cap. XXVI. Scriptor Synopſeos Sacræ Scripturæ, quæ inter opera eſt Athanaſii, de capite quinto Matthæi agens, ἐπιτείνει τὰς ἐν τῷ νόμῳ ἐντολάς, *intenſiora facit hic Chriſtus legis præcepta.*

Et altera de decimis] Sic lege hac apud Chriſtianos utitur Irenæus lib. IV, cap. XXXIV, & Chryſoſtomus ſub finem capitis ultimi prioris ad Corinthios, & ad Epheſios II, 10.

ANNOTATA AUTHORIS

IN LIB. I. CAP. II.

POſt hæc cognita ſequi notionem convenientiæ rerum cum ipſa ratione] Seneca epiſtola CXXIV, *quemadmodum omnis natura bonum ſuum niſi conſummata non profert, ita hominis bonum non eſt in homine, niſi cum in illo ratio perfecta eſt.*

Sed ipſa recta ratio carior nobis eſſe debeat, quam illa ſint a quibus ad hanc venerimus] Seneca epiſtola LXXVI: *Id in quoque optimum eſt cui naſcitur, quo cenſetur; in homine optimum quid eſt? Ratio.* vide & epiſtolam CXXI. & CXXVIII. Juvenalis Satyra XV:

--— melius nos
Zenonis præcepta movent: neque enim omnia, quædam
Pro vita facienda monent.

Illis iratus petit atque infenſus inurget] Martialis:

Vituluſque inani fronte prurit ad pugnam.

Porphyrius tertio de non eſu animalium: πρῶτον μὲν ἕκαστον οἶδεν εἴτε ἀσθενές ἐστιν εἴτε ἰσχυρόν. καὶ τοῖς μὲν φυλάττεται, τοῖς δὲ χρῆται. ὡς πάρδαλις μὲν ὀδοῦσιν. ὄνυξι δὲ λέων καὶ ὀδοῦσιν, ἵππος δὲ ὁπλῇ καὶ βοῦς κέρασι. *novit quodque animantium quæ pars ſui infirma ſit, quæ valida. illis cavet: hac utitur. ut dentibus pardalis, leo & unguibus & dentibus; equus ungula, bos cornibus.* Chryſoſtomus de Statuis undecimo: τὰ ἄλογα πάλιν ἐν τῷ σώματι τὰ ὅπλα ἔχει, οἷον ὁ βοῦς τὰ κέρατα, τοὺς ὀδόντας ὁ σῦς ὁ ἄγριος, τοὺς ὄνυχας ὁ λέων. ἐμοὶ δὲ οὐκ ἐν τῇ φύσει τοῦ σώματος τὰ ὅπλα κατέθετο ὁ Θεὸς, ἀλλ᾽ ἔξω τοῦ σώματος, δεικνὺς ὅτι ἥμερον ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὅτι οὐκ ἀεί μοι τῶν ὅπλων τούτων καιρός. καὶ γὰρ πολλάκις μὲν αὐτὰ ἀποτίθημι, πολλάκις δὲ μεταχειρίζομαι. ἵν᾽ οὖν ἐλεύθερος ὦ καὶ ἀπολελυμένος καὶ μὴ διηνεκῶς ἀναγκάζωμαι βαστάζειν τὰ ὅπλα, ἐποίησεν αὐτὰ κεχωρισμένα τῆς φύσεως εἶναι τῆς ἐμῆς. quæ poſtrema optime conveniunt cum iis quæ ex Galeno in contextu ſequuntur. Hoc enim dicit: *Ratione quæ carent, arma in ipſo habent corpore, ut bos cornua, dentes aper, ungues leo. At mihi non in corporis natura Deus arma poſuit, ſed extra corpus; hoc ipſo oſtendens manſuetum animal eſſe hominem, neque ſemper talium armorum mihi eſſe tempus. Nam telum ſæpe depono, reſumo interdum. Ut igitur liberior ſolutiorque ſim, neque ſemper cogar portare arma, fecit ea ſejuncta eſſe à mea natura.*

Sed apta armis parandis ac tractandis manus, quæ etiam pro armis uti ſponte ſua nec aliunde id edoctos infantes videmus] Caſſiodorus de anima: *Et quoniam neque cornu, neque dento, neque fuga* (ſicut alia animalia) *corporis humani forma ſe prævalet vindicare, robuſtus illi thorax, brachiaque conceſſa ſunt: ut illatam injuriam manu defenderet, & objectu corporis quaſi quodam clypeo vindicaret.*

Omnis honeſta ratio eſſet expedienda ſalutis] Seneca: *Tutela certiſſima ex proximo eſt, ſibi quiſque permiſſus eſt.* Quintilianus VII, cap. II: *Primum in omni genere debet eſſe defenſio, quia natura potior eſt ſalus noſtra, quam adverſarii pernicies.* Bene ergo in Trachiniis Sophocles:

---- εἰ γὰρ ἐμφανῶς ἠμύνατο,
Ζεύς τ᾽ ἂν συνέγνω σὺν δίκῃ χειρουμένῳ.
—— nam ſi ipſe ultus eſſet palam,
Veniam dediſſet jure pugnanti Deus.

vide & Wiſigotthorum legum lib. VI, tit. I. c. 6.

Quod ſenſu, id eſt, rationis uſu, caret] Similem in modum Seneca de feris loquitur: *Adeo etiam quæ extra intellectum atque æſtimationem beneficii ſunt poſita, aſſiduitas tamen meriti pertinacis evincit.* vide totum locum de beneficiis libro I, cap. III, & compara quæ ad Præfationem ex Philone poſuimus.

Jure gentium introducta eſſe bella] Scriptor vitarum illuſtrium in Themiſtocle: *Profeſſus eſt Athenienſes ſuo conſilio, quod communi jure gentium facere poſſent, Deos publicos ſuoſque patrios ac penates, quo facilius ab hoſte poſſent defendere, muris ſepſiſſe.*

Rhadamanthi jus] Apud Apollodorum lib. II: Νόμος Ῥαδαμάνθυος, ὅς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα ἀθῷον εἶναι. *Lex Rhadamanthi, ſi quis ſe ultus ſit de eo, qui prior vim intulerit, impune id ferat.*

Leves fuiſſe pœnas. Servius ad primum librum Æneidos: *Luetis, perſolvetis. Et hic ſermo à pecunia deſcendit: antiquorum enim pœna omnis*

omnes pecuniariæ fuerunt. Et ad librum ſecundum: *Expendere, tractum eſt a pecunia: nam apud majores pecuniarias pœnas conſtat fuiſſe, cum adhuc rudi ætate pecunia ponderaretur, quod ad capitis pœnam deinde uſurpatum eſt.* Ad textum: *Pendere, tractum eſt a pecuniaria damnatione.* Memorat Plinius hiſtoriæ naturalis lib. VII, cap. LVI: primum capitis judicium in Areopago eſſe actum.

Simili facinore perpetrato] aut potius, ſi quid ſimile perpetraſſet: nam hunc ſenſum ferunt verba quæ apud Moſem.

Ut inſons eſſet qui homicidam occidiſſet] Joſephus: προαγορεύω μὲν τοι σφαγῆς ἀνθρωπίνης ἀπέχεσθαι καὶ καθαρεύειν φόνου καὶ δράσαντάς τι τοιοῦτο κολάζεσθαι. *Edico ut a cæde humana puræ habeantur manus: quod ſi quis cædem commiſerit, pœnam ferat.*

Ut concubinatum, divortium,] Spectat huc illud Hieronymi: *Aliæ ſunt leges Cæſaris, aliæ Chriſti. aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.*

Secundum naturam vivere ejus eſt qui nondum credidit] Locus Juſtini eſt ad Zenam: idemque ſenſus apud Origenem in excerptis illis, quæ Philocalia dicuntur.

Puta ſeptem populos] In hos odium lege permitti, ait illuſtriſſimus Abarbanel ad Deut. XXIII, 21.

Non præcipi in eo gradu ac latitudine] Quædam huc pertinentia vide in notatis ſupra ad finem capitis primi. Egregius imprimis Chryſoſtomi locus, de Virginitate cap. XLIV: τὸ μὲν γὰρ παλαιὸν οὐ τοσοῦτον ὑμῖν ἀρετῆς ἐπέκειτο μέτρον, ἀλλὰ καὶ ἀμύνασθαι τὸν ἀδικοῦντα, καὶ ἀντιλοιδορεῖσθαι τῷ λοιδορημένῳ, καὶ χρημάτων ἐπιμελήσασθαι ἐξῆν, καὶ διορκοῦντα ὀμνύναι, καὶ ὀφθαλμὸν ἐξορύξαι ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ μισῆσαι τὸν ἐχθρὸν, καὶ οὔτε τρυφᾶν, οὔτε ὀργίζεσθαι, οὔτε γυναῖκα τὴν μὲν ἐκβαλεῖν, τὴν δὲ ἀντεισάγειν ἐκώλυτο, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ δύο κατὰ ταυτὸν ὁμοῦ γυναῖκας ἔχειν ὁ νόμος ἐπέτρεπε, καὶ πολλὴ καὶ ἐν τούτοις καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἡ συγκατάβασις ἦν. μετὰ δὲ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν πολὺ στενοτέρα γέγονεν ἡ ὁδός. *Olim tanta nobis injuncta non erat virtutis menſura, ſed & vindictam ſumere de injuriam inferente, & convitianti reddere convitium, & pecuniis ſtudere licebat, ſed & citra falſimoniam jurare, & pro oculo excutere oculum, & odio habere inimicum. quin nec deliciis frui, nec iraſci, nec uxorem aliam ejicere, recipere aliam, vetitum erat. Parum dixi, etiam duas eodem tempore uxores habere lex ſinebat, multaque & in his & in aliis rebus erat temporum illorum indulgentia. At poſt Chriſti adventum multo arctior facta eſt via.* Eodem libro cap. LXXXIII. οὐ τὸ αὐτὸ τῆς ἀρετῆς ἀπαιτούμεθα μέτρον ἡμεῖς τε κἀκεῖνοι. *non eadem virtutis menſura a nobis & ab illis exigitur.* Idem in oratione Filium Patri æqualem, quæ eſt Tomo VI, ait. in Euangelio eſſe ἐπίτασιν καὶ προσθήκην, *præceptorum & intenſionem & adjectionem.*

Ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac ſanctitate] Seneca Epiſtola LXXIII, philoſophiæ fideliter deditos falſo ait contemtores magiſtratuum ac regum exiſtimari. *E contrario*, ait, *nulli adverſus illos gratiores ſunt: nec immerito. nullis enim plus præſtant, quam quibus frui tranquillo otio licet.* Digna eſt quæ legatur epiſtola, ubi & hoc: *Hujus pacis beneficium, ad omnes pertinentis, altius ad eos pervenit qui illa bene utuntur.*

Χριστιανὰ τὰ τέλη, *id eſt magiſtratus Chriſtianos*] Niſi hic interpretati malis, Chriſtianum vitæ exitum.

Edeſſenorum] Eſt edeſſa in Oſroene. Nomen Abgari frequens illis locis. Apparet ex nummis, Tacito, Appiano, Dione tum in pridem editis, tum in novis excerptis, Capitolino.

Pia res eſt imperium quamvis ab impiis teneatur] Bene hoc exſequitur ad hunc locum epiſtolæ ad Romanos Chryſoſtomus.

Cum nunc quoque conſtitutis judiciis ægre reprimatur improbitas] Διὰ τούτους δικαστήρια καὶ νόμοι καὶ τιμωρίαι καὶ διάφοροι κολάσεων τρόποι. *Propter hos ſunt judicia & leges & ſupplicia totque pœnarum modi.* Chryſoſtomus in ſermone ad Patrem fidelem.

Paulus Apoſtolus intellectis Judæorum in ſe inſidiis] Utitur hujus loci auctoritate Concilium Africanum: *Quorum contra furorem poſſumus non inſolita nec a Scripturis aliena impetrare præſidia, quando Apoſtolus Paulus, ſicut in Apoſtolorum actibus fidelibus notum eſt, factioſorum conſpirationem militari etiam ſubmovit auxilio.* Utitur & ſæpe Auguſtinus, ut Epiſt. L. quæ eſt ad Bonifacium: epiſtola CLIV. ad Publicolam, ubi hæc: *Neque ſi in illa arma ſcelerati homines incidiſſent, Paulus in effuſione ſanguinis eorum ſuum crimen agnoſceret.* Idem epiſtola CLXIV. *Paulus egit, ut ſibi tuitio etiam armatorum daretur.*

Non recuſo mori] Sic & Act. XXVIII. 18: *quia nulla in me erat mortis cauſa.* Juſtinus Apologetico II, κολάζεσθαι δὲ τοὺς οὐκ ἀκολούθως τοῖς διδάγμασιν αὐτοῦ βιοῦντας, λεγομένους δὲ μόνον Χριστιανοὺς, καὶ ὑφ' ὑμῶν, ἀξιοῦμεν. *Ut autem puniantur qui non convenienter præceptis illis vivunt, & nomine ſolo ſunt Chriſtiani, & quidem a vobis, & nos optamus.*

Vaticinium Eſaiæ] Id de pace quæ orbi contigit beneficio Romani imperii interpretatur Chryſoſtomus, oratione Chriſtum eſſe Deum: καὶ ὅτι ἡ πατρία ἐστὶ μόνον καὶ ἀκίνητος καὶ ἀρραγής, ἀλλὰ καὶ πολλὴν πεποίηκε τῇ οἰκουμένῃ εἰρήνην, καὶ αἱ μὲν κατὰ πόλεις πολυαρχίαι καταλυθήσονται, καὶ αἱ μοναρχίαι, μία δὲ πεῖσται βασιλεία εἰς πάντας ἀποθεῖσα, καὶ τὸ πλέον αὐτῆς ἐν εἰρήνῃ ἐστι, οὐ καθάπερ ἔμπροσθεν. τὸ μὲν παλαιὸν χειροτέχναι πάντες καὶ ῥήτορες ὅπλα ὑπέθεντο καὶ ὑπὸ παρατάξεις ἐσήκασιν. τοῦ Χριστοῦ δὲ παραγενομένου πάντα ἐκεῖνα διελύθη καὶ εἰς μέρος διῃρημένον τὰ τῶν πολέμων περιέστη. *Neque vero prædictum tantum eſt, ſtabilem fore, immotam, atque inconcuſſam hanc religionem, ſed cum ea adventuram orbi pacem, deſituras illas in ſingulis civitatibus plurium potentias, regnaque ipſa, & unum fore ſuper omnes imperium, ac*

ejus

ejus pleraque pacem habitura, contra quam ante fiebat. olim enim & opifices & oratores induebant arma, conſiſtebant in acie. Poſt Chriſti vero adventum ceſſavit mos iſte, & ad definitum hominum ordinem redacti ſunt actus bellici. Habes ſenſum plane eundem apud Euſebium de præparatione l. I, c. 10.

Si omnes populi Chriſti legem ſuſcipiant atque impleant] Nam de Chriſtianis Juſtinus: οὐ πολεμοῦμεν τοῖς ἐχθροῖς, *non pugnamus in hoſtes.* Plane ut de Eſſenis Philo, in oratione Omnem bonum eſſe liberum: βελῶν ἢ ἀκόντων ἢ ξιφιδίων ἢ κράνους ἢ θώρακος ἢ ἀσπίδος οὐδένα παρ' αὐτοῖς ἂν εὕροις δημιουργὸν ἢ ὁπλοποιὸν, ἢ μηχανοποιόν. *Nullum inter eos reperias qui aut jacula aut ſagittas aut gladium aut galeam aut loricam aut ſcutum fabricet, nullum qui aut arma conficiat, aut machinas.* Simile eſt quod Chryſoſtomus ait I ad Corinth. XIII, 3. *Si eſſet inter homines qualis oportet dilectio, nullas fore pœnas capitales.*

Quod Græci vertunt τῷ ἀδικοῦντι] Ut & Lucas in Stephani oratione: ὁ ἀδικῶν τὸν πλησίον.

Dimittit illi etiam pallium] Id ita exponit Cyprianus de Patientia: *Ut tua ablata non repetas.* Irenæus lib. IV, cap. XXVII. *Tollenti tibi tunicam, remitte ei & pallium: ſed non quaſi nolentes fraudari contriſtemur, ſed quaſi volentes donaverimus, gaudeamus. Et ſi quis te, inquit, angariaverit mille paſſus, vade cum eo alia duo, ut non quaſi ſervus ſequaris: ſed quaſi liber præcedas.* Etiam Libanius, qui Euangelica legerat, laudat non litigantes de chlamyde & tunica, in oratione de cuſtodia reorum. Hieronymus dialogo I adverſus Pelagium: *Docet Euangelium ei qui nobiſcum velit judicio contendere, & per lites & jurgia auferre tunicam, etiam pallium eſſe concedendum.*

Ut & patientia & benignitas omnibus innoteſcat] Juſtinus Apologetico II: περὶ δὲ τοῦ ἀνεξικάκους εἶναι καὶ ὑπηρετικοὺς πᾶσι καὶ ἀοργήτους ἃ ἔφη ταῦτά ἐστι. *Quæ dixit, huc pertinent, ut adverſus omnes ſimus patientes, officioſi, minime iracundi.*

Petenti abs te dato] Juſtinus Apologetico eodem: εἰς δὲ τὸ κοινωνεῖν τοῖς δεομένοις καὶ μηδὲν πρὸς δόξαν ποιεῖν, ταῦτα ἔφη· παντὶ τῷ αἰτοῦντι δίδοτε, &c. *De communicandis vero facultatibus noſtris cum egentibus, & ne quid ad gloriam aucupandam faciamus hæc dixit: omni petenti date,* &c. Alibi: παντὶ δεομένῳ κοινωνοῦντες. *communicantes noſtra omni egenti.* Cyprianus Teſtimoniorum lib. III, I. *Nemini negandam eleëmoſynam.* item illic: *omni poſcenti te dato, & ab eo qui voluerit mutuari, ne averſatus fueris.*

Veſtra copia ſuccurrat illorum inopiæ] Seneca de beneficiis ſecundo: *Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam.* Chryſoſtomus in locum ad Corinthios hic productum: ὁ Θεὸς τὴν κατὰ δύναμιν ἀπαιτεῖ, καὶ καθ' ὃ ἔχει τις, οὐ καθ' ὃ οὐκ ἔχει. *Deus pro facultate poſcit, quatenus habet quis, non quatenus non habet.* Quod ut recte intelligatur, accedant ſequentia, ἐπαινεῖ μὲν τὸ ὑπὲρ δύναμιν, οὐκ ἀναγκάζει δὲ τούτους ποιῆσαι τοῦτο. *Laudat quidem quod facultates exſuperat,* (nempe in Theſſalonicenſibus,) *ſed hos* (Achæos ſcilicet) *non cogit idem facere.*

Non quod non in atrocioribus quoque laudabile hoc ſit] Vide Chryſoſtomum dicto jam loco.

Potius ferendam eſſe alteram injuriam] Chryſoſtomus VII. ad Romanos: τοῦτο γὰρ ἡ λαμπρὰ νίκη. τὸ πλεῖον αὐτῷ παρασχεῖν ὧν βούλεται καὶ τοὺς ὅρους τῆς πονηρᾶς ἐπιθυμίας αὐτοῦ τῇ δαψιλείᾳ τῆς οἰκείας ὑπερβῆναι μακροθυμίας. *Hæc egregia victoria, plus illi largiri quam velit, & fines improba in illo lubidinis liberalitate propria patientia tranſcendere.*

Nihil inde ad nos mali pervenit, niſi quod in ſtulta perſuaſione poſitum eſt] Chryſoſtomus de Statuis prima: ὕβρις οὐκ ἀπὸ γνώμης τῶν ὑβριζόντων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς διαθέσεως τῶν πασχόντων ἢ συνίσταται ἢ ἀπόλλυται. *Contumelia non ab inferentis animo ſed ex judicio eorum qui patiuntur aut fit aut perit.*

Præbere os contumeliis] Præbere os, eo ſenſu & apud Terentium eſt in Adelphis.

Hebræum ſcilicet] Cui par proſelytus, leges autem de non nocendo etiam ad incolas illos incircumciſos de quibus actum cap. I, §. XVI porrigebantur. ita Thalmudici.

Non omnes æqualiter diligendos] Tertullianus adverſus Marcionem IV: *Secundus gradus bonitatis eſt in extraneos: in proximos primus.* Hieronymus adverſus Pelagium dialogo I: *Præceptum eſt mihi ut diligam inimicos, & conſanguineos; ut inter æmulum & neceſſarium nulla diſtinctio ſit?*

Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli] Verba ſunt Senecæ I de Clementia, cap. II. Chryſoſtomus I ad Cor. III. 12. & ſequentibus, de pœnis humanis agens: οὐδὲ ἄνθρωποι ὠμότητι ταῦτα περιέθεσαν, ἀλλὰ φιλανθρωπίᾳ: *non ex ſævitia ſed ex bonitate talia faciunt homines.* Auguſtinus: *Sicut eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens:* Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, in lege tertia: Codice Theodoſiano, de defenſoribus civitatum: *Removeantur patrocinia quæ favorem reis & auxilium facinoroſis impertiendo maturari ſcelera fecerunt.* Totilas apud Procopium Gotthicorum II: τό τε ἐξαμαρτάνειν καὶ τὸ διακωλύειν τὴν εἰς τοὺς ἡμαρτηκότας τιμωρίαν, οἶμαι, ἐν ἴσῳ ἐστί. *Peccare & prohibere pœnas peccantium in pari pono.* vide quæ dicuntur lib. II, cap. XXI, §. II.

Ejuſdem in contumaces iram] Vide hac de re Cyrillum libro V. contra Julianum.

Chriſtus eſt qui Judæos inobedientes ſuppliciis affecit graviſſimis] Adde loca Matth. XXI, 44. Lucæ XIX, 12. 14. 27. Chryſoſtomus ad Rom. XIV. narratis malis Hieroſolymorum: ὅτι δὲ ὁ Χριστὸς αὐτοὺς ταῦτα εἰργάσατο, ἄκουσον αὐτοῦ τοῦτο προλέγοντος, καὶ διὰ παραβολῶν, καὶ σαφῶς, καὶ διαῤῥήδην. *Chriſtum eſſe qui hæc fecerit, audi ipſum prædicentem, tum per parabolas, tum aperte, & exerte.* Similia habet oratione ſecunda adverſus Judæos.

Poteſtate ſibi divinitus data uſi ſunt] Chryſoſtomus

ſtomus 1 Cor. iv, 21. ἀνελῶ, πηρώσω, ἔστι γὰρ πνεῦμα πρᾳότητος καὶ πνεῦμα αὐστηρότητος: *Interficiam, mutilabo? eſt enim ut lenitatis ita & ſeveritatis ſpiritus.* vide & Auguſtinum de ſermonibus Domini in monte lib. i, & alios quos citat Gratianus xxiii, quæſt. viii.

Ulciſcentes] Vulgata interpretatio in hoc loco habet *defendentes.* Sed ea vox ſæpe a Chriſtianis in ulciſcendi ſenſu poſita invenitur. Tertullianus de Patientia: *Jam ſi levius defendaris, inſanies: ſi uberius, oneraberis. Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non poſſum per impatientiam doloris?* Adverſus Marcionem ii. *non enim injuria mutuo exercenda licentiam ſapit, ſed in totum cohibenda violentia proſpicit, ut quia duriſſimo & infideli in Deum populo longum vel etiam incredibile videretur a Deo exſpectare defenſam, edicendam poſtea per Prophetam, mihi defenſam, & ego defendam, dicit Dominus: interim commiſſio injuria metu vicis repaſtinaretur: & licentia retributionis prohibitio eſſet provocationis; ut ſic improbitas aſtuta ceſſaret, dum ſecunda permiſſa, prima terretur; & prima deterrita, nec ſecunda committitur, qua & alias facilior timor talionis per eundem ſaporem paſſionis. Nihil amarius quam id ipſum pati, quod feceris aliis.* De monogamia: *Alia diluvium iniquitates provocaverunt, ſemper defenſa qualeſcumque fuerunt, non tamen ſeptuagies ſepties, quod duo matrimonia meruerunt.* Locum Pauli de quo hic ſermo non male explicat Auguſtinus epiſtola cliv: *Hinc autem dictum eſt non reſiſtamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum paſcit.* vide quæ infra lib. ii, cap. xx. §. v. & §. x.

Non ſunt carnalia] Chryſoſtomus hoc loco: ὅπλα σαρκικὰ intelligit πλοῦτον, δόξαν, δυναστείαν, εὐγλωττίαν, δεινότητα, περιδρομάς, κολακείας, ὑποκρίσεις, *Opes, gloriam, potentatum, eloquentiam, ſolertiam, prenſationes, aſſentationes, fallacias.*

Innocentiſſime agere eas gentes quarum victus eſt ſimpliciſſimus] Dicit idem Philo de vita contemplatrice, citans Homeri illud:

> Γλακτοφάγων ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.
> *Laccomedonum inopumque hominum juſtiſſima quæ gens.*

Juſtinus de Scythis: *Aurum & argentum non perinde ut reliqui mortales appetunt.* Mox: *Hæc continentia, morum quoque illis juſtitiam indidit nihil alienum concupiſcentibus: quippe ibidem divitiarum cupido eſt ubi & uſus.* Et de Scythis in eandem ſententiam locus lectu dignus apud Gregoram lib. ii. Taxiles Alexandro: τί δεῖ πολέμων καὶ μάχης ἡμῖν, Ἀλέξανδρε, πρὸς ἀλλήλους, εἰ μήτε ὕδωρ ἀφαιρησόμενος ἡμῶν ἀφῖξαι, μήτε τροφὴν ἀναγκαίαν, ὑπὲρ ὧν μόνων ἀνάγκη διαμάχεσθαι νοῦν ἔχουσιν ἀνθρώποις; *Quid inter nos, Alexander, bellis & præliis opus, quando neque ut aquam, neque ut victum neceſſarium a nobis auferas huc veniſti, pro quibus ſolis pugnare eſt hominum ratione utentium?* Diogenis dictum huc pertinet, οὐ γὰρ ἐκ τῶν μαζοφάγων οἱ κλέπται καὶ οἱ πολέμιοι, *non enim ex his qui polentam edunt, aut fures exſiſtunt, aut bellorum auctores.* Porphyrius lib. ii. de non edendis animalibus: τὸ εὐδάπανον καὶ εὔπορον πρὸς συνεχῆ εὐσέβειαν συντελεῖ καὶ τῶν ἁπάντων. *quicquid paratu facile eſt & levis ſumptus, ad pietatem perpetuam & quidem omnium confert.*

Aliud ex voluptatum cupiditate, aliud ex avaritia, aliud ex honorum aut imperii nimio ſtudio conflatur] Veriſſimam, ſed parum meditatam hominibus ſententiam, multis egregiis veterum expreſſam verbis, quid nocebit & aliorum dictis non minus efficacibus confirmare? Athenæus philoſophus apud Diogenem Laërtium:

> Ἄνθρωποι μοχθεῖτε τὰ χείρονα καὶ διὰ κέρδος
> Ἄπληστοι νεικέων ἄρχετε καὶ πολέμων:
> *In mala ſudatis miſeri: ſine fine cupido*
> *Vos agit in rixas bellaque præcipites.*

Fabianus Papirius in controverſiis Senecæ patris: *Ecce inſtructi exercitus, ſæpe civium cognatorumque conſerturi manus, conſtiterunt, & colles equis utrinque complentur, & ſubinde omnis regio trucidatorum corporibus conſternitur, illatorum multitudine cadaverum, vel ſpoliantium. Si quæſierit aliquis, quæ cauſa hominem adverſus hominem in facinus coegit? nam neque feris inter ſe bella ſunt: nec, ſi forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una ſtirps idemque ſanguis ſitis: vel quæ furia in mutuum ſanguinem egere? quod tantum malum humano generi vel fato invectum? an ut convivia poculis exſtruantur, & tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit? Magna enimvero & laudanda ſunt, propter quæ menſam & lacunaria ſua potius quam lucem innocentes intueri maluerint. An, ne quid ventri negetur libidinique, orbis ſervitium expetendum eſt? quid tandem ſic peſtiferæ iſtæ divitiæ expetuntur, ſi, ne in hoc quidem ut liberis relinquantur?* Philo ad Decalogum: χρημάτων ἔρως, ἢ γυναικὸς, ἢ δόξης, ἢ τινος ἄλλου τῶν ἡδονὴν ἀπεργαζομένων, ἆρά γε μικρῶν καὶ τῶν τυχόντων αἴτιος γίνεται κακῶν; οὐ διὰ τοῦτο συγγένειαι μὲν ἀλλοτριοῦνται τὴν φυσικὴν εὔνοιαν μεθαρμοζόμεναι πρὸς ἀνήκεστον ἔχθραν. χῶραι δὲ μεγάλαι καὶ πολυάνθρωποι στάσεσιν ἐμφυλίοις ἐρημοῦνται. γῆ δὲ καὶ θάλαττα πληροῦται τῶν κεκαινουργημένων ἀεὶ συμφορῶν, ναυμαχίαις καὶ πεζαῖς στρατιαῖς; οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων πρός τε ἑαυτοὺς καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγῳδηθέντες πόλεμοι πάντες ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐῤῥύησαν ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων ἢ δόξης ἢ ἡδονῆς. *Pecuniarum amor, aut femina, aut gloria, aut alicujus demum rei quæ voluptatem pariat, an parvorum duntaxat & vulgarium malorum cauſſa eſt? Ob hoc alienantur a cognatis cognati naturali benevolentia in odium inſanabile mutata. regiones autem magnæ & fœcundæ populorum civilibus vaſtantur diſſidiis. tum vero & terra & mare implentur calamitatibus novæ ſemper repertis per pedeſtres navaleſque acies. Nam bella illa Græcorum Barbarorumque aut inter ſe, aut horum in illos, etiam tragœdiis decantata, ab uno fluxere fonte cupiditatis, ſive illa divitiarum, ſive gloriæ, ſive voluptatum fuit.* Plinius hiſt. nat. lib.

II. cap. III. *Placatiere tamen ea* (Terra) *ob hoc utimur, quod omnes hi opulentia exitus, ad ſcelera, cædes & bella tendunt, quamque ſanguine noſtro irrigamus, inſepultis oſſibus tegimus.* Hieronymus adverſus Jovinianum II. *Diogenes tyrannos & ſubverſores urbium bellaque vel hoſtilia vel civilia, non pro ſimplici victu olerum pomorumque, ſed pro carnium & epularum delicіis aſſerit excitari.* Chryſoſtomus 1 Cor. XIII, 3. οἱ γὰρ ἅπαντες ἠγάπων καὶ ἠγαπῶντο οὐδὲν ἂν ἠδίκησεν οὐδείς, ἀλλὰ καὶ φόνοι καὶ μάχαι καὶ πόλεμοι, καὶ στάσεις καὶ ἁρπαγαὶ καὶ πλεονεξίαι καὶ πάντα ἂν ἐκποδὼν ἐγεγόνει τὰ πονηρά. *Nam ſi mutuo ſe diligerent homines, nemo alterum afficeret injuria, procul eſſent cædes & pugnæ & bella & ſeditiones & rapinæ & defraudationes & quicquid eſt malorum.* Idem ad patrem fidelem de opulentis loquens: οὐ δι' ἐκείνους στάσεις καὶ πόλεμοι καὶ μάχαι καὶ πόλεων κατασκαφαὶ καὶ ἀνδραποδισμοὶ καὶ δουλεῖαι καὶ αἰχμαλωσίαι καὶ φόνοι καὶ τὰ μυρία ἐν τῷ βίῳ κακά. *Nonne per hos adveniunt ſeditiones, & bella, & pugnæ, & urbium excidia, & plagiа, & ſervitutes, & captivitates, & cædes, & innumera vitæ mala?* Claudianus:

Hæc ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu,
Claſſica non fremerent, non ſtridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Agathias hiſtoriarum primo: ἐς δὲ πλεονεξίαν καὶ ἀδικίαν αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ αὐθαίρετοι καταλισθαίνουσι, πολέμων καὶ ταραχῶν ἅπαντα ἐμφοροῦσιν. *Hominum animi ſponte ad nimias cupiditates injuſtitiamque delapſi, implent omnia bellis ac tumultibus.* Concludam multa bene dicta una Polybii: αὐτάρκεια τοῦ βίου, φιλοσοφία αὐτοδίδακτος. *Animus neceſſariis contentus alio ad ſapiendum magiſtro non eget.*

Bonum eſſe cum puniuntur nocentes nemo negat] Idem Tertullianus de anima: *Quis non præferat ſeculi juſtitiam, quam & Apoſtolus non fruſtra gladio accinctam conteſtatur, quæ pro homine ſervando religioſa eſt?* Et ad proconſulem Scapulam: *Non te terremus, qui nec timemus. Sed velim ut omnes ſalvos facere poſſimus, monendo* μὴ θεομαχεῖν. *Potes & officio juriſdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminiſſe, vel quia & vos ſub gladio eſtis.*

Dum tamen ſuſcepta fide atque ſignata] Diſtinctionem quam hic de militia affert, alibi ad nuptias applicat, tum libro de Monogamia, tum exhortatione caſtitatis.

Et alii vetitarum artium profeſſores] Tertullianus de idololatria: *ad Eccleſiam non admittuntur qui artes exercent quas Dei diſciplina non recipit.* Auguſtinus de fide & operibus: *Meretrices & hiſtriones, & quilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores, niſi ſolutis aut diruptis talibus vinculis ad Chriſti ſacramenta non permittuntur accedere.* de hiſtrione exemplum vide apud Cyprianum epiſtola LXV. de laniſtis, lenonibus, victimarum redemtoribus apud Tertullianum. de auriga Circenſi apud Auguſtinum.

Perſtantes in patriis inſtitutis] Verba Joſephi XI hiſtoriæ antiquæ.

Id ita generaliter ſumtum conſilii forte eſt & vitæ ſublimioris] Concilium Carthaginenſe IV: *Epiſcopus nec provocatus de rebus tranſitoriis litiget.* Adde Ambroſium lib. II. Offic. cap. XXI. & Gregorium Magnum libro II, Ind. XI, Epiſt. LVIII.

In conſtitutionibus] Videtur ſcriptus is liber finiente ſeculo ſecundo.

M. Aurelio Imperatori] Vide & Xiphilinum de hac hiſtoria.

Tres Pauli comites] Adde militem quendam a Cornelio baptizatum, cujus apud Adonem mentio.

Silaniani Senatuſconſulti] Cujus aſperitatem mitigavit Adrianus Imperator, ut apud Spartianum eſt. Aſperis Romanorum legibus addi poſſunt quæ ſervum niſi tortum teſtimonium dicere vetant.

Nimia lenitatis nomine] Zonaras: τοῖς μεταβαλλομένοις ἐκ πονηρίας φιλανθρώπως διακείμενος ἔλεγεν ὅτι τὸ νοσοῦν μέλος ἀποτμητέον καὶ σηπτὸν ἵνα μὴ καὶ τοῖς ὑγιαίνουσι λυμαίνηται, οὐ μέντοι τὸ ὑγείας ἤδη τυχὸν ἢ καὶ ὑγιαζόμενον. *Clementem ſe oſtendebat iis qui pravam vitam deſeruerant, quod diceret abſcindendum membrum ægrotans ac putridum, ne ſana contagio corrumpat, non id quod aut ſanatum jam ſit aut ſaneſcat.* vide & Euſebium. ſicut de nimia Conſtantini lenitate Chriſtianos, ita de Haraldi Regis queſtos Danos apud Saxonem hiſtoricum invenias.

Sæpe Epiſcopos] Auguſtinus: *Officium Sacerdotis eſt intervenire pro reis.* In ejus epiſtolis multa ſunt hujus bonitatis ſpecimina.

Ut qui ad Eccleſiam confugiſſent] Vide Chryſoſtomum XVI de Statuis. Concilium Aurelianenſe cap. 3. legem Wiſigothorum libro VI, tit. V, 16. IX, tit. II, c. 3.

Ut circa Paſcha] L. Nemo. C. de Epiſc. audientia.

Exceptionibus quibuſdam] Quas vide apud Caſſiodorum XI, 40. &c. inter alia de immunitate eccleſiaſtica in Decreto.

Quicunque vocati] Simeon Magiſter, in ejus canonis epitome: οἱ βιαζόμενοι καὶ δέξαντες ἀντιστῆναι, εἶτα καταθέμενοι τῆς ἀσεβείας καὶ ἀναστρατευσάμενοι δεκαετίαν ἀφοριζέσθωσαν. *Qui vi adhibita viſi ſunt reſtitiſſe, ſed ab impietate victi ſunt & militiam reſumſere, decem per annos abſtineantur.* Eundem hujus canonis ſenſum exprimunt Balſamo & Zonaras, & Ruffinus libro X, cap. VI.

De idololatria] Quod principale crimen, *ſummus ſeculi reatus* dicitur Tertulliano de Idololatria: *Graviſſimum & extremum delictum* Cypriano epiſt. XII.

Niſi Diis ſacrificare vellent] Sulpitius Severus: *Sane tum Licinius, quia adverſum Conſtantinum de imperio certavit, milites ſuos litare præceperat: abnuentes militia rejiciebat.* ob hanc cauſam Valentinianus, qui Imperator poſtea factus eſt, ſub Juliano abjecit cingulum. Non diſſimile eſt quod Victor Uticenſis narrat, multos ſub Hunericho Rege militiam temporalem abjeciſſe, quia cum Arianiſmo erat connexa.

Digitized by Google

Ut tanto exemplo eſſent ad correctionem, quantum ad peccandum fuerant] Leo epiſtola xc ad Ruſticum: *Illicitorum veniam poſtulantem oportet etiam multis licitis abſtinere.* In epiſtola Epiſcoporum ad Ludovicum Regem legimus: *Quilibet tanto a ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe.* In Capitulis Calvi: *Tanto quiſque majora quærat bonorum operum lucra, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam.*

Ad Clerum admitti vetabantur] Euſebius demonſtrationum lib. I. duplicem deſcribit Chriſtianorum vitam, aliam ἐντελῆ; aliam inferiorem. qui in hac ſunt eos inter alia τοῖς κατὰ τὸ δίκαιον στρατευομένοις τὰ πρὸς τὰ πολέμια ὑποτίθεσθαι. *iis qui juſte militant agenda indicare.*

Nulla alia cura ac labore] Vide canonem Concilii Moguntini apud Gratianum, titulo, Ne Clerici vel monachi.

Ne procurationem rerum alienarum ſuſcipiat] Vide Epiſtolam Hieronymi ad Nepotianum.

Tutores conſtitui nefas judicat Cyprianus] In epiſtola ad presbyteros, diaconos & plebem Furnis conſiſtentem. Adde l. Generaliter, C. de epiſcopis & clericis.

Id enim pacis nomine intelligi volebant] Tertullianus de idololatria: *Imo quomodo etiam in pace militabit?* idem de Fuga perſecutionum: *Noſtra paci quod eſt bellum quam perſecutio?* Cyprianus epiſtola x. *Quando ipſa ante mater noſtra Eccleſia pacem de miſericordia Domini prior ſumſerit.* Epiſtola XXII: *Cum Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare.* Epiſtola XXXI: *Eccleſia pacem ſuſtinendam*, id eſt expectandam. de Lapſis: *diſciplinam pax longa corruperat.* Sulpitius Severus: *Antonino Pio imperante pax Eccleſiis fuit.* mox: *Interjectis deinde annis XXXVIII, pax Chriſtianis fuit.* & in Conſtantini ætate: *Exinde tranquillis rebus pace perfruimur.* Et initio hiſtoriæ: *Vexationeſque populi Chriſtiani, & mox pacis tempora.*

ANNOTATA AUTHORIS.

IN LIB. I. CAP. III.

R*Ex Theodoricus*] Eundem vide in Edicto cap. X, & CXXIV.

Momentanee] Servius ad XI Æneidos: *Injecere manum Parcæ. Traxerunt debitum ſibi. Et ſermone uſus eſt juris. nam manus injectio dicitur, quoties nulla judicis auctoritate, rem nobis debitam vindicamus.*

Ex veteri jure Attico] Solonis verba: εἰ μέν τις μεθ' ἡμέραν ὑπὲρ πεντήκοντα δραχμὰς κλέπτοι, ἀπαγωγὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα εἶναι, εἰ δέ τις νυκτὸς ὅ, τι ἂν κλέπτῃ, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. *Si quis de die quod plus quinquaginta drachmis valeat furetur, eum jus ſit ad undecim viros deduci: quod ſi quis noctu vel minimum quid furetur, eum liceat vel occidere.* Adde quæ II libro infra dicentur cap. XII.

Satis apparet] Adde Concilii Aurelianenſis canonem citatum a Gratiano c. ult. cauſa. XIII. qu. II.

Nobis potius quam aliis conſulere] Caſſiodorus de Amicitia: *Sane nullus aliquo præcepto vel aliqua ratione tenetur ſalutem animæ proximi perditione animæ ſuæ, aut corporis ejus liberationem, circa ſpem perpetuæ ſalutis, proprii corporis interitu procurare.*

Ob nimium calorem] Ambroſius libro X in Lucam: *O Domine, cur me emere jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis quem vetas promi? niſi forte ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria.*

Habere in contubernio] Imo inter cives erant quædam matrimonia non juſta, non juſti liberi. Paul. Sent. lib. II. tit. XIX. L. Si uxor. D. ad L. Juliam de Adulteriis, ſic & libertas quædam non juſta. Seneca de vita beata, c. XXIV. Suetonius in Octavio, c. XI.

Illud Auguſtini] Lib. XXII, c. LXXIV. contra Fauſtum, citat Gratianus c. quid culpatur, cauſa XXIII, quæſt. I. Apud Hebræos bellum omne quod ſpeciali Dei juſſu ſuſcipitur vocatur מלחמת חרשות bellum poteſtatum.

Res auferri obſiſtentibus] Juriſconſultis in hanc rem productis poſſunt addi Franc. Aret. conſ. XIV. n. 7. Gail. I. de Pac. publica, cap. II. num. 20. Cardinalis Tuſchus pract. quæſt. LV. litera B. verbo Bellum. numer. 20. Gœddæus conſ. Marp. XXVIII, num. 202, & ſequentibus.

Inferieres poteſtates belli gerendi habeant poteſtatem] Vide legem Frederici Imperatoris apud Conradum Abbatem Urſpergenſem.

Magiſtratibus] Poſſet etiam verti *Vectigalibus*. quomodo accepit Thucydidis Scholiaſtes. Eſt enim vox anceps.

Jus legum condendarum & tollendarum, jus decernendi de bello ac pace] Servius ad I. Æneid. *Omni ditione. Rectius omni quam omnis: ut ſignificet omni poteſtate, pace, legibus, bello.*

Ut & ſucceſſorem] Cacheranus Deciſ. Pedem. CXXXIX, num. 6.

Sed quid jure fieri poſſit] Gail. de Arreſtis cap. VI, 22. & ſeqq.

Aut illa cum his mittenda ſunt] Cicero lib. III de legibus: *Eſt iniqua in omnibus re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio.* mox: *Sed bonum quod eſt quæſitum in ea ſine iſto malo non haberemus.*

Sed ex voluntate jus metiendum eſt] A Carolo quinto Imperatore eodem tempore Auguſta

civitas petiit, ne senatui urbis suæ placita valerent, nisi assensissent curiarum magistri: Norimberga plane contrarium.

Populo Romano se subjecerunt] Ut Falisci apud Liv. lib. v. Samnites lib. VIII. Sic Epidamnii a Corcyræis deserti Corinthiis se dediderunt, ut protegerentur adversus Taulantios & exules. Thucyd. lib. I.

Romanorum ditioni] Et Venetorum. Bembus lib. VI.

Sub imperio plane regio satis feliciter vixerunt] Seneca de Beneficiis libro II, c. XX, de Bruto locutus: Mihi, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione Stoica se gessisse: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus civitatis status sub rege justo sit, aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam magnum præmium erat & imperandi & serviendi: aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus: futuramque ibi æqualitatem civilis juris, & statutas suo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri. vide & Bizarrum historia Genuensi lib. XIV, p. 329.

Urbes sub Eumene] Sic multos ex liberis Græciæ civitatibus in Salamina Cypri, quod Euagoræ regnum erat, venisse narrat Isocrates.

Ut videatur nisi sub libero unius imperio salvus esse non posse] Dion apud Philostratum V, cap. XI, δέδια δὲ μὴ χειροήθεις ἤδη Ῥωμαίους αὐτοὺς αἱ τυραννίδες πεποιηκυῖαι χαλεπὴν ἐργάσωνται τὴν μεταβολήν. Metuo ne Romani longis dominatibus edomiti nullam jam ferre possint mutationem.

Populi quidam alios sub se populos habent] Sic Salamin insula Atheniensium juris jam inde a Philæo & Eurysace Ajacis filiis, ut Plutarchus in Solone nos docet. Hanc Salaminem Atheniensibus ademit Augustus, ut postea Cephaleniam Adrianus, teste Xiphilino. Atarneus ab antiquo Chiorum, teste Herodoto lib. I. & Samii multa in continente oppida tenuere, ut Strabo docet lib. XIV. Anactorium partim ad Corinthios partim ad Corcyrenses pertinebat, ut Thucydides scribit libro I. In pace cum Ætolis apud Livium: Oeneada, cum urbe, agroque, Acarnanum sunto. Sex oppida Halicarnasso attributa per Alexandrum Magnum, memorat Plinius Historiæ Naturalis lib. V, c. 29. Idem libro XXXIII, c. IV, Lindum insulam esse ait Rhodiorum: tantundem de Cauno habes libro XXXV. Testatur idem Cicero epistola ad fratrem. Rhodiis iisdem, quod Romanos contra Antiochum juvissent, complures urbes dono datas ait Eutropius libro III, nempe Carum & Lyciorum, quæ rursus eis ablatæ a Senatu. Utrumque est in Excerptis Polybii.

Inachidarum] Hi sunt ענקים. Deut. II, 10, ex qua origine & ענקה ὄγκα dea, cui templum Thebis Cadmus dicavit. Græci eam Pallada dixere. Dicuntur Æschylo Inachidæ fuisse Pelasgi, id est extorres a Syro פלג. Etiam qui Lacedæmonem primi tenuere Pelasgi erant, unde Abrahamo se cognatos dicebant Lacedæmonii in historia Maccabaica. Sicut autem Argivi reges plenissima usi potestate exemplo Orientis, unde venerant; sic & reges Thebani, e Phœnicibus. Apparet id ex Creontis verbis apud Sophoclem, & fecialis Thebani Supplicibus Euripidis.

Cætera par civibus] Thesei filius Demophon in Heraclidis Euripidis:

Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω,
Ἀλλ' ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι.
Nec enim potestas barbarum in morem mihi,
Sed justa refero obsequia, dum juste impero.

Cornelio Nepoti] Verba ipsius, aut quisquis is est qui vitas illustres scripsit, in Agesilao: Ut duos haberent reges nomine magis quam imperio. Alibi: Lacedæmoniorum autem Agesilaus nomine non potestate fuit rex, sicut cæteri Spartani.

Quasi temporarii regni] Livius Salinator in Censura omnes tribus excepta una ærarias fecit, ac sic ostendit jus sibi esse in populum omnem.

Valemtinianus] Verba ejus sic refert Theodoretus IV, c. V: ὑμέτερον ἦν ὦ στρατιῶται βασιλέως μὴ ὄντος ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας. ἐπεὶ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγὼ, ἐμὸν λοιπὸν οὐχ ὑμέτερον, τὸ περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι πραγμάτων. Vestrum fuit milites, cum Imperator nullus esset, mihi tradere imperii hujus habenas. Ex ex quo adeptus sum, de cætero non vestrum sed meum dispicere quid reipublica expediat.

Deum de principibus judicare] Xiphilinus: περὶ γάρ τοι τῆς αὐταρχίας ὁ Θεὸς μόνος κρίνειν δύναται. De summo principatu Deus solus potest judicare. Vitiges rex apud Cassiodorum: Causa regia potestatis supernis est applicanda judiciis, quandoquidem illa e cœlo petita est, & soli cœlo debet innocentiam. Apud eundem Cassiodorum rex: Alteri subdi non possumus, quia judices non habemus.

Sine Dei cura speciali] Homerus:

Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.
Ab Jove summus honos.

Diodorus Siculus lib. I. de Ægyptiis: ἅμα μὲν οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας νομίζοντες αὐτοὺς τετευχέναι τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας. Existimant enim non sine divina quadam providentia pervenisse reges ad summam de omnibus potestatem. Augustinus lib. V. de Civitate Dei: Qui Vespasiano vel patri vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino, ipse apostatæ Juliano, nempe majestatem dedit, quod præcesserat. Vitiges apud Cassiodorum: Omnis provectus, maxime regius, ad divinitatis munera referendus est. Titi Imperatoris erat dictum: potestates fato dari.

Carthaginensium regem dixit Solinus] Sic qui vitam scripsit Annibalis: Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. His improprie dictis regibus accenseri possunt & filii quibus regium nomen datum a patribus regiam vim retinentibus. Talis is Darius fuit, quem pater Artaxerxes judicatum

dicatum interſici juſſit. Plutarchus in Artaxerxe.

Pleraque in Græcia regna talia fuiſſe] Notatum id & Dionyſio Halicarnaſſenſi libro II, & V.

Aliud de re quærere, aliud de modo habendi] Videat cui vacat Carolum Molinæum ad conſuetudines Pariſienſ. Tit. 1. §. 2. gl. 4. num. 16, & 17.

Jure temporario] Imperatoris ad tempus facti exemplum habes apud Gregoram libri IV. initio.

Omnes actus eodem jure exercet] Adeo quidem ut populus cum Fabium Rutilianum ſervare vellet, apud Dictatorem precibus egerit.

Gotthorum regnum in Hiſpania] Moris antiqui veſtigium in Behetriis. vide Marianam lib. XVI.

Cum ipſos deponerent populi quoties diſplicerent. Hoc de Herulis etiam prodidit Procopius Gotthicorum II. de Langobardis Paulus Warnafredi libro IV, & VI. de Burgundis Ammianus libro XXVIII. de Moldavis Laonicus Chalcocondylas: de rege Agadis apud Afros Johannes Leo libro VII. de Norwagis ait Gulielmus Neubrigenſis regem ibi factum quiſquis regem occidiſſet. de Quadis & Jazygibus, ſimilia habes in excerptis Dionis.

Opponit gentes quæ in libertate eſſent iis qui ſub regibus viverent] Thucydides: ὁ δὲ Τήρης οὗτος ὁ τοῦ Σιτάλκου πατὴρ πρῶτος Ὀδρύσαις τὴν μεγάλην βασιλείαν ἐπὶ πλέον τῆς ἄλλης Θρᾴκης ἐποίησε. πολὺ γὰρ μέρος καὶ αὐτόνομόν ἐστι Θρᾳκῶν. *Hic Teres Sitalcis pater primus Odryſarum regnum ita auxit ut cæteros Thraciæ reges ſuperaret: eſt enim pars etiam Thracum libera.* Seneca pater ſuaſoria prima: *Non eodem modo in libera civitate dicendam eſſe ſententiam quo apud reges.* Joſephus antiquæ hiſtoriæ libro XIII. πρὸς βασιλεῖς καὶ δήμους ἐλευθέρους. *Ad reges populoſque liberos.* Cicero Epiſtola XV, 4. Populorum liberorum, regumque ſociorum auxilia. Plinius libro VI, cap. XX. de Indis: *Jam hi montium qui perpetuo tractu Oceani oram tenent, liberi & regum expertes.*

Quorum ſignificatio regnum civitati minatur] Vide exemplum talis oſtenti apud Bezarum libro XIX hiſtoriæ Genuenſis.

Ex ſua ſubſtantia privata] M. Antonius ad bellum Marcomannicum cum ærario exhauſto indicere populo nihil vellet, facta in foro Trajani ſectione, diſtraxit vaſa aurea, pocula cryſtallina ac murrina, uxoris & ſuam ſericam & auream veſtem, multa ornamenta gemmarum.

Ex fructibus ejus patrimonii] Ideo Ferdinandus Granatenſis regni partem alteram, ut ſtante matrimonio ex Caſtellæ proventibus quæſitam, ſibi vindicavit. Docet Mariana libro XXVIII hiſtoriæ Hiſpanicæ.

In quoſdam populos imperium habeat proprio jure.] Balduino conceſſere, qui cum ipſo in orientem belli cauſa venerant, ut urbium, provinciarum, vectigalium, rerum bello captarum dimidium ipſi cederet.

Hercules] Idem Hercules Dryopes, qui juxta Parnaſſum habitabant, a ſe victos donavit Apollini. Servius ad IV Æneidos: Herculem adverſus Lapithas belli ſocium ſibi ſumpſit Ægimus Dorienſium rex, parte regni in mercedem ſocietatis data. Cychreus Salaminis rex prole carens regnum teſtamento reliquit Teucro. Peleus ab Eurylione Phthiæ rege tertiam regni partem accepit in dotem, quæ habet Apollodorus. Apud Livium eſt lib. I: *Proca Numitori regnum legat.*

Melampodi] Vide Servium ad ſextam Eclogam, ſic apud Homerum Iobates Bellerophonti dat filiam:

Δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης.

quod Servius ſic interpretatur ad Virgilium: *filiam ſuam ei cum parte regni in matrimonium dedit.* Phœnix de Peleo:

Πολὺν δέ μοι ὤπασε λαόν,
Ναῖον δ᾽ ἐσχατιὴν Φθίης Δολόπεσσιν ἀνάσσων.
Populos dedit hic mihi multos,
Ut fines Phthiæ, Dolopum quæ regna, tenerem.

Lanaſſa nubens Pyrrho Epirotarum regi in dotem ei attulit Corcyram urbem ab Agathocle patre ſuo bello captam. Plutarchus in Pyrrho.

Alexandri ſucceſſores] Ammianus de Perſide, non exacte tamen ad hiſtoriæ fidem: *Ex teſtamento nationem omnem in ſucceſſoris unius jura tranſlatam.* libro XXII.

Attalus Rex] Valerius Maximus: *Attalus teſtamenti æquitate gratus Aſiam populo Romano legavit.* Sertorius ea de re apud Plutarchum: τῷ δικαιοτάτῳ τρόπῳ Ῥωμαίων κεκτημένων ἐπαρχίαν. *Cum populus Romanus optimo jure eam terram teneret.*

Nicomedes] Vide Appianum de Mithridatico & civili primo.

Cyrenaica] In qua urbes Berenice, Ptolemais, Cyrene. Eutropius VI.

Appionis] Appianus de Mithridatico: Κυρήνην αὐτὴν Ἀπίων βασιλεὺς τοῦ Λαγιδῶν γένους νόθος ἐν διαθήκαις ἀπέλιπεν. *Cyrenem teſtamento reliquit Appion nothus e Lagidarum genere.* Ammianus l. XXII. *Aridam Libyam ſupremo Appionis regis conſecuti ſumus arbitrio: Cyrenas cum reſiduis civitatibus Libyæ Pentapoleos Ptolemæi liberalitate ſuſcepimus.* rex enim Cyrenarum & Appio & Ptolemæus dicebatur. vide breviarium Livii lib. LXX, ipſe hic Appio Cyrenarum hoc regnum patris teſtamento acceperat, auctore Juſtino lib. XXXIX. Alterius Appionis cujus Ammianus meminit, qui aridam Libyam populo Romano reliquerit, mentio in chronico Euſebiano ad annum CIↃ IↃ CCCCLII. Adde quod in ædificiis narrat Procopius, Arſacis regis teſtamento ita diviſam Armeniam, ut major pars Arſaci, minor Tigrani cederet. Ex Joſepho diſcimus, Herodem, Auguſto ei concedente ut regnum cui e liberis vellet relinqueret, teſtamentum aliquoties mutaſſe, Antiquæ hiſtoriæ lib. XV. & XVI. Mos hic etiam Gotthis & Vandalis in iis quæ armorum jure tenebant. Gixerichus Vandalus de Hiſpania teſtamentum fecit; Procopius Vandalicorum I. Theudericus Lilybæum in Sicilia dotem dat ſo-

rori Amalesfridæ, Procopius ibidem: Sed & aliis gentibus. Aquitaniam bello quæſitam Pipinus inter liberos diviſit: Fredegarius fine Chronici. de Burgundia teſtamento relicta vide Aymonum III, 68, & 75. Feſſæ rex Feſſam ſecundo filio legat; Leo Afer libro III. quem & de Bugia vide libro quinto. Sultanus Aladinus Oſmani plurimas legavit civitates; Leunclavius Turcicæ hiſtoriæ libro II. Germeani filius rex cum filia ſua, Bajazeti nuptura dedit Phrygiæ urbes; idem Leunclavius libro V. Regnum Turcorum in Cappadocia Muſal in liberos diſtribuit; Nicetas libro III. Urbes ad Pontum Euxinum a Chuſcino Bega Murati traditæ; Leunclavius libro I. Bajazetes Stephano urbes dedit Serviæ in honorem uxoris ſuæ quæ Stephani ſoror; idem lib. VI. Mahumetes Sultanus Murati teſtamento regnum reliquit; idem libro XII. Jacupes Begus Germeanoglius ditionis ſuæ hæredem fecit Muratem Sultanum, idem libro XIV. Mahumetes Turca filiis duobus, Amurati Europæ, Muſtafæ Aſiæ, imperium relinquere cogitarat: eſt id apud Chalcocondylam lib. IV. Baſilius Porphyrogennetus Imperator a Davide Curopalate hæres inſtitutus ejus regionis quam David ille in Iberia tenuerat, narrat Zonaras. Venio ad Chriſtianos in oriente victores. Theſſaliam Michael Deſpota inter liberos diviſit; habet id Gregoras lib. IV. Ætoliæ Princeps Venetis Athenas reliquit, Bæotiam Antonio vendidit: Chalcocondylas libro IV. Meſſena, Ithome, & Arcadiæ maritima ab Arcadiæ principe filiæ data in dotem cum ea Thomæ Imperatoris Græci filio nuberet; idem libro V. Acarnania inter nothos Caroli principis teſtamento ipſius diviſa. partes de Ætolia cognatis datæ, narrante eo quem dixi Chalcocondyla. ſic & regna Hieroſolymorum & Cypri partim teſtamentis legata, partim tranſcripta contractibus; vide de Cypro Bembum Italicorum VII. & Parutam libro primo. Genuatibus in Sardinia Caſtrum oppidum donatum, aliæ Calaritanæ ditionis donata; Bezarus de Bello Piſano libro II. Robertus filio minori Baïmundo dedit Dyrrachium & Aulonem; Anna Comnena lib. V. Alfonſus Arragonius Neapoleos regnum, ut armis partum, Ferdinando notho ſuo reliquit. In eodem regno urbes quaſdam Ferdinandus legavit nepoti; Mariana libro XXX.

Non eſſe præſumendum eam fuiſſe populi voluntatem ut alienatio imperii ſui regi permitteretur] Imperium non debere relinqui ut agros & ſervos dicit Vopiſcus Tacito. Salvianus: *Non poterat populos quos regebat per teſtamentum egenis tradere.*

Id commendationis magis vim apud populum habebat] Vide Capitulum XII conventus ad Cariſiacum ſub Carolo Calvo. Huc refer teſtamentum Pelagii quo Hiſpaniam reliquit Alfonſo & Oſmiſindæ, & de Dania quædam apud Saxonem. Neque mirum igitur quædam teſtamenta improbante populo fuiſſe irrita, ut Alfonſi Arragonii; vide Marianam libro X. Et Alfonſi Legionenſis, cum is filias filio prætuliſſet; idem Mariana libro XII.

Ut principibus Antigonum commendaret] Vide rem ſimilem apud Caſſiodorum lib. VIII, epiſt. VIII, & ſequentibus. ita pacta ſucceſſionis mutuæ inter Sanctium & Jacobum Arragonenſes, a proceribus firmata; Mariana libro XII. & Henrici Navarræ regis, qua Johannem inſtituit hæredem; idem Mariana libro XIII. & Iſabellæ reginæ Caſtellæ; idem libro XXVIII.

Marchionatus & comitatus facilius quam regna vendi] Vide de Urgelii principatu Marianam lib. XII, cap. 16.

In regni tutela] Vide Cothmannum Tomo I, Conſ. XLI, num. II.

Conſenſus populi] Vide Marianam in Alfonſo V Legionis rege. At teſtamentum regis Johannis de tutela & adminiſtratione regni a proceribus improbatum. Mariana libro XVIII.

Quos pater aut propinqui elegerint] Ptolemæus rex Ægpti tutorem filio ſuo reliquit populum Romanum. Valerius Maximus libro VI, cap. VI, I.

Publice tutores conſtitutos] Et a proceribus Macedonum Alexandri Magni poſthumo. Juſtinus lib. XIII.

Ut rex Ægypti poſt Joſephi tempus] Et Indorum reges, memorante Diodoro lib. II.

Promittit aliqua ſubditis aut Deo] Trajanus caput ſuum, dextram ſuam, ſi ſcienter feſelliſſet, deorum iræ conſecrabat; Plinius Panegyrico. Adrianus Imperator juravit, nunquam ſe ſenatorem niſi ex Senatus ſententia puniturum. Anaſtaſius Imperator juravit, ſervaturum ſe decreta Chalcedonenſis Concilii; meminere Zonaras, Cedrenus, alii. Seniores Imperatores Græci Eccleſiæ jurabant; vide eundem Zonaram Michaele Rangabe & alibi. Vide & in Gotthis regibus exemplum apud Caſſiodorum X, 16. 17.

Mutare illi nefas erat] Joſephus in hiſtoria Vaſthæ, διαλλαγῆναι τῇ Ἀάσῃ διὰ τὸν νόμον οὐκ ἠδύνατο. *Cum Vaſtha conciliari lege intercedente non poterat.* Tales leges vocabantur leges regni, ut notat Iacchiades ad Danielem II, 13. de legibus regnorum in Hiſpania vide Marianam libro XX.

Hiſtoria exſtat] Tamen idem de Lethe caſtello legem a rege mutatam refert, ſed non probat.

Mortuorum accuſabatur memoria] Ἄταφα γὰρ οἱ νόμοι τὰ σώματα τῶν τυράννων ὑπερορίζουσι. *leges tyrannorum corpora inſepulta extra fines projici jubent.* Appianus civilium tertio. Andronicus imperator patrem ſuum Michaëlem, quod fidem Latinam ſequi cœpiſſet, mortuum ſepultura privavit. Gregoras lib. VI.

Hebræorum regum] Vide Joſephum de Joramis duobus, altero Hieroſolymorum, altero Iſraëlis rege, lib. VIII, cap. III, & V. item de Joaſo Hieroſolymorum rege.

Plutarcho] Verba ſunt: εἰώθεσαν οἱ βασιλεῖς ἐν Κασσαρῶν χώρᾳ τῆς Μολοττίδος Ἀρείῳ Διῒ θύσαντες ὁρκωμοτεῖν τοῖς Ἠπειρώταις, καὶ ὀμνύειν αὐτοὶ μὲν ἄρξειν, κατὰ νόμους, ἐκείνους δὲ τὴν βασιλείαν διαφυλάξειν κατὰ τοὺς νόμους. *Solebant reges in Caſſarorum terra, quæ Molottidos pars eſt, Jovi*

Areo

Areo ſacrificare at juramentum præſtare Epirotis. Jurabant autem reges ſe imperaturos ſecundum leges. Epirota autem ſe imperium ejuſdem conſervaturos ſecundum eaſdem leges.

Ut tum regno cadat] Vide exemplum apud Crantzium libro IX Suedicorum.

Tali ſanctione] Aut etiam ne ſubditi regem pacta violantem juvent: aut ne ei parcant. vide Cromerum Polonicis XIX, & XXI. Eſt & exemplum apud Scafnaburgenſem in rebus Henrici anno CIↃ LXXIV.

Fieri tamen interdum ut dividatur] Vide Zazium ſingularium reſponſorum lib. II, cap. XXXI.

Si aut expreſſe inſtituatur partitio] Ita Probi tempore ſenatus firmabat Principum leges; de appellationibus cognoſcebat; Proconſules creabat; legatos conſulibus dabat. vide & Gail. l II. Obſ. c. LVII. num. 7. & Cardinalem Manricam de tacitis & ambiguis conventionibus lib. XXVII. tit. V, num. 4.

Ipſi inter ſe reges populique inter ſe] Exempla ſunt complura in hiſtoria populorum ſeptentrionalium. vide Johannem Magnum hiſtoria Suedica lib. XV. & XXIX. Crantzium Suedicorum V. Pontanum Danicorum VIII.

Etiamſi Imperatoris reſcriptum proferatur] Adde l. I. C. de Petitionibus honorum ſublaris.

Παντελὴς μοναρχία] Faciunt enim, ut ad §. VIII notavimus, Tragici regnum Thebanum ſimile regnis Phœnicum unde ortl erant.

Ἀυτοκρατὴς βασιλεία] Sic Dionyſius Halicarnaſſenſis de Laconicis regibus: οὐδὲ γὰρ οἱ Λακεδαιμόνιοι αὐτοκράτορες ἦσαν. *neque enim Lacedamonii pleno jure reges erant.*

Quales habebant vicini] Putabat populus, ut Joſephi verbis utar, οὐδὲν ἄτοπον εἶναι τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων τὴν αὐτὴν ἔχειν αὐτοὺς πολιτείαν. *nihil eſſe abſurdi ſi cum vicini regnarentur, ipſi eandem imperii formam acciperent.*

Servirent Syria, Aſiaque, & ſuetus regibus Oriens] Cicero de Provinciis conſularibus: *Judais & Syris nationibus natis ſervituti.* Euripides in Helena:

> Τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός.
>
> *Sunt prater unum ſerva cuncta in barbaris.*

Quod ex Æſchylo adumbratum, apud quem eſt:

> Ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.
>
> *Nam nemo liber vivit, extra unum Jovem.*

Cui ſimile Lucani dictum:

> —— *toto jam liber in orbe*
>
> *Solus Caſar erit.*

Salluſtius de gentibus orientis: *Adeo illis ingenita eſt ſanctitas regii nominis.* Citant Servius & Philargyrus ad illum in Georgicis locum. Apollonius de Damide apud Philoſtratum libro VII: Ἀσσύριος γὰρ ὢν καὶ Μήδοις προσοικῶν οὐδὲν ὑπὲρ ἐλευθερίας ἐνθυμεῖται μέγα. *Aſſyrius cum ſit & Medorum accola, nihil pro libertate praclarum cogitat.* Julianus contra Chriſtianos: τί με χρὴ καθ' ἕκαστον ἐπιέναι τὸ φιλελεύθερόν τε καὶ ἀνυπότακτον Γερμανῶν ἐπεξιόντα τὸ χειροηθὲς καὶ τιθασὸν Σύρων καὶ Πάρθων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν πρὸς ἕω καὶ μεσημβρίαν βαρβάρων, καὶ ὅσοι τὰς βασιλείας ἀγαπῶσι κεκτημένοι δεσποτικωτέρας. *Quid tibi jam ſingulatim exſequar aut Germanorum libertatis amantia & impatientia jugi ingenia, aut contra dociles herilem manum ferre Syros & Parthos, & omnes qui aut ad orientem aut ad meridiem ſunt barbaros, multaſque gentes alias contentas ſub regibus vivere dominos imitantibus.* Claudianus:

> *Non tibi tradidimus dociles ſervire Sabaos:*
>
> *Armenia dominum nec te præfecimus ora.*

Alium non timebat] Idem Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum de Pœnitentia: *Rex enim erat; alium non timebat; alium non habebat ſuper ſe.*

Tuti imperii poteſtate] Paria habet ad eundem Pſalmum Arnobius Minor. Viriges apud Caſſiodorum: *Cauſa regia poteſtatis ſupernis eſt applicanda judiciis, quando quidem illa a cœlo petita eſt, ita ſoli cœlo debet innocentiam.*

De propheta] *Non capit Prophetam perire extra Jeruſalem.* Luc. XIII, 33.

Mixtum aliquid ex regis & procerum poteſtate] Laonicus Chalcocondylas talia ait eſſe regna Pannonum & Anglorum, libro II. Arragonum lib. V. & Navarræ eodem libro, ubi ait nec magiſtratus a rege creatos, nec præſidia impoſita niſi volentibus, nec quicquam populo imperatum contra mores. Reges alios eſſe pleno cum jure, alios ſub legibus etiam Judæis, Levi Gerſonides notavit ad I Sam. VIII, 4. Mira quæ de Taprobane ſcribit Plinius lib. VI, cap. XXII: *Eligi regem a populo ſenecta clementiaque, liberos non habentem, &, ſi poſtea gignat, abdicari, ne fiat hareditarium regnum. Rectores ei a populo XXX dari, nec niſi plurium ſententia quenquam capite damnari. Sic quoque appellationem eſſe ad populum, LXX judices dari. Si liberent ii reum non amplius XXX,* (ita enim legi locus hic debet) *iis nullam eſſe dignitatem, graviſſimo probro. Regi cultum liberi patris, cateris, Arabum: Regem, ſi quid delinquat, morte multari, nullo interimente, ſed adverſantibus cunctis & commercia etiam ſermonis negantibus.* Servius ad illud IV Æneidos: *Populumque patreſque. Quidam hoc loco volunt tres partes Politia comprehenſas, populi, optimatium, regia poteſtatis. Cato enim ait de tribus iſtis partibus ordinatam fuiſſe Carthaginem.*

Si patres auctores fierent] Plutarchus in Coriolano: ὁ δῆμος ἄκυρος ἦν τοῦ ψήφου καὶ νόμον τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος. *Populus jus non habebat aut legem condendi aut aliud quid jubendi niſi Senatus praceſſiſſet auctoritas.* Similem mixturam in Genuarium republica ſuis temporibus obſervat Chalcocondylas libro V.

Sic populi fœdere inferiores] Vide Cardinalem Tuſchum PP. concl. IↃ CCCC XXXV. Exemplum habes in Dilimnitis, qui αὐτόνομοι ſuique juris Perſis militabant, apud Agathiam libro III. Sic Irenes conſilium fuit, inter mariti liberos ita partiri imperium, ut poſt natos facerent δευτέρους μὲν κατὰ τὸ τῆς τιμῆς ἀξίωμα, αὐτονόμους δὲ καὶ αὐτοκράτορας ἑκάστους, *dignitate quidem minores, caterum ſui juris plenaque poteſtatis.* Vide Crantzium Saxonicorum X, de urbibus quæ ſe in Auſtriacorum protectionem dedere. He-

rodianus libro v: Ὀσροηνῶν τε καὶ Ἀρμενίων, ὧν ἦσαν οἱ μὲν ὑπήκοοι, οἱ δὲ φίλοι καὶ σύμμαχοι, *Oſroënorum & Armeniorum, quorum hi ſubditi erant, illi amici ac ſocii.*

Conventum ſociorum] Talis conventus vocatur κοινοδίκιον in vetere columna ἰσοπολιτείας ſive communicatæ civitatis Prianſiorum & Hieropotamiorum.

Et Scipio] Vide Polybium in legationum excerpto cv.

Ad ordinandum ſtatum Liberarum civitatum Plinius epiſtolarum v i i i, 24.

Sub umbra fœderis] Hoc ipſum eſt quod Arato Plutarchus dicit, συμμαχίαν ὑποκορίζεσθαι, *molle ſervitium*, vocula apud Tacitum hiſtoriarum i v. Feſtus Rufus de Rhodiis: *Primum libere agebant, poſtea in conſuetudinem parendi, Romanis clementer provocantibus, pervenerunt.* Cæſar quos in Æduorum amicitia fuiſſe prius dixerat & clientes vocarat, poſt ſub imperio fuiſſe memorat. Adde, ſi libet, Fredericum Mindanum de proceſſibus lib. i i. cap. x i v. n. 3. Zieglerum §. Landſaſſinum. 86. Gailium libro i i, obſervatione L i v. n. 6. Vide Agathiam libro i. ubi monentur Gotthi quid a Francis cum tempore expectandum habeant.

Revera omnia ad nutum Romanorum fieri] Tales & Lazi Juſtiniani temporibus. Vide Procopium Perſicorum i i.

Qui vero certum quid penſitant] Perſæ pecuniam annuam ab Juſtiniano accipiebant, qua de re vide Procopium Perſicorum i i, & Gotthicorum i v, id molli vocabulo vocabatur ſtipendium ad tutandas portas Caſpias. Turcæ Arabas montanos pecunia placant.

Hebræorum reges] Joſephus libro xv. οὐ γὰρ ἔφη καλῶς ἔχειν Ἀντώνιος βασιλέα περὶ τῶν μετὰ τὴν ἀρχὴν γεγενημένων εὐθύνας ἀπαιτεῖν. οὕτω γὰρ ἂν οὐδὲ βασιλεὺς εἴη· δόντας δὲ τὴν τιμὴν καὶ τῆς ἐξουσίας αὐτεξουσιάσαντας ἐᾶν αὐτῇ χρῆσθαι. *Negabat Antonius rectum eſſe, regem eſſe, regem vocari ad rationes reddendas de iis quæ ut rex feciſſet: ita enim ne regem quidem eum fore. Par eſſe ut qui honorem ei dederint, etiam poteſtate quam liberrime uti eum ſinant.* Chryſoſtomus i i. de Eleëmoſyna: ἐπειδὴ τὰ τῶν Ἰουδαίων μετέπεσε πράγματα καὶ λοιπὸν ὑπὸ τὴν ῥωμαίων ἐτέθησαν ἀρχήν, οὔτε αὐτόνομοι ἦσαν, καθάπερ καὶ πρότερον, οὔτε καθόλου δοῦλοι, καθάπερ καὶ νῦν. ἀλλ' ἐν τάξει συμμάχων ὄντες διετέλουν, φόρους μὲν τελοῦντες τοῖς βασιλεῦσιν ἑαυτῶν, καὶ τοὺς παρ' ἐκείνων ἄρχοντας δεχόμενοι. τὰ πολλὰ δὲ τοῖς ἰδίοις κεχρημένοι νόμοις καὶ τοὺς παρ' αὐτοῖς ἁμαρτάνοντας κατὰ τὰ πάτρια κολάζοντες νόμιμα. *Judæi, ex quo retro ferri res eorum cœpere, Romano attributi imperio, neque in plena, ut ante, erant libertate: neque tamen ita ut nunc omnino ſervi, ſed ſociorum vocabulo honorabantur, regibus ſuis tributa pendentes, & ab iis accipientes præfectos. Ceterum in plerisque ſuis utebantur legibus, ita ut & popularium delinquentes ipſi punirent ſecundum mores patrios.*

Quod nunc Feudum ligium vocant] Vide Baldum procœmio Digeſtorum, Nattam conſilio cccc Lxxxv.

Demetrius] Vide Plutarchum in Demetrio.

ANNOTATA AUTHORIS.

IN LIB. I. CAP. IV.

Confuſa turba, nemo ubi audit neminem] De Bebriciis ſimilia prodidit Valerius:

— non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.

Impune quidvis facere, id eſt regem eſſe] Pertinent huc M. Antonii verba quæ ex Joſepho modo adduximus.

Non reſiſtendi obligationem] Philo in Flaccum: πότε γὰρ εἰς ἀπόστασιν ὑπωπτεύθημεν; πότε δ' οὐκ εἰρηνικοὶ πᾶσιν ἐνομίσθημεν; τὰ δ' ἐπιτηδεύματα, οἷς καθ' ἑκάστην ἡμέραν χρώμεθα, οὐκ ἀνεπίληπτα, οὐ συντείνοντα πρὸς εὔνοιαν πόλεως καὶ εὐστάθειαν; *Quando enim defectionis ſuſpecti fuimus? quando non pacis amantes ab omnibus judicati ſumus? inſtituta vero, quibus utimur quotidie, nonne extra reprehenſionem ſunt, nonne ad concordiam bonumque ſtatum civitatis conducunt?*

Tranquillitas publica] Bene Chryſoſtomus: συνεργός ἐστι σοι, συμπερίστλει σοι. princeps nimirum Euangelium prædicanti. Dedolat ille quod tu deſcobinas.

Sint quibus imperes] Dictum hoc Sullæ ajunt Plutarchus, Florus, & alii, unde ſumſit Auguſtinus lib. i i i, cap. 28. de Civitate Dei.

Sed & vorantes alios alii] Eſt hoc de ſtatuis ſexto: ſed & hoc: ἐὰν γὰρ τὰ δικαστήρια ἀνέλῃς, πᾶσαν τῆς ζωῆς ἡμῶν ἀνεῖλες τὴν εὐταξίαν. *Tolle tribunalia, & omnem de vita tranquillitatem abſtuleris.* Deinde: μὴ γάρ μοι τοῦτο εἴπῃς, εἰ μὴ καλῶς τῷ πράγματι κέχρηνται. ἀλλ' αὐτὸς βλέπε τῆς διατάξεως τὴν εὐκοσμίαν, καὶ τὴν πολλὴν ὄψει τοῦ ταῦτα ἐξ ἀρχῆς νομοθετήσαντος σοφίαν. *Nec mihi illos refer qui male uſi ſunt honoribus, ſed ipſius inſtituti vide pulchritudinem, & ſapientiam ejus admiraberis qui primus ejus auctor fuit.* Idem ad Romanos κἂν ἀνέλῃς αὐτὰς (τὰς ἀρχὰς) πάντα οἰχήσεται. καὶ οὐ χώρα, οὐκ οἰκία, οὐκ ἀγορά, οὐκ ἄλλο οὐδὲν στήσεται, ἀλλὰ πάντα ἀνατραπήσεται, τῶν δυνατῶν τοὺς ἀσθενεστέρους καταπινόντων. *Magiſtratus ſi abſtuleris, perierint omnia; non urbes ſtabunt, non agri, non forum, nec quicquam aliud evertentur omnia & fortioris eſca fiet quilibet infirmior.* idem ſenſus apud eundem ad Epheſ. v.

Apud

Apud Thucydidem ſententia] Lib. II. quicum bene convenit illud Ambroſii libro III. de officiis: *Eadem ſingulorum eſt utilitas qua univerſorum.* Et illud in jure: *Semper non quod privatim intereſt uni ex ſociis ſervari debet, ſed quod communi ſocietati expedit.* L. actionis. §. Labeo. D. Pro Socio. Adde L. unicam. §. penult. C. de Caducis tollendis.

Hoc cedit vobis gratia apud Deum] Tertullianus de Pœnitentia: *Timor hominis Dei honor eſt.*

Ames parentem ſi aquus eſt, ſi non feras] Terentius Hecyra:

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.

Cicero pro Cluentio: *Non modo reticere homines parentium injurias, ſed etiam aquo animo ferre oportet.* Habet ad hoc præceptum pulchra Chryſoſtomus tum II ad Timotheum, tum libro V adverſus Judæos. Pertinent huc & quæ Epictetus & poſt eum Simplicius habent de duabus anſis.

Conſuetudo veterum Chriſtianorum] Ad quam pertinet canon XVIII Concilii Chalcedonenſis, repetitus canone IV Concilii in Trullo: Concilium Toletanum quartum: capitulum II Caroli Calvi in villa Colonia. Synodus Sueſſionenſis canone V.

Sigeriis] Xiphilinus Domitiano. ἐπέθεντο δὲ αὐτῷ καὶ συνεσκευάσαντο τὴν πρᾶξιν Παρθένιος ὁ πρόκοιτος αὐτοῦ καὶ Σιγήριος (male Σίγηρος) ἐν τῇ προκοιτίᾳ καὶ αὐτὸς ὤν. *Inſidias autem ei communicato inter ſe conſilio ſtruxere Parthenius præpoſitus cubiculariorum & Sigerius & ipſe cubicularius.* Martialis libro IV:

Sigerioſque modos, Partheniosque ſonas.

Corruptum id nomen non hic modo in Tertulliano fuerat, ſed adhuc eſt in Suetonio, ubi Saturius, & in Victore vulgari, ubi Caſperius legitur.

Coactus repugnare non novi] Inſeruit Gratianus cauſa XXIII, quæſtione VIII. Idem Ambroſius epiſtola XXIII: *Vultis in vincula rapere? voluntas eſt mihi. non ego me vallabo circumfuſione populorum.* Imitatus eſt magnus Gregorius libro VI, epiſtola: *Si in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa.*

Non etiam in magiſtratibus inferioribus] Petrus Martyr ad Judicum III. Paræus ad XIII caput ad Romanos, Junius Brutus. Danæus libro VI Politicorum, & alii.

Species intermedia] Genus ſpeciale Senecæ epiſtola LVIII.

Ordo & ὑπαλληλισμὸν] Sic in familia paterfamilias primus, inde materfamilias, inde filii, mox ordinarii ſervi, poſtremo ſervi vicarii. vide Chryſoſtomum I ad Corinth. XIII, 3.

Auguſtini] Habet prope eadem Auguſtinus ſermone VI in verba Domini.

Verum principem gerere] Quod poſtea imitati Pertinax & Macrinus, quorum orationes egregias apud Herodianum vide.

Σαφῶς ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν] Maccabæorum lib. I. c. 9, 10, 43. & 44. καὶ ἤκουσε Βακχίδης καὶ ἦλθε τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἕως τῶν κρηπίδων τοῦ Ἰορδάνου ἐν δυνάμει πολλῇ καὶ εἶπεν Ἰωνάθαν τοῖς παρ' αὐτοῦ. ἀναστῶμεν νῦν καὶ πολεμήσωμεν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. οὐ γάρ ἐστι σήμερον ὡς ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. *Id cum audiſſet Bacchides, venit multo cum exercitu ad Jordanis ripas ipſo die ſabbati. Jonathan autem ſuis dixit: ſurgamus nunc, & pro vita pugnemus, neque enim noſtra res ſe habent ut heri & nudius tertius.*

De ſtatione non deſerenda] Vide Joſephum ubi de cuſtodibus Saulis agit. Polybius; παρὰ Ῥωμαίοις θάνατος ἦν πρόστιμον τῆς ἐφεδρείας λιπόντι τὴν τάξιν.

Totum imperium ad Macedonas devenit] Juſtinus libro XXXVI: *Primus Xerxes rex Perſarum Judæos domuit. poſtea cum ipſis Perſis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in poteſtate Macedonici imperii fuere. A Demetrio cum deſciviſſent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

Principi in populo tuo non maledices] Joabus Semeiæ apud Joſephum: οὐ τεθνήξῃ βλασφημήσας τὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ κατασταθέντα βασιλεύειν; *An non mereris, qui ei maledicere auſus es quem Deus in regni ſede conſtituit?*

Obſtabat plena divinorum memoria mandatorum] Joſephus de Davide: μεταγνοὺς δ' εὐθὺς οὐ δίκαιον εἶπε φονεύειν τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην. *Sed ſtatim pænitudine ductus, injuſtum facinus eſſe dixit, dominum ſuum occidere.* Et poſt: Τὸν ὑπὸ θεοῦ κεχειροτονημένον βασιλέα δεινὸν ἀποκτεῖναι κἂν ᾖ πονηρός. ἥξειν γὰρ αὐτῷ παρὰ τοῦ δόντος τὴν δίκην. *Horrendum, regem quamvis malum interficere. pœnam enim id facienti imminere ab eo qui regem dedit.*

In civitatem eſt injurius] Julianus Miſopogone: καὶ γὰρ οἱ νόμοι φοβεροὶ διὰ τοὺς ἄρχοντας, ὥστε ὅστις ἄρχοντα ὑβρίζει, ἐκ περιουσίας τοὺς νόμους κατεπάτησεν. *Sunt enim leges ſeveræ pro principibus, ita ut qui in principem injurioſus fuerit, is ex animi libidine conculcaverit leges.*

Non poſſit non multorum odiis patere] Quintilianus Declamatione CCCXLVIII: *Hanc eſſe conditionem omnium qui adminiſtrationem reipublica aggrediuntur, ut ea qua maxime pertinent ad ſalutem communem cum quadam ſui invidia efficere cogantur.* vide ea de re Liviæ verba ad Auguſtum apud Xiphilinum ex Dione.

Nam pro populi paſtore timebat] Bene Chryſoſtomus I ad Tim. I: *Si quis ovem jugulet, ab eo gregem imminui, at ſi quis paſtorem de medio ſuſtulerit: ab eo totum gregem diſſipari.* Seneca libro priore de Clementia cap. III: *Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt: latera objecti circumfuſique defendunt; incurrentibus periculis ſe opponunt. Non hic eſt ſine ratione populis urbibuſque conſenſus ſic protegendi amandique reges, & ſe ſuaque jactandi quocunque deſideraverit imperantis ſalus. Nec hac vilitas ſui eſt aut dementia, pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere, non-*

nunquam ſenis & invalidi. Quemadmodum totum corpus animo deſervit (quod ipſum late ibi exſequitur) *ſic hæc immenſa multitudo unius animæ circumdata illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis niſi conſilio ſuſtineretur. Suam itaque incolumitatem amant*, &c. Adde quæ infra, lib. II. cap. 1, §. IX.

Artabanus Perſa] Apud Plutarchum in Themiſtocle.

Innocentes nocentibus cedunt] Hæc ſunt in ſcripto ad Demetrianum. Ejuſdem hæc libri primi epiſtola I: *Intellexit* (adverſarius) *Chriſti milites vigilare, jam ſobrios & armatos ad prælium ſtare, vinci non poſſe, mori poſſe; & hoc ipſo invictos eſſe, quia nec mori timent, nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, ſed promte & animas & ſanguinem tradere.*

Mauritius] De hujus martyris honoribus apud Helvetios vide Guillemannum in veteri ſcripto de tranſlatione ſancti Juſtini in novam Corbejam: *Unde juxta fidem Chronicorum ſub atrociſſima & incomparabili illa decima poſt Neronem perſecutione paſſum eum colligimus: quæ & prioribus perſecutionibus immanior, dum venerabilem multitudinem martyrum cælis mitteret, inter quos etiam præcipuum ſancti Mauritii collegium, & innocentiæ ſpeculum.* De Thebæis martyribus Brunsvicum tranſlatis vide Crantzium Saxonicorum VII, 16.

Tenemus ecce arma & non reſiſtimus] Similia ſunt illa Judæorum Alexandrinorum ad Flaccum: ἄοπλοί ἐσμεν ὡς ὁρᾷς· προσδιαβαλλομένους δὲ αἰτιῶνταί τινες ὡς πολεμίους. ἃ δὲ ἡ φύσις ἑκάστῳ προσένειμεν ἀμυντήρια μέρη χεῖρας, ἀπεστρέφομεν, ἔνθα μηδὲν ἐργάσασθαι δύναται, παρέχοντες αὐτῶν τὰ σώματα πρὸς εὐσκόπους τοῖς θέλουσιν ἀποκτεῖναι βουλάς. & quæ ſequuntur. *Inermes ſumus, ut vides, & tamen ſunt qui nos tanquam hoſtes publicos hic criminantur. Etiam eas quas ad noſtri tutelam partes dedit natura retro vertimus, ubi nihil habent quod agant. corpora præbemus nuda ac patientia ad impetum eorum qui nos volent occidere.*

Valens] Vide excerpta ex Johanne Antiocheno, ex Manuſcripto libro viri æterna memoria digniſſimi Nicolai Peireſii.

Ut Lacedæmone] Plutarchus in Lyſandro: οἱ Σπαρτιᾶται τῷ βασιλεῖ δίκην προσέγραψαν θανατικήν, ἣν οὐχ ὑποστὰς ἐκεῖνος εἰς Τεγέαν ἔφυγε. *Spartiatæ regem ad capitis judicium vocarant, quod ille declinans fugit Tegeam.* Idem Sulla: αὐτοί γε τοι Σπαρτιᾶται βασιλεύοντας ἐνίους ἀφείλοντο τὴν ἀρχήν, ὡς οὐ βασιλικούς, ἀλλὰ φαύλους καὶ τὸ μηδὲν ὄντας. *quibuſdam regibus Spartiatæ regnum ademerunt ut ineptis regno, quippe abjectis nihilique hominibus.* de Agide injuſte, ſed damnato tamen, vide eundem Plutarchum. Moſynæci regem inedia puniebant. Mela libro II.

Furiis ſurrexit Etruria juſtis] Et aruſpex Etruſcus in Mezentium inſurgentibus:

Quos juſtus in hoſtem
Fert dolor.

Si rex vere hoſtili animo in totius populi exitium feratur] Pari de cauſa tribunus plebis qui ſit ipſo jure deſinere eſſe talem ingenioſe defendit Gracchus, cujus verba digna lectu apud Plutarchum. Johannes Major in librum IV Sententiarum dicit, non poſſe populum à ſe abdicare poteſtatem deſtituendi Principis in caſu quo ad deſtructionem vergeret. quod commode explicat ex his quæ hoc loco dicuntur.

Si hoc aut hoc rex faciat] Vide de regno Arragoniæ Marianam libro VIII.

Partem alteram populus aut Senatus] Exemplum habes in Genuate republica apud Bezarum libro XVIII. in Bohemia tempore Wenceſlai hiſtoriæ libro X. Adde Azorium inſtitutionum Moralium lib. X. cap. 8. & Lambertum Scafnaburgenſem de Henrico IV.

Ut certo eventu reſiſti regi poſſit] Exempla vide apud Thuanum hiſtoriarum CXXXI, in narratione anni CIↃ IↃC IV; & libro CXXXIII, in anno CIↃ IↃC V. utrumque de Hungaria: apud Mejerum narratione anni CIↃ CCC XXXIX, in Brabantia & Flandria. narratione anni CIↃ CCCC LXVIII, in fœdere inter regem Galliæ & Carolum Burgundum. Adde de Polonia quæ habet Chytræus Saxonicorum XXIV. & de Hungaria Bonfinius Decadis IV, libro IX.

Lex Valeria] Plutarchus in Publicola: ἄνευ κρίσεως κτείνειν τὸν βουλόμενον τυραννεῖν. *ut injudicatum occidere eum liceret qui dominatum concupiſceret.* mox addit: εἴ τις ἐπιχειροίη τυραννεῖν Σόλων μὲν ἁλόντι τὴν δίκην ἐπιτίθησιν, ὁ δὲ Ποπλικόλας καὶ πρὸ τῆς κρίσεως ἀνελεῖν δίδωσι. *Solon ei qui dominatum invadit deprehenſo diem dici vult. ac Publicola etiam ante judicium talem permittit interfici.*

Tyrannum Nabidem relinqui] Quod Plutarchus in T. Quintii Vita ſic explicat: ὡς ἑώρα σὺν κακῷ μεγάλῳ τῶν ἄλλων Σπαρτιατῶν ἀπολλύμενον τὸν τύραννον. *Cum videret ſine gravi aliorum Laconum malo non poſſe tyrannum deſtrui.* Non alienum eſt ab hac re quod Plutarchus refert in Lycurgo, Laconem quendam cum legiſſet.

Σβεννύντας ποτὲ τούσδε τυραννίδα, χάλκεος Ἄρης
Εἷλε Σελινοῦντος δ' ἀμφὶ πύλας ἔπεσον.
Hos dum Marte parant dominatum exſtinguere, ſævus
Ante Selinuntis mœnia Mars rapuit.

Reſpondiſſe, δικαίως τεθνήκασιν οἱ ἄνδρες. ἔδει γὰρ ἀφέμεν ὅλην αὐτὴν κατακαιομένην. *Merito viri illi periere. exſpectare enim debuerant ut ipſe per ſe dominatus conflagraret.*

Detrahimus dominos urbi ſervire parata] Plutarchus in Catone Majore de Antiocho Magno: ἐποιεῖτο αἴτιον τοὺς Ἕλληνας ἐλευθεροῦν, μηδὲν δεομένους. *Bello prætextum ſumebat, liberare Græcos, libertatis non egentes.*

Quia ejus imaginem nummus præferebat] Certiſſimum hoc indicium poſſeſſionis. vide in hiſtoria Genuate Bezarum libro XVIII.

ANNOTA-

ANNOTATA AUTHORIS
IN LIB. I. CAP. V.

SOlon] Verba hæc Plutarchus refert: τῶν πόλεων κάλλιστα οἰκεῖται ἐκείνη ἐν ᾗ τῶν ἀδικουμένων οὐχ ἧττον οἱ μὴ ἀδικούμενοι προβάλλονται καὶ κολάζουσι τοὺς ἀδικοῦντας. *Civitatum illa feliciſſime colitur, in qua qui injuriam non ſenſere ei qui ſenſere ſe opponunt.* Huc & illud pertinet in Rudente Plauti: *Prætorquete injuriæ prius collum, quam ad vos perveniat.*

Romæ ſervos] Servius ad IX Æneidos.

Clericos] Ac Levitæ olim extra belli munia, ut notatum Joſepho. De clericis vide Nicetam Choniaten libro VI. Caroli Calvi Capitulum in Sparnaco XXXVII. in Gratiano c. clericum. diſt. V, & cauſa XXIII, quæſtione VIII. Et canones quidem ſic habent: ſed quanto illi ſervati a Græcis quam a Latinis diligentius, vide Annam Comnenam.

JOAN. FRID. GRONOVII
N O T A T A
A D
H. G R O T I I
L I B R O S
De Jure Belli ac Pacis.

PRolegomena] Προλεγομένων partes ſunt duæ: Generalis, quæ ſpectat omnem materiam: Specialis, quæ ſpectat hoc opus. Prior habet duo membra: alterum, quo probatur, eſſe jus; alterum, quo probatur, eſſe & jus in bello.

Prioris membri quatuor ſunt articuli: primus, propoſitio ſententiæ illorum, qui jus volunt eſſe rem imaginariam, umbraticam, appellationem ſine corpore & ſpecie, ut Cæſar de Republica loquebatur.

Secundus, refutatio ejuſdem ſententiæ. Tertius, confirmatio ſeptem conſtans argumentis. I. Eſt natura homini appetitus ſocietatis, ergo & jus. II. Eſt judicium & qualiſcunque delectus boni & mali, ergo & jus, quod bono alligat, & a malo deterret. III. Eſt diſcrimen etiam boni majoris & minoris, & iotellectus bono majori deberi majorem honorem, ergo & jus, nempe juſtitiæ diſtribuentis. IV. Agnoſcimus omnes verum, ergo & jus, quod ille præcipit, Deum præcepiſſe. V. Habemus parentes quibus pro beneficio procreationis & eductionis ſubjecti ſumus, ergo eſt jus, quod illi mandant. VI. Intellexere homines utile eſſe civitates coli, ergo eſt jus civile. VII. Viderunt quoque utile eſſe, ut quædam civitates cum civitatibus & populis externis conſentirent in commune utrorumque bonum, ergo eſt jus gentium. Quartus articulus prioris membri partis generalis, conſectaria quædam vel ſecunda refutatio I. Adverſus Carneadem, II. Dicti Horatiani, III. Eorum qui jus inter privatos agnoſcunt, rectores Rerumpublicarum eo volunt ſolutos.

Alterum membrum partis generalis, quo probat eſſe etiam jus & ſervandum eſſe in bello, conſtat argumentis quatuor. *ESSE JUS IN BELLO probat*, I. quia laudabile bellum non ſuſcipitur niſi juris obtinendi cauſa: indignum igitur jus per injuriam peti. II. teſtimonia ſcriptorum & Imperatorum. III. pro juſtitia cauſæ & armorum, proque injuſtitia augentur & minuuntur animi militum. IV. Creſcit exiſtimatio ad alienigenas, ſi quem videant non niſi juſtam ob cauſam, & ſalvo jure publico ac privato ad arma deſcendere.

PARS SPECIALIS eſt quæ proprie ſpectat hoc ipſum opus, atque quintuplex eſt. Continet enim I. conſilium auctoris. II. partitionem operis. III. neceſſitatem operis. IV. ſubſidia. V. curam & cautionem auctoris per univerſum opus.

1. *Jus civile Romanum*] Quod LL. regiis & XII. tabb. Romæ ortum varie crevit; cumque diffunderetur nimis, a Juſtiniano circumciſum & correptum in Pandecte, Codice, Novellis, &c. ad nos pervenit, inque Academiis docetur. Quod olim fuit Quiritium, id nunc eſt jus commune omnium populorum in Europa.

Quod cuique patrium] populi unius ſive certæ gentis, regni, municipii.

Contractum] in compendium redactum.

Quod inter populos plures] quod populos aut principes ſui juris, nullaque reipublicæ communione conjunctos alium aliis præſtare oportet.

Sive ab ipſa natura profectum] ſive ſit jus naturale. Significat jus belli & pacis, ſive Gentium jus, ſive publicum appellare velis (perinde ut Juſtinianus loquitur de jure privato Romanorum)

rum) tripertitum eſſe; quippe collectum ex naturalibus præceptis, ex divinis oraculis, ex cultiore vita populorum.

Aut divinis] ſive divinum.

Moribus] ſive ſit gentium jus,

2. *Cicero*] in orat. pro Balbo, cap. 6.

Præſtabilem] i. e. inſignem, excellentem, eximium.

Conditionibus] conventionibus aut placitis, pactionibus. Sic loquitur Cicero Topic. 21. *Jus a natura profectum ſit, an ab aliqua conditione hominum & pactione.* & 1. Off. 7. ait quædam eſſe *privata lege, conditione, pactione, ſorte.*

Cognitioni] otioſæ ſcil. & fructu propoſitoque animi emendatioris deſtitutæ. Hos Stoici ajebant noſſe præcepta ſine decretis, & Græci paſſim proverbio τὴν πολυμάθειαν νόον οὐ διδάσκειν. Vide Gellium: initio talem cognitionem in Scythis arguebat Juſtinus 2, 2.

Theoclymenum] Immo Theonoen Theoclymeni ſororem: qui ambo erant Protei liberi. compellatur autem ſic ab Helena. Eurip. in ejus nominis tragœdia v. 929.

3. *Inane nomen*] ut Julius apud Sueton. 77. *nihil eſſe rempublicam; appellationem modo, ſine corpore & ſpecie.* Et Brutus moriens, *non in re ſed in verbo eſſe virtutem*, Flor. 4, 7.

Thucydidem] l. 6. Euphemus erat legatus Athenienſium ad Camarinos bello Siculo.

Nihil injuſtum] Thraſymachus ad Socratem apud Plat. de rep. 1. 579. φημὶ γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο ἢ τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον. Vide Muretum Var. Lect. 18. 10.

Id æquius quod validius] Vide Tacit. XV. Annal. 1. *Id jus eſſe quod ei qui plus poteſt, utile eſt.* Cic. 3. de rep. Petr. p. 37.

Sine injuria] Ex fragm. Ciceronis lib. 3. de republ. apud Auguſt. de Civ. Dei 19, 21. ubi P. Furius Philus hoc diſputat. Verba ſunt: *Niſi per injuſtitiam rempublicam ſtare aut geri non poſſe.* Vide Sigon. ad frag. p. 67. & Partit. 140. Eos qui ſunt cum imperio, neceſſario nonnunquam eſſe injuſtos.

Martem habent arbitrum] bello deciduntur, c. 21. ὃς οὔτινα οἶδε θέμιστα de Marte Homer. Il. ε. 761. Alexander ad Darii legatos: *Nuntiate veſtro regi & quæ amiſit, & quæ nunc habet, præmia eſſe belli. Hoc regente utriuſque terminos regni, id quemque habiturum, quod proxima lucis aſſignatura fortuna eſt*, Curt. 4, 10.

Ex jure manu conſertum] rei vindicatione, actione civili. Extat hic Ennii locus apud Gellium. 20, 10.

Et alius alium] Lucanus videlicet Julium Cæſarem, cum Rubiconem tranſiret. Vide Lucan. 1, 225.

Antigonus] Plutarch. de fortit. Alex. p. 330.

Marius] Plutarch. Apoph. p. 202. Mario 421.

Oris tam verecundi] quod quoties in concionem veniret etiam maximis rebus geſtis, erubeſceret. Seneca epiſt. 11. quod ipſe cum aliis *probum* vocat. Unde *os probum ejus* Plinio 7, 12. & 37, 2. Unde Salluſtius cum dixit *oris probi, ſed animi inverecundi*, Suet. de illuſtr. Gramm. 15. Probus autem Latinis auctoribus i. q. verecundus. Lyſander τὸ δίκαιον ἐν μέσῳ τῷ λυσιτελεῖ τιθέμενος καὶ τὸ καλὸν ἐν τῷ συμφέροντι.

4. *Propria negotia*] non parerga aut obiter contingentia, ſed ipſum opus, ipſum quod intenditur ibi & agitur: non quæ forte incidunt, ſed quæ proprie ibi aguntur.

Comœdia] Terent. Eun. 1. 1.

5. *Ne cum turba*] in qua ſcilicet omnes clamant, nemo audit. lib. 1, 4. 2.

Demus ei] Ponamus hominem certum, quicum nobis res ſit, qui pro falſa illa opinione pugnet, & pro ea ſolus dicat. Genus loquendi e veterum declamatorum ſchola petitum quo de foro migrarent. Frequentatum M. Senecæ & Quinctiliano. Vide notas meas ad Senec. controvers. 7.

Carneadem] Carneades Cyrenæus, Novæ Academiæ tertiæ conditor poſt Platonem & Arceſilam. Vide Diog. Laërt. & Jonſium Hiſtor. philoſoph. lib. 3. cap. 10. pag. 264. Cic. de legib. 1, 13. Lactantius 5, 17. Quinctilianus 12, 1. De ſententia Carneadis Cic. 3. de Republ. fragmentum ſervatum Lactantio in Epitome.

Academiæ] Academicæ ſectæ, quæ ex inſtituto nihil definiebat, & aſſenſum quidem ſuſtinebat, de omnibus autem quæſtionibus probabiliter in utramque partem diſputabat.

Cum ſuſcepiſſet] quod fecit Romæ legatus ab Athenienſibus miſſus, temporibus M. Porcii Catonis Cenſorii. Plut. p. 349. Quintil. 12, 1. 557. Lactantius diviner. Inſtit. 5, 14. & 17. unde Gr. hunc locum deprompſit: ipſe autem e Ciceronis lib. 3. de republ. Adde Lactant. epitomen Cap. 1.

6. *Poëta*] Horat. lib. 1. Satyr. 3.

Nam homo animans quidem eſt, ſed eximium animans] Cicero 1. leg. 7. ab eodem orditur initio: *Homo etiam animal* &c.

Pro ſui intellectus] quantum poteſt aſſequi humana imbecillitas. Sola enim cœleſtia ſunt ordinatiſſima; humana tam perfecte diſponi nequeunt, ut non maneat aliquid incommodi.

Sui generis] cum aliis hominibus.

Οἰκείωσιν] q. d. domeſticationem, familiaritatem domeſticam.

7. *Fœtuum*] ut galli gallinacei gallinas, & gallinæ pullos ante ſeſe exaturantes & hæ & pleræque animantes, quam ipſi granum ſumant, ut animalia & feræ etiam pro catulis ac fœtibus ſeſe in periculum conjicientes, ut canes venatici præda abſtinentes, & eam domino reſervantes. Cic. 5. fin. 19. *formica, apes, ciconia aliorum etiam cauſa quædam faciunt.* Quintil. 5, 11. apes etiam formicaſque in commune laborare. Vide Ælian. de animal.

Ex principio] non ex vi mentis, conſilio, voluntate, deliberatione ac decreto, denique parte intelligente ipſis inſita atque ingenita.

Extrinſeco] i. e. Deo vel miniſtra Dei natura, non ab inſita ipſis ratione certa & perpetua, ſed ex inſtinctu naturæ, in paucis & certis rebus ſic ſe habente.

Circa ſimilia ſimiliter agere] quod negatum beſtiis, quæ tantum in uno, quo naturalis appetitio fert, aut a quo declinatio avertit, ſic agunt. Cic. 2. de fin. 14. *ratio, quæ & cauſas rerum & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemque complectatur vita conſequentis ſtatum.* Idem 1. de leg. 7.

Cujus peculiare ſolus inter animantes inſtrumentum habet ſermonem] Et ſocietatis colendæ ex Cic. 1. de leg. 9. moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix eſt humanæ maxima ſocietatis.

Cui] Facultati.

8. *Societatis cuſtodia fons eſt juris*] Homo appetit ſocietatem, quia ea juvatur & conſervatur: & ſi nihil juvaretur, ac ſibi ſufficeret, eam appeteret tamen, ne ſermo eſſet ocioſus ſibi: deinde ut, quæ habet commoda, cum aliis communicaret: (bonum enim eſt communicativum ſui) aut ſaltem aliis demonſtraret, naturaliter enim gaudia teſtem requirunt. Jam qui ſocium admittit, qui vicinum, neceſſe eſt aliquid ei tribuat, aliquid in illo ferat, & ſibi minus indulgeat, ut eadem viciſſim conſequatur a ſocio. Qui contubernalem adſciſcit, neceſſe eſt partem cubiculi ei permittat, qui conjugem, lecti. Hæc primo humanitas & mutua patientia ſolitudinis vitandæ & auxilii mutui cauſa comparata, pactis conventis vel tacitis vel expreſſis firmata, tranſit in iis. Cicero ait 1. de leg. 5. *ſi patefiat, cujus muneris colendi efficiendique cauſa nati & in lucem editi ſimus, quæ ſit conjunctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos; his explicatis, fontem legum & juris inveniri.*

Quod proprie] 1, 1, 10. quod in contractibus verſatur.

Quo pertinent] ad quod: Juſtin. 2. 2. de Scythis. *Nulli ſe gravis, quideum*, &c.

Damni culpa] ſi quis quid damni noſtra culpa aut vitio in rebus ſuis fecerit, id ut compenſemus.

Pœnæ metum] utque puniatur, qui peccarit in ſocietatem. ἀλόγως καὶ ἐφ' ὅσον μετέχει τῆς φύσεως, ἐπὶ πλεῖον. Ariſtoteles Occon. 1. 3.

9. *Judicium ad æſtimanda*] æſtimandi, i. e. delectum & diſcrimen rerum bonarum & malarum, juvantium & inutilium, non modo in præſens, ſed etiam in longam diem, & rationes viaſque tam quæ præcipitant in turpia & noxia, quam quæ ad honeſta & profutura pertinent: adeoque providentiam ſecuturi ejus commodi aut incommodi.

Pro humani intellectus modo] i. e. quantum patitur imbecillitas & infirmitas humana.

In his judicium] Non facere quod quæ canit, *Video meliora proboque, Deteriora ſequor*; ſed diligenter & liquido inſpecta & pro melioribus agnita conſtanter, & confidenter ſectari, affectare, agere.

Illecebra corrumpi] ut eligas aut repente facias, cujus poſtea pœniteat.

Judicio] ſe debere averſari malum licet habeat illicebram boni.

10. *Diſpenſatio*] Juſtitia διανεμητικὴ ſive Attribuens vel Diſtributiva, in præmiis & muneribus ſive oneribus tribuendis, non autem in pœnis, in quibus verſatur commutativa, quæ ſpectat contractus & maleficia, quæ ſunt quaſi contractus.

Actus] Opera quam in commune commodum præſtat.

Juris proprie] Quod reddit prætor & unde actiones naſcuntur. quod pertinet ad juſtitiam commutantem vel emendatricem, συναλλακτικὴν ἢ διορθωτικὴν, verſantem in contractibus & pœnis.

Stricte dicti] quale ſcil. traditur in Juris corpore, unde actiones naſcuntur.

Jus] juſtitiæ diſtributivæ proprie non eſt jus, quia nulla actione peti poteſt.

Sunt alterius] Reſpicit duo præcepta poſteriora juris. Hæc eſt juſtitia quæ dicitur commutativa vulgo, vel correctiva in contractibus & pœnis.

Impleam] i. e. faciam quod debeo; unicuique ſuum tribuam.

11. *Eſſe Deum*] IV. Argumentum.

Traditio] i. e. omne quod gentes inſtillarunt ſuis poſteris, ſive conſenſus & præcepta majorum noſtrorum omnis ævi.

Opifici] qui nos creavit.

Sine exceptione] in omnibus & perpetuo.

12. *Ex libera Dei voluntate*] Propterea id vocat *Jus voluntarium divinum* lib. 1. cap. 1. num. 13.

Sive illud ſociale] ſive quod continet ac dirigit ſocietates gentium & hominum, ſive quod ſanæ menti rectum & decorum probat ratio, eo nomine accipiamus, etſi excogitatum, comparatum, proditum eſt ab hominibus excellenter præditis & præclare utentibus vi humanis ingeniis inſita.

Principiis] recta ratione inſita, quam negaverat in beſtiis eſſe.

A Jove] Derivatio Stoïca Scipionis Gentilis inventum Orig. p. 270. immo potius præciſum & decurtatum a vocabulo *juſſus*, nam quod ſive Deus, ſive ratio, ſive ſuperior jubet, eſt jus.

13. *Datis legibus*] Decalogo.

Impetus] ὁρμαί. πάθη, affectus, ſenſus, motus animi, commotiones, perturbationes, qui debent regi ab animo tanquam ſatellites. Cic. 3. Tuſc. 11. & 4. Tuſc. 6. Claudian. 4. Conſ. Honor. 230.

Vagari] cum ſc. dixit, *non concupiſces, non occides*: aliud contra iram, aliud contra deſideria.

Addictius] Adductius, quaſi attracto fræno. Phraſis Taciti, *regnum adductius*, 3. hiſt. 7. de mor. G. 43.

14. *Florentinus*] l. 3. D. de Juſtit. & Jure.

Inter homines] V. Argumentum.

Infinitum] non ſine exceptione, ut de Deo dixerat.

Sui generis] quatenus non eſt contra illum cui ſoli infinitum obſequium debetur, Deum.

15. *Stare pactis*] i. e. fidem datam ſervare.

Neceſſa-

Google

Neceſſarius obligandi modus] Nam ſi ſocietas jungi debebat, requirebatur aliquod vinculum, coagulum, ferrumen, ſacramentum, quo ea ſocietas contineretur: alioqui forent meræ arenæ.

Nam qui ſe cœtus] VI. Argumentum.

Homini] uni regi, principi, aut magiſtratibus aliis.

Quibus delata] aut pauci unuſve repræſentans ſocietatem, ut rex, magiſtratus.

16. *Utilitas*] Horat. 1. Sat. 3.

Humana] recta ratio.

Proavia] cauſa remotior.

Accedit] ultro ſe quaſi comitem præbet.

Societatem raperemur] Lactant. de Opific. Dei, cap. 4.

Utilitatis] ut ſingulorum artes & opes in unum collatæ omnibus quoque aliis prodeſſent.

17. *Ex conſenſu jura*] vel tacito, vel expreſſo, VII. Argumentum.

Magna illius univerſitatis] Conjunctionis quæ inter omnes eſt homines.

Nomen a jure naturali] Nam interdum naturæ jus vocatur, quod eſt gentium, ut paulo inferius dictum eſt. Sic majorem natu in imperiis ſuccedere *natura jus* vocat Juſtinus 21, 1. *quod natura ipſa gentibus dedit.* 2, 10. Idem *jus gentium* dicit lib. 34, 3.

18. *Male*] Conſectaria ſive. IV. articulus prioris membri Partis generalis.

Stultitia] quia abſtineat alieno, quod poſſet ei utile eſſe.

Id convellit] eripit ſibi fidem, exiſtimationem, aliorum voluntatem cum ipſo contrahendi.

19. *Jura inventa*] Horat. 1, Sat. 3.

Ad ea duntaxat] quæ firmant jus & auctoritatem magiſtratuum.

Judicia] diſceptationes fori, cum didiciſſent homines legibus, non armis, vivere. Juſt. 43, 4.

Fine ſuo externo] non poſſe ad effectum & exſecutionem pervenire, niſi magiſtratui committatur jus gladii.

Vim] Hinc Κράτος καὶ Βίαν inter miniſteria Jovis in Promotheo ponit Æſchylus. Et qui rempub. ordinat & reformat, cum ſine collega & armatum eſſe oportere diſputat Machiavellus ad Livium 1. 7. & hoc argumento excuſat cædem Remi a Romulo occupatam.

20. *Securitatem*] Diogenes apud Stobæum ſer. 31. p. 188. Ἡ τοίνυν δικαιοσύνη πολλὴν ἔχει ῥᾳστώνην τῇ ψυχῇ. τὸ γὰρ μηδένα μήτε φοβούμενον, μήτε αἰσχυνόμενον ζῆν ἡδονή τις ἐστι καὶ ἱκανότης τοῦ βίου.

Plato] in Gorgia. p. 357. Alludunt Tacitus 6. ann. 6. Cicero 3. de Offic. 2, 1. Quintil. 12. Inſt. 1. Lucianus Cataplo. Claudianus in Rufin. 2, 504. & apud Stobæum Diogenes pag. 188.

Quod vero &c] III. conſectarium. 21.

In populo] ut apud Senecam Thyeſte v. 215. Athreus: *Sanctitas, pietas, fides, privata bona ſunt: qua juvat, reges eant.*

Niſi utilitatem] Et jus ſive juſtitiam & ſtudia liberalia & pietatem & virtutem omnem ſequuntur utilitates, honores, opes, præmia: ſed ea omnia vitiantur, quoties in illis nihil ſpectatur, niſi utilitas. evenit enim, ut canon ſerio, commode, diligenter exerceant, quotquot ad vota properant, & ex his, tanquam aliquid majus, utile petunt; & ſimul atque præſens non apparet utilitas, aut præſentior non apparet ex contrariis vel diverſis, iſta præclara negligant & contemnant.

Foras ſpectat] i. e. quæ præſtat hominem bonum magis alteri, quam ſibi. Apulej. de Philoſ. mor. p. 16.

22. *Tam valida*] Salluſtius Jugurth. 109. in oratione regis Bocchi. Curt. 7, 8. Senec. epiſt. 4. *Neminem eo fortuna provexit*, &c.

Intra civitatis] tantum civile ſtatuunt eſſe; non gentium.

Omnia incerta] in aleam mitti. nec hominis nec ſocietatis ſtatum fundatum eſſe, ni juſtitia muniatur. Cicero pro Cæcina cap. 25.

Simul] i. e. ſimul ac a jure &c.

23. *Ariſtoteles*] & Cicero 2. de Offic. 11.

Fœda] i. e. natura turpia & deteſtanda; non tantum ignominioſa opinione hominum aut reſpectu prioris fortunæ. (Machiavell. ad Livium lib. 3, 41. diſcurſ.) nam illa interdum bono cui ſubeunda ſunt.

Jus habeat] legitime creatum, χειροτονηθέντα.

24. *Pompejus*] qui dixerat, *armatus ut leges cogitem?*

Haſta & gladio] quæ quam latiſſime, quo liberet, arma victricia proferret.

Juſtitiam] cujus nihil eſſet niſi jure poſſeſſum.

Spartani regis] Ageſilai.

φιλομακεδόνας] amantes Macedonum.

φιλορωμαίους] amantes Romanorum.

φιλανθρώπους] amantes omnium hominum.

Æquitatem] juſtus tantum eſſet erga ſuos Cretenſes; in exteros bella parum juſta facile ſuſciperet, aut iniquas victis conditiones ferret, ut crudele tributum Athenienſibus impoſitum; de quo Ovidius.

25. *Tantum*] II. membrum 1. Partis, eſſe jus etiam belli probatur.

Judiciis] non ſubmittunt ſe judici.

Invalidiores] ſc. eo ad quem in jus aditur, & propterea ſe patiuntur ad tribunal citari & judicari, quo & inviti cogi poſſunt.

Pares ſe] qui non ſubmittunt ſe judici eidem.

Bella ſunt in eos qui pares] Hinc patet unde hoſtis dicatur, ſcil. quod par ſit, nam hoſtire eſt æquare.

Accommodata] Sic ait Juſtinus, poſt arma & bellum legibus locum non relinqui l. 8. c. 1.

26. *Sed civiles illa*] Sic bello Marſico Senatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. Aſconius Ped. in orat. Cic. pro Cornelio p. 145. Sic Juſtinus reprehendit Thebanos, qui poſt victoriam apud Mantineam Lacedæmonios & Phocenſes de rebus in bello actis apud Concilium Amphictyonum accuſaverunt, quaſi poſt arma & bellum locum legibus reliquiſſent, lib. 8, 1.

Puro pioque] Liv. l. 32. Quod qui gerat, in cauſa belli capienda non ſcelere, non impietate maculetur. Vide ad Sen. Medeam v. 901.

Bella tarde] Quod oſtendit etiam proverbium illud, *Dum deliberant Romani, capitur Saguntbus.*

Camillus &c. teſtimonia Impp.

Apud alium] Liv. 5, 27.

Pacis jura] Verba Camilli apud Livium d. l. Plutarch. *ſæva res bellum eſt*, &c. *ſunt tamen belli Leges.* in Camillo.

Alius] Seneca ep. 120.

In hoſtem] Apud Senecam d. l. *In hoſte.*

27. *Quantam*] Argumentum III.

Hiſtoriarum] Juſtinus de ſervis Scytharum 2, 5, 2. 19, 1. 24, 4. 26, 2.

In milite cauſa] Ovidii eſt.

Cauſarum oppoſitu] ut, cum bonum ſemen in terram conjectum fructum effert nullum: cum utile per ſe remedium in morbo non impedit mortem, aut ſanat morbum. Huc pertinet, non ab effectu facta notanda.

Etiam] Argumentum IV.

28. *Ego*] Pars altera & ſpecialis Prolegomenon, quæ ſpectat ipſum opus. 1. Conſilium auctoris.

Uno edicto] i. e. licentia. quaſi jus datum ſit ſceleri, ut Lucanus loquitur.

29. *Diligendis*] Quippe qui unumquemque hominem debet proximum ſuum ducere.

Conſilio] non ut ſimpliciter omnia bella tollerent.

Quæ in unam partem] Scipionem incurvatum in contrarium recurvare, quo fiat rectus: ſic hi quod non omnia bella damnarent, ſed ne temere & tam facile ſuſciperentur. Seneca 7. ben. 22. *Quædam præcipimus ultra modum, ut ad verum & ſuum redeant.*

Dictis intra verum] Sic ſi qui ageret in foro, intentione ſua plus complexus fuiſſet, quam ad eum pertineret, cauſa cadebat. §. 33. Inſt. de Act.

30. *Quæ ex conſtituto*] i. e. quæ homines temporariis ſæpe cauſis impulſi conſtituerunt, & identidem mutat dies, ab illis, quæ recta ratio dictat, nec ſe patitur aliter habere. §. 10. de Jur. nat. gent. & civil. Inſtit.

Cum ſemper eadem] §. 11. Inſtit. de J. N. G. & C.

In artem colligi] Certis regulis & præceptis includi ac deſcribi.

31. *Quæ ex voluntate libera*] quæ non ſtatim inculcat recta ratio, ſimul abhorrens a contrariis & ea rejiciens; ſed quæ ex uſu & placito poſt experientiam aliorum, aut poſt deliberationem & contentionem examenque in utramque partem vergentium, admiſit & recepit. Non coacti jure vel more gentium: in quibus licet ſine ſcelere aut peccato in utramvis partem ſtatuere.

De voluntatum] de teſtamentis & obligationibus.

De factorum] de probationibus & præſumptionibus.

32. *Nos &c.*] 2 Partitio operis, ſive Partis ſecundæ membrum ſecundum.

Nobiliſſimam] ſc. de jure publico.

Privati] cum armis depugnant qui non ſunt magiſtratus.

33. *Publici*] quod gerit qui cum imperio eſt.

Vim ipſam ſummi imperii] jus majeſtatis.

De ſubditorum] parendi neceſſitatem an omnem & quatenus omnem debeant.

34. *Res communes*] convenit cum tit. Inſtit. de rerum diviſione.

Jus perſonis] de jure perſonarum. de patria poteſtate. Per quas perſonas.

Obligatio] adverſus bonæ malæve fidei poſſeſſores rerum alienarum. ad §. 1. tit. 1. lib. 2. *Si quis a non dom.*

Succeſſionum] Convenit cum tit. de teſtamentis, legatis, fidei commiſſis, hæreditatibus ab inteſtato, bonorum poſſeſſionibus.

Ex pacto] Cum materia obligationum.

Damno dato] Lex Aquilia & Oblig. ex delicto.

Sanctimonia] qui inviolabiles, & ſi id fiat, datur cauſa belli.

35. *Quod impune*] quod non perſequitur humanus aut mortalis judex.

Vitio caret] quod ſalva conſcientia fit, & apud Deum excuſatum eſt.

Bellicas conventiones] Pactiones inter hoſtes, quæ pro occiſionibus fiunt.

36. *Eo autem*] Neceſſitas operis. III. Membrum ſecundæ patris.

Δικαιώματα] Jura bellorum.

Recenti] Patrum Eccleſiæ ſcil.

De jure feciali] Meminit Cic. 1. de Off. 11. Belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali jure Po. R. perſcripta eſt. Meminit etiam lib. 3. off. c. 29. Erant autem feciales, ſacerdotes Deæ Fidei, qui fidem publicam in primis curabant. Itaque ad eos pertinebat conſultatio, bellum aliquod jure gereretur, nec ne. Iidem legati populi R. res repetebant, bella indicebant, fœdera feriebant. Liv. 1, 24. & 32. lib. 30, 45. lib. 31, 8.

De repreſſaliis] Cum permittitur privatis, jus ſuum apud alios populos non obtinentibus, illorum privatorum, qui de iſto populo inter nos aut alibi agunt aut quid ſui habent, bona invadere, & iis manum injicere. De quibus auctor agit infr. 3, 2, 4.

37. *Canonibus*] Conciliorum eccleſiæ.

38. *Definitiones*] ſententias, effata, poſita, axiomata, obſervationes, regulas vel præcepta generalia, l. 202. D. de reg. J. ut *Definitio omnis in jure periculoſa eſt.*

Reſponſis] i. e. Conſiliis ſcriptis ad incidentes caſus.

Ad gratiam conſulentium] Scripſit enim de Jure Maris in gratiam Britanniæ Regis tum temporis in Britannia agens Alb. Gentilis.

39. *Dijudicationem fontibus*] ſummis capitibus vel generalibus axiomatibus vel pronunciatis, ex quibus de ſingularibus quæ identidem exiſtunt facile poteſt ſtatui.

Su-

Supereſt] IV. Articulus poſterioris partis, Subſidia.

Notiones tam certas] Inchoatas intelligentias, quæ in animis imprimuntur ſimiliter omnibus. Cic. 1. de leg. 10.

Sentiendi inſtrumentis] τοῖς αἰσθητηρίοις τοῖς τῆς φύσεως. Diog. apud Stobæum 388. Quibus externa percipiuntur, oculis, auribus, naribus, lingua, & quod vivum in omni corpore eſt ad tactum toto corpore æquabiliter fuſum, ut Cic. 2. de nat. 56. ſentiendum vel percipiendum.

Fœminis iiſque barbaris] Tyriis, Phœniſſis; per eas ſpecies voluit innuere Euripides, etiam barbaros & fœminas idem dictum approbare. Quod argumentum eſt etiam ſequiorem ſexum, & tum vita cultiore tum liberali inſtitutione carentes ea facile aſſequi.

40. *Secta, argumento*] Sectæ, ad Philoſophos refer. i. e. Non vera ſemper, ſed ſæpe veriſimilia tantum dicere, dummodo profutura parti, cujus cauſam orant; eoque & contraria interdum iis, quæ alias dixerunt. Nobilis eſt locus in hanc rem Cic. pro Cluent. c. 50. Aſcon. Ped. pro Cornelio p. 141. eſſe *oratoria calliditatis, ut cum opus ſit, eiſdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur.*

Argumento] ad Poëtas & Hiſtoricos.

Cauſa] ad Oratores.

Ad cauſam univerſalem] quæ non ſingulos & in præſenti tantum negotio movet, ſed omnes & in quavis materia ſimiliter impelleret. Ad principium innatum, quod in omnibus eſt commune quaſi & inſitum.

Recta illatio] Collectio, argumentatio, ſyllogiſmus.

Communis conſenſus] approbatio aliqua omnium quaſi ex tacito pacto.

Illa] ſc. illatio.

Hic] conſenſus communis.

Quod enim] Definitio juris gentium & naturæ.

Deduci non poteſt] ut jus naturæ.

Voluntate libera] ex conſenſu gentium etiamſi directo natura non dictet.

41. *Quod vero*] quod neceſſario & ſemper obſervandum.

Duntaxat effectum] quod æque obſervatur more, licet non tanta ratio cogat. Sic natura præcipit, ut adverſus vim injuſtam me & meos defendam. Sancit ergo bellum. Sed quemadmodum in bello me geram, tantumne armis & dolo bono utar, an etiam veneno, non definivit natura, ſed jus gentium. De bello captis, teneamne an relinquam, non præcipit quidem jus gentium; ſed ſi tenere velim, etiamſi pro mala cauſa militaverim, me tuetur ac defendit, & pro juſto poſſeſſore habet.

Externum] ut ſcilicet æque obſervetur ac ipſum gentium jus.

Quæ juris ſtricti] Quæ ad juſtitiam συναλλακτικὴν pertinent.

Quia aliter] Quæ ad διανεμητικὴν.

42. *Nihil percipi*] Pyrrhoniis & Scepticis, ut Herillo & ſimilibus, de quibus Cicero 1. Off. 2. & Diog. Laërt. qui dubitabant de omnibus. Vide Vitam Pyrrhonis in Diogene Laërtio.

Veritatem ſparſam] Argumentum veterum erat Chriſtianorum, omnia moralia, quæ docuit Chriſtus, etiam veteres Philoſophos præcepiſſe.

Id vero exiſtimabant] Vide Petrum Nunneſium de ſtudio Philoſophico, cap. 2. num. 9.

43. *Liberalitatem & parſimoniam*] num. 1. *Liberalitatem* definit Ariſtoteles, *mediocritatem circa pecunias:* ejus præcipua cautio eſt quam & Cicero 2 de Offic. 15, ei adhibet: *dandum diligenter & moderate, ne largitio fontem benignitatis exhauriat*, & cap. 18. *Habendam rationem rei familiaris, quam dilabi ſinere flagitioſum eſt.* Hæc eſt quam veteres parſimoniam ſive frugalitatem dixere: atque hinc patet frugalitatem non eſſe ſpeciem a liberalitate diverſam, ſed alteram ejus partem vel officium, quemadmodum altera pars eſt benignitas, ſive tempeſtivus ſumptus. Liberalis eſt, qui non plus dat, quam ſinit frugalitas; non minus, quam comitas præcipit ſive benignitas. Liberalitas eſt medium inter prodigalitatem, a qua revocat illam frugalitas ſive parſimonia, & avaritiam, a qua retrahit eam benignitas.

Veritati daret oppoſita] num. 2. *Veritas* Ariſtoteli 4. Ethic. 13. *virtus eſt, qua quis præfert verbis & factis id quod eſt & eſſe debet.* Qua qui utebantur, candide & ſimpliciter agere dicebantur. Exemplum eſt apud Homerum Achilles, apud Sophoclem filius ejus Neoptolemus. Ei in exceſſu objicit arrogantiam, qua quis amplius præfert, quam eſt: cujuſmodi ſunt glorioſi milites apud Comicos. In defectu, diſſimulationem qua quis minus præfert quam eſt: non per modeſtam propriæ laudis detrectationem, ſed per pravam conſuetudinem ac voluntatem illudendi ac fruſtrandi: cujus Exemplum unicum eſt Tiberius, qui cum teterrimus eſſet dominorum, dicebat ſe S. P. Q. R. ſervire, & Domitianus, cum innoxios occideret, præfari ſolitus de clementia. Tales ſunt εἴρωνες, deſcripti Theophraſto. Tales de quibus Terentius in Heautont. *Nec tu illum ſatis noveras, nec te ille; hocque fit, ubi non vere vivitur. Tu illum nunquam oſtendiſti, quanti penderes. Nec tibi ille eſt credere auſus quod æquum eſt patri.* Huc pertinet hiſtrionia, quam *totum orbem exercere* dixit Petronius.

Contemptus voluptatis] num. 3. Invidioſa λιτότης: non enim contemtum voluptatum, ſed feram & barbaram averſationem muſicæ pulchritudinis, aliarumque rerum elegantium & jucundarum, quas modice ſumendas comparavit Deus in ſolatium vitæ. Ea in aliis eſt immanitas belluina, in aliis pecuinus ſtupor. Talis Timon ille fuit comœdiis Ariſtophanis traductus tanquam oſor generis humani. Et ejus imitatione M. Antonius poſt bellum Actiacum. Tales quoque iratis Diis genitos & malevolente genio natos dicebant veteres, qui nihil indulgere genio poſſent, etiamſi liceret, & copiam haberent.

Contemtum honorum] num. 4. Immo con-

temtum ſui potius & ἀπόνοιαν, ut dicebant Græci, per quam quis honore ſe indignum præſtat. Non enim malunt contemnere honores, ſed ita contemnere, ut inhoneſtus fiat, pudorem & famam hominum nihili facias, in ſordidiſſimum vitæ genus deſcendas cum Dionyſio Syracuſano apud Juſt. 21. 5. *non contentus in publico vagari, ſed potare, nec conſpici in popinis lupanaribuſque, ſed totis diebus deſidere, cum perditiſſimo quoque de minimis rebus diſceptare, pannoſus & ſqualidus incedere.*

Vacuitatem iræ] nom. 5. Non quæ oritur manſuetudine ac lenitate animi, ſed ſtupore, lentitudine, oſtenditurque ſtupida quædam omnium indiguiſſimorum, quæ nemo bonus tolerare debet, tolerantia: qualem in paraſitis & mimis, os contumeliæ præbere ſuetis, exhibent ſcenæ.

44. *Ex juſtitia, cui oppoſitum nimium & parum in rebus*] num. 6. Medium duplex eſt: Rei ſive Arithmeticum, quod utrimque tantundem diſtat ab extremis, ſicut centrum æqualiter ex omnibus partibus disjunctum a circumferentia: & Rationis ſive Geometricum, quod alteri extremorum interdum eſt vicinius, ab altero remotius, & tamen medium ratione ponderis, loci, temporis, perſonæ. Illud paribus numeris utrinque abeſt, ut quaternarius inter duo & ſex: novem inter ſex & duodecim: hoc noo quidem numeris ſed tameo paribus ponderibus parique ratione alterius extremi ad medium, & viciſſim medii ad alterum extremum utrimque diſtat, & medium habetur: ut quemadmodum ſe habent tres ad ſex, ita ſex ad duodecim: nam illa horum dimidium ſunt. Quatuor & a duobus & a ſex diſtant binario: at non ſex ut a tribus ternario, ita etiam a duodecim diſtant; hæc eſt diviſio non generis in ſpecies, ſed homonymi in ſignificata. Quid igitur peccavit Ariſtoteles, ſi dixit virtutem omnem coofiſtere in medio: ſed in cæteris virtutibus eſſe medium rationis ſive Geometricum: in juſtitia partim medium Geometricum, ſive rationis, partim Arithmeticum, ſive rei? non hic video μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, ſed tantum explicationem & diſtinctionem terminorum.

Minus ſuo accipere] num. 7. Cavillatur: neque enim Ariſtoteles & ejus ſectatores illud *minus ſuo* accipiunt de bonis, ſed de oneribus & malis. Juſtitia ex mente Ariſtotelis eſt virtus, quæ tam in præmiorum & onerum diſtributione, quam in commutatione rerum & contractibus & omnibus in quibus alicui injuria fieri poteſt, ita ſe gerere hominem decet, ut nec de externis bonis, puta pecuniis, honoribus, & id genus aliis plus ſibi vindicet, minus relinquat alteri; nec rurſus de malis, id eſt, oneribus & pœnis minus ſibi, at plus alteri quam par eſt ac jure debetur, impônit. Vide Hornejum 3. Ethic. cap. 11. o. 21.

Adulterum ex libidine, cædem ex ira ad injuſtitiam] num. 8. Primum Ariſtoteles non negat, adulterium qualecunque, & cædem quamvis pertinere ad juſtitiam univerſalem. Nam eam omnes virtutes complecti & leges velle, ut nulla non virtus obſervetur, nullum non vitium vitetur, diſerte ſcribit (hæret in hoc loco Ariſtotelis etiam Bacchovius ad § 1. Inſt. de juſtit. & jure) ne a particulari quidem juſtitia πολιτικῶς adulterium aut ullam cædis ſpeciem excipit: nam cum juſtitiæ particularis duas (ſpecies) partes edidiſſet, τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς καὶ τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν, alteram quæ diſtribuenda præmia & onera, alteram quæ contractus ordinat; inter συναλλαγμάτων ἀκούσια ſeu *contractus involuntarios* palam pooit μοιχείαν καὶ δολοφονίαν. Hæc lib. 5. Ethic. cap. 4. At initio ejus capitis ἠθικῶς & ſubtiliter eſſe quandam juſtitiam, quæ non contineat omnem virtutem, ſed partis locum obtineat, demonſtrat exemplis injuſtitiæ: eſſe enim qui injuſte agant, qui tamen non cupiant, nec uſurpent alieoum, ut qui in acie clypeum abjicit, dum ignavus eſt: maledicus, dum moleſtus: per avaritiam deſtituens amicum, dum illiberalis: nemo horum aut ſimiliter peccantium injuſte agit cupiditate alieui. Et tamen cupiditas alieni peccatum eſt, & improbatur, tanquam injuſtitia. Eſt ergo aliqua injuſtitia ab aliis vitiis diſtincta & ſeparata: & ſic in contrarium juſtitia. Ioter hæc genera injuſtitiæ univerſalis (μοχθηρίαν vocat) mentionem facit adulterii, ponens duos adulteros: alter ob lucrum mœchatur, & accipit, aut eſuriret ni mœcharetur: alter ob libidinem & ultro donat. hic poſterior quod peccat, habet nomen inter vitia univerſali juſtitiæ oppoſita: eſt enim intemperans: at ille prior, quod facit, nullum nomen inter iſta vitia invenit: & tameo injuſtus eſt: ergo injuſtitia particulari: ergo & eſt aliqua injuſtitia particularis, quæ ooo poſſit referri ad illa vitia Ethica, ſed ſui generis vitium eſt: ἴσως μὲν ἀκόλαστος δόξειεν ἂν εἶναι μᾶλλον ἢ πλεονέκτης. Non dicit πλεονέκτην omnino non eſſe, ſed magis ἀκόλαστον quam πλεονέκτην: dein non dicit puniri ex legibus non poſſe ut πλεονέκτην, ſed dicit δόξειεν ἂν εἶναι, *poſſit videri* ſcilicet ſubtili judicio Ethico, quod fit ex intentione agentis, non ex damno patientis. At qui lucri & pecuniæ accipiendæ cauſa adulterat, is ἄδικος, ἀκόλαστος δ' οὔ, quod comparate intelligendum ex ſuperioribus, quaſi eſſet ἄδικος μᾶλλον ἢ ἀκόλαστος, magis injuſtus quam intemperans. Nam ἀκολασία quidem præſtat ei miniſterium ſed quæ potiſſimum agit, & iſta utitur, eſt πλεονεξία, ſive turpis egeſtas. Quomodo igitur ſi diceret adulterium ex libidine non eſſe injuſtitiam, qui hoc ipſum ut exemplum iojuſtitiæ adhibet?

Uſurpationem] confundit Grotius univerſalem & particularem juſtitiam.

Nec referat] num. 9. Nihil refert, quod ad pœnam judicio civili: ſed refert judicio morali. Mneſter fuit Pantominus, quem cum Meſſalina non poſſet ad libidinem pellicere, accuſavit eum apud Claudium maritum tanquam contumacem, effecitque ut Imperator juberet eum Auguſtæ parere. Itaque cum ea concubuit, Tacit. XI. ann. 36. Is egit quidem & ἀκολάστως & ἀδίκως, nec evaſit pœnam, judicio tamen morali nec ἄδικος nec ἀκόλαστος fuit. Sic & Gyges cum

cum imperio Candaulis nudam vidit Lydiæ reginam. De cæde ex ira haud ſcio, niſi forte ex lib. V. Ethic. cap. 10. quod ſi eſt, injuſte ſe carpſiſſe hoc demonſtrat lib. 3. de Jur. bell. & pac. cap. 11. num. 4. ubi late eum locum allegat & merito prædicat.

45. *Deum nimium colere non poſſumus* &c.] num. 10. Primum Ariſtoteli ignoſcendum, ſi inter virtutes morales non poſuit religionem, quemadmodmum & Spem, Caritatem, Fidem ſolis Chriſtianis ex revelatione cognitas. Nam illi ut veteribus omnibus extra Eccleſiam cultus deorum ſub magnificentia ponitur 4. Ethic. 5. Cui ſubſcribit Salluſtius Catil. 1x. *In ſuppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.* Juſtin. de Templo Delphico lib. 24, 6. *Multa igitur ibi & opulenta regum populorumque viſuntur munera, quæ magnificentia ſua reddentium vota gratam voluntatem & deorum reſponſa manifeſtant.* Livius 21, 20: qua in re excedi modum poſſe monſtrat lex illa: *Pietatem adhibento: opes amovento.* lib. 2. de leg. 8. Lycurgus interrogatus, cur *μικρὰς καὶ εὐτελεῖς θυσίας*, modica & vilia ſacrificia conſtituiſſet, reſpondit ne unquam venerari Deum ceſſemus. Plutarch. Lacon. p. 228. Colere Deum nimium non poſſumus, cultu recto & quo ille ſe coli præcepit. Sed hic non eſt exceſſus: quantumcumque enim hoc extollas, & ſi facias toto corde, tota anima, totis viribus, tamen manes in medio. Sic nullam virtutem nimium exercere poſſumus: nam quamdiu virtus eſt, quouſque extendas, medium tenebis. Sed actio illa humana per quam exercetur virtus, quamque virtus temperat, poteſt excedere extra medium, & cum degenerat in exceſſum. Sic & officia, per quæ exerimus pietatem noſtram, & quibus nos colere Deum teſtamur, patiuntur vitium, & poſſunt in id excedere, ut dicat Dominus: *Quid mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi.* Eſaiæ cap. 1. colere Deum nimium non poſſumus, nempe cultu animi, & propoſito vivendi ad juſſa ejus. Sic propoſito animi nemo neque fortis nimium, neque temperans, neque juſtus eſſe poteſt. Sed homo de homine judicat ex actionibus externis: Vera virtute utrum quis ſit præditus, an imaginem tantum ejus & umbram habeat limites migrando in ſupervacuum, æſtimandum eſt ex opere cuivis virtuti proprio. Quomodo igitur relligioſos nos demonſtramus? nempe templa adeundo, orando in genibus, aperto capite, ſupinis manibus, eleemoſynis, & erogando in ſumtum ſacrorum, ferias eorundem ſacrorum cauſa habendo, legendo libros ſacros & in ſenſus eorum inquirendo, abſtinendo & pro opibus prohibendo, in quibus nefas aut piaculum verſari videtur. In his vero modum excedi poſſe & amplius fieri quam Deus præcipit & ratio recta poſcit, quis ignorat? Itaque omnino quoque Religio medium ferit inter ſuperſtitionis exceſſum & defectum impietatis ſive Atheiſmi.

46. *Et judicia*] ſententias & pronunciata illuſtrium & clarorum hominum, ea ſæpe vulgi non falſa, ut & ſua.

Meliorum temporum] ut Romana ante 600. v. c. annum, ſeu bellum Punicum tertium, Græca bellum ante Peloponneſiacum. Thucyd. lib. 3. 110.

48. *Probarum*] qui effecerunt, ut alii haberentur canonici, & apocryphi, primi.

Antiquæ & novæ legis] Sic maluit quam antiqui & novi fœderis vel teſtamenti. non enim ſequitur quod noſtri fere ſtatuunt omnes, idem fœdus gratiæ fuiſſe ſemper, eandemque legem, cujus non nova capita tulit, ſed veterem renovavit, declaravit magis & purgavit a Phariſæorum pravis interpretationibus & additamentis.

Jura naturæ] Judaïzantes, Bodinum intelligit.

Mendoſe] Horat. 2. Sat. 4. *Aufidius forti miſcebat mella Falerno.* Mendoſe. i. e. male, perperam.

Libera] ut cum jubet Deus abſtinere fructu certæ arboris, cum patrem jubet immolare filium, cum jubet non parci ſeptem populis in Cananæa devotis.

Non pugnat] Nam Deus omnium arbiter ſummus, & ob id non pugnat cum *στοργῇ* parentum, aut præcepto, *non occides*, cum filium immolare jubet patrem.

Deus per homines exequitur] ut mandatum Abrahamo de filio mactando, Hebræis de Ægyptiis auro & argento fraudandis, & ſeptem populis, Syriæ Paleſtinæ delendis, Jehu de tollenda domo Achabi.

Contrarium] Quæ eſt ſententia quorundam Anabaptiſtarum.

Majora] Quin clariora potius & evidentiora, ut volunt Reformati.

49. *Hebræi ſcriptores*] Qualis in primis Maimonides in Ductore dubitantium, qui liber editus a Buxtorfio.

Sermones & mores patrios habuerunt percognitos] Latinius dicendum, nam non præcedit duplex genus, & ob id nullus locus neutro generi.

50. *Majorem*] niſi juſtitia veſtra ſit ſupra juſtitiam Phariſæorum dicit Dominus.

Commendantur] Quæ Theologi dicunt eſſe magis conſilii quam præcepti, priori ad Corinth. cap. VII.

Mercede] nempe ex Dei benignitate; non quaſi aliquid, nedum amplius, quam debent, mereantur.

51. *Canones*] Decreta conciliorum.

Qui recti ſunt] His munit Concilia poſſe interdum errare.

Ad ea quæ occurrunt] ad quotidianos caſus.

Veræ eccleſiæ officium] oſtendit.

Qui tanti nominis menſuram implebant] i. e. qui ſe præſtiterunt dignos Chriſtianorum magnifico titulo. Imitatur Ovid. 1. Pont. 2. *Maxime qui tanti menſuram nominis imples.*

Floruere] i. e. Patres & Scriptores eccleſiaſtici; ut Auguſtinus, Tertullianus, &c.

Neque gravis] non pro hæreticis aut ſchiſmaticis habiti.

Dominatus] Pontificum Romanorum ſcil. Papalis monarchia, quam nolebat offendere ſcribens in Gallia.

Coitio] Concilinm ex eorundem ſatellitibus compoſitum. Patres & ſcriptores eccleſiaſtici.

52. *Succeſſerunt Scholaſtici*] e ſchola Petri Lombardi magiſtri ſententiarum.

Condonanda] in quibus ſc. errarunt.

In re morum] in moralibus, quæ ſpectant mores, in ethicis.

Diverſa tuendi] in utramque partem diſputandi.

Modeſtia] non convitiis certantes.

53. *Pandecte*] potius quam Pandectis: vox enim Græca πανδέκται.

Irnerio] quem jus civile Romanum per barbara tempora abolitum in uſum revocaſſe ac docere cœpiſſe vulgo putatur ſub Philippo Suevo Imp. circa a. C. 1200.

Conjunxerunt] Alciato, Budæo, Cujacio.

Primis] veteribus.

Miſceant] ut dicant eſſe juris naturæ, quod eſt juris Gentium.

Ex condicto] velut ex tacito conſenſu omnium aut plurimorum, moratiorumque populorum.

Ex titulo de Captivis & poſtliminio] Infr. 3, 9, 1. alludit ad l. 19. D. §. 1.

54. *Canonibus*] jure canonico.

Sæpe optimi ſint] rectiſſime tradant, quid ſit juris; etſi ad id male applicent, & obtorto collo trahant veterum JC. loca, unde id colligunt.

Tali conſuetudini] quum quod nunc videmus paſſim uſurpari & valere pro jure gentium, jam tunc uſurpatum fuiſſe oſtendunt.

55. *Magna libertate*] ut audeat etiam quædam regibus iniqua ſtatuere. Infr. 2, 1, 9.

Perpetuo opere] libris de Republica.

Pronunciata] ſententiæ.

56. *In toto opere*] quintum & ultimum membrum partis ſpecialis. Cura per omne opus.

57. *Ex uſu ſit*] Politica.

58. *Figuras a corporibus ſemotas*] In idea & ſolo conceptu mentis, non ut pinguntur in abaco vel charta. Infr. 2, 23, 1.

A D
LIBRI PRIMI
CAPUT I.

§. 1. QUos nulla juris] i. e. qui non ſunt ejuſdem Reip. nec communi legum vel civitatis ſponſione, ut loquitur JCtus ſeu lex 2. D. de legibus, non tenentur, neque aut judicem eundem agnoſcunt.

In gentem nondum] Ut Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, ſolutum atque liberum, Salluſt. Catilin. 6. Apud eundem Gætuli & Libyes, aſperi incultique, neque moribus, neque lege aut imperio cujuſquam regebantur. Jugurth. 18. Et ex eadem Africa, qui in familias paſſim & ſine lege diſperſi nihil in commune conſultant Melæ 1, 8. Adde Ciceronem de Invent. 1, 2. infra 1, 2, 2. In ſacris literis Patriarchæ ſub tentoriis habitantes, & hoc tempore multi Arabum.

Optimates] Ariſtocratia, Democratia, ut Venetiæ.

§. II. 1. *Certationem per vim*] nam alias certatur res controverſa, & decernitur aliis quoque modis, veluti per ſententias & calculos, ut in foro apud judices; per ſuffragia, ut in comitiis populorum; denique & per ſortem, ut quiſquam provinciam habere, quis judicare debeat: Cic. 1. de Offic. 11. *Cum ſint duo genera decertandi, alterum per diſceptationem, alterum per vim.*

Bellum ſtatus] i. e. Conditio certa populorum. Explicatio hæc Tullianæ definitionis eſt, non alia definitio. Neque enim Cicero per certationem intellexit actionem vel actum unum, velut aciei, oppugnationis, vaſtationis; ſed durantem temporis tractum quo diſſidetur, & pro occaſionibus aut comparatur vis aut fit, aut cavetur atque eluditur. Bellum eſt tempus & conditio manibus atque armis, quod habent controverſiæ, decernentium, donec victoria aut colloquio tranſigatur.

Qua tales ſunt] ſc. certantes, vel quatenus certant; non aliquid agunt ad certamen non pertinens; quatenus exercent eum ſtatum aut gerunt aliquid rerum el convenientium, vel quod ſit certantium officii aut moris, (nam per bellum alia aguntur quæ id non ſpectant.)

Privatum] quoties ſinguli paucive nullo juſto imperio prædici armis inter ſe depugnant, (ut viator contra latronem.)

Prius ſit] Horat. 1. Sat. 3. *Cum prorepſerunt primis animalia terris, Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter, Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverit uſus.*

Publico] prius enim certabant homines, quam in civitatem coïerunt.

2. *Duellum*] Etymologia Ciceronis in Orat. 45. & Varronis in perduelles 6. L. L.

Πόλεμος] q. a πολύς.

Δύη] στάσις· μάχη· διαφορά: a diſſolutione.

Δύη]

Δύη] δυςυχία· ἔνδεια· πόνος· ταλαιπωρία· δυσπάθεια: quævis infelicitas.

3. *Nomen generis*] Ut quum JCti adoptionem dividunt in arrogationem & adoptionem: Ariſtoteles πολιτείαν in μοναρχίαν, ἀριστοκρατίαν, πολιτείαν. Vide Voſſ. de Conſtruct. c. 42.

Adhæreſcere] ut cum JCti adoptionem diſtinguunt in arrogationem & adoptionem ſpecialius dictam. Sic cognatos in agnatos & cognatos.

§. III. 1. *Intelligimus*] ſcil. nos quæſituros vel hoc diſputaturos.

Quod juſtum] i. pro facto conceſſo & non improbato. Plaut. Ciſtell. 1, 1, 2. *jus faſque eſt.* Perſa 1, 3, 26. *jus eſt* XII*m. Paterfamilias uti legaſſit ſuper pecunia tutelave rei ſuæ, ita jus eſto.*

Quod injuſtum non eſt] i. e. quod licet, quia lege nulla prohibetur: quod ſine culpa & injuria facere poſſis.

Utentium] hominum.

Repugnat] Verba Cic. 1. Off. 16.

Cicero de Officiis III.] 5.

Geniti] Quia homini naturalis appetitus ſocietatis.

2. Ὑπεροχὴν] ubi altera pars contrahentium ſuperior, alia inferior.

Ex æquo] ut omnibus inter ſe liceant eadem, eadem non liceant, vel, quo omnes inter ſe vivere & agere naturæ aut ſocietati placuit.

Qui regit] ut liceat majori in minorem, quod non licet minori in majorem aut in parem. Sic Cyrus *feciſſe ſe ut regem* reſpondebat. Juſtin. 1. 5.

§. IV. *Jus eſt*] pro auctoritate. ut in XII. *rei furtivæ æterna auctoritas.* pro re incorporali, quæ poſſidetur vel acquiritur ab eo cujus eſt. Sic *jus obtinere*, Plau. Caſin. 1, 2, 22. Pro Quinct. 9. 1. Ver. 26. *jus uſurpare*, Liv. 3, 71, & 5, 12. *jus experiri*, pro Cæcina 12. pro Sext. 42. Tacit. 3. ann. 36. *impertiri tralaticium jus.* Sueton. Oct. 10.

Qualitas moralis] i. e. moribus & legibus fundata vis, copia, licentia.

Prædiorum] Vide Inſtit. l. 2. tit. 2. de ſervit. prædiorum.

Competant] jura realia.

Habeat] Domino ſcil. prædii.

Facultas] i. e. rei.

Aptitudo] i. e. meritum. *Meus a prætore receſſi.* Perſius.

Illi] Facultati.

§. V. *Nomine ſuo*] Sic *Suum, quod vindicari poteſt* l. 27. §. 2. D. de aur. arg. Sic *Suum cuique tribuere. Suum recipere*, l. 7. §. 6. D. Quæ in fraud. cred. *Suum conſequi.* l. 15. §. 5. de re judic. *Sua tutela* l. 50. pr. de leg. 3. *Suus hæres. Sui ſervi & ancillæ* l. 73. de leg. 3.

In ſe] ut quis ſit ſui juris, l. 50. pr. de leg. 3. in ſuam tutelam & in ſuam poteſtatem. Plaut. Perſa 4, 3. Ita *ancilla mea quæ fuit hodie, ſua nunc eſt.* Curt. 5, 6. *Tandem ſuis rex corporibus & cultu fœminarum abſtineri juſſit.*

Dominium] ſic ſuum cuique tribuere in juris præceptis.

Uſusfructus] cum alienis rebus utimur fruimur ſalva earum ſubſtantia.

Pignoris] quod datur in ſecuritatem crediti.

Creditum] quod alicui mutuum datum. ſic *Suum recipere* l. 7. §. 6. quæ in frand. cred. *Suum conſequi.* l. 15. §. 7. Re jud.

§. VI. *Vulgaris*] privatorum facultas in bonis ſuis.

Eminens] publica & magiſtratuum, facultas reip. aut ſummæ poteſtatis in privatorum bonis.

Communitati] reipublicæ & rempublicam tenenti.

Partes] in ipſos ſubjectos.

Res] patrimonia ſubjectorum.

Patriam & Dominicam] & eas poteſt intendere, ut Romæ; vel remittere, ut Athenis.

Reipubl. quiſque] Hinc illud Liv. 22, 14. *Qui capitalem fraudem auſi quique pecuniæ judicati in vinculis eſſent, qui eorum milites apud ſe fierent, eos noxa pecuniaque ſe exſolvi juſſurum.* Idem lib. 26, 35. *ſervos agricultores rempublicam abduxiſſe, nunc ad militiam parvo ære emendo, nunc remiges imperando. ſi quod cui argenti æriſve fuerit, ſtipendio remigum & tributis annuis ablatum.*

§. VII. Ἀξίαν] i. e. meritum. Aptitudinem barbare vocat vulgus.

Dignitatem] expreſſit vocem Gr. ſed melius reddidiſſet *meritum.* Voce autem *dignitatis* in ſimili re ſupra utitur. Sic & ipſe appellare debuit omiſſa voce *aptitudinis*, quam ſine dubio refugerunt Romani. Victorinus in Rhet. Cic. de inventione: *Juſtitia eſt habitus animi ita informatus, ut omnibus rebus tribuat dignitatem.* i. e. ſuum. Sueton. Jul. 41. *Commendo vobis illum & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* Salluſt. Catil. 35. *fructu laboris induſtriaque mea privatus ſtatum dignitatis non obtinebam.* Et quemadmodum Facultati Suum, ſic Dignitati ſubjicere poterat Meritum.

§. VIII. 1. *Facultatem reſpicit Juſtitia expletrix.*] Expletricem dicit Juſtitiam, quam vulgo commutativam vocant, opinor, inde, quod per eam expletur & ſatisfit cuique pro eo, quod ab illo accipimus: nam *explere* Latinis interdum eſt *ſatisfacere*, ut apud Juſtinum: *explent detrimenta muneribus, contumelias honoribus, execrationes precibus.* Hoc facile tolero: ſed quod eidem ſtatuit minus arctum vocabulum συναλλακτικῆς, id eſt, *contractoriæ*, ſive *commutatoriæ*, vel ut vulgo loquuntur, *commutativæ*, id probare argumento non videtur. Nam, inquit, ut poſſeſſor meæ rei eam mihi reddat, non eſt ἐκ συναλλάγματος, & tamen ad hanc juſtitiam pertinet. At Ariſtotelici omnino dicunt hoc quoque eſſe ex συναλλάγματος, ſive *ex contractu.* Nam ut Juriſconſulti contractus alios faciunt juſtos, alios quaſi contractus, ut negotiorum geſtionem, tutelam, rem communem ſine inita ſocietate &c. Sic Ariſtoteles lib. 5. Eth. cap. 5. contractus ait eſſe alios voluntarios, alios involuntarios: & illos quidem, emtionem, venditionem, mutuationem, ſponſionem, fœnerationem, depoſitum, locationem, conductionem: hos autem alios clandeſtinos, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium,

 ſervi

ſervi corruptelam, cædem dolo factam, falſum teſtimonium: alios violentos, ut flagellationem, vincula, mortem, rapinam, convitium, contumeliam.' Palam eſt caſum, quem objicit auctor, ad hoc genus ἀκούσιον ſive *involuntarium* pertinere

Expletrix] quæ alias *commutativa* ſeu *correctiva*, & reſpicit illud ſuum.

Συναλλακτικὴ] quaſi diceretur *contractoria*.

Nimis arcto] quaſi non ſufficiat denominationes a potiore ſumi. 3, 3, 2.

Mea res] qui meam rem me inſcio quacunque occaſione poſſedit.

Non eſt ἐκ συναλλάγματος] imo ex contractu ἑκουσίῳ, ut appellat Ariſtoteles 5. Eth. 5. non voluntario, fortuito, &, ut JC. loquitur, ex quaſi contractu. Dein eſt tacitum pactum omnium hominum poſt inventa dominia privata, ut cuique maneat & reſtituatur ſuum.

ἐπανορθωτικὴν *correctivam*.

Attributrix] *diſtributiva*. Alibi dicit *aſſignatricem* 2, 17, 2.

2. *Proportionem ſimplicem*] dicit Arithmeticam, cum numeri diſtant paribus intervallis, ut duo, quatuor, ſex, octo; vel tres, ſex, novem, duodecim; nam illic ubique duo, hic tres numeri interſunt. *Comparatam* Geometricam, cum quoties primus numerus in ſecundo, toties tertius in quarto: ut tria, ſex, duodecim: nam quoties tria ſunt in ſex, toties ſex in duodecim. Contractum ſocietatis fieri proportione comparata Ariſtotelicorum filii non concedent ei, niſi ſit ſocietas, quam JCti vocant Leoninam ex Æſopi ſabula. Princeps Arauſionenſis de mille aureis collatis in Indicas ſocietates in diſtributione redituum non teruncium accipit amplius quam privati. Quum vero in ſocietate alicui major pars lucri datur propter eximiam operam, aut artem, quam adfert ad lucrum quærendum, non tamen intervenit Geometrica proportio, quia non habetur reſpectus perſonæ, ſed rei quam in commune confert, idque accipit ex pacto. Itaque ibi quoque Arithmeticum par pro pari datur hoſtimentum, opera pro pecunia, ut loquitur Plautus. Vide Hornejum lib. 3. Ethic. cap. 12. num. 14.

Simplicem] cum diſtant numeri paribus intervallis, ut 2, 4, 6, 8. vel 3, 6, 9, 12. Proportio Arithmetica.

Comparatam] cum quoties primus numerus in ſecundo, toties tertius continetur in quarto: ut tres bis in ſex, ſex bis in duodecim. quæ proportio eſt Geometrica.

Si tantum unus] Ponit caſum impoſſibilem: nempe omnes cives præter unum eſſe æquales; quod tum eveniet, quum omnes eundem naſum, os, oculos & faciem habebunt. Vide & Hornejum 3, 12, 7.

Commenſione] Vide Hornejum 3. Ethicor. 12. num. 7. caſum ait poſſibilem, proportione Arithmetica.

3. *Res ſingulorum*] Vide Hornejum 3. Ethic. 11, 24.

In publicum] Exemplum eſt apud Livium 31, 13. eorum qui in publicum quid impenderunt.

Cyri magiſtro] apud Xenophontem in Cyripædia.

§. IX. *Largiſſime*] ne quis decipiatur, ut in tit. 2. Inſtit.

Quod rectum eſt] Officiorum regula Sen. 2. de Ira 27. Sen. 4. ben. 12. legem juſti injuſtique regulam eſſe.

Obligationem] reddit rationem quare obligans dixerit, & non conſulens.

Permiſſio] reddit rationem quare obligans dixerit, & non permittens.

Ad rectum] Nam & honeſte vivere inter juris præcepta eſt.

Solius juſtitiæ, qualem] Particularis, quæ vel συναλλακτικὴ vel διανεμητικὴ: i. e. commutativa vel diſtributiva.

Quod rectum eſt] laudabile ac probandum.

2. *Strictius*]. non pro lege ſcripta aut pro juſſu imperantis.

Ἐν τάξει] i. e. ordinatum, conſtitutum.

מצות, *jus conſtitutum* חקים] מִצְוֹת præcepta חֻקִּים ſtatuta, leges חק jus. Ab altera ſpecie definitur δικαιοσύνη, ἀρετὴ διανεμητικὴ τῶν κατ' ἀξίαν. περὶ ἀρετ. καὶ κακ. p. 373. Ab altera δικαιοσύνη ἐστὶ τὸ δίκαιον ἐν ἰσότητι συμβολαίων. Ἠθ. Μεγαλ. 1, 34.

Helleniſtæ] Interpretes LXX. bibliorum.

§. X. 1. *Dictatum rectæ rationis*] Lex mentibus inſita bene natis. Admonitio inteſtina conſcientiæ. Inſtinctus, inſita notio.

Ex ejus convenientia] propterea quod rectæ rationi, vel ingenitis homini veri & æqui principiis congruat aut repugnet. Perſ. Sat. 5, 96.
Stat contra ratio, & ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

Rationali] humana.

Turpitudinem] ad abſtinendum vel cavendum.

Neceſſitatem] ad faciendum vel præſtandum.

2. *Debiti*] cum ineſt neceſſitas moralis.

Illicitis] cum ineſt turpitudo.

Per ſe] etiam non accedente juſſu Dei aut hominis.

Divino voluntario] i. num. 15. ut cum Deus præcepit non tangi arborem ſcientiæ boni & mali; abſtineri porcis & aliis animalibus, quæ pro immundis præſcripſit Lex Moſaica.

Debita] ut tegere verenda, ut Paulus 1. ad Corinth. XI. 14. ſcribit. comam longam natura dedecere virum. i. e. honeſtas morum, quæ inter homines. Apoſtolus φύσεως vocabulum etiam adhibet.

3. *Schola*] Scholaſtici.

Reductive] per applicationem aut interpretationem.

Injuſtitia carent] ut quæ nullius ſunt cedere occupanti: quod per ſe naturæ non eſt, ſed tamen eo refertur.

Honeſta, aut oppoſitis] ut velare notas ſexus, nec cum Cynicis in publico prurire. Sic Paulus 1 Corinth. XI. 14. ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ μὲν ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι;

4. *Non de iis tantum agere*] i. e. ſubjectam habere

habere materiam non modo ea, quæ ipſa natura comparavit ſine diſputatione aut conſtitutione humana, ſed etiam res, ut ſeſe habent, poſtquam in eis id, quod natura erant, judicium humanum & conſuetudo, aliquam partem mutavit.

Conſequuntur] ubi homines fecere quod natura non erat.

Introduxit] Intelligit dominium privatum quale nunc in uſu, quo unuſquiſque ſuæ rei eſt dominus, nam natura omnia fecit communia.

Introducto] poſtquam hoc placuit, ut omnia non eſſent amplius communia.

Euripides] Vide ſimilem locum in Plauti Proleg. Rudent. v. 10.

5. *Non extendit*] quæ, ſi ita licet loqui, Deus non poſſit.

Dicuntur tantum] quaſi ſint aliquid, mente concipiuntur & efferuntur tantummodo ac pronuntiantur; ut Centaurus, Chimæra, Gorgo: effectum autem habent nullum, & exiſtere nequeunt. Phil. Entia rationis.

Repugnant] hoc eſt, ut ſcholæ dicunt, contradictoria ſunt.

Ne a Deo quidem poteſt effici] quia Deus ſemel aliter ſtatuit.

Intrinſeca] per ſe ac ſua natura.

Ενια] quædam ſtatim nominantur conjuncta cum vitio (malitia,) vel, quædam ſtatim ut nominata ſunt, junctam pravitatem præferunt.

Ut eſſe rerum, poſtquam ſunt, & quæ ſunt] ut res, ex quo ſemel extiterunt, ſpeciemque & habitum acceperunt, non aliam ſumunt cauſam, & quod ſunt, non precario, ſed jam per ſe & ob ſuam materiam ſunt; neque ut ſint alienum beneficium exſpectare aut aliunde pendere neceſſe habent; ita & affectiones, quæ illis naturis materiiſque neceſſario adhærent.

6. *Imago*] i. e. videatur imprudentibus & minus intentis aliquid mutari, ubi tamen jus conſtat, & ejus mutatum nihil eſt.

Acceptum ferat] i. e. ſe accepiſſe ſcribat aut teſtatum faciat.

Non erit homicidium] non magis quam ſi morbo hominem ſolvat; ſi naufragio aut alio caſu vel mortalitatem ejus finiat, vel rem familiarem aut imminuat, aut ad alium transferat.

7. *Ante poſitas leges*] quibus illud jus a privatis ad ſelectos judices tranſlatum eſt.

§. XI. *Uſum vix ullum*] neque enim brutorum inter ſe, neque hominum cum brutis ſocietas eſt: tantum turpiores facit homines id non ſervantes.

Utens generalibus] quæ circa ſimilia ſimiliter agere novit, ut dixit in Prolegomenis.

Animalibus quæ ſapientia carent] omnia animalia muta & ratione defecta quærere ſua commoda, quamvis damno aliorum.

§. XII. 1. *Alicujus convenientia*] ut cum oſtenditur innoxium hominem occidere eſſe injuſtum, quia natura appetit conſervationem ſui & omnium, quæ ſunt ejuſdem ſocietatis.

Univerſalis] effectus ad omnes plurimoſve pertinens cauſam juxta late patentem & inter multos plurimoſve communicatam.

Senſum communis] Cic. de leg. 16. *Communis intelligentia.* Horat. 1. Sat. 3. *Communi plane ſenſu caret.* Gell. 10. 22. *cum ſenſus intelligen-gentiaque communis fide nobis notas res efficit.* Juvenal. 8. Sat. 73. *Rarus enim ferme ſenſus communis in illa Fortuna.* Arrian. Epictet. 3, 6. ὁ κοινὸς νοῦς. Marcus κοινονοημοσύνην, lib. 1. ad ſe ipſum, ubi Caſ. Lactant. 3, 28. *in tantos errores inciderunt, ut etiam communem ſapientiam non tenerent.* Phædrus fab. 7. *quibus honorem & gloriam Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.* Seneca ep. 5. & 9.

2. Λόγον] omnes idem ſentire ac dicere.

Κριτήριον] diſcrimen.

Facta inhumana] ut ἀνθρωποφάγοι, & quales Thraces pingit Florus 3, 4. quales qui conjugiis matrum uſi, qui decrepitos parentes, ne alerent, occidere: qui cadaveribus ſuorum pro cibo uſi, aut canes pavere. Plutarch. de Fort. Alex. 328. Cic. 1. Tuſc. 45.

§. XIV. 1. *Id pluribus*] divinum quippe tantum Hebræis & Chriſtianis.

Poteſtas] Hic pro perſona. Liv. 23, 11. *Magiſtrum equitum, qua conſularis poteſtas ſit.* Lucan. 10, 136. *Diſcubuere toris reges majorque poteſtas Cæſar.*

Cœtus perfectus] Αὐτάρκης Ariſtot. 3. Pol. 6. Πόλις δὲ ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους χάριν· τοῦτο δ' ἐστὶν, ὥς φαμεν, τὸ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς. Et 7, 4. Hein. 495. Ἡ δὲ πόλις αὐτάρκης. Et mox: πλῆθος αὐτάρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν κατὰ τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν. Cicero 3. de rep. apud Auguſtin. *multitudo juris conſenſu & utilitatis communione ſociata.* Et iterum, cœtus j. e. & u. c. ſociatus. Perfectus, ſufficiens ad ea, quæ deſiderat natura ad bene commodeque vivendum.

Non veniens] ſed partim a natura, partim a jure gentium.

Ut de captivitate ac poſtliminio ſuo loco dicemus] 3, 7. 3, 9.

§. XV. 1. *Voluntate divina*] cognita & patefacta per ſingularem & propriam declarationem, non per inſitum omnibus hominibus ſenſum.

Item divinum] quia naturæ rationali unus id inſevit Deus.

2. *Poſt hominem*] Adamo.

In reparatione] Noacho.

Per Chriſtum] quippe qui Eccleſiam antea Palæſtinæ incluſam reddiderit Catholicam.

§. XVI. 2. *Judæorum illi*] Nam & Judæorum quorundam eadem ſententia quæ Grotii. Munſterus ad Geneſ. 9, 4. Item Thomæ Aquinatis & Mar. Becani.

Subeundum fuiſſe legis Hebraicæ jugum] De judiciali lege concedo: ſed de lege ſacrorum & cærimoniarum fidentius aſſentirem, ſi viderem quomodo gentibus tempore veteris fœderis potuerit innoteſcere Chriſtus, extra Judaiſmum. Nam ut in N. T. agnum immolatum pro peccatis mundi monſtrant Verbum & Sacramenta: ita

ita Agnum immolandum in V. T. monſtrabant cærimoniæ & ſacrificia. Et ut nos vitam æternam ſperamus per fidem in Chriſtum, qui jam apparuit, & pro nobis Patri ſatisfecit: ita prior ætas per Chriſtum in fidem appariturum & ſatisfacturum: Extra Chriſtum autem non eſt ſalus, quantum quidem nobis revelatum eſt. Sunt ſane in Patribus, qui hac de re paullo crudius & liberius loquuntur. Clemens Alexandrinus affirmat Judæis legem, gentibus Philoſophiam ante adventum Chriſti & univerſalem vocationem ad ſalutem ſuffeciſſe. Et alibi Philoſophiam quondam per ſe Græcos juſtificaſſe. Chryſoſtomus ſcribit notitiam Chriſti illis, qui nativitatem ejus & ἐνσάρκωσιν ſive incarnationem præceſſerunt, neceſſariam non fuiſſe. At Juſtinus Martyr dixit, quia Chriſtus eſt λόγος, *Chriſtianos cenſeri debere, quicunque μετὰ λόγου*, hoc eſt, *cum ratione vitam inſtituerint*: quos inter nominat *Socratem & Heraclitum*: & alibi, *Socrati*, ait, *Chriſtum ex parte agnitum*. Vide Caſaubonum Exercitatione prima adverſus Baronium: hæc nemo facile Theologorum ſanorum hodie conceſſerit. Nec videtur pati Paulus ad Epheſios cap. 2. verſ. 12. *Mementote vos aliquando gentes in carne cum vocabamini præputium* (id eſt circumciſi) *ab ea, quæ circumciſio dicta eſt facta in carne manu, vos, inquam, illo tempore fuiſſe ſeparatos a Chriſto, alienos a civitate Iſraelitarum, expertes fœderum, promiſſionis ſpem non habentes, & atheos in mundo.* Sic ille: nec credibile eſt in tanta Epheſiorum, maximi populi, turba neminem fuiſſe, qui legi naturæ obtemperaret, & ut inter homines innocentiam coleret. Cum illa tamen ſua innocentia Apoſtolus illos facit expertes pactorum, ſpe vitæ æternæ deſtitutos, extra Chriſtum, Atheos.

Quibus data non eſt] Judæis quidem, electo populo, lex primum data eſt, ſed ut conditio fœderis, quod cum illis pepigerat Deus, promittens cœleſtia gaudia, ſi quis illam ſervaret. Si qui ergo de alienis participare fœdus illud & commodis ejus frui vellet, huic conſequenter juſſum erat, ut ſibi quoque legem illam datam putaret. Quemadmodum XII. tabulæ non ſunt poſitæ niſi civibus Romanis: itaque externos non obligabant. at ſi quis peregrinus privilegia & honores civis Romani appeteret, is non poterat ſe excludere ab obligatione juris Quiritium.

Audi Iſrael] Similis eſt præfatio decalogi, ſive legis moralis: *qui eduxi te ex Ægypto*: quæ ſolis Judæis competit: & tamen nemo dubitat decalogum obligaſſe omnes homines: deinde cum Deus dicit, *Audi Iſraël*: ſæpe non tantum intelligere debemus Iſraëlem ſecundum carnem; ſed etiam ſecundum ſpiritum, ut Iſraël ſint omnes fideles, ſeu qui *ordinant teſtamentum ejus ſuper ſacrificia*, ut loquitur Pſalmus 50.

3. *Ille Cornelius*] Si non præputio, animo certe judaïzabat. Quomodo enim poterat eſſe religioſus, & perpetuo in veneratione veri Dei, ſi verum Deum non norat? ut norat tum nemo gentilium, niſi a Judæis edoctus. A publica profeſſione videtur abſtinuiſſe metu amittendæ militiæ: neque enim poterat manere civis Romanus & miles honoratus præſertim, ſi palam Judaiſmum profeſſus eſſet: ut hodie ſub dominatione & jugo Tridentino multi ſunt, qui ſtant animo nobiſcum: ſed tamen metu amittendarum fortunarum non id præ ſe ferunt, & manent ubi ſunt. Quales uti non condemnamus, ita propterea non deſinimus omnibus auctores eſſe ut exeant quantum poſſint è Babylone. Hæc videtur & in Cornelio fuiſſe infirmitas: qui perſuaſum habebat penes Judæos eſſe fœdus, & verum Deum coli, & colebat religione privata: non tamen in legem illorum tranſibat. At id tum etiam non erat neceſſe, quia jam venerat Chriſtus, & legi ſatisfecerat. Huic igitur infirmitati & erranti conſcientiæ occurrens Deus miſit ei Petrum Apoſtolum. Religioſi Græci appellantur ab eo, quod fuerunt poſt auditum verbi Dei, non ex eo quod erant, antequam illud acciperent. Quod peregrinis inter Judæos venientibus conceſſa quædam, quæ non ipſis, non eos ſolvit omni lege: ſed argumentum eſt voluiſſe Deum, ne cogerentur illi pro imperio ad inſtituta Judæorum, ſed ut eſſet libertas conſcientiæ. Ipſo illo, qui allegatur, loco, illis licere dicitur, Judæis non, *quia* addunt, *gens eſtis ſacrata Domino Deo.* Ergo non illi ſacrati ſic, quibus licebat. Quod exteris licuit ſupplicare, & victimas offerre, in eo tantum illis conceſſum videtur, quantum Hiramo Tyrio, quum ei honor habitus, ut templo ædificando præberet materias: non quaſi hæc perinde placuiſſent Deo ac Judaicus ab ipſo præſcriptus cultus, ſed ut electo populo iterum vaſa aurea ad ſacrum præſtarent Ægyptii: ut gentes hæc templo quaſi tributa darent. Inde enim Judæorum opes. Tacit. 5. Hiſt. cap. 5. *Peſſimus quiſque ſpretis religionibus patriis tributa & ſtipes illuc congerebant: unde aucta Judæorum res.* debebat dicere: *Religioſiſſimus quiſque.* Sed hoc erat pravum de Judaiſmo Romanorum judicium. Quæ cum Syro Naamane, cum Ninivitis, Nabucodnoſoro, Tyriis, Moabitis, Ægyptiis agenda habuere Prophetæ, temporariæ erant ac ſpeciales vel indulgentiæ, vel denunciationes: ex quibus non eſt colligendum, quod in univerſum fuerit faciendum adfectanti propria Hebræorum bona, *adoptionem, gloriam, fœdus, legiſlationem, cultum & promiſſiones*, ut loquitur Paulus Rom. 9. Quod autem Prophetæ abſtinuerunt vocandis ad Judaiſmum gentibus, ratio eſt evidens. non enim debebant involare officium Meſſiæ, cujus erat plenitudo gentium, cujus vocare omnes, cujus reddere Eccleſiam Catholicam.

חסידי אומות] pii nationum de gentibus.

בן נכר] filius peregrinitatis.

גר ותושב] πάροικος καὶ παρεπίδημος.

5. *Ab Iſmaële vel Eſavo aut Cethura poſteris*] Mira conjectura. Atqui & Ægyptios, & Colchos & Æthiopas circumciſione uſos, teſtis Herodotus. Hi autem non Cethuræ, non Eſavi, aut Iſmaëlis, nec omnino Heberi aut Semi progenies, ſed Ægyptii ac Æthiopes a Chami filiis deſcendunt, Meſreno, unde Ægyptus

Hebræis

Hebræis terra Meſraim, & Chuſo, unde iiſdem Æthiopia terra Chuſi. Et credibile eſt Ægyptios accepiſſe circumciſionem ab Hebræis inquilinis, Æthiopas ab Ægyptiis. Colchi aotem, origine Scythæ Japetidæ fuerunt: & videntur circumciſionem etiam accepiſſe ab Ægyptiis, eum Seſoſtris, expeditionein Aſiam facta, coloniam Ægyptiorum ibi collocaviſſet, cujus meminit etiam Valerius Flaccus lib. V. Argonaut. 418. Seſoſtrin autem ſucceſſiſſe Pharaoni in mari rubro ſubmerſo ſentit Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus in Hibernia in Chronologicis.

6. *Ananias Izaten docebat*] At ibidem refert Joſephus, alium Judæum Eleazarum monuiſſe regem, grandem ab eo injuriam Deo & legi fieri, & magnam eſſe impietatem, quod agnita veritate non circumcideretur: & huic paruiſſe Izaten: atque inde in omni vita Deo propitio ac vindice felicem & magoum fuiſſe.

Hæc ſunt quæ reſponderi ad illa poſſint, quæ tradit auctor. Nos tamen ex duriſſimis non ſumus, nec miſericordiam Dei circumſcribimus, & quid de bonis & honeſtis viris in paganiſmo ſtatuerit, arcano illius & adorando judicio relinquimus.

גרי צדק] *προσήλυτος δικαιοσύνης.*

7. *Ritualia*] Capita de cærimoniis.

§. XVII. 2. *Quæ nudi facti*] Nam & permiſſio extra legem eſt, permiſſumque habetur, quod nuſquam vetitum. ea non juris eſt, ſed facti, & tantum ſignificat nihil obſtare aut impedire, quo minus facias, ſi lubeat.

Hæc collectio] Hoc vel illud in lege Moſaica permiſſum eſt; ergo eſt joris naturæ.

A D
C A P U T I I.

§. I. 1. C*icero tertio de Finibus*] c. 5.

Prima natura] documenta, monita.

Ipſum ſibi conciliatur] Amor & ſtudium conſervandi ſui. Quod ipſum ſeſe amat, ſibi placet, & curam ſumit ſuæ ſalutis: alienatur autem & refugit perniciem & quæ eo ducunt. Seneca ep. 121. *Primum ſibi ipſi conciliatur animal. Nullum animal ad vitam prodit ſine metu mortis. Simul enim conciliatur ſaluti ſuæ quidque, & quæ juvant, illa petit, læſura formidat.*

2. *Notionem convenientiæ*] iotelligentiam ordinis, concordiæ, decoris rerum agendarum. Gellius vocat utendi conſilii reputationem, & honeſtatis utilitatiſque veræ contemplationem, ſubtilioremque explorationem & commodorum delectum.

Convenientiam in qua] otpote in qua.

In qua honeſtum] Cicero c. 6. *In primis illis naturæ conciliationibus non ineſt honeſta actio: conſequens eſt, & poſt oritur.*

Commendent] ab illis ad hanc proficiſcimur. Cic. cap. 7. eadem phraſi utitur.

3. *In puncto conſiſtit*] ſtricte ac præciſe accipiendum eſt.

Ad vitium deflectas] ubi quicquid remittas, ſumma turpitudo ſequitur: ut deſerere amicum noo licet, juvare alirer atque ille velit, oihil impedit quominus honeſtum ſit.

Reductum utrimque] Horat. 1. ep. 18. *Virtus eſt medium vitiorum & utrimque reductum.*

Etiam deberi] ut niſi facias, pœnæ ſis obnoxius.

Supra diximus] 1, 3.

Quod neceſſariam] quod formulæ ſocietatis ratione utentium adverſatur.

4. *Inter prima naturæ*] Bellum noo repugnare primis naturæ.

Retentio] Melius dixiſſet defenſio vel tutela. nam *retentio* eſt quidem vox Ciceronis, ſed ſignificat vel *ἐποχὴν inhibitionem*, ut cum auriga adducit frenos & ſiſtit curſum 13. Attic. 21. vel cum quis dubitans aſſenſum ſuſtinet 4. Acad. 18. & 25. vel non ſolvere ſolidum 13. Attic. 23, 25. l. 60. D. de leg.

Manum pro haſta] Lucret. 5, 1285. *Arma antiqua manus denteſque ungueſque fuerunt.*

5. *Quæ ſecundo ac potiore loco*] Bellum non repugnare ſecundis & excellentioribus naturæ.

Dominium] certarum rerum jus proprium.

Jus eſſet occupantis] ut nunc quoque in iis quæ communia ſunt, quæ publica, quæ univerſitatis.

Si unumquodque] Hinc jure culpat Themiſtocles Lacedæmooios, quod imbecillitate ſociorum potentiam quærerent, Juſtin. 2, ult.

§. II. 1. *Miniſtris*] clieotibus, libertis, ſervis.

Extraneorum] infidelium, paganorum, gentilium.

Hiſtoria ſeptem] Erant Cananitæ, Hethitæ, Hevitæ, Phereſitæ, Girgoſitæ, Amalecitæ, Jebuſitæ. Jeſuæ 3, 10.

Fuit enim] id bellum fuiſſet joſtum, etſi oullum alind eſſet bellum juſtum, ex iis, quæ dicta ſunt cap. 1, 10. & 15.

2. *De juſtis nihil*] certas & expreſſas, tanquam ſolas & vere juſtas non definiat.

Naturaliter] plerumque, ut plurimum.

Per fidem] quaſi diceret, quod credebant ac certum habebant Deum eſſe Deum ipſorum & vindicem juſtæ cauſæ, ac velle eos armorum remedio adverſus violentiam iniquorum uti. Forſaſſe tamen voluit Deus proſperaſſe illorum arma propter fidem, qua exſpectabant venturum Meſſiam.

§. III. 1. *Didicimus, accepimus, legimus*]

I. didicimus vel traditam a magiſtris, vel hauſtam ex liberis: nam accipere diſcentium eſt. Sic a ſacerdotibus Ægyptiis numeros & cœleſtia Platonem accepiſſe ſcribit Cicero 2. Fin. 29. Juſtin. 11, 3.

Omnis honeſta] quidvis tentaremus, nihil non licere putaremus, vel ſi occidendi eſſent, ad nos liberandos.

2. *Umbram*] ſimulacrum, imaginem, inſtar.

Commiſiſſent] cornibus invicem ſe petiſſent. Unde arietare frequens Senecæ pro impellere.

§. IV. 2. *Jure gentium*] Fortaſſis hoc vult, id quod in bellis juſtum eſt (nempe, non ut vim inferamus alios non lædenti, ſed ut vim prohibeamus, armis reſiſtendo ſi quis vim fecerit, & vitam, bona, libertatem noſtram & noſtrorum aggreſſus fuerit) id neceſſitate atque uſu edoctas comparaviſſe gentes.

Juſtum, id eſt, plenum] Juſtum aliquando eſt, in quo adhibetur certus ordo moduſque rerum ac verborum: & diverſum eſt tumultuario, inapparato, incondito; aliquando, quod eſt juri conveniens, & contra eſt injuſtum, iniquum, illegitimum. Priori ſenſu bellum minus ſolenne non eſt juſtum; poſteriori eſſe poteſt.

Inquit Livius] lib. 3, cap. 3.

XLII.] 41.

§. V. 1. *Jus naturæ vetat*] tanquam nunquam non turpia.

Aut præcipit] tanquam ſemper honeſta.

Licent tantum] quæ ſive omittantur, ſive fiant, nihil peccatur, niſi quibuſdam temporibus & occaſionibus, quale eſt bellum gerere in offendentes.

Extra jus naturæ] non ſunt de imperatis naturæ, ſed de indulgentia; non leges, ſed legum beneficia, quæ ubi valeant, ubi non, tempus & res præſens docent.

2. *Qui eſt in homine*] Hebr. כארם *in homine*, & hoc referunt ad membrum ſequens, ut ſit per hominem, qui nempe juſte vindicet facinus, ſanguinem ejus effuſum iri. Quod non improbat auctor ad locum iſtum.

Comminationem] Tanquam denunciet Deus, quid ipſe facturus ſit vel per malos & injuſtos; ſolet enim & peccatis peccata punire: non conſtituat & ordinet lectum genus hominum qui vindices homicidii & ſimilium ſint rerum capitalium. Quemadmodum Davidi minatur 2. Sam. 12, 11, & 12.

Interdictum] Noacho datum.

Latius non] nihil amplius vetat, quam Moyſi dictum.

Verba illa] effundere ſanguinem & occidere.

Vitium includit] ut injuria effundere, inſontem occidere.

Diſtinatam] conſilio & propoſito factam, non fortuitam.

Innocentis] qui nihil commeruerit, cur vita privaretur.

Non factum nudum] quaſi minetur Deus, quid eventurum ſit per aliquem in eodem actu peccantem.

Sed jus] Immo præcipit quid legitima poteſtas facere debeat.

3. *Rhadamanthi*] Pythagoræorum ἀντιπεπονθὸς, talio: Καίτοι βούλονταί γε τοῦτο λέγειν καὶ τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον, Εἴκε πάθοι &c. Ariſtot. 5. Ethic. 8. Seneca ludo de morte Claudii: Illum tantum altera parte audita condemnat Æacus & ait: Εἴκε πάθοι, 1. Magnorum Mor. 34. Καὶ τὸ ἀντιπεπονθός. οὐ μὴν τοιγε ὡς οἱ Πυθαγόρειοι ἔλεγον· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ᾤοντο δίκαιον εἶναι, ὃ ἐποίησέ τις, ταῦτα ἀντιπαθεῖν. Ejuſdem op. 3, 4. Δοκεῖ δέ τισι καὶ τὸ ἀντιπεπονθὸς ἁπλῶς εἶναι δίκαιον, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι ἔφασαν· ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ. τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθωτικόν· καίτοι βούλονταί γε τοῦτο λέγειν καὶ τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον· Εἴκε πάθοι

Seneca] præf. 5. contr.

Excipit] expiat.

4. *Conjectura divinæ voluntatis in legem ivit*] Ab inſigni exemplo, quod Deus in fratricidam ſtatuerat, homines ante diluvium argumentati & colligentes nondum placere Deo cædem cæde lui, quamquam naturalis id ratio ſuaderet, capitali ſupplicio in homicidas abſtinuerunt, quaſi vetito ipſius Dei lege. Videtur ſpecioſius dici quam verius: ſane non extat præceptum Dei de homicida capite puniendo ante diluvium: ſed cum prior ille mundus per annos mille ſexcentos ſteterit, & haud dubie infinitis populis, nationibus, civitatibus frequentatus fuerit, vix videtur veriſimile, ut eos aut naturalis ratio, aut ſua ſecuritas, aut neceſſitas, quæ delictis creſcentibus augeri pœnas imperat, non docuerit tam juſto ſupplicio ſcelus refrænandum eſſe. Edictum de Caino ſimile eſt illis reſcriptis Principum, quibus alicui ſine exemplo ſubveniunt, quæ perſonam non tranſgrediuntur, ut loquitur Imperator §. 6. Inſtit. de Jure naturæ, gentium & civili. Ipſe Cainus oſtendit ſe metuere & exſpectare quod fecisſet. Cur? quia natura eum monebat: *Tibi quod non vis fieri, alteri ne feceris.* Quod autem pœnæ exemtus eſt, admitto facile rationem auctoris, ob hominum raritatem ei parci Deum juſſiſſe: at id tranſiiſſe in legem cur videatur, ceſſante ratione & mundo tot ſeculis frequentato? Nec juvat exemplum Lamechi, quem accipere poſſumus hæc profatum, non ut gentium jus, ſed ſuæ ſalutis muniendæ gratia, atque ut vindices facinoris a ſuo corpore & capite abſterreret. Ut ille medicus regi Ludovico XI. apud Comineum lib. X. *Non dubito quin me quoque ſis ejecturus, ſicuti reliquos omnes, verum ſanctiſſimo jurejurando tibi confirmo, poſt meum abs te diſceſſum, non victurum te ſupra octavum diem.* Minæ ſunt hæ, non jus aut veritas. Illud facile conceſſerim, in paucitate hominum & ante diluvium & poſt (& ſi tum jam capitale ſupplicium edicto ſanxiſſet Deus) aliquamdiu exilio tantum aut mulcta diverſos apud populos luiſſe culpam homicidas. Id non confirmant tantummodo, quos advocat auctor, ſed & leges barbararum gentium, quæ Romanum imperium conculcarunt. Lex Salica tit. XLIII. *Si*

quis

quis ingenuus Francum aut Barbarum hominem occiderit, qui lege Salica vivit, octo millibus denarium, qui faciunt CC. *ſolidos* (ſolidus intelligitur aureus, qui XL. denariis argenteis æſtimatur, de quo egimus in lib. 3. de pec. vet.) *culpabilis judicetur. Si quis Romanum hominem, convivam Regis occiderit, duodecim millia denarium, qui faciunt* CCC. *ſolidos, culpabilis judicetur.* Lex Alemannorum tit. XLIV. *Si quis hominem occiderit, ex weregeldis* (weregeldum genus mulctæ) *eum ſolvat. Si fœminam,* XVIII. *weregeldis.* Lex Bajavaricorum, tit. 3. num. XIII. *Si quis liberum hominem occiderit, ſolvat parentibus ſuis ſi habet: ſi autem non habet, ſolvat duci, vel cui commendatus fuit* (i. e. qui patronus ejus, vel cujus ipſe cliens) *dum vixit, bis* LXXX. *ſolidos. De fœminis eorum, ſi aliquid de iſtis actis contigerit, omnia dupliciter componantur.* Lex Ripuariorum: *Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium occiderit,* CC. *ſolidis culpabilis judicetur.* Lex Saxonum: *Qui nobilem occiderit,* 1440. *ſolidis componat.* Lex Angliorum: *Si quis adelingum occiderit* (diſtinguebant homines in Adelingos, Frilingos, Ligios, i. e. nobiles, liberos & ſervos) DC. *ſolidis componat, qui liberum occiderit,* CC. *ſolidis componat, qui ſervum occiderit,* XXX. *ſolidis componat.* Lex Friſiorum. *Si nobilis nobilem occiderit,* LXX. *ſolidis componat: ſi nobilis liberum occiderit, ſolidos* LIV. *& unum denarium ſolvat; ſi liber nobilem,* LXXX. *ſolidis componat.* Lex Longobardorum lib. 1. tit. 9. *Si quis homicidium perpetraverit abſconſe in Barone libero vel ſervo vel ancilla, & unus fuerit, aut duo tantum, qui ipſum homicidium fecerit componat* DCCCC. *ſolidis.*

5. *Severius occurrendum*] verbis adductis ex Geneſ. 9. v. 5. & 6.

Ut inſons] ut liceret cunctis bonis & innoxiis necem fraude interfecti hominis ulciſci & homicidam perimere; quique id feciſſet, ut nullam culpam contraheret.

Inſtitutis judiciis] poſtquam placuit & lites dirimendas & delicta punienda ſelectis judicibus & magiſtratibus committi.

Summas ob cauſas] qui multi eo jure abutebantur.

In jure ejus] Numer. 35.

6. *Populos extraneos*] exſortes fœderis divini.

7. *Conjectura*] Quod ſtatuerat jam Deus homicidam capitali ſupplicio puniri, id interpretati ſunt homines eum velle extendi ad eos, qui non levius peccarent homicidis in ſocietatem humanam, & hos par ſupplicium luere.

Imperii ſocietatem] unde lex majeſtatis.

8. *Inceſtas*] intra gradus conſanguinitatis vetitos jungi.

Quod ipſum] adulterium eſſe crimen, quod plectat judex.

9. *Non poſſe expiari*] piaculo obligari omnes regionis incolas, ubi homicidium factum eſt, quod tolli nequeat.

10. *Cum legibus*] ut apparet ex Fragmentis JC. cum lege Moyſis collatis & editis a P. Pithæo Lutet. 1573.

§. VI. 1. *Extra præcepta*] præter myſteria & ſumma capita Chriſtianæ religionis.

3. *Interpretem tantum agere legis per Moſem datæ*] Coccejus de Fœdere cap. 12. num. 357. Alting. Theol. Elenct. p. 411. Hæc tamen ſententia communis eſt omnium Proteſtantium: Chriſtum, nec univerſis, nec ſingulis decalogi præceptis quicquam addidiſſe, quod ad perfectiorem Dei cultum in N. T. pertineat, quia lex Dei perfecta eſt, cui nec addi quicquam poteſt nec detrahi. Deut. 4. v. 2. & 12. v. 32. Pſalm. 19. v. 8. & obedientiam omnem, non modo externam, in ſermone, geſtu, facto, ſed etiam internam mentis, voluntatis, affectuum complectitur: Matth. 22. v. 38. & 39. Deut. 27. v. 26. eoque & vitam æternam & pollicetur & dare poteſt ſervantibus. Levit. 18. v. 5. Deut. 30, v. 19. Luc. 10, v. 25. & 28. collatiſque inter ſe locis ad Rom. 10, v. 5. Gal. 3, 12.

Negant iidem legiſlatorem proprie dici Chriſtum, niſi quatenus cum Patre & S. Spiritu Deus Triunus legem dedit Moſi in monte Sina. At qua θεάνθρωπος & medius atque interpres Novi Teſtamenti eſt, non concedunt legiſlatorem eſſe, quia Moſi ejuſque legi opponitur tanquam gratiæ & virtutis auctor. Joann. 1. v. 17. officiumque habet proferre Euangelium ex ſinu patris, intercedere, & fieri victima pro nobis & dato S. Sancto nos patri reconciliare. Joann. 1. v. 18. Matth. 20. v. 28. 2. Corinth. 5. v. 19, 20, 21. Ad munus ſane propheticum in erudiendo populo pertinuit inſtauratio & vindicatio legis, remotis Phariſæorum additamentis & pravis interpretationibus: cæterum nec alia legis præcepta tradidit, ſive per ſe, ſive per Apoſtolos, quam Moſes, nec aliam explicationem addidit, quam quæ a Prophetis tradita eſt, & ſemper tradi debuit. Sic quidem noſtri. At Pontificii ſtatuunt Chriſtum in Euangelio legem Moſis ex imperfecta perfectam, vel ex perfecta perfectiorem reddidiſſe. Sociniani quoque longum texunt catalogum eorum, quæ ſingulis capitibus decalogi addiderit: de quibus plura Theologi. Sic igitur contra Socinianos hic diſputat, ut multa illis concedat.

4. *Aſpectabilium*] quæ in oculos incurrunt, quæ pro exemplis ſunt.

§. VII. 2. *Omnis coercitio*] Merum imperium eſt habere gladii poteſtatem l. 3. D. de juriſdictione. Tacit. 3. hiſt. 68. Vitellius aſſiſtenti conſuli exſolutum a latere pugionem, veluti jus vitæ neciſque civium reddebat.

Qua Reges] potentia ſua utendo ad bonos mores introducendos, malos excludendos aut ſupprimendos.

Qua homo] ut ſibi temperet abſtineatque injuria; ut ſe pium & moderatum præſtet.

3. *Quam Deus tantum*] quales ſunt res, quas ſuſtinet Deus ac patitur tantum, & hactenus regit, ne ulterius evagentur, quam fert aut juſta ejus ira, dum malum punit per malum; aut indulgentia, dum ſpatium dat ad pœnitentiam; aut ſapiens conſilium, dum malum aliunde ortum facit initium & occaſionem boni, ut man-

cipationem Joſephi reddidit viam ad potentiam ejus & ad Patriarchas alendos in Ægypto; perfidiam Pilati & Judæorum erga Chriſtum principium liberandi generis humani.

Ad animum maxime] quæ non conſiſtat in externo tantum opere, quod coacti & inviti præſtamus ad voluntatem potentioris, ſed maxime in ſtudio & affectione atque propenſione animi, cum volentes lubenteſque paremus.

Voluntate Dei approbante] non modo permittente.

Omnes homines] tanquam quod in V. F. revelatum eſt, non obligaret omnes homines, ſed tantum Hebræos.

4. *Edeſſenorum rege*] Abgaro, quaſi dederit ad Chriſtum & ab eo receperit Epiſtolam. Euſeb. 1. cap. 13.

5. *Concuſſionibus*] extorſionibus pecuniarum l. 1. & 2. D. de concuſſ.

Perfectior] Potius clarior & evidentior, quam fuerat ſub umbris ſacrificiorum & cærimoniarum. Πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου ἐπροφήτευσαν.

Militia abire] ut ſacerdotio abire Gell. 6, 7.

6. *Generalia contrahi*] generalibus derogari per ſpecialia; generalia ſtrictius accipi oportere quam ſonant.

7. *Ad implendam*] Οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι· non ut irritam faciam, ne ſit, ſed ut illi ſatisfaciam, hoc eſt, in moralibus: ut perfectam illam ſanctitatem, quam requirit lex, & humanus nemo poteſt aſſequi, præſtando pro fidelibus & piis liberem eos diris, quibus fulminat lex contra peccantes & ſupplicium meritos. In ritibus & cærimoniis: ut ei ſatisfaciam exhibendo Meſſiam, qui omnibus ſacrificiis & victimis ſignificatus eſt. Πληρῶσαι, ut & implere, ſatisfacere. Salmaſ. ad jus Attic. p. 34, 35.

Implentur lineamenta] Ut in pingenda imagine primum ducuntur lineæ quædam, quibus ſignantur ex tremitates partium; dein vacuum illud, quod fuit inter extremitates, coloribus impletur; & tum exhibetur perfecta rei ſpecies, ceſſantque notari primi illi ductus: ſic L. C. completam dici vult, quum qui rudibus & primis quaſi lineis adumbratur Chriſtus, in effigie & corpore apparuit, & ſacrificium, quod in Judaiſmo ſimulabatur, præſtitit. Theophylact. p. 28. ὅσα ἐκεῖνος (ὁ νόμος) ἐσκιαγράφησε, ταῦτα οὗτος τελείως ἐζωγράφησεν. Iſidorus lib. 19. Orig. c. 16. *Pictores prius umbras quaſdam & lineas futuræ imaginis ducunt, deinde coloribus implent tenentes ordinem inventæ artis.*

8. *Quoad impietatem*] ſive ut puniri non poſſent a judice forenſi, etſi conſcientiam læderent; ſive ut ne conſcientiam quidem gravarent.

Ob qualemcumque] non enim licere voluit id niſi ob mores graviores, ut loquebantur olim, Ulp. tit. 65. 9. hoc eſt, ob adulteria. Matth. 5, 31.

Ab eo qui læſerit] ſolius vindictæ cauſa litigare Matth. 5, 38, 39, &c.

Nihil facit contra legem] Dilectionem inimici etiam V. F. præcipit Exod. 23. v. 4, 5. Prov. 25, 22. & eſt in eam rem exemplum Eliſæl 2. Reg. 6, 22.

Huic] judici.

9. *Actor.* 19.] ubi de Demetrio.

10. *Ejurati*] depoſiti, vel abdicati. Sic autem Romæ loquebantur ideo, quod abeuntes conſulatu pro concione jurare ſolebant ſe nihil contra leges feciſſe.

13. *Qui ut rei fiant*] ut compellantur facere quod jus & æquum eſt. Taciti verba imitatur 3. ann. 53. *petitam armis rempublicam, utque reus agi poſſet, acie victum.*

Suum habere momentum] poteſt facere ut intutum ſit illos aggredi.

54. *Qua gentes*] ea parte qua nationes alias præter Iſraëlis poſteros excludebat a fœdere Dei.

55. *Qui Iſraelitarum*] non aliam ob cauſam jus belli gerendi Hebræis fuiſſe, quam ut acquirerent terras ſeptem populorum devotorum a Deo illis attributas.

Humano jure] juſto titulo poſſidendi, quem vel naturæ vel gentium vel civile jus ſanxit.

§. VIII. 3. Τῷ ἀδικοῦντι] τῷ ἀσεβεῖ.

Eos qui impetuntur] privatos, quibus fit injuria.

Tali, qualis] levi, quæ plus habeat contumeliæ quam detrimenti.

4. *In profanis auditoriis*] ad paganorum judicum tribunalia. Sic auditorium principis l. 18. D. de Minorib. præfecti prætorio l. 30. de reb. cred. Alibi auditoria judicum & magiſtratuum.

Ad extraneos] ἀλλοφύλους, ἀπεριτμήτους.

Tanti habuit] cui tanti fuit non litigare, ut maluerit fraudari, quam lites ſequi.

Lites exſecratur] a litibus abhorret. Juſtin. 53, 1. 38, 10. 39, 5. *lites gravatur.*

Probari a probis] optimo cuique potius videri, id omnes ſuum nomen profeſſos curare & obſervare jubet.

Ut tranſigat] citra judicem controverſiam dirimat & rem componat.

Non conſiſtere] non ſtrictiſſime ac præciſe accipienda. i. num. 1.

Angariabit] omiſſis rebus tuis viæ ducem eſſe, onus portare, jumentum aut vehiculum præbere coget. Angari dicebantur nuntii regum Perſicorum. Illis jus erat per vias obvio cuique auferre recentiorem equum aut adigere homines ad illa, quæ diximus, & ſimilia præſtanda.

6. *In infinitum*] ſine limitatione de omnibus omnino rebus & quantacumque ſumma accipias.

Aliis ſit laxamentum] ut alii facilius vivant, vos ſpoliaria vobiſmet ipſis & in arctum redigi.

Ἃ ἂν ἴδω] quod de meis opibus mihi ſuperſit, & indigentiam amicorum ſuſtento.

7. *Sic divortii*] quemadmodum maritos voluit uxoribus, quarum tæderet, ne perpetuo eas male tractarent, libellum repudii dare, & eas a ſe dimittere. Formula in not. ad Matth. 5. 31.

Talio

Talio eſto] ejuſdem membri in auctore injuriæ rumpendi petitio eſto.

Reſtrictiore] non tam late patente.

Delicatis] faſtidientibus, impatientibus.

Quam ex ſe qui] ulciſci. §. 2. Inſtit. de his qui ſui vel alieni.

Alius] Nonius p. 430.

Conſtat contumelia] Mſs. editique, conſtant contumeliam. ſ. circum adſtant contumeliæ.

Humilitas animi] μικροψυχία.

Contrahentis] in angorem prolapſi.

8. *Invitas novam*] das audaciam lædenti ad iterum te offendendum.

9. *Comma 17. collatum*] Priori proximus & frater appellantur, poſteriori cives. Nam memineris injuriæ civium tuorum.

Prælia Domini] non niſi juſta bella gerebat.

10. *Latius proximi*] quia in N. T. Chriſtus demonſtravit, proximum eſſe nobis non modo civem, ſed & quemvis hominem.

Devoti] ut ſeptem Cananæi.

Bonum innocentis] quod eſt ut puniatur noxius, ne impunitas augeat in iſtum & ſimiles improbitatem.

Bono nocentis] quod ille bonum ſibi putat, ut ei parcatur & nihil luat.

Bonum commune] ut refrænentur delicta ſuppliciis.

Privato] ſingulorum alios injuria afficientium, ne quid mali viciſſim patiantur.

Dilectione innocentium] ne hi periclitarentur, ſi malis impunita eſſent facinora.

12. *Procurate honeſta*] hæc Bezæ verſio προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων. Vulg. *providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*, Caſtalio: *date operam, ut vos apud omnes homines honeſte geratis.* Nec male ſit, honeſta ſectantes in exemplum & confeſſione omnium hominum. Velut, quantum fieri poteſt, apud omnes homines bene audiatis. Matth. 5, 17.

Date locum iræ] ſpatium, advocationem, ut loquitur Seneca ad Marc. cap. 10.

Popularibus] civibus, quibuſcum eſt ſimultas, mitius tractandis quam in hoſtes externos conſulimus.

Latius patientia] etſi ad plures pertineant ob vocis Proximi ſignificationem productam.

Capitum ſectiones] Et habuit longe alias vetus Eccleſia, de quibus videndus Caſaubonus initio Notarum ad N. T.

Cohæſit] olim conjunctum & continuatum fuit.

13. *Exigitur*] per magiſtratus quæque pars eſt illius hoſtimenti & viciſſitudinis quam minatur & ab ſeſe jubet exſpectari Deus.

Explendi] quam privata libido ſumit, ægri & crudelis animi ſolatium.

14. *Prodigioſam illam*] quæ vexandos Satanæ tradebant diſcipulos non audientes.

16. *Faginus adſtabat*] quum ligneo poculo contenti eſſent. Ovid. 8, 670. *fabricataque fago Pocula, qua cava ſunt, flaventibus illita ceris.*

Ambitioſa fames] oſtentatrix ſui.

Diffuſus Bacchus] *ſaccatum vinum* Martial. 2, 40. 8, 54. ubi Scriver. *Saccos vinarios* appellat Plinius 24, 1. *Ignoto conſule, ante multos annos, ut, qui tum fuerint coſſ. ignoretur.*

Murrhaque] murrino vel murreo calice. Sueton. Octav. 71.

Contradictionibus] ἐναντιώμασιν.

17. *Ad bellum privatum*] armatam defenſionem ſui.

§. IX. 1. *De ſcripti ſenſu*] in Statu juridiciali qualitatis ante judicium, qui dicitur Legalis vel legitimus, utrum Scripto præciſe adhæreri debeat, an ſententia & voluntas ſcriptoris ſpectanda ſit. Ad Herenn. 2, 9, & 10.

2. *Magnificentius*] propoſitum vitæ ſublimioris, quæ non poteſt ab omnibus exigi.

Si quos militia præventos] ſi qui ſacramento jam tenebantur & militabant, antequam fierent Chriſtiani.

Quem Chriſtus] Matth. 8. 10.

Quem Petrus] Act. 10.

Signata] per baptiſmi ſignaculum. Tertull. de ſpectac. 24.

Cavillandum] Videtur legi oportere, *cavitandum*. nam *Cavillari* eſt quidem frequens Tertulliano, ſed pro *decipere, fallere, fruſtrari.*

3. *Cum Judæi Roma urbe*] Tacit. 2. annal. 85. Suetonius Tiber. 36.

Sacramento divino & humano] quod promittitur Deo in veræ religionis profeſſione, & quod juratur imperatori gentili in militia ſuſcipienda. De corona II. *Credimuſne humanum ſacramentum divino ſuperduci licere.*

In delictis] Scribendum cenſeo, in debitis. Caſtrenſium munium debita ſunt, quæ Livius vocat *militaria juſta* lib. 24, 48. Sic Seneca, quæ in Med. v. 997. vocavit *juſta functis*, Troad. 602. *debita exanimis* appellat. Quot vel quam multa alia ſunt ex officiis & operibus militiæ legitimis, quæ Chriſtianus debet tranſgreſſiones vel peccata interpretari?

4. *Ad præclariſſima*] ad ſeparandos ſe a vulgo & a turbis ſecularibus & ad ſummum gradum vitæ innocentis atque a rebus remotæ conſequendum inſtar Henochi, Eliæ, Johannis Baptiſtæ.

Conſilia divina] ea quæ erant propoſita pro eximiis & ſingularibus, nec niſi illis qui extraordinariis dotibus & donis divinæ indulgentiæ inſtructi eſſent, aggredienda acciperent quaſi communia & neceſſaria & nemini non affectanda. Gregor. Nazianz. 3. in Julian. cap. 94. Ἐπεὶ τὰ πῶς ἐκεῖν' οὐ λογίζῃ ὁ σοφὸς τὸ τῆς ἀρετῆς ἄκρον συγκλείων χριστιανὸς, ἐπὶ τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας. τὰ μὲν ἀνάγκην ἔχει τοῖς ἐπιτελουμένοις, ἃ δὲ μὴ φυλάττουσι κίνδυνος· τὰ δὲ οὐκ ἀνάγκην, ἀλλ' αἵρεσιν, ἃ φυλάττουσι μὲν τιμὴ καὶ ἀντίδοσις, μὴ φυλάττουσι δὲ οὐδ' ὁντινοῦν κίνδυνον, &c

Nec ædilitatem] Opinor quia ædilium erat dare ludos. Cicero 1. Verr. 54. Sueton. Jul. 10. Ludi autem erant honos deorum, quos deſpuebant Chriſtiani. Sed & Prætorum. Tac.

Navigaturum] quia aut lucri fere, aut voluptatis, aut bellandi cauſa navigatur, quorum omnium ergo nihil ſuſcipiebat primævus ille rigor.

§. X. 1. *Niſi forte militet*] nam militantes caligati.

2. *Conciliabula*] Conciliabulum, vicus vel pagus qui haberet jus nundinarum. Sigon. de jure Italiæ 2, 15. Liv. 24, 56.

Militum precationibus] Claudianus 6. Conſ. Honorii 340.

In corona] In libro de Corona.

4. *Silaniani*] ut ſi quis domui ſuæ occiſus eſſet, de ſervis, quotquot ſub eodem tecto fuiſſent, quæſtio haberetur, omneſque ſupplicio aſſicerentur facti autem V. C. 762. P. Cornelio Dolabella, C. Junio Silano Coſſ. Auguſto imperante. Exemplum apud Tacitum 14. annal. 42.

Culleo] ſacco coriaceo cum cane, gallo gallinacco, vipera & ſimia, inque mare abjiciendis §. 6. Inſtit. de publ. jud. Cic. pro Sex. Roſcio cap. 25, & 26. Juvenal. 8, 214. & 13, 155.

Labaro] vexillo Prudent. 1. Symm. 488. *Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro ſignabat labarum.* Euſeb. de vita Conſtant. 1, 31.

7. *Canonem Synodi Nicaenſis*] Quatuor gradus erant pœnitentiæ in veteri Eccleſia. I. *προσκλαυσις deploratio*, illorum qui admiſſo peccato extra Eccleſiam ſtantes cum luctu & lacrimis ingredientes orabant, ut pro ſe Dei miſericordiam elicerent: & hi dicebantur προσκλαίοντες quaſi *adflentes*. II. Ἀκρόασις, eorum qui in prodromo vel porticu aut veſtibulo Eccleſiæ ſtantes divinas ſcripturas audiebant uſque ad lectionem Euangelii, & dicebantur Ἀκροώμενοι, *Audientes*. III. Ὑπόπτωσις, *Submiſſio* eorum, qui jam intra Eccleſiæ ſepta poſt ſuggeſtum tamen, ut videtur, inclinati & genu ſubmittentes ſtabant, & cum catechumenis egrediebantur, & vocabantur Ὑποπίπτοντες, *Succidentes* vel *Succumbentes*. IV. Σύστασις, *Conſtitutio*, qui jam cum fidelibus conſiſtebant orantes, nondum tamen ad ſacramenta admittebantur, his nomen Συνεστῶτες, *Conſiſtentes*. Videndus Chriſtoph. Juſtellus ad Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ.

Cingulum] ἀποῤῥιψάμενοι τὰς ζώνας. Milites altius cincti & procincti quo expeditiores forent. Et militum balthea zonæque. Tacit. 2. hiſtor. 88. Horat. 2. epiſt. 2, 40. Cinctus, qui militat, præſertim honorata militia l. 25. & l. 38. §. 1. D. de teſta. mil. Ammianus lib. 22. p...... Et cingulum nunc pro militia, nunc pro ducatu aliquo & gradu altiore vel honore militiæ l. 5. Cod. Qui mil. præſ. binis merere cingulis. l. 9. C. de metatis, illuſtris dignitas vel ſub cingulo vel citra cingulum l. 2. C. ut dignitatum ordo ſerv. l. 5. C. de apparit. mag. mil.

Pecuniam darent & beneficiis] ὡς ἡμᾶς καὶ ἀργύρια προέσθαι καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύεσθαι. Militiæ enim vendi poterant & obligari. Novell. 53. cap. 5. l. 22. Dig. de leg. 2. & teſtamento relinqui l. 11. §. 16. D. de leg. 3. Beneficiis autem recepiſſe militiam dicuntur, quibus ea contigit gratia, ſuffragatione, commendatione alicujus. Suet. Jul. 75. *Quibus ex commendatione Pompeji ordines dederat.* Tib. 12. *Venit etiam in ſuſpicionem per quoſdam beneficii ſui centuriones.*

Jaceant] ὑποπιπτέτωσαν μετὰ τὸν τῆς τελείας ἀκροάσεως χρόνον. Reſpiciunt hæc verba duos ex quatuor gradibus Pœnitentiæ in veteri Eccleſia, qui erant Πρόσκλαυσις, Ἀκρόασις, Ὑπόπτωσις, Σύστασις. Calaub. Exercit. in Bar. 16. num. 43. p. 552. Salmaſ. in Epiſt. Simplicii Verini nomine p. 113.

Orationibus communicabunt] precibus publicis intereſſe poterunt.

Humanius cogitare] de admittendis illis ad Κοινωνίαν ἢ Σύναξιν ad participandam Euchariſtiam.

Indifferenter tulerunt] ἀδιαφόρως ἤνεγκαν. Sueton. Domit. 23. *Occiſum eum populus indifferenter, miles graviſſime tulit.*

Habitum] σχῆμα τοῦ εἰσιέναι εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Speciem, mimum, imaginem.

8. *Licinii*] qui Conſtantini M. affinis fuit & cum eo aliquamdiu imperavit, acerrimus Chriſtianorum perſecutor, donec ex hac ipſa cauſa bello inter eos orto victus & occiſus eſt.

Abjeciſſe cingulum] renuntiaviſſe militiæ.

Confeſſores] qui in periculum adducti & tormentis ſubjecti fidem ſervaverant, non etiam occiſi erant, ut Martyres.

Cingulum abjecerant] qui quod Chriſtianam religionem ſuſcepiſſent militantes, & viderent, ſe ſalva conſcientia manere in militia non poſſe, per quam idolis ſervire cogebantur, miſſionem impetraverant.

9. *Et aſcetis*] Aſcetæ, qui ſtudio precum & meditationum ſacrarum omiſſis rebus excedebant ſeculo & corpus domabant & exercebant; ut Monachi, Stylitæ, Incluſi, Heſychaſtæ. Vide Gretſeri Variar. 1, 3.

Officium Romanorum] Ῥωμαϊκὴν ἀρχήν. In Zonara vertitur, *Romanam præfecturam*: in Balſamone, *Romanum magiſtratum*. An *Romanum*, ut Tertull. infra 4, 5, 84.

Cleri honorem] Eccleſiaſticæ functionis. Suidas: κλῆρος, σύστημα τῶν διακόνων καὶ πρεσβυτέρων. Hæc erat ſimplicitas primævæ Eccleſiæ. poſtea tanta ordinum varietas & copia acceſſit.

11. *Non modico profectu*] quod exemplum non parum profuit ad eos, qui jam erant Chriſtiani, confirmandos, & ad complures, qui nondum erant, faciendos.

Tunc agnoſcebant] negabant Cæſari obſequium quo eſſent in Deum peccaturi.

12. *Hæc fuerunt hactenus*] Hæ ſunt cauſæ, propter quas in hunc diem uſque non dubitavimus & operæ pretium putavimus vitam in diſcrimen mittere, quas tanti putavimus, ut pro eis pericula non recuſaremus.

A D

AD

CAPUT III.

§. I. 1. Q*Ui juriſdictionem*] Abutitur vocabulo, & idita accipit generaliter, ut & imperium comprehendat. Sen. de clem. 1, 1. *quas nationes funditus excids, quas tranſportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, &c. quæ ruant urbes, quæ oriebantur, mea juriſdictio eſt.* Cic. 2. agr. 36. *ut ſub veſtrum jus, juriſdictionem, poteſtatem, urbes, nationes, provincias, terrarum denique orbem ſubjugaretis.* Alioqui & juriſdictio aliquando ſine poteſtate gladii eſt.

Antiquius] Quippe quod jam geſtum ſit ante reſpublicas conſtitutas. cap. 1. n. 2.

2. *Judicia publica*] Ex quo perſonæ publicæ lectæ ſunt, quibus ſolis datum, ut jus adminiſtrarent, & rerum capitalium vindices eſſent. Eſt autem inter judicia publica inſigne de vi & vi armata. §. 8. Inſt. de pub. jud.

Ab eo cujus nihil] cujus ipſius res non agitur, ut poſſit bona fide medius & neutrarum partium eſſe, nec propriæ cauſæ reſpectu corrumpatur.

Nimium ſæpe amantes] Pindarus apud Gregor. Nazian. 3. in Julian. p. 96. τὸ οἰκεῖον πιέζ. Salluſt. Cat. 51. neque enim cuiquam mortalium injuriæ ſuæ parvæ videntur.

Quod jus putant] in qua opinione ſæpius decipiuntur.

Nihil manu] vi privata.

§. II. 1. *Ubi ceſſat judicium*] Sic excuſabant ſcelerata Octaviani initia adulatores aulæ: neceſſitudine reipubl. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum. Tac. 1. ann. 9.

Momentanee] ad tempus aut perpetuo.

Locis non occupatis] quæ nemo in ditionem ſuam vindicavit.

Judicem non audiant] ſi per rebellionem, ſeditionem, diſſidium inteſtinum ſit juſtitium.

Judex aperte] Quo prætextu Cæſar invaſit piratas. Velle. 2, 42.

2. *Impunitatem inducere*] excuſare & connivere, ſi quis tale ſecerit quippiam, ſed prorſus jus dare fugiendi.

Mandato divino] de qualibus ſupra 2, 2.

§. III. 2. *Quaſi licuerit*] Interpretatur antehac ad iſtum diem, dum ſtant Moyſis cærimoniæ, licuiſſe; nunc autem poſtquam Euangellum annuntiari cœpit, ſiſti uſum gladii. Cavillatur in vocabulo *Satis*, quod & ſignificat, *Non plus*, &, *Non ultra.*

Æquitatis] quid liceat communi jure.

Veritatis] quid verum & juſtum ſit Chriſtianis.

3. *Ut talis patientia*] ut nemo teneatur aut neceſſe habeat pati, ſe indefenſum occidi.

Bonis inæqualibus] ut patientis bonum eſt ſervare vitam fragilem & mortalem; aggreſſi non perire inter peccandum, & ſic cum præſenti vita etiam ſpem futuræ atque æternæ perdere.

Opus habere] non ſic ſe affectum ſentire ut repente vitam dimittere poſſit cum ſpe ſalutis æternæ.

Morali judicio] quod diverſum a naturali rem æſtimanti ex ſeſe; non ex adjuncta cauſa, quæ vitioſam eam aut probabilem reddit. Judicium morale interpretatur rem non eſſe rem eam, cujus nomine vocatur, ſi vitium habet adjunctum. Hoc igitur judicio periculum in quod quis ultro ſe conjecit, & ex eo ſe eximere poteſt, periculum non putatur hactenus ut alter illi potius quam ſibi parcere debeat. Judicio morali res non eſſe æſtimatur id, quod eſt, propter adjunctum vitium. Tale ſignificat Cicero lib. IV. famil. IV. *Quando effugi ejus offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur, me hanc remp. non putare*, hoc eſt, me judicio morali hanc remp. quæ ſub Cæſare eſt, putare non eſſe rempublicam, ſed tyrannidem.

4. *Eſſenis*] Secta Judæorum, ut & Phariſæi erant & Sadducæi: ſed iſti omnium ſeveriſſimi & continentiſſimæ diſciplinæ. Joſeph. 18. Antiq. 2.

Proverbium] Sermo ὑπερβολικὸς & figuratus.

5. *Non magis univerſale*] ſine exceptione accipiendum.

Alapæ par] in qua plus ſit contumeliæ, quam noxæ aut periculi.

6. *Non tuendi, ſed ulciſcendi*]: Nam ἐκδικεῖν utrumque ſignificat, & *tueri*, & *ulciſci*. Unde Ecdici defenſores civitatum Plin. 10. Epiſt. III. Hoc ſecutus eſt vetus interpres, cum illud debuiſſet.

Ἐμοὶ ἐκδίκησις] *Mihi vindictam; ego rependam.*

7. *Armorum uſum*] Quale Homeri Ὀδυσσ. π. 294. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Quod ſic reddit Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut. 540. *Namque virum trahit ipſe chalybs.*

Patientiæ ſequeſter] Sequeſter eſt, apud quem res controverſæ poſſeſſionis deponitur & cuſtodiæ mandatur. Vide ad Taciti ann. 3, 71. Sic facit Deum patientiæ ſequeſtrum & injuriam ſuam penes eum ſeponit, qui ob divinum præceptum accepta injuria abſtinet vindicta, & eam arbitrio cœleſti remittit & committit.

§. IV. 1. *Servili contubernio*] Servorum proprie non ſunt nuptiæ, ſed contubernium; & nupta ſervo non uxor, ſed contubernalis. M. Seneca contr. 21. In contubernium deducta ſervi domina eſt. l. 14. §. 3. D. de ritu nupt. l. 12. §. 33. D. de inſtru. Contubernales quoque ſervorum, id eſt uxores. Petronius cap. 56. *Contubernalis mea mihi faſtum facit.*

Effectus peculiares] Teſtamento datur & adimitur

L dimitur

dimitur hæreditas, non codicillis l. 2. & pen. Cod. de codicil. Nuptias ſequitur patria poteſtas, non contubernium.

Ritus quidam] ut fiat rerum repetitio & illis negatis indicatur 3, 3.

2. *Magiſtratum quemvis*] non maximum vel ſummum neceſſario exigit.

Injuſſu populi] Quin Sulla ſpeciem libertatis & ſummi juris penes populum reliquerat. At Marciani, multoque magis Triboniani ævo omnia penes unum principem; populus nullo numero. Hinc inexpiabilis ira Tiberii in Piſonem, ob bellum provinciæ illatum, quamvis ipſe illum in Germanicum ſubornaſſet, Tacit. 3. ann. 14.

3. *Æquitatem recipiunt*] Hactenus pro veris admittuntur, quatenus æquum bonumque patitur.

Es, qui juriſdictioni] Paulus l. 5. §. 1. D. de officio ejus, cui jur. m. Mandata juriſdictione privatis etiam imperium, quod non eſt merum, videtur mandari, quia juriſdictio ſine modica coërcitione nulla eſt. Tribuni plebis qui veteri jure vocationem non habebant, prenſionem tamen habebant. Gell. 13, 12.

Oppidanis] Videndum an exceperint imperii ſummi partem, aut a principe acceperint privilegium ſe muniendi ac tuendi, & ſuis viribus aliquid copiolarum ad defenſionem alendi, quemadmodum civitates liberæ imperii Germanici. Dein adverſus externos facilius feras, ſi ſint in limite poſiti, quam adverſus ejuſdem regni membra.

§. V. 1. *Jure magiſtratus*] a perſona publica officium ſuum curante pro populo.

Qui] ſubjectorum.

Magiſtratibus] velut delectum habentibus, pecunias exigentibus & cætera parantibus.

Judicium ſumma] decretum Principis, Ordinum, Populi.

Res auferri] pignora capi, mulctæ, coërcitiones, damna inhiberi.

3. ***An ubi tale mandatum non eſt, ſufficiat quoque conjectura voluntatis***] Auctor abſolute negat: non videtur autem omnino negandum, ſed diſtinguendum inter bellum propulſandum & inferendum: nam quia præfectus provinciæ, præſertim ſi ei ſubſit aliqua manus militaris, ut ſolet in provinciis limitaneis, jus habeat, ſi a finitimis præfectura ejus vi invadatur, ſine ſpeciali mandato, reſiſtendi & vi armata vim armatam repellendi, dubitari nequit. Sed ſi finitimi citra bellum hoſtilia parent, puta legatos, aut negotiatores, aut alia de cauſa apud ſe commorantes innoxios vinciant, injuriave afficiant, aut cum hoſtibus fœdus feriant, bellumque minentur, præfecto Provinciæ occupare illos & ultro bellum inferre non videtur conceſſum, priuſquam de his rebus principem aut populum ſuum docuerit, & ab eo quid faciendum ſit, mandatum acceperit. Ratio eſt evidens: nam in priore caſu periculum præſens moram non patitur: & generale mandatum cuſtodiendæ partis ſibi commiſſæ videtur etiam includere jus omnis honeſtæ rationis, ſine qua cuſtodia præſtari nequit. Sic L. Pinarius quum Ennenſes, ubi in præſidio locatus erat, pacti cum Himilcone Pæno de proditione præſidii, claves portarum ab eo poſcerent, & quum negarentur, vim facturi eſſent, cæſis turbulentis, *aut malo*, inquit Livius, *aut neceſſario facinore oppidum retinuit*: additque Claudium Marcellum Imperatorem nec factum improbaſſe & prædam Ennenſium militi conceſſiſſe lib. 24. 29. Sic Ancius Gallus prætor Illyrici bellum non decretum geſſit adverſus Gentium Regem. Hoc unum bellum prius perpetratum, quam cœptum Romæ auditum eſt, inquit Livius 44, 32. & tamen nemine contradicente victor triumphavit. In altero caſu valet illud Terentii: *Omnia prius conſilio quam armis experiri ſapientem decet*: nam nec in uno alterove privato læſo ſummum periculum adit Reſpublica: & poteſt fieri, ut qui offenderunt, meliora docti a vi abſtineant, & rebus repetitis factum purgent, priuſquam ad bellum veniatur. Et in hac cauſa eſſe judicabant Cæſarem Cato & alii, quum eum dedendum Germanis cenſerent: bella enim ex bellis ferendo ſine auctoritate populi Romani, non provinciæ ſecuritatem, ſed ſuam gloriam quærere videbatur.

Nec vero jure videtur auctor reprehendere judicium Ciceronis laudantis Octavium & Brutum, quod privato conſilio arma in Antonium ceperant. Dicit ille quidem Senatus populique judicium exſpectari debuiſſe, diſſimulare factum, an ulciſci vellet: deinde permittendam Senatui populoque deliberationem fuiſſe; per quos potiſſimum id bellum geri vellent. Hæc recte, ſi ſenatus erat liber, ſi res ferebat moram, ſi Senatus populique judicium interponi patiebatur Antonius. Sed, ut vere ait Vellejus, *torpebat oppreſſa dominatione Antonii civitas*. lib. 2. 11. Et hic inconſulto Senatu populoque moverat arma in Brutum, Galliamque invadendo eandem viam, qua Julius erat uſus, ſibi muniebat ad tyrannidem. Indigniſſima vero conditio eſt bonorum, ſi hi adſtringantur ſolennibus, nec poſſint agere quidquam, niſi rite & ordine, interea dum omnia divina & humana perturbant mali. Si ſenatus & populi judicium exſpectaſſet Brutus, perierat ipſe & Gallia antequam Romam quidquam renunciaretur. Erat id tempus quo vere monebat Brutum Cicero lib. 2. epiſt. 7. *Caput autem eſt hoc, quod te diligentiſſime percipere & meminiſſe velim, ut ne in libertate & ſalute Populi R. conſervanda auctoritatem ſenatus exſpectes nondum liberi*. Et mox: *voluntas ſenatus pro auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu*. Pertinet huc admonitio Catonis ad Cn. Pompejum filium relata ab auctore belli Africani cap. 22. *Tuus Pater iſtuc ætatis cum eſſet, & animadvertiſſet remp. ab audacibus & ſceleratis civibus oppreſſam, bonoſque aut interfectos, aut exilio mulctatos, patria civitateque carere, gloria & animi magnitudine elatus privatus atque adoleſcentulus paterni exercitus reliquiis collectis pene oppreſſam funditus & deletam Italiam urbemque Romanam in libertatem vindicavit* &c. Quam bene quæſo con-

conſuluiſſent reip. qui vetuiſſent Pompejum eo tempore capere arma, qui juſſiſſent exſpectare judicium populi & ſenatus, qui monuiſſent permittendam Senatui & Populo deliberationem, per quem potiſſimum vellet id bellum geri.

Sufficiat conjectura] Excuſatus ſit præfectus, ſi rem ſtatim gerat, quam probabiliter conjecerit ratam & gratam principi futuram.

Hoc rerum ſtatu] in uno tali caſu.

Si ea de] Si ſtatuendum ſit quid in perpetuum omnibus, ille ſuis velit licere.

Ut maxime in] etſi forte, ut nunc eſt, diſſimulaturum principem & minus moraturum putare poſſimus, quod in perpetuum valere debeat, ob præſentem fructum.

4. *Liv. l.* 48.] 38, 45. Flor. 2. 11.

Imminentis domini] Cæſaris, qui ei jam tum viam ſibi ad tyrannidem moliri videbatur.

Niſi conſulto prius populo Romano] ut A. Cornelius Coſſus Dictator inventis inter hoſtes Circejenſibus & Veliternis, Liv. 6, 13. extremo & 14. M. Furius Camillus trib. mil. c. p. Tuſculanis deprehenſis. ibid. cap. 25.

Ut Carthaginienſes] Simile eſt re, non cauſa. Potuiſſent hoc Romani reſpondere Germanis, ſi Cæſarem dedi poſtulaſſent; non Pœni Romanis. nam Romani non laceſſierant Hannibalem, ut Germani Cæſarem: ſed Hannibal privata libidine violaverat fœdus oppugnando Sagunto. Jure igitur poſcebatur. Reſponſio autem Pœnorum erat mera cavillatio.

5. *An e republica*] utrum e republica.

6. Τῷ πέτρῳ στάθμην] Lapidi lineam vel amuſſim, ut mali menſores, quum lapidem lineæ deberent aptare.

7. *Ex uſu magis*] ut commodum erat illis principibus, quibus favebant.

§. VI. 1. *Suis legibus*] legibus, quas ipſi juſſerant, non quas victor rex aut tyrannus aut alius populus impoſuit Judicibus litium forenſium, quos ipſa civitas legit aut ſortita eſt. Præſidibus Senatus & Judicum, quos ipſi creaſſent.

Hoc eſt,] per Synecdochen ſpeciei pro genere, criminalibus vel capitalibus.

2. *Circa univerſalia*] univerſum corpus reipublicæ, ſummam rempublicam.

Eaſque tollendo] abrogando ſi commodum reipublicæ impediant, & præſens uſus neceſſitaſque aliud requirat.

Quatenus eorum cura ad civitatem] non ſcilicet ad ſacerdotes & ipſos curatores & miniſtros ſacrorum.

Vectigalia] commercia, annonæ, opera.

Dominium eminens] ſic dictum ut diſtinguatur a dominio privato cujuſque civis in res ſuas, 1, 6.

Aut per magiſtratus] Ἀρχαιρεσίαν Comitia, ordinatio officiorum.

§. VII. 1. *Cujus actus*] illa ſuperius dicta ſic in manibus habere, atque adminiſtrare, ut quod in illis agas, jubeas, conſtituas, a nemine poſſit infirmari & reſcindi. Schel. de jure imp. p. 132.

Quod ſubjectum] penes quem ſit, in quo reſideat ac conſiſtat, quod vocant ſubjectum ἐνυπάρξεως, ſive inhæſionis.

2. *Membra minus digna*] viliora.

Perſona diverſa ratione conſiderata] ut Imperator Romano-Germanicus, alibi Rex, alibi Archidux, alibi Dux, alibi Comes.

Plures civitates] ut olim XII. Achæorum populi, Juſtin. 34, 1. ut hodie VII. Belgii conſociati civitates.

§. VIII. 1. *Qui ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe volunt populi*] Status controverſiæ prorſus invidioſe proponitur, adeo ut auctor non effugiat reprehenſionem, qua ipſe culpat alios num. 5. eos magis ex uſu præſentium rerum, quam ex vero hoc argumentum exequi: neque enim quiſquam, opinor, dixit, ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe populi, ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur, & coërcere & punire liceat. Et ſi quis dixit, nequaquam ei ſubſcribimus. Sed hæc eſt quæſtio. An populus habens imperium legitimum (puta regem vel Senatum vel Remp. per conventus ordinum ſive comitia regi ſolitam) ſi major & melior pars cenſeat eam formam regiminis eſſe pernicioſam (puta Regem palam degeneraviſſe in tyrannum, ſenatum in paucos dominos, comitia in confuſam turbam ſeditioſorum hominum) poſſit illam mutare, & auctores mali (puta Reges, aut paucos e ſenatu, aut comitiorum turbatores) jure punire? ut Romani fecerunt expulſo Tarquinio: ut Athenienſes imperio populi ad Quadringentos tranſlato: & iiſdem poſtea quadringentis, ut & Trigintaviris, cum tyrannica impotentia uterentur, exilio aut morte punitis: Juſt. 5, 3. ut Vejentes Rege creato apud Livium 5, 1. ut denique Hebræi abrogato judicum magiſtratu & creato rege.

Quot malis] ſeditionibus, conjurationibus, tumultibus, bellis inteſtinis. Quaſi vero opinio hominum non debere ſe indigna pati ab eo, qui juris fruendi cauſa conſtitutus eſt, & non ipſa iniquitas principum & magiſtratuum iſtis malis cauſam dederit. Vide 1. Reg. 18, 17. & 18.

Reſponſio ad argumenta Grotii.

Licet homini cuique] Licet privato ſe in ſervitutem addicere, Ergo & populo. Reſp. 1. Conceditur totum. Ergo qui hoc fecerunt, ſerviant.

Ubi autem illi? Non Germani: nam eligunt hodie Cæſarem. Non qui ſub Principibus aut liberis Germaniæ civitatibus: nam hæc feuda regalia Principes habent a Cæſare, non ut domino mancipiorum, ſed ut repræſentante populum Germanicum in univerſum ſumptum, cujus caput eſt conſtitutus. Non Galli: conſtituerunt enim ipſi Reges, Merovæi, Caroli, Hugonis Capeti poſteros comitiis & libera electione. Non Hiſpani: nam connubiis & pactis ipſi quoque receperunt Auſtriacam domum. Non ulli alii Europæ populi, niſi Moſcorum, Turcarum, Tartarorum tyrannide preſſi. Ergo fruſtra hoc diſputatur in Europa.

Sed argumentatur porro: Si poteſt populus ſe addiccre in ſervitutem, amiſit omne jus ſe in libertatem aut ſecuritatem vindicandi, atqui &c. Ergo. Reſp. Negatur major: nam ne ſervi quidem id amiſerunt. Athenis ſervus crudeliter habitus ſine culpa ſua poterat dominum in jus vocare & per judicem cogere ut ſe venderet. Romæ quid reſcripſerit Antonius Pius, notum eſt ex §. 2. Inſtit. de his qui ſui vel alieni juris ſunt. Ubi tale remedium juris ceſſat civilis, remedium naturale appetere non prohibetur, quod eſt aut fuga, aut vis contra vim.

Romana] Si quis major XX. annis ad pretium participandum ſe venundari paſſus eſſet.

Minime id] Non eſſe credibile quemquam populum huc deſcenſurum.

Qualemcumque] ſive monarchian ſive ariſtocratian, ſive democratian, ſive ex omnibus aut duabus mixtam.

3. *In periculum vitæ*] Salutis. Ut Phrygum diſcordiis rege opus fuit Juſtin. 11, 7. ut Vejentes tædio annuæ ambitionis & diſcordiarum regem creavere. Liv. 5, 1. Ut Athenis bello Peloponneſiaco Reſpublica a Po. tranſlata ad Senatum CCCC. Juſtin. 5, 2.

Inopia] Ut Ægyptii fame coacti ſeque & omnia ſua regi vendiderunt Joſephi artibus, Geneſ. 47, 13.

Populum Campanum] 8, 31.

Ne recepti] Ut Sardi poſt bellum Punicum primum circa a. V. C. 513.

Apud Virgilium] 4. Æn. 619.

Tradiderit regno] Hic male juncta & nexa, quæ Virgilius ſepararat, hoc modo: *Tradiderit, regno aut optata pace fruatur.*

5. *Multis prudentibus*] Tacit. 1, 9. *Non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, quam ut ab uno regeretur.* Idem hiſtor. 1, 1. *atque omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit.* Florus 4, 3. Dio. lib. 53. p. 509.

6. *Jam vero bello juſto*] 2. Argum. Si bello juſto acquiritur dominium privatum, etiam dominium civile non aliunde pendens: atqui, ergo.

Reſp. Conceditur iterum totum, & certe plus licet in populos bello ſubactos, quam qui creaverunt regem.

Si bello juſto acquiritur dominium aliunde non pendens, populus nullum jus habet bello victorem, utcunque tyrannus ſit, puniendi. Atqui. Ergo.

Reſp. Negatur major: nam & in privato dominio, etſi id a nullo pendeat, tamen quia expedit, ne quis re ſua male utatur, coërcetur dominus, ut dictum eſt de ſervis, ut prodigo interdicitur adminiſtratione bonorum: ut furioſi in tutela ſunt agnatorum & gentilium.

Sed, inquit, magiſtratus in rebus privatorum habet dominium eminens, non populus in bonis regum.

Reſp. 1. Omnes boni principes confeſſi ſunt, idem illud dominium eminens eſſe populo in bona principum, Trajanus, Hadrianus, Antonini.

Reſp. 2. Ambiguitas eſt in voce *dominium*, quaſi dominium ſit jus utendi, abutendi, ſine cujuſquam interceſſione. Id falſum eſt in hominibus ſub dominium venientibus, etiam jure gentium, non civili tantum. Nam & dominorum ac ſervorum eſt ſocietas, & ſervi facti ſunt, ut ſervarentur, non occiderentur in bello capti. Sic igitur populi qui bello acquiſiti ſine alia pactione ſe dederunt, hoc tamen ſpectarunt, & tacite ſunt pacti, ut duriore quidem conditione & libertate amiſſa ſalvi tamen eſſent & viverent. Si ne hoc quidem licet per victorem Tyrannum, ſupereſt illis ut vitam ſuam quoquo modo defendant.

Non aliunde] Superiorem neminem, adeoque nec populum agnoſcens.

Procerum qui] In Ariſtocratia mera, ut hodie Venetiis.

Quid quod nulla Reſp.] Si in rebus publicis aliqui aut inopes aut externi, tum fœminæ & adoleſcentes a deliberationibus publicis arcentur, non eſt ullum jus populo in acta Principis.

Reſp. Argumentum non video quid concludat. Prava enim eſt collectio. Nam non eſt eadem ratio iſtorum quæ populi. Iſtis diffiditur, egenis & externis tanquam appetentibus rerum novarum: mulieribus & adoleſcentibus, tanquam imperitis rei gerendæ. Hoc de populo dici non poteſt. Deinde quod ponitur, ordinarium eſt, quod colligitur extra ordinem, & in magnis caſibus fit: quibus ne quidem egeni, externi, mulieres, ſi quid ejus adferre poſſent, excluderentur. Sententia igitur argumenti hæc eſt. Si inopes, externi, mulieres, adoleſcentes ordinarie arcentur a tractanda Rep. populus omnis aut major meliorque pars conſentiens, etiam in ultima neceſſitate, & manifeſta tyrannide arcetur a coërcendo Tyranno. Atqui &c. Ergo, Sic apparet argumenti hujus vanitas.

7. *Jam vero & populi*] Si populi habuerunt non minus ſibi addictos populos quam Regibus, & ab illis ſunt dono dati aliis Regibus, non eſt jus ulli populo Regem poteſtate male utentem coërcere.

Reſp. Nulla prorſus hæc eſt collectio: Populi iſti imperantes ſive bene ſive male uſi ſunt ſuo jure, nihil juvant Tyrannum. Si bene ipſi ſtatuerunt hoc ſuum officium eſſe, &, ni facerent, populos eos id aliquando non toleraturos ut Romani Liv. 8, 21. & ſic damnarunt tyrannidem. Si male idem jus fuit ſubjectis populis, contra populum Tyrannum, quod contra Tyrannum regem ſi jure iſto non ſunt uſi, defuerunt vires.

Sententiæ Scripturæ ſacræ & auctorum Græcorum, Latinorumque aut explicant jus regum, aut mores. Neutra res tollit jus populi. Si jus & conceſſa legibus, primo populus regi non amplius poteſt dare, quam ipſe habet. Non autem populus habet jus ſe ipſum exſtinguendi, aut in corpus ſuum injuſte ſæviendi. Ergo neque Regibus dare hoc potuit. Deinde poteſtas major Regibus data eſt ad conſervationem ipſius & populi, non ad perniciem. Quæ igitur ad perniciem

ciem vergit, non eſt jus regum. Si mores, ſignificant reges ſuo jure abuti, quo abuſu nullum majus jus acquiritur, ſed quod habuerunt, perdunt. Significant & illud: propter eximium illud jus multa regibus etiam injuſta concedi, multa ferre, multa condonare populos, quia aut abhorrent ipſi a ſeditionibus, aut rationem ſe vindicandi non vident. Non dicunt, nunquam, nullo caſu, ne poſt ultima quidem tyrannicæ crudelitatis exempla jus eſſe populo ſe liberandi. Ubi dicitur: *ſupra populum eſſe regem & populum ſubjici*, mera ludificatio eſt. Nam & Conſules ſupra populum Romanum, & Athenienſes erant ſub Archontibus: neutris tamen omnia in populos licuerunt. Cum Chriſtus dicit: *Reges gentium dominentur eis:* nihil aliud dicit, quam eſſe eos ſuperiore gradu & dignitate. Hoc apparet ex contextu: Pronuntiabat enim hæc verba in contentione diſcipulorum, quis eorum maximus eſſet, non ut aliis imperaret: ſed ut priore loco ſederet: dextram enim & lævam Domini in regno ejus vindicabant Zebedæi filii: deinde demonſtrat hoc oppoſitum: *Vos autem non ſic: quia veſtrum maximus perinde ſit ac minimus*, quod nihil aliud eſt, quam primus & poſtremus.

Juris Ætolorum] Ut Juſtin. 9, 1. *Hæc urbs variante victoria, nunc Athenienſium, nunc Ætolorum juris habita eſt.* Eod. lib. cap. 5. *in Aſiam Perſarum juris.* Lib. 31, 1. Syriæ quidem, ſed *juris Ægypti civitate.*

Exemta ſunt] per Auguſtum oppida maritima XVIII.

Calatim] Calatiam.

8. *Notum illud Horatii*] *Reges in ipſos imperium eſſe Jovis* nemo diffitetur. Nec quiſquam dixit in reges imperium eſſe populi. Sed hoc dicitur: ſi reges imperio illo in proprios greges tantummodo ad mactandum utantur, greges illos non eſſe oves, ut ſemper impune ſe præbeant, ſed homines qui ſciant ſibi nihil eſſe carius ſua ſalute, & paſtorem, qui pro lupo ſe gérat, non eſſe tolerandum.

9. *Gratioſi*] potentes, qoorum nemo facile gratiam negligit.

Seneca ——

10. *Ariſtoteles*] Poteſtas populi & in populum data eſt Regibus: ſed populi, quam ipſe populus habuit. Sic etiam Imperator definit §. 6. Inſt. de jur. nat. gent. & civ. *Populus ei & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem conceſſit.* Non igitur Tyrannicum. Sed dicit, *data eſt.* Ergo populus eam non retinuit. Certe juſtam dedit, & ordinarie repetere non poteſt. Sed etſi homini libero, in quem poteſtás mihi nulla eſt, gladium donavero, ſic ut & gladius ille exiret e mea poteſtate, ſi is eo gladio ad ſe aut me perdendum utatur, extorquere illi eum jure poſſum ac debeo.

Plutarchus] Imperium reges habent in leges, hactenus, ut eas utiles ferre & latas ſi proceſſu temporis inutiles appareant, abrogare poſſint, ut Ageſilaus (rex qualem inferius negat Grotius hic deſcribi, & improprie regem appellari, quod tamen non credidit Ageſilaus, qui regem Perſarum, etſi juſtitiæ ſtudinſus eſſet, ſe negavit majorem eſſe: ille igitur Ageſilaus, cum in Leuctrica pugna multi abjeciſſent ſcuta, quos legibus oportebat eſſe inſames, non autem is ſtatus eſſet reip. ut tanto numero civium careret, operam dedit ut deſignaretur νομοθέτης ſive legiſlator. Creatus legiſlator nullas novas leges tulit, ſed veteres valere juſſit poſt Leuctricam cladem, ut nihil quod in eo factum eſſet contra leges, puniri poſſet. Non autem hæc poteſtas in leges dat & jus omnes leges conculcandi. Eandem poteſtatem in leges habet populus liber: unde in XII. tabb. *Quod poſtremum populus juſſit, jus eſto.* Et ut rogabatur lex, ita & abrogabatur, antiquabaturque, interdum ei obrogabatur, derogabaturque. Et tamen in libera rep. legum eſt imperium longe ſupra populum, Livius lib. 2. *Liberi jam hinc populi Rom. res pace belloque geſtas, annuos magiſtratus, imperiaque legum potentiora quam hominum peragam.* Vide diatriben ad Senecam.

Otanes] Otanis dictum quod ille protulit ad invidiam faciendam armatæ tyrannidi apud Herodot. lib. 3. mirum eſt adferri ad explicandum jus regium.

Otanis. Dion. Pauſania] Rationem non reddunt actorum reges, quia non eſt magiſtratus ordinarius, coram quo eo nomine poſſit conveniri. Datum hoc ipſis, ut eſſent ſoluti impedimentis recte & juſte faciendi: quod neceſſarium incommodum liberæ civitates habent & tolerare coguntur majorum commodorum gratia. Livius 9, 18. Tacitus 7. Ann. 73. Non ut omnia ſubvertendi habeant licentiam: deinde non ſequitur, qui rationibus reddendis obnoxius non eſt, eum ſi palam illicita & quidem in ſummo gradu faciat, non poſſe puniri. Nam & Carthaginienſium in libera rep. imperatores a reddendis rationibus immunes eraot ante conſtitutum ſenatum centum ſenatorum, de quo Juſtinus 19, 2. Qui tamen ſi rempublicam invadere voluiſſent, detecti & capti agebantur in crucem. In ipſa Hollandia ſunt collegia quædam quæ rationem nemini reddunt, & tamen nec reges ſunt, nec ſi deprehendantur in maleficio, judicum ſeveritatem effugiunt.

10. *Antonini*] M. Antoninum ſanctiſſimum virum & tantum tyrannorum hoſtem, ut palam diceret de deceſſoribus ſuis, omnes principes qui occiſi eſſent, habuiſſe cauſas quibus mererentur occidi, neque quemquam facile bonum vel victum a Tyranno, vel occiſum, ut ſcriberet. *Plane liberi mei pereant, ſi magis amari merebitur Avidius quam illi: & ſi reip. expediet Caſſium vivere quam liberos Marci:* eum quicquam dixiſſe in favorem Tyrannorum, minus mirum foret. Si dixit, ſano ſenſu accipienda ſunt, non ut ſcelerum jus ſit Tyrannis, ſed ut principes & reges intelligantur eſſe ſupra ſuos judices quos ipſi conſtituunt: aut dixit eo ſenſu quo Tacitus: *Principatum fato dari.* Loquitur enim ad milites injuſta petentes quos deterrere vult, ne illi putarent, quia non daretur, quod injuria poſcerent, ſibi jus eſſe alium principem faciendi.

Digitized by Google

Alioquin cum Caſſius rebellaret, ipſe Marius judicem de ſe fecit ſenatum, & conditionem Caſſio tulit, ut uterque depoſitis armis ſenatui arbitrium relinqueret, utrum Patres mallent imperare.

Dion.] Dio refert quid Auguſtus per varias & miras artes e Patribus elicuerit, nimirum omnibus ut legibus eum ſolverent, & promitterent omnia ſuo pro arbitrio agere. Si Auguſtus putaſſet jure imperii hoc ſibi competere, non exſpectaſſet decretum ſenatus, cum eandem poteſtatem jamdudum haberet in manibus & ſatis uſurparet. Præterea idem ſenatus, qui Principibus tantam poteſtatem dederat, neminem male ea utentem condemnavit, ut more majorum, id eſt, diriſſimo ſupplicio puniretur. Sueton. cap. 49. idque multo pluribus feciſſet, ſi potuiſſet.

Sic populus] Non populus, ſed peregrinæ & ſupplices, negantem recipere illas ſine conſenſu populi. v. 402. *Εἶπον δὲ ϗ πρίν. οὐκ ἄνευ δήμου τάδε πράξαιμ' ἄν.*

Æſchylum] Ad locum Æſchyli reſpondit egregie M ltonus cap. 5. ſui operis: verba illa ponuntur in perſonis fœminarum peregrinarum & ſupplicum, quæ rogabant in tutelam ſuſcipi & defendi contra Ægyptios claſſe perſequentes. At ipſe rex Danaus cui dicebantur iſta: *Ego*, ait, *non perfecerim hoc etiam promiſſum, antequam de his cum populo communicavero.* Et rurſus: *Dixi antea vobis, non ſine populo hoc faciam, nec ſi poſſem quidem.* Fatetur igitur ſe non poſſe. Et erant iſtæ filiæ ejuſdem regis, qui tamen negat ſibi licere eam ſine populi conſenſu ſuſcipere. Itaque magnus error eſt ſummorum virorum (Grotii & Salmaſii) ex ſententia fœminarum peregrinarum & ſuppliciter humillimeque blandientium colligere jus regnl, & quidem apud populos Græcos, qui nunquam reges poteſtate abutentes tolerarunt.

Reſponſio ad primum argumentum τὸ ἐν ἀρχῇ ſive principium petit. Hoc enim ipſum quæritur, an conſtitutio imperantis perpetuo a voluntate conſtituentis pendeat, hactenus, ut ſi pactis ille non ſtet, revocare conſtitutionem poſſit. Regimen commiſit Principi populus, maxima cum poteſtate, fidemque dedit, quamdiu boni principis officio ſungatur, tamdiu ſe parituros, & ſingulos pro ejus ſalute vitam oppoſituros. Hoc ſemel promiſſum non pendet a voluntate promittentium: ſemel ſe obligarunt, & eo nexu tenentur, & qui non parent, a Principe poſſunt puniri. Sed nec deſiderare debent, ut Princeps auræ populari ſerviat, & in omni re deſideriis populi, quandoque erroneis, obſequatur. Hinc eſt quod Antigonus apud Juſtinum 28, 3. *Ipſi quærant cui imperent.* Quod Æmilius Paulus apud Livium 44, 22. *E terrane gubernaverint.* Et ſalubris principis eſt non nimis indulgere populo exemplo Auguſti, Sueton. c. 42. Et Marci, qui militi extraordinariam pecuniam petenti negavit, ne quod illis præter morem daretur, & ſanguine & viſceribus aliorum civium & illis cognatorum exigeretur: & hac occaſione protulit illam ſententiam: *περὶ γὰρ τῆς ἀναρχίας ὁ θεὸς μόνος κρίνειν δύναται. De imperio ſolus Deus judicare poteſt.* Quo nihil aliud volebat, quam ſe non metuere ſeditiones, rebelliones, conſpirationes, Deum enim eſſe ſolum, qui conſtituat & mutet imperia: Quod non excludit factum humanum: perinde ut cum ſcriptura dicit: *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Item: *Non qui plantat, non qui rigat, ſed qui incrementum dat.* Talis eſt etiam ſententia Valentiniani: ut multa ſint dicta conſtantium principum ac ducum, qui imperitæ multitudinis deceptis voluntatibus non ceſſerunt. Alia eſt ratio in Tyranno manifeſto, in quo intelligendo nemo fallitur. Is quicquid inter ſe & populum in conſtitutione factum eſt, ipſe irritum reddidit, & ſic alterno parendi pacto populum jam dudum ſolvit. Scit auctor jus Rhadamanthi, de quo monuit cap. 1. num. 5. *Quæ fecit ſic quiſque ferat, jus fiet & æquum.* Rhadamanthus autem & Minos & Æacus perſonas non diſtinguunt, & purpureos reges eodem loco habent, quo privatos, ſi fabulis fides.

Utitur exemplo mulieris, quæ ſibi virum conſtituit, cui parere ſemper neceſſe habeat. Sed numquid ita, ut patiatur ſe flagellari, torqueri, occidi? Cur igitur inventa divortia? Ne adulterium quidem, ne maritalis debiti pecuniam mulier cogitur pati, ſi non vult, quibus tantummodo ſubſtrahitur ei de eo, quod promiſſum eſt, quid ſi non hæc modo ſubtrahantur, ſed etiam vis vitæ adferatur: luſus eſt perpetuus in vocabulo *ſuperior*. Eſt omnino princeps & magiſtratus quivis ſuperior populo, ſi latine loquimur: ſed ut caput ſuperius eſt membris, non ut injuſtum atque affligens onus incumbit preſſo ac deficienti: & quidem ut caput morale vel artificiale, quod ſi prægravet, ſalvo corporis ſtatu poteſt demi: non ut naturale, quod auferri nequit, quin corpus pereat. Syllogiſmus ita formandus erat: Qui conſtituit aliquem ſupra ſe & omnem ei dat in ſe poteſtatem, cum pacto regendi juxta leges ac defendendæ conſervandæque omnium & ſingulorum ſalutis, is eum hoſtem & perſecutorem ſuum factum jus habet tollendi & puniendi: atqui populus &c. ergo.

Adverſus minorem excipitur rurſum, quoſdam Principes non conſtitui a populis, exemplo acceptantium advenas ſub obediendi lege, & qui bello ſibi alios ſubjecerunt.

Reſpondeo. Immo & hi conſtituuntur. Juriſconſ. norunt contractus & quaſi contractus: Philoſophi voluntarios & invitos: & ex utriſque perinde tradunt homines obligari: & in contractibus principes privatorum loco habeti. Eſt conſenſus advenarum iſtorum & gentium, non quidem valde ſpontaneus, conſenſus tamen: poterant enim & non accipere legem, & victi non ſervire fortiter moriendo, ut ille Lacon apud Senecam ep. 77. Sed dum mori durius omnes putant, quamvis duriores vivendi leges paciſcuntur. Et his facile concedimus plura toleranda: ſed cum ne hic quidem relinquitur, quod promiſſum eſt, tuto vivere, in duris licet & tenuibus rebus, jus naturæ illis integrum eſt.

Argumentum ſecundum ita formandum fue-

rat.

rat. Si regimen omne civitatum natura magis populi quam Regentis cauſa comparatum eſt, ſequitur etiam naturæ convenientius eſſe, ubi Regentis & eorum, qui reguntur, ſalus ſimul conſiſtere nequit, & quidem Regentis deteſtabili culpa, ibi a populo ſubmoveri Tyrannum, quam a Tyranno concidi & comedi populum: atqui: ergo.

Adverſus hoc argumentum nihil valent exceptiones quæ proferuntur. Falſum regimen dominicum ſolius Regentis cauſa comparatum. Jus gentium introduxit ſervitutes per miſericordiam ſervandi, qui occidi poſſent. §. 3. Inſtit. de jure perſonarum. Jus naturæ in hac re explicat Ariſtoteles 1. polit. *Quod imperat & paret natura, ſalutis cauſa conjungitur. nam quod mente providere poteſt natura, imperat & dominatur natura. quod autem iſta poteſt corpore facere, paret & natura eſt ſervum. Quare domino & ſervo idem conducit.* Forte dominus, qui emit ſervum ſuum, tantummodo utilitatem reſpicit. Sed hæc noſtra pravitas eſt, non intentio naturæ; non gentium, quæ ſervitutes conſtituerunt. Juſtinus de Parthis 41, 2. *Hos* (ſervos) *pari ac liberos ſuos cura habent, & equitare & ſagittare magna induſtria docent.* Tacitus de Germanis 20, dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. Et 25, *Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis colorem injungit: & ſervus hactenus paret. Verberare ſervum ac vinculis & opere coërcere rarum.* Falſum quoque imperia, quæ bello & victoria parta ſunt, ad ſolam vincentium utilitatem pertinere. Non enim inſpicienda hic ſola externa ſpecies, aut quid cogitet victor, ſed quid agat Deus & natura. Nam ſi juſto pioque bello certatum eſt adverſus populum injurioſum & vicinis gravem, utile eſt ipſis victis privari libertate, quæ in bonorum offenſam & commodum abutuntur. Ut furioſo utile extorqueri gladium. Idque ipſe victor animo ſibi proponit, ſi vir bonus eſt: quales priſci Romani, cum *victis nihil quicquam præter injuriæ licentiam eripiebant*, ut eſt apud Salluſtium. De talibus Seneca in Troadibus: *Profuit illo victore capi*, & Rutilianus Numatianus:

Profuit injuſtis te dominante capi.

Si injuſto, & ut eſt apud Lucanum, *Victrix cauſa deis placuit, ſed victa Catoni.* Nam tum quidem ſolam eſſe vincentium utilitatem, in iſto imperio evincam vel uno exemplo Iſraëlitarum. Bella enim & victorias quibus illos ſubegerunt Moabitæ, Ammonitæ, Palæſtini, Aſſyrii, quis dicet ad ſolam illarum gentium utilitatem comparata? quibus ut paterna caſtigatione laſcivientes Hebræos admonebat Deus, & ubi ad ſanam mentem rediſſent, eadem flagella in ignem abjiciebat. Ne in victoria quidem Iſraëlitarum de ſeptem devotis gentibus ſola utilitas vincentium fuit. nam bonum & utile eſt noxio puniri, ne peccata augeat, præſertim, ſi eouſque proceſſerit, ut *aliter ejus ſceleribus non poſſit ſubveniri*, quod ad Neronem dicebat ille apud Tacitum 15. Annal. 68. Quod etiam Suetonius ſignificat, cum ait, quoſdam conjurationis convictos, eam ipſam conjurationem ipſi pro beneficio imputaſſe, *tanquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere*, cap. 36. Et ſic Parthus, quaſi conſilium daret, monebat Tiberium, *ut voluntaria morte maxime juſtiſſimoque civium odio quamprimum ſatisfaceret.*

11. *Plutarcho*] Plutarchus non loquitur in univerſum de regibus Lacedæmoniorum, ſed de Cleomene ſolo & vitio illorum temporum p. 805. αὐτοῦ δὲ τὸ ὄνομα βασιλεύοντος ἦν μόνον, ἡ δὲ ἀρχὴ πᾶσα τῶν Ἐφόρων, ſcil. poſt eorum latrocinio ſublatum Agin.

Nihil relinquerent] *Adde:* ſic & apud Cumæos de regibus judicaſſe ſenatum notat Plutarchus.

Apud Cumæos] Ἦν δὲ καὶ φυλάκτης τις ἀρχὴ παρ' αὐτοῖς. ὁ δὲ ταύτην ἔχων, τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἐτήρει τὸ δεσμωτήριον· εἰς δὲ τὴν βουλὴν ἐν τῷ νυκτερινῷ συλλόγῳ παριὼν ἐξῆγε τοὺς βασιλεῖς τῆς χειρός, καὶ κατεῖχε, μέχρι περὶ αὐτῶν ἡ βουλὴ διαγνοίη, πότερον ἀδικοῦσιν ἢ οὔ, κρύβδην φέρουσα τὴν ψῆφον. p. 291.

12. *Amymonum*] Sic video, & appellari eos a Bodino lib. 1. cap. 8. At Plutarchus: Τίνες ἐν Κνίδῳ οἱ Ἀμνήμονες· καὶ τίς ὁ Ἀφεστήρ; ἑξήκοντα προκρίτοις ἀνδράσιν ἐκ τῶν ἀρίστων οἷον ἐπισκόποις διὰ βίου καὶ προβούλοις τῶν μεγίστων· ἐκαλοῦντο δὲ ἀμνήμονες, ὡς ἄν τις εἰκάσειε, διὰ τὸ ἀνυπεύθυνον, εἰ μὴ νὴ Δία πολυμνήμονές τινες ὄντες. ὁ δὲ τὰς γνώμας ἐρωτῶν, Ἀφεστήρ. Græc. Quæſt. 292.

Provocatio non eſſet] ante Decemviros. illis enim remotis lege cautum, ne quis magiſtratum ſine provocatione crearet, Livius 3, 55.

Cicero] Philipp. 1, 1.

13. *Cujus effectus*] quæ ſemper poteſt ab conſtituente reſcindi.

Sozom. hiſt. Eccl. L. XVI.] cap. VI.

Quod petitis] Petebant, ut collegam imperii ſumeret.

Ea vox nunc] Olim enim & legitimi juſtique principes interdum ſic appellabantur. Virg. Æneid. 7. 268. *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.*

14. *Sed quod illi inferunt*] Non inferimus, nec negamus reges & magiſtratus eſſe populo ſuperiores: ſed dicimus inferiori jus eſſe contra intolerabiles ſuperioris injurias ſe defendere: ut ajebat Veſpaſianus, *non oportere maledici ſenatoribus, remaledici civile faſque eſſe.* Sueton. cap. 9.

In tutore hoc procedit, quia habet ſuperiorem] Ergo poteſt per ordinarium magiſtratum coërceri vel amoveri: quod quia non poteſt Tyrannus, extraordinaria via opus eſt, nempe, ut ipſe populus ſe circumſpiciat. Etenim a naturæ jure, quos inter judicio lis terminari non poteſt, inter hos bellum decernit.

Quia progreſſus in infinitum non datur] An datur progreſſus vindictæ in infinitum, quia ſtatuitur Tyrannum profeſſum a populo poſſe coërceri? Immo ne progreſſus in infinitum detur Tyrannidi, ideo propugnamus jus populi. Quod ſi progreſſus in infinitum datur, ubi non eſt perſona, quæ a ſolo Deo judicetur, quid factum eſt in regnis, quæ non negat auctor fuiſſe, &

M 2 rebus-

rebuspublicis in quibus nulla talis perſona fuit? quid Romæ, poſtquam non licuit magiſtratum ſine provocatione creari. Sed opponit perſonæ cœtum. Is ergo cœtus eſt populus, etiam ubi principem non expreſſe ſubjecit legibus. Neque enim videri poteſt ſocietatem cum principe iniiſſe talem, quæ omnem ſocietatem deſtruit.

Deo peculiari curæ eſſe peccata Principum non inficiamur, ſed ita, ut excludat poteſtatem populi, cui eas vires, id conſilium dedit, ut poſſit ab ultima tyrannide ſe liberare, id non dicit Jeremias. Minatur ibi Deus, ubi impleti fuerint LXX. anni, tum ſe viſitaturum regem Babylonis. Nempe per Cyrum. Eſt enim ejus arbitrium, velitne tyrannos per ſuos, aut per alienigenas punire. Quando dicit ſe hunc Tyrannum plectere decreſſe per externum regem, non tollit jus aliarum gentium, nec ſibi præripit libertatem quoſdam per eos, qui a Tyrannis premuntur, puniendi.

Taciti conſilium eſt, non præceptum ad eos, qui luxum & avaritiam dominantium non tolerando majora incommoda ſibi arceſſerent. Deinde ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala ita ferimus, ut tamen, quodcunque in promptu eſt, adverſus ea remedium comparemus. Ubi illud omne deficit, neceſſario tolerenda ſunt. Sed hoc non vetat, quominus, quibus licet, ſibi adverſus ea proſpiciant.

15. *Magiſtratus de privatis*] Ayala ſic refert 1, 2, 26. p. 29. Itaque recte M. Aurelius Imperator populo magiſtratum, magiſtratui regem, regi vero Deum judicem conſtitutum dixit.

Gregorium Turonenſem] Hic Gregorii Turonenſis locus potentiam imperantium indicat, non excludit jus populi. *Quis te corripiet?* inquit, nempe quis ordinarius magiſtratus, ut privati corripiuntur. Addit: *Niſi qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam.* Recte, non tamen ut de cœlo deſcendat, aut ſemper fulmen mittat: ſed interdum per externos hoſtes, interdum per populum: utriuſque exemplum eſt 1. Reg. 2. v. 2. & ſeqq.

Eſſenorum placita, non obtingere cuiquam imperium ſine ſpeciali Dei cura] Quis dubitat? ſed an ideo omnia licere debent imperantibus? Ne morbi quidem, peſtilentiæ, diluvia, incendia, naufragia ſine ſpeciali Dei cura contingunt. Numquid ideo cavenda non ſunt?

Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & reges conſtituuntur apti iis, qui temporibus iſtis per eos reguntur] Verum eſt: etiam Tyranni: ſed ubi exactum eſt tempus, quod pœnæ populorum præfixit, idem Deus mittit illis Moſen, qui educat eos e ſervitute, aut Ehudum, qui Eglonem e medio tollat.

Regem timebis, gnarus a Domino electum] Regem timendum omnes boni fatentur & ſuadent: adeo quoque electum libenter largiuntur. Etiam malum & qui degeneraverit in manifeſtum tyrannum atque hoſtem generis humani, diu tolerandum, nec facile tentanda ultima remedia, vel ideo quia dum malus pellitur, ſæpe pejor ſuccedit, & titulum libertatis in ſervitutem vertit. Juſtinus lib. 18. cap. 1. *Sæpe libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* Tacitus 4. hiſt. 74. Hæc utiliter monentur, ſed non convellunt jus populi.

Ludunt fere in vocibus tyranni & populi. *Tyrannum* intelligimus non principem, jure regnantem, qui vel ipſo vel per miniſtros humanitus peccet; qui ſit in aliqua parte imperii ſeverior, durior, moroſior, aut cujus ſint aliqua notabilia vitia, cum ſumma ſalus reipublicæ conſtet: non quo in factis diverſum ſentiat: ſed vel eum, qui remp. factione, armis, malis artibus, ſine lege & auctoritate illorum, penes quos poteſtatem deferendi jus eſt, excluſis illis, ad quos jure imperium pertinet, occuparit, &, ut plerumque fit, per vim & ſcelera adminiſtret: aut qui cum jure aliquo imperium obtineat, in omnia diſſolventia remp. tollentia ſecuritatem populi, jura procerum, leges regni, in quas juravit, vitia proruperit: qui denique confeſſione ac conſenſu omnium intelligatur ut aliquis Phalaris, Tiberius, Caligula, Nero. *Populum*, non colluviem ac fæcem plebis, aut factionem conſpiratione turbulentorum validam & ſibi quærentem, quod in alio accuſat: non homines obæratos, egentes, ſcurras, operas, Bagaudas, quorum noverca eſt patria, rapientes remp. ut diripiant: ſed bonos in populo, multo majorem & ſinceriorem partem omnium ordinum, principes optimatum & plebis, integro ſtatu, fortuna & moribus probatos, quorum intereſt remp. ſalvam eſſe: qui ultima ſervitutis & ſævitiæ exempla perpeſſi, nullam aliam vident reliquam viam expediendæ ſalutis.

§. IX. 1. *Non facienda*] regi non parendum in illis, quæ palam impia & injuſta ſunt.

Nullam includit] non cujus imperium licet detrectare, in eum licet etiam imperio uti.

Partiri cum Rege] ita regem conſtituere, ut aliquando ille ipſis, aliquando ipſi regi imperarent.

2. *Bonitas*] Recte agere vel perperam, non eſt idonea menſura poteſtatis, neque ejus dividendæ aut transferendæ modus; præſertim in adminiſtratione rerum civitatis aut populi, ubi ſæpe optime conſulta pro peſſimis accipiuntur, & viciſſim prava pro ſalubribus illudunt.

Obſcuram diſceptationem] interpretationem ambiguam. Huc pertinet Taciti 2. ann. 2. ignotæ Parthis virtutes, nota vitia; & quia ipſorum majoribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis.

§. X. 1. *Principatum obtinuiſſe*] Principatus eſt primus dignitate & auctoritate locus inter jure liberos: regnum eſt potentia juſta in ſubjectos. In illo pollent gratia & factione; in hoc vi & imperio.

2. *Ephoris ſubjecti*] Non ſubjecti fuere reges Ephoris, ſed Ephori regiæ poteſtati oppoſiti, quemadmodum Romæ imperio conſulari objecti tribuni. Valerius Maximus 4, 1, 8. ne regum

hære-

hæreditaria potentia in tyrannidem degeneraret, idque auctore rege Theopompo.

Βασιλεία] Juſtino quoque Bomilcar rex Pœnorum: qui tamen apud centum delectos rationem rerum geſtarum reddebat, ut hoc metu ita in bello imperia cogitaret, ut domi judicia legeſque reſpiceret. Juſt. 19, 2.

3. *Inſignia*] ut Venetiarum Duci corona & titulus Serenitatis.

4. *Ut ſint majus*] quos audiat eum poteſtate libera ſequendi ſenteotias illorum & improbandi.

In conſiſtorio] in interiore aut proximorum miniſtrorum conſilio.

5. *Non eſt titulus*] vocabulum ſignificans jus minus majuſve imperantis, ſed idem jus quod deceſſores habuerunt.

Ab electione familiæ] in primo, qui ejuſdem familiæ ad regnum evectus eſt.

Per electionem] factam a militibus: nec aliter quam ſi ſucceſſor defeciſſet. nam ſi filios rerum utcumque gerendarum & militis demerendi capaces reliquiſſet imperator mortuus, ſive naturales ſive adoptivos, ſine dubio ſuccedebant.

§. XI. 1. *Jure uſufructuario*] 1, 1, 5.

Jure temporario] locationis, emphyteuſeos, ſi cui in diem fundus addictus ſit, l. 4. D. de rei vendit.

Jure pleno proprietatis] Malim ditionis, imperii. Vide Veſtibulum.

2. *Illis aſſentio*] Bodinus lib. 1. cap. 8.

Rerum moralium] Res in Ethicis & Politicis id ſunt & vocantur, quod eas eſſe monſtrant effecta, nullo diſcrimine temporis.

Qui eſt optimo jure] Vide ad Liv. 9, 34.

Duratio] Modus temporis.

Quæ majeſtas] non ut accipitur pro ipſo jure aut poteſtate, ſed pro veneratione, quam vulgus præſtat principibus. Sueton. Veſpaſ. 7. Alioqui majeſtas principi facto aut nato ſtatim adeſt. Ovidius 5. Faſtor. 26.

Ad tutelam ſuam] deſierunt eſſe pupilli. Cicero Bruto cap. 25. Cornel. Nepos Eumen. 2.

3. *Precarium*] nam precarium eſt quod datur utendum, quamdiu danti libet. l. 1. D. de precario. Juſtinus 44, 4. Tac. 1. hiſt. 52.

Deponerent] deſtituerent. Sueton. Neron. 40. Gal. 10. & 11. *regno exuerent vel privarent.*

§. XII. 1. *In patrimonio imperantis*] Ne hoc quidem admiſerim. Certe aliter veteres. Seneca 7. de beneficiis cap. 6. *Cæſar omnia habet, fiſcus ejus privata tantum ac ſua: & univerſa in imperio ejus ſunt, in patrimonio propria.* Plinius Paneg. 50. *Eſt, quod Cæſar non ſuum videat: tandemque imperium principis quam patrimonium majus eſt.* Florus quoque ſeparat imperium populi a patrimonio 4, 1. *Ærarium quoque juſſit effringi, cenſumque & patrimonium po. Ro. ante rapuit, quam imperium.*

Perſonalis] ingenuorum & manumiſſorum.

Civilis] jus regendæ reipublicæ pro cive 2, 24, 6.

Singulorum] domum & patrimonium ſuo arbitrio regentium.

Univerſorum] rempublicam ſuis legibus adminiſtrantium.

Livius lib. 1.] cap. 17.

Regem vocabant] regnari volebant.

Idem lib. 2.] cap. 12.

Ac] nec.

De bello & judiciis] l. 19. D. de Capt. & poſtlim. infra num. 21.

2. *Populus alienatur*] per teſtamentum, donationem, pactum alteri traditur.

Libertas aſſignatur] Vide tit. inſtit. de aſſignatione libertorum.

3. *Quæ reſtitui juſſa eſt*] Fidei commiſſario.

Fructus non reſtitui] niſi hæres fuerit in mora aut diſerte rogatus, ut hoc quoque reſtitueret, quia proveniunt non ex hæreditate, ſed ex rebus, quas bono jure poſſidet.

L. in fideicommiſſaria §. plane] §. Quoties.

4. *Anaxagoras*] Argei F. Megapenthis N. Prœti pronepos. Megapenthi Argos Perſeus patrueli tradidit; ipſe tranſtulit regnum Mycenas. Cum Melampode & ejus fratre Biante partitus id regnum Anaxagoras, quod Melampus bacchantes vaganteſque fœminas luſtraſſet ac ſanaſſet. Pauſan. 2. p. 116.

5. *Cicero ſecunda in Rullum* : *Hæreditatem crevimus*] cap. 15. Quidquam hæreditatem jam crevimus, adiimus, agnovimus. Cic. 6. ad Attic. 1. 11, 2. Vide ad lib. 2. cap. 7. num. 8.

§. XIII. 1. *Crantzius*] Contra Hottoman. Quæſt. ill. 1, 1.

Id commendationis] non tam impoſuerunt populis ſucceſſorem jure ſuæ voluntatis, quam oſtenderunt & commendarunt dignos, quos populi eligerent.

2. *Paſchali Pontifici*] De Paſchali habet, a quo multa hoc cap. ex Hottoman Quæſt. ill. 1. t. 2. p. 846. qui veriſſimam hanc hiſtoriam appellat; & hujus donationis inſtrumentum ait exſtare apud Raph. Volater. Geograph. 3. Circumferuntur duo diverſa inſtrumenta, quorum alterum exſtat apud Gratianum in cap. Ego Ludovicus diſtinct. 63. alterum ex Vaticana bibliotheca ſe prompſiſſe narrat Raph. Volater. lib. 3. Geograph. quod multa plura, quam alterum complectitur, Ravennam, Ferrariam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam &c. atque hoc niti mavult Curia Pontificalis; & ejus auctoritate regem Siciliæ vocat Eccleſiæ ſubditum, vaſallum & dominum ligium, Clement. paſtora. de ſentent. & repud. Ferrarienſem quoque ducatum hoc ſibi titulo adjudicavit. Arniſ. de Subject. & Exempt. Cleric. cap. 6. n. 10. p. 131. & de jure Majeſt. lib. 1. cap. 5. num. 6. & 7.

Reddidiſſe legitur] non apud Aimonium, non in Eginharti annalibus, neque Anaſtaſio, neque Tegano de geſtis Ludovici Pii, neque in incerto auctore de vita & actibus ejuſdem. Cogitavit opinor Capit. Ego Ludovicus 30. diſtinct. 63. in Decreto Gratiani. At hujus Ludovici F. Lothario præter Galliam Belgicam,

N quæ

quæ exinde Lotharingia dicta eſt, ceſſiſſe in diviſione regni paterni Romanum imperium, hoc eſt, Romam & Italiam, ſcribit ipſe Petavius Rat. temp. par. 1. lib. 8. cap. 10.

Primi ordinis] Prælatorum.

§. XIV. *Summitatem*] ſummum jus ipſum a conditione & lege qua id teneas.

Marchionatus] ut ducatus & comitatus Germaniæ: princeps enim quivis comeſque in ſuo territorio tantum juris habent, quantum rex in ſuo: ſed ſuperiorem agnoſcunt Cæſarem.

§. XV. 1. *Quæ non ſunt patrimonialia*] quæ non poſſidentur omni potentiæ jure.

Bello parta Eumenes] Hic non bello pepererat Aſiam, ſed acceperat hæreditariam a patre Attalo, auxeratque beneficio Romanorum, quorum adverſus Antiochum M. ſocius fuerat.

Filio Hieronymo] Immo nepoti Gelonis, qui ante patrem obierat, filio. Nec id regnum erat bello quæſitum, ſed a populo delatum. Juſt. 23, 4.

§. XVI. 2. *Arctius quodammodo*] imperii fines introrſus agi & coarctari, ſive adminiſtrandi modum temperet, ſive partem aliquam adminiſtrationis, ſive omnino adimat, quod promittitur.

Injuſtus] quia non eſt factus ut debetur.

Nullus] quia fieri non debebat. ut JCti alia faciunt nulla, quæ ab initio non valent; alia irrita, quæ ab initio valebant, ſed ob additum vitium reſcinduntur.

5. *Fundus qui fidei commiſſo*] qui datur fruendus ita, ut aliquando alii reſtituatur.

Amiſſibiliter] poſſeſſione non perpetua.

Lex commiſſoria] cautio vel pactio adjecta emptioni venditioni, ut ſi intra certam diem emptor pretium non ſolverit, & pœnituerit venditorem, res nec vendita neque alienata ſit: conditio, ut dicta re non præſtita contractus ſit irritus. Lex commiſſoria adjecta in deferendo regno, ut perdat regnum, niſi ex præſcripto aliquid fecerit.

§. XVII. 1. *Summitate*] libera & nulli obnoxia earum adminiſtratione.

Ἀνυπευθύνῳ] Ariſtot. 4. Pol. 10.

Partes potentiales] i. ita, ut penes alium ſint judicia, penes alium bella, penes alium comitia. nam Totum Potentiale, quod alias Logicum & Univerſale appellant, eſt genus reſpectu ſpecierum, & ſpecies reſpectu individuorum. Genus autem imperium ſummum eſt: ſpecies, imperium ſummum in jure reddendo, imperium ſummum in bello, imperium ſummum in comitiis ſive ordinatione magiſtratuum.

Subjectivas] i. ſubjecta plura vel perſonas; in quibus ſingulis reſpectu quodam eſt, ut ſuit imperium Romanum ſub triumviris Octavio, Antonio, Lepido; ſub Divis fratribus; ſub Diocletiano & Maximiano; ſub Conſtantini filiis; ſub Valentiniano & Valente.

Manentis præcepti] quod non ſemel tantum valuerit in aditu imperii, ſic, ut poſtea rex, ei ut obtemperet, cogi nequeat, ſed cujus vigor & obligatio ſemper ſit integra.

Saltem in eo] negotio, in quo præcipiendi jus habet, etſi alio reſpectu ſuperior non ſit.

Cum inferioris natura repugnat] pugnat. vel, ſed inferioris naturæ.

Paritas ſequitur] Qui cogere poteſt, par ſit dumtaxat neceſſe eſt, ſi non ſuperior.

2. *Heraclidæ condidiſſent*] recuperaſſent a Pelopidis duce Temeno Argos, Creſphonte Meſſenen, Ariſtodemo Spartam, Pauſan. 4.

§. XVIII. 1. *Reges acta quædam*] ut rex Galliarum diplomata ſua, niſi a Curia, quæ vocatur Parlamenti, confirmentur, &, ut ipſi loquuntur, verificentur.

Juſſiſſet] Et Trajani, ne parerent, ſi quæ juſſiſſet poſt largiores epulas, Aurel. Victor.

Comitatum] aulam. Juretus ad Symm. 2. epiſt. 83. & lib. 3. epiſt.

§. XIX. *Polybii*] lib. 6.

Mere fuit popularis] Falſum. præclare Polybius. *Quibuſdam in rebus & temporibus populus parebat ſenatui & conſulibus: in quibuſdam imperabant conſules ſine ſenatu: in quibuſdam ſine ſenatu nihil poterant.* Cicero 3. de legibus 11. Libertas plebi ſic data eſt, ut multis præclariſſimis addiceretur, ut auctoritati principum cederet.

§. XX. 1. *Quales habebant vicini*] Vox *Qualis* reſpicit nomen & ſplendorem imperii, non poteſtatem imperantis. Alioquin eodem argumento colligas licet regem eos voluiſſe idolorum cultorem. Quin etii maxime voluiſſent, non permittebat Deus, qui jam olim regem futurum legibus ſubjecerat.

2. *Jus regium deſcribens*] Vide cap. ſequenti num. 3.

Recte colligunt] Immo male. non enim negat David ſe & in civem peccaſſe, ſed confitetur adverſus Deum in primis & graviſſime ſe peccaſſe. Soli eſt in primis, vel maxime. Virgil. 1. Georg. 30. *An Deus immenſi venias maris & tua nautæ Numina ſola colant.* 4. Georg. 55. de apibus: *Solæ communes natos, communia tecta Urbis habent magniſque agitant ſub legibus ævum, Et patriam ſolæ & certos novere penates.* 4. Æneid. 473. *Sola viri molles aditus & tempora norat.* Senec. Hippol. 874.

Inflicta verbera] Vereor ne ſit ſomnium Thalmudicum.

Excalceationis] Deut. 25, 9. Ruth. 4, 7.

3. *Perpetua cooptatione*] dum in locum demortuorum alii atque alii ſufficiuntur.

Arte eluſit] ſuaſit reo fugam.

4. *Niſi prius valuiſſet auctoritas*] *niſi conſilio viciſſet*, ut Juſtinus loquitur 2, 13. niſi ſententiam ſuam proceribus probaſſet.

Addictus] Melior lectio. addictius. minus laxis magiſque attractis frænis.

Exceptionibus] ita ut nihil reſervarint aut caverint ſibi a poteſtate regis ſubjecti Florus 2, 18. *veram & ſine exceptione victoriam.* Ad Senecæ ep. 30.

Precario regnandi] quod eſt in aliena poteſtate & poteſt eripi quoties iſti libet. Sen. Thyeſte 215. *Ubicumque tantum honeſta dominanti licent,*

Digitized by Google

licent, *Precario regnatur.* Vox tyranni. ï. num. 11.

6. *In rebus quibuſdam iiſque*] Immo nulla non in re. Liv. 1, 17.

Patres auctores fierent] SC. confirmaſſent, quod ſciviſſet populus.

In incertum comitiorum eventum] Vide 1. Obſervat.

Senatum] magiſtratus ſenatorios.

Plebem] magiſtratus plebejos.

§. XXI. 1. *Actum habet tranſeuntem*] in quo ſemel aliquis duriores conditiones accipit aut imperata facit.

Aliud quid præſtet] Captivos, transfugas, naves tradat.

Ex ipſa vi pactionis] in qua certis clariſque verbis cavetur, ut alter alteri concedat & aliquid morigerationis aut obſervantiæ exhibeat.

Conſervare ut in fœdere] Livius 38, 11. Cicero pro Corn. Balbo 16. *id habet hanc vim, ut ille ſit in fœdere inferior.*

Advocatiæ] jus erat defendendi monaſterii vel eccleſiæ conceſſum a principe homini potenti militari vel togato, qui fiebat illius conventus patronus, & viciſſim ex eo commodis quibuſdam fruebatur. Trithem. Chron. Hirſang. monaſt. p. 9 & 87. Bignon. ad Marcul. lib. 1. cap. 21. p. 497. Barthius adv. 47, 4. JCti. genus feudi faciunt. Obrecht. diſput. 2. theſ. 259. Schoner. diſp. feud. 1. th. 75.

Mundiburgis] Mundiburdis vel mundiburdium, defenſio vel tutela, quam princeps epiſcopo aut abbati impertit, ne a quoquam infeſtentur, neve cauſæ eorum, niſi in palatio, cognoſcantur. Sic tradere in mundiburdem, teneri in mundiburdio, recipere ſub ſuo mundiburde dicebant. Bignon. ad Mar. lib. 1. cap. 24. p. 504. & 506. Voſſ. de vitiis ſermonis p. 248.

Matricum] Matrices Urbes, Μητροπόλεις, ex quibus aliæ civitates propagatæ: Coloniæ, quæ ex aliis civitatibus propagatæ. De jure μητροπόλεων videndus Valeſius ad Excerpta Conſtantini Porphyrog. p. 7.

Pars jure] ï. 2, 9, 10.

3. *Syllæo Arabum*] Immo Herodi Judæorum regi quem Syllæus, non rex Arabum, ſed Obodæ regis Arabum comes & legatus apud Auguſtum criminatus erat: ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρῆται. Joſeph. 16, 15. Erat autem regnum Judæorum tum temporis ejuſdem conditionis, cujus regnum Armeniæ, nempe beneficiarium populi Romani: & quod Auguſtus ait adhuc eo ſe ut amico, uſum, referendum ad indulgentiam Cæſaris, non jus Herodis. De Syllæo Strabo lib. 16. p. 781, 783.

Regee Armeniæ] Florus 4, 12. *Armenios victo rege Tigrane in hoc unum ſervitutis genus Pompejus adſuefecerat, ut rectores a nobis acciperent.*

Scribebat Pætus] apud Tacitum 15, annal. 13.

4. *Civitatibus fœderatis*] Loquitur de civitatibus liberis, quæ in mediis erant provinciis Romanis: ſed quia aut ante bellum, aut durante bello hi populi, non vi coacti, ſed ſponte ſe applicuerant Romanis, & eorum amicitiam petiverant, conſervabant illis Romani libertatem, ut non eſſent ſub faſcibus, etſi omnes populi circa in formam provinciæ redacti eſſent. Cic. 3. Verr. 6. Sueton. Jul. 25. Octav. 47. Calig. 3. Veſpaſ. 8.

Subditi populi] Ut Leptines & Iſocrates Demetrii Soteris ſubjecti, qui Cn. Octavium legatum po. Ro. interfecerant. Polybius in Exc. legat. 122.

Populi aut reges] ut Philippus a Græcis, Juſtinus 32, 2. Polyb. excerpt. legat. cap. 46.

Socii inter ſe] ut Achæi & Spartani, Juſtinus 34, 1. Eumenes & Pruſias, Juſtinus 32, 4.

Si ſubjecti conquerantur] ut Lycii de Rhodiis, Liv. 41, 6. Judæi de Archelao Herodis M. F. Joſeph. de bello Judaico 2, cap. 4. & 6.

Ut oſtendemus alibi] 2, 21, 4.

Recuperatorem] Torrent. ad Sueton. Ner. 17.

Cum intereſt] eſt cum inter.

5. *Alibi*] 2, 20, 3.

6. *Græcos*] apud Concilium Amphictyonum, Juſtinus 8, 1.

A ſe] Plinius Paneg. 36.

7. *Jus nullum*] Hoc in fœdere tantum æquali verum eſſe puto, non etiam de inæquali, vel propter exempla Rhodiorum & Archelai, juſtiſſime accuſatorum apud Romanos.

Sua ſponte] quaſi non ex metu, ne tanta crudelitate Cæſarem offenderet.

Carthaginienſium interponere] Livius 33, 47.

8. *Extra tempus conventus*] ſi quid jubendum vel curandum ex uſu ſociorum, quo tempore diſceſſus eſt, quo concilium ſolutum, de cujus ſententia agi omnia convenit.

Agamemnon regibus Græcis] bello Trojano.

Lacedæmonii Græcis poſtea] bello Perſico uſque ad proditionem Pauſaniæ & ſuperbiam. al. eo enim ſocii ſe contulerunt ad Ariſtidem Athenienſem.

Ordinarunt] Male ſic vertit τὸ ἔταξαν· nam ordinare hoc ſenſu per idiotiſmum Gallicum aut Belgicum haudquaquam Latine dicitur. Τάττειν eſt ſane & ordinare, collocare ordine: ſed quod apud Thucydidem ſignificat, id Latinis eſt jubere, ſtatuere, deſcribere, definire, imperare. At ordinare ſtatum lib. civ. (quod tamen ad Græciæ non magis quam ad quaſvis liberas civitates in quacumque provincia vel parte imp. Rom. ſitas pertinet, etſi Plinius in Græcis eo verbo utatur) longe aliud eſt, nempe corrigere & emendare atque in melius reformare ac reſtituere. Sic poſt victoriam civilem converſus ad ordinandum reipublicæ ſtatum Cæſar, Sueton, c. 41. Antonius poſt aciem Philippenſem Orientem ordinandum recepit, Octav. 13. Sic Galba extra ſortem electus ad ordinandam provinciam Africam & inteſtina diſſenſione & barbarorum tumultu inquietam.

Sub imperio Suevorum] Nerviorum in Gallia Belgica, 5. Gal. 39. Sed ibi non vocabulum imperii accipitur improprie, verum ſociorum, quo nomine dignari ſolebant & provinciales.

9. *Imperare Medicis*] l. 26. D. de operis li-

bertorum. multo plures imperantes ſe habiturum.

10. *Cum a ſociis ad ſe*] Vereor ne ſefellerit auctorem memoria, tribuens Athenienſibus, quod de Romanis ſcribit Pauſanias, ab iis poſt bellum cum Perſeo Romam evocatos ad cauſam dicendam: quale nihil imperarent Macedones, quum Græciæ principatum tenerent, lib. 7. p. 417. Liv. 45, 31.

Latini] Liv. 8, 4.

Latini querebantur] Res quam tradit vera eſt: ſed in exempla ſi quis diligentius inquiret, reperiet maximam partem nihil ex vero habere, ſed querelas & criminationes ſeditioſorum eſſe hominum, qui ſat libertatis cum haberent, male commoda patiendo juſtam ſervitutem ultro arceſſiverunt.

Ætoli] Liv. 34, 23. 35, 38.

Precariam ſervitutem] Hæc vero optanda eſt iis, quibus non licet eſſe omnino liberis. Voluit, opinor, auctor, fœdus ſpecie jam eſſe; re precariam libertatem. Sic enim Livius 29, 37. unde ſumpſit. *Specie:* inquit, *æquum fœdus eſt apud Achæos, re precaria libertas.*

Eumenes apud Livium] Lib. 37, 53.

§. XXII. *Hebræorum reges*] At ſine dubio reges illi erant beneficiarii & ſtipendiarii populi Romani, &, ut Tacitus loquitur, *inſervientes.* Commodiora in hanc rem exempla ſunt apud Fr. Lindenbrogium ad Ammian. lib. 25. p. 154.

§. XXIII. *De nexu feudali*] de iis, qui ſunt vaſalli, & propter feudum, quod tenent, directo domino obligati.

Duo ſunt conſideranda] Eſt enim feudum jus utendi fruendi aliena re immobili vel incorporali, quæ immobili comparatur, ex benevolentia domini ſub conditione fidei & obſequii conceſſum. Itaque cliens vel vaſallus accepto beneficio vel feudo jurat domino fidelitatem, & officia præſtat operaſque, quæ ſervitia vocant. quod ſi committat feloniam, aut exiſtat aliqua ex revocandi cauſis, a vaſallo ad dominum revertitur.

2. *Feudis liberis*] quæ habent immunitatem ab operis vel ſervitiis.

Adverſus omnes] nemine antepoſito, vel excepto. Itaque nec dans agnoſcit ſuperiorem, neque accipiens homo ligius eſſe poteſt duorum. In non ligio, non modo rex, ſed etiam alii, velut antiquior dominus, cognati, patria vaſalli, excipiuntur in juranda fide.

Feudum Ligium] quod datur a non agnoſcente ſuperiorem ſub pactione obſequii & fidei conferenti præſtandæ uni & contra omnes. Itaque vaſallus vel homo ligius, qui & homoligus vocatur, non ſolum ratione feudi accepti, ſed cum omnibus bonis ſuis juriſdictioni ſubjicitur, neque invito domino feudum poteſt exuere: ſed & unus nemo duorum eſſe ligius poteſt. Schon. Diſp. 1, 1, 52. & 2, 8. & ſeq. Obrecht Diſp. 2. th. 136. & ſeqq.

3. *Imperandi jus*] Ut in feudo, quod vocant regale, quo inveſtiti ſummam & quaſi regiam poteſtatem habent in locis, quæ ad hoc feudum pertinent, ut ſunt regna ſtipendiariorum regum, Electoratus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus.

§. XXIV. *Prodici*] qui vice ejus res adminiſtrent, & per hos ſuum ille jus tuetur. Πρόδικος Lacedæmone κατ' ἐξοχὴν tutor regis, Plutarchus Lycurgo. Heſychius: Πρόδικος, συνήγορος. Προδικεῖν ἐπιτροπεύειν. Vide Crag. de rep. Lacedæmon. p. 88.

AD

C A P U T IV.

§. I. 1. I*Mperio ſummo, at non*] in populos ſuæ ditionis; non iſtos privatos, quibuſcum nunc fingimus eos bellare.

Babylonia] Gen. 14, 1. שנער Σεναάρ. quo vocabulo dicta eſt regio, quæ poſt Babylonia. Geneſ. 10, 10. LXX. Daniel. 1, 2.

In partem] adverſus eos qui auctoritatem Iſboſeth ſecuti regnum volebant retinere in domo & poſteris Sauli, 2. Sam. 3, 7.

2. *Sive ſummo*] ut in regem.

Minori] ut in præfectum regium.

In inferiores] ſubjectos eidem imperio ab illis, quibus provincia vel curatio cum jure armorum adverſus obſiſtentes mandata eſt.

Metatores] qui militibus tranſeuntibus deſignant.

Inferiores] Præfectos aut miniſtros.

3. *Provocarunt*] contra civile jus, quod præcipit obediendum præpoſitis, velut ſuperius tribunal appellarunt juris naturæ.

Si qua ex tali] quod recuſaveris facere juſſa, quia ſine offenſione Dei facere nequeas.

§. II. 1. *Jus quoddam majus in nos*] communis utilitatis ergo privatum cujuſque jus reſtringens & coërcens.

Publicæ pacis] ne in media pace perpetui aut alii ex aliis orirentur tumultus imperium inhibentium & detrectantium.

Ordinis] qui poſtulabat, ut eſſent, qui ducerent, quique ſequerentur; qui præciperent, quique facerent; imperantes alii, alii parentes, & in hoc ſtatu quiſque, nemine turbante alios, officio fungerentur.

Finem ſuum] tranquillitatem & ſecuritatem publicam.

Diſſo-

Diſſociata] male cohærens & ſeſe interturbans.

2. *Principi ſummum*] 6. ann. 8. *Tibi ſummum rerum judicium dii dederunt, nobis obſequii gloria relicta eſt.* quaſi ad Cæſarem præſentem ſic loquitur in ſenatu M. Terentius. Neque enim Tacitus diceret ſubditis.

3. *Si vitem tenuit*] apprehendit ſcipionem, quo verberabatur a centurione. Tacit. 1. ann. 23. Juvenal. 8, 297. *frangebat vertice vitem.* Sat. 14, 193. *perlege rubras Majorum leges, aut vitem poſce libello.*

Militiam mutat] ex honeſtiore ac lucroſiore ad minus honeſtam minuſque lucroſam transfertur.

§. III. *Etiam privati peccatis*] non tamen tantas neque tam late patentes. itaque eſt ſane in eo quoque aliquid eximium & auctoris argumentum lubricum.

Quod effectum] non tantum, quod facturi ſint, ſed etiam ita facturi, ut, quin faciant, impediendi nemini ſit poteſtas, nec de illo queri habeat apud quemquam, niſi apud Deum.

Hoc jus vocatur] ut ſignificet exercitium poteſtatis, injuſtum quidem, velatum tamen ſpecie juris.

§. IV. 1. *Majoris mali*] ſupplicii præſentis aut pœnæ.

Ex ipſo ſenſu] ex animo ſic imbuto atque inſtituto, ut ſciat hoc omnino ſe oportere facere, atque ideo libenter velit.

Quibus auctoritatem] quorum auctores nos fatemur, quæ rata habemus.

2. *Ajebat ille*] Furfidius ad Sullam, Florus 3, 21.

3. *Nimia formidine*] ut qui ob leves ſuſpiciones corripiunt, reoſque majeſtatis faciunt, exemplo Claudii. Suet. 37.

Iracundia] ut Alexander, qui ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat, Juſtin. 9, 8.

Inter minus frequentia] ex rarius contingentibus.

Quod plerumque] 3. Pol. 11. Δοκεῖ τὰ καθόλε μόνον οἱ νόμοι λέγειν. ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ προσπίπτοντα ἐπιτάττειν.

Commoda eſt] omnibus.

Communibus tamen] iis neglectis de eo, quod ut plurimum accidit, aliquid eorum conſtituendum.

Etſi legis] quæ voluit civem magiſtratui parere.

Ratio] ut cuique jus reddatur, ut juſtitia quiſque fruatur.

In iſto partic.] quoties contra jus faſque magiſtratus aut rex lædit inferiorem.

Ratio in ſua generalitate] tranquillitas ſecuritaſque totius corporis, quæ tanti eſt, ut unus potius doleat & id ferat, quam reſiſtat imperanti & ordinem publicum turbet, ne patiatur injuriam.

4. *Publica prodendo*] deſerendo, deſtituendo; non adjuvando.

5. *Nobili Dionis Caſſii loco*] lib. 41, p. 168. Τῶν ἀρχομένων ἡττᾶσθαι] ſubjectis cedat, puta laſcivientibus & improba atque inutilia flagitantibus.

Τὸ ἕπεσθαι ὑπηρετεῖν] cujus ſors & officium eſt parere.

6. *Propter conſcientiam Dei*] διὰ συνείδησιν θεοῦ. quia ſcil. & agnoſcit eſſe Deum juſtum & juſtitiæ exactorem, qui neminem inſontem lædi ſinat impune, dixeritque: *Mihi vindictam, ego rependam.*

§. V. 1. *Tertullianus Apologetico*] c. 35. .

Unde Caſſii] i. Utrum ex veſtris, ô multorum deorum cultores, an ex Chriſtianorum ſecta?

Inter duas lauros] Peſtilentiæ cauſa Commodus in loco lauris veſtito apud Laurentum oppidum agebat, eum cum ob Cleandri necem expoſcendam plebs circumſedit. Herod. 1, 35. Sed quid inter duas lauros? Sane Aurelius Victor in reg. XIII. meminit Vicum laureti minoris, & Vicum laureti majoris. Sed hæ partes urbis ſunt in Aventino: Commodus autem obſeſſus Laurenti, minimum XVI. millibus paſſuum ab urbe. Forte inter ſuas. Lauri enim impp. quaſi propriæ & illis dicatæ, quia Julius laureæ perpetuo geſtandæ jus accepit, Jul. 45. quod in ſucceſſores prorogatum, ut ex ſtatuis & nummis conſtat. Quin & laurus ἀλεξίκακόν τι credebatur. Proverbium: Δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν· quem tutum ab inſidiis & periculis ſignificabant, Plin. 15, 30. Suet. Tib. 69.

Qui faucibus] Sic periit Commodus in exercitatione luctæ, validiſſimo palæſtrita, ſpecie exercendi, guttur ejus comprimente eo uſque, donec exſpiraret.

Omnibus tot Sigeriis] Forte: omnibus & Sigeriis & Partheniis. De Parthenio Sueton. Domit. 16. & 17. item Aurelius Victor Schotti. cui ſocius conjurationis videtur fuiſſe Sigerius. nam ſimul eum Parthenio illum nominat & Martialis 4, 79.

In eundum Septimium] Immo Severus in illos, eodem tempore a ſuis militibus Impp. appellatos: ſed quia Severus vicit, illi pro rebellibus habentur ac tyranni. nam civilis acies victum facit nocentem. Quod ſi Clodius viciſſet, pro Albinianis; ſi Peſcennius, pro Nigerianis poſuiſſet Septimianos.

Virum egregium] militiæ, ſed in hac cauſa palam ſceleratum.

M. Antonini negligentia] Sic ille mentiebatur, ut colorem adderet rebellioni: cæterum nunquam imperium aut reſpublica Romana fuit in meliore ſtatu ſub principe, quam ſub hoc: neque aut pace quiſquam aut bello diligentior.

2. *Maximi copiis*] Clementis Maximi, qui ſumpſit in Britannia imperium contra Gratianum Valentiniani alterum filium, occupatiſque Galliis, occiſo Gratiano, Hiſpaniis quoque & Africa potitus, per quinquennium regnavit, donec a Theodoſio victus interficeretur.

Imperatorem & Arianum] Valentinianum Juniorem, Gratiani fratrem.

§. VI. 1. *Species intermedia*] quæ differt a ſpecie infima, ut genus ſubalternum a genere generaliſſimo.

Privati ſunt] Sic Veſpaſiani privatas res Tacitus, quamvis exercitum & provinciam regentis vivo Nerone, dicit 3. hiſtor. 65. & 5, 1.

Ordinem non dari] i. quod in ſerie aliqua eſt, tamdiu locum tueri, quamdiu dependet a primo: ita magiſtratus tamdiu eſſe magiſtratus, quamdiu agant ex auctoritate principis.

3. *Ut ſupereminenti*] ὡς ὑπερέχοντι. quæ verba non video, qui ſignificent ſine exceptione, quamvis res vera ſit. In Notis ad N. T. explicat Tanquam ſupra omnes poſito. Ergo, tanquam ſummæ poteſtati.

Miſſis a rege] δι᾽ αὐτοῦ πεμπομένοις. præfectis ejus, vel legatis.

§. VII. 1. *Haſamonæorum*] ab Aſſamonæo Matthiæ proavo dicti, qui a Juda Maccabæo Matthiæ F. Maccabæi, Joſeph. 12, 8.

Periculum animæ impellit] ſolvit neceſſitate ſervandi Sabbathi. Caſaub. Exercit. 1. ad Baron. 12, 17, pag. 66. Buxtorf. Synag. cap. 16, p. 365.

Chriſto] Matth. 12, 4.

Et in lege altera] 1. Sam. 23, 6.

2. *De ſtatione*] loco, ubi quis aut in præſidio aut in acie locatus eſt ab Imperatore Liv. 24, 37.

Videntur homines] nam Dei paullo ante jus liberum agnovit, qui vitam, quam precario dedit, repoſcere poteſt, quandoque placet ejus ſanctæ providentiæ.

Jus accepiſſe] ut poſſint eis injungere, quod requirat, ut deſerant omnem tutelam ſui, & certæ morti occurrant.

Cum ſenſu] ut conſiderent, quid hæc fragilitas ferat, nec mandent quod homo natus præſtare nequeat.

Caritas commendaret] ex officio fieret atque humanitate, ita tamen, ut intermittere liceat, idem poſſe præcipi, ut intermittere non liceat.

3. *Experimento infirmitatis*] quod viderent diſperſos per familias & nihil commune habentes, facile a violentis opprimi.

Ut humanam & humano] quatenus exigit, quantum homini poſtulare licet ab homine, quantumque homo (cui difficile eſt ejurare inſitum amorem ſui) potuit exſequi.

4. *Id quod conſervatur*] quod ſcil. conſervari non poſſet in ſtricta legis obſervatione.

Æquitatem, qua] per quam licet eam legem aliquando non obſervare.

Et communis bonis] ut non turbet ultro tranquillitatem publicam, & tantummodo ſeſe tueatur; non infeſtet, neque ad ſimul turbandum trahat alios.

Extra pauca] quibus læſus eſt & graviter peccavit.

Hac religione] perpetua & vigili cura.

5. *Cui αὐτονομία*] quem Deus liberum & ſui juris eſſe voluiſſet.

Medis & Perſis] Non poteſt excuſari, quod Tacitus & auctor ajunt Judæos Medis ſerviſſe, niſi de uno Dario Medo, cujus mentio apud Danielem, intelligatur. Nam Aſſyriis a Nino ad Sardanapalum, Medis ab Arbace ad Aſtyagen non paruerunt Judæi: ſed deſtructo primo Aſſyriorum imperio & contracto Medico, aliud Aſſyriorum vel Chaldæorum imperium natum eſt per Nabucodonoſorem eodem tempore quo in alia parte Orientis regnabant Medi. Huic poſteriori Aſſyriorum regno armis victi acceſſere Judæi; inde ad Perſas ſub Cyro tranſiere.

Nec quicquam ſtipulati] nihil exceperunt, quum ei ſe dederent.

6. *Non ex officii neceſſitate*] eximiæ alicujus innocentiæ ſtudio, ut abſtineret etiam illa vi, qua jure uti poterat, ut non modo ad legem juſtus eſſet, ſed & intra legem, ut Seneca loquitur 2. de ira 27.

8. Auctor quæſtionem, an liceat Chriſtianis pro religione adverſus ſuperiores in ultimo diſcrimine bellare, ita tractat, ut negantem partem probare, atque ita tot herôum, quorum armis a Deo proſperatis libertatem conſcientiæ in Belgio, Germania, Gallia, debemus, cauſam damnare videatur.

Cui ſententiæ ſubſcribere non poſſumus, nec quæ pro ea proferuntur, tanti putamus, ut iis nos induci patiamur.

Crucem ſubire ſuos bis juſſit Chriſtus, prius Matth. 10, 38. Quod tempus Marcus quoque 8, 24. & Lucas 9, 23. reſpiciunt. Iterum Matth. 16, 24, quod Lucas 14, 24. id nihil aliud eſt, quam divinas caſtigationes patienter & ſine murmure cumque confeſſione peccatorum & horrore juſtiſſimæ Dei adverſus peccata iræ, excipere. Et tam dictum eſt ſuperiorum ſupremis regibuſque regum, quam humillimo & deſpicatiſſimo mortalium. Quemadmodum igitur hoc non impedit, quominus Reges & magiſtratus reſiſtant malitiæ privatorum & hoſtium, atque illos ſupplicio afficiant, hos bello proſequantur; ita neque impedit privatos quo minus illi ultimæ ſævitiæ malorum principum & magiſtratuum repugnent.

Ob religionem autem ſi omnino in ſuperiores arma ſumere non licet, neque licebit ipſis ſuperioribus arma ſumere adverſus alios pariter ſuperiores ob religionis diverſitatem bellum moventes. Præbeamus igitur, ſi diis placet, nos impune lacerandos & ſubjugandos Turcis Mahometiſmum imperantibus. Et condemnemus Conſtantinum quod defendendi a perſecutione Chriſtianiſmi gratia arma ſumpſerit in affinem ſuum & collegam imperatorem Licinium: quo nomine tota Eccleſia eum ſemper laudavit & obnoxiam ſe illi profeſſa eſt. Nec poteſt hic dari ratio, quare magis liceat ſuperioribus in ſubjectos per religionis cauſam ſævire, quam per aliam quamcumque impotentiam. Immo per illam minus licet, quia ſolus Deus καρδιογνώστης eſt & imperium in conſcientias habet. Porro qui Religionem petit ſævitia, idem petit bona, petit vitam, petit conjugem & liberos. Si ergo licet in graviſſimo & certiſſimo diſcrimine reſiſtere ſuperioribus ob bona, conjugem, liberos, vitam defendendam, (uti conceſſit auctor) quoniam eædem cauſæ cum cauſa religionis ſunt perpetuo conjunctæ, etiam in ultimo & certiſſimo diſcrimine ob religionem, ſi non per religionem,

ligionem, certe per illas alteras cauſas reſiſtere licet ſuperiori, intolerabili ſævitia prætextu religionis bona & vitam involanti.

Chriſti & Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum exempla nihil juvant, quia illa verſantur in Eccleſia conſtituenda, nos in Eccleſia conſtituta. Illam quum ſinguli & humillimi homines (ita Deo placitom) in eam colligerentur, non oportet infamem fuiſſe rebellionibus: nunc poſtquam illud crime[illegible] Eccleſia effugit diu patiendo, non oportet [illegible]am beneficium Dei incomparabile, præſertim ſi vires ad illud tutandum dedit, per ignaviam amittere.

Quod Chriſtus per humilitatem, per patientiam ſe ac ſuos ad tempus præbendo tanquam oves ad lanienam, vicit poteſtates mundi ac tenebrarum, miraculum eſt non minus quam linguarum donum, quam ſanandi infirmos, excitandi mortuos, liberandi energumenos, & alia ſupra humanum modum. Ut ergo nunc in docenda diſcendaque religione Chriſtiana non exſpectandum, donec eadem miracula Deus nobis repræſentet, ſed ordinariis ſtudiorum viis & cooſueta diſciplina utendum eſt: ita nec in defendenda veritate agnita & libertate conſcientiæ manibus inſinuatis ſedendum illis, quibus Deus noo modo pro focis, ſed etiam pro aris vires & opes dedit, nec operienda miracula quæ Deus ſic quoque dat, ſed illis, qui viis & inſtrumentis & labore curaqne cuivis rei propria, utuntur. Hebræos ſub Pharaone cædes & contumelias & injuſta opera cum ſervilibus verberibus tolerare voluit Deus uſque in adventum Moſis. Noluit eoſdem pogna Ægyptium vineere: Rubrum mare mandata ſua peragere & ultionem exſequi juſſit: at idem eductis in terram promiſſam per arma adverſus religionis oppreſſores adfuit. neque hoc infirmat martyria. Immo genus eſt martyrii in ſancto & ſolo propoſito defendendi lucem Euangelii conceſſam occumbere, quamvis armatom. Quod ſi quando ab inermibus & mera patientia martyrium excipi vult, id non magis moratur alios quin ſe, ut poſſunt, a vi tueantur, quam quod quoſdam naufragio, peſtilentia, alios morbo evocat, id non prohibet alios, quominus medicinis & omni probata via ad ſalutem graſſentur: quod quoſdam ſub iniquo judice probos & innocentes ſinit opprimi, id nihil vetat, ne alii ſuam innocentiam judicio defendant. Neque vero non intereſt privatus paucive, an populus ob religionem infeſtetur: nam illi ſuo fato occidunt, populus etiam poſteritatis.

Præterea ſi Chriſti exemplum & injuriarum patientia non tollit jus belli gerendi omne in univerſum adverſus qnoſvis aggreſſores, ne quidem tollit jus belli gerendi adverſus ſuperiores in ultimo diſcrimine ob religionem. Ratio eſt, quia Chriſtus non tantum injurias a ſuperioribus pertulit, ſed etiam viliſſima fæce Judæorum, neque tantum ob religionem, ſed etiam ob illorum invidiam & malitiam. Deinde non dicit, *Si ſuperior ob religionem tibi alapam in altera maxilla duxerit:* non dicit: *Qui tollet gladium adverſus ſuperiores religionis cauſa*, ſed ſimpliciter & ſine exceptione, *Si quis dixerit: Qui tollet.* Quæ ergo reſponſio eſt ad hæc loca pro ſarto tecto ſervando jure belli cujuſcumque, eadem eſt & pro ſervando jure belli in ſuperiores, & intolerandam ſævitiam religionis ergo.

Chriſtus fugam concedit, inquit: agnoſco: ultra fugam nihil: hoc hic lego, apud Euangeliſtam neminem. II. Si præciſe nihil extra fugam, ne quidem ut pecunia redimant libertatem religionis & conſcientiæ; itaque rem illicitam fecere tot ſeculis faciuntque hodie miſeri Græci & aliæ Nationes Chriſtianæ ſub Turcico imperio, qui tributo perſecutionem evadunt. Quod ſi hoc durum eſt adfirmare, fatendum eſt, illud temere pronuntiatum eſſe. III. Quin immo quia fugam concedit, non requirit meram & ſolam patientiam: ſed per ſynecdochen ſpeciei concedit honeſtas rationes ſubterfugiendi, & hoc genus tyrannidis, quamdiu non planum ac liquidum eſt, placuiſſe Deo, ut morte noſtra teſtimonium veritati demus. IV. Quia fugam conceſſit, oſtendit certe ſuum exemplum non vocare nos ad omnes omnino eventus patientiæ, quam ipſe præſtitit: noluit enim fugere. V. Fugam conceſſit illis, quibus nihil patebat præter fugam: quales erant primi ejus diſcipuli virium inopes. His igitur fugam concedendo non vetuit alios ſuo bono uti.

Quanto melius facerent tyrannidis patroni, ſi Chriſti exemplom proponerent perſecutoribus & imperantibus religionem! noluit ille vi in formanda & propaganda Eccleſia uti, noluit ignes & gladios adhibere, cum facile potuiſſet. Itaque exemplum Chriſti magis obligat Principes ad non ſæviendum ob religionem, quam ſubjectos ad imitandum ejus patientiam omnem, quæ magna parte miraculoſa eſt.

Locus Petri tot verſibus ſolatia continet illis, quorum conſtantia & martyrio Deum velle amplificare gloriam ſuam certo conſtat, quia illis ſubducit omnem æternam opem defendendæ vitæ, & eoſdem ad hanc ipſam patientiam præſenti numine & S. Spiritus extraordinaria ope confirmat. Sunt autem viæ, quibus utitur Deus ad amplificandam gloriam ſuam, multæ. Nec ſi ſcriptura, cum unam earum laudat, alias tollit. Idem Deus, qui modo monſtrat quid poſſit in infirmis, magnum illis animum adverſus calamitates & ſupplicia præſtando, modo monſtrat quid poſſit in fortibus, victoriam illis per arma juſta largiendo.

Ad exemplum illud primorum Chriſtianorum tam ſpecioſe propoſitum reſpondet Miltonus, eos non potuiſſe, quicquid imputent: ubi potuerint, feciſſe: denique qui non fecerint, non obligare nos ad imitandum. Et certe non potuerunt. Homines humiles, tenues, viles, ignobile vulgus, pauci etiam, cum multa millia eſſent, ſi cum cæteris comparentur, diſperſi & disjecti, ſine corpore & conſilio, clandeſtinis eoque non numeroſis cœtibus coëuntes, imbelles & inermes, nullo capite præter ſacerdotes ex eadem vilitate lectos: ad hæc nihil aliud cogitantes, quam pœnitentiam priſtinæ vitæ, ſpem

metumque futuræ, exſpectantes quiſque ſe viſurum noviſſimum diem; eaque de cauſa deſerentes negotia, abhorrentes a conjugiis, a gerenda Republica, a militia, abjicientes pecuniam & rem familiarem, denique nihili facientes, quorum cauſa Tyrannos odimus, & defenſionem noſtri paramus: interdum improvide ac ſimpliciter, quæ Chriſtus non ſimpliciter contemni juſſerat, ſed comparate, ſi haberi non poſſent ſalva conſcientia, & ſi ea Deus repoſceret. Itaque non modo vires illis, ſed & animum reſiſtendi illis defuiſſe facile concedo. Nec poterant, nec ſi potuiſſent, volebant, non tam quia illicitum putabant, quam ob nimiam martyrii ambitionem. Sed aliter egerunt, poſtquam imperatores facti ſunt Chriſtiani, & ipſi quoque publica munera adminiſtrando potentiam nacti ſunt.

9. *Vis numerorum*] cohortium. Tacitus 1. hiſtor. 6. Agric. 18. & 32.

Conciliabula] Supra cap. 2. num. 9.

Decurias] judicum & equeſtrem ordinem.

Palatium] domum auguſtam.

Etiam copiis] apparatu & inſtrumento belli.

Apud iſtam diſciplinam] hanc ſectam Chriſtianorum. Terent. Eun. 2, 2, 32.

Magiſtrum ſuum] Hieronymus refert notarium B. Cypriani dicere ſolitum, nunquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione unum diem peregiſſe, ac ſibi crebro dixiſſe: *Da magiſtrum.*

Quamvis nimius] numeroſus, multus admodum.

De ſecutura] quia exploratum habemus injuriarum, quæ nobis fiunt, Deum vindicem fore.

Labores] ærumnas, agonas, ut Herculis XII. labores dicunur.

In errore ſunt] ἐλληνισμῷ: idolorum cultui dediti ſunt.

Non erat eis] Non ducebant operæ pretium, non faciebant tanti vitam & bona ſua, ut eorum ergo arma ſumerent ac reſiſterent, ſed ſpe ac deſiderio ſalutis æternæ hanc fragilem vitam contemnebant. De illo, *Non erat*, vide 4. Obſerv. 8. p. 115.

Niſi] ἀντὶ τοῦ ſed.

Salutem] hujus vitæ.

Pro ſalute] æterna.

10. *Maximianus*] collega Diocletiani A.U.C. 297.

Octodurum] Veragrorum vicum appellat Cæſar 2. Gall. 1. Martenach. hodie.

Agaunum] Saint Maurice, duodecim millibus p. ab Octoduro.

11. *Primicerius*] Quia ſingula officia Palatina complures habebant perſonas, primicerii, primiſcrinii, proximi & primates & capita (nam & ſic vocabant) officii cujuſque dicebantur, quod primum locum obtinerent, primique in laterculo vel tabella incerata, cui numerus officii eſſet inciſus, notarentur. Alii tribunum vocant.

Beatiſſimis] feliciſſimum & glorioſiſſimum mortis genus martyrium interpellare vi atque impedire.

Ad hujus rei] ut probarem hujuſmodi defenſionem illicitam eſſe.

Parabatur exemplum] Ovid 9. Met. 507. *cur hæc exempla paravi?* Tacitus 15. ann. 13. *Si vis ingrueret, proviſis exemplis Caudinæ & Numantinæ cladis.*

Ne quiſquam mortali] leg. immortali.

Ignava formidinis] per merum quidquam ſcimus fortibus & fidelibus militibus indignum. Ignavus, ut ignavia Sueton. Tib. 66. Cal. 45. Flagitium, ut Juſtinus 22, 8.

Pollutas ſanguine] q[illegible] non tam victimarum, quam Chriſtianorum c[illegible]ore polluuntur & inficiuntur.

De denis] exemplo decimatorum.

Non tenebis] coges manere in corpore aut mortem refugere, ut idolis ſerviant.

13. *Ne juſti punirentur, multitudo*] Seneca 2. de ira 10. *In ſingulos ſeveritas imperatoris deſtringitur: at neceſſaria venia eſt, ubi totus deſeruit exercitus. Quid tollit iram ſapientis? multitudo peccantium.*

14. Τὸ ὁμοούσιον] qui eſſent orthodoxi, non Ariani. Fides apud Nicæam: Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum, natum de patre, hoc eſt, de ſubſtantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius ſubſtantiæ cum patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον. Fragm. B. Hilarii è bibl. Pithæi a Nic. Fabro editum p. 31.

§. VIII. *Pauſania*] Non fuit rex, ſed regis Pliſtarchi, Leonida geniti, tutor & patruelis. Agidi, potuiſſet dicere, de quo Plutarchus. In exſilium ejectus Demaratus, Juſtin. 2, 10. Pauſanias alius, Juſtin. 6, 4.

Furiis juſtis] rebellione excuſanda.

§. IX. *Imperium abdicavit*] Ex hoc capite accuſatus Dionyſius minor apud Juſtin. 21, 5. & apud Quintilianum decl. 267. *Flens ad arcem depoſitor tyrannidis.*

Pro derelicto] Ut Henricus III. regnum Poloniæ, cum audita morte fratris Caroli IX. clam Cracovia ſe ſubduxiſſet a. C. 1574. Itaque Poloni ſequenti anno alium regem crearunt. Thuan. 58. & 61.

§. X. *Electione aut*] ubi legibus moribuſve modus ſuccedendi vel per lectionem vel per nativitatem definitus & introductus eſt.

Nullus eſt] perinde habetur & rem relinquit integram, ac ſi non interceſſiſſet.

Inſtit. de uſuf. §. fruitur] 3.

L. uſusfructus] 66.

Ut diximus] cap. præcedent. n. 11.

§. XI. *Hoſtem populi totius*] Ut Caligula, qui optabat populum Romanum habere unam cervicem, Sueton. 30.

§. XII. *Si regnum committatur*] incidat in cauſam commiſſi, ut poſſit revocari a majore domino, qui poſſeſſori donaverat, vel exiſtat caſus, quo contingente aſſenſus eſt rex ſe regno ceſſurum. Cap. præced. n. 16.

§. XIII. *Partem habeat*] ubi diverſum eſt imperium in partes potentiales. ï. 3, 17.

Etiamſi dictum ſit] Hic excuſantur Barneveldio inter crimina objecti Waertgelders, Grot. Apol c. 10.

§. XIV.

§. XIV. *Qui jus ſuum alienat*] ut populus regi.

§. XV. 1. *Poſtquam longa*] tempore ac pactis inter ipſum & ſubjectos cum jurejurando intercedentibus ſpeciem jure imperantis ſibi circumdedit, ſed dum metu ſolo parentium ſe ſuſtinet, atque obnoxios premit.

Quod nullum eſt] Livius 3, 39. de decemviris: *privatiſque ſi vis abeſſet*. Cap. 41. *imaginarios faſces*.

Qui jus imperandi habet] & eo in præſens ſpoliatus eſt.

Id malle] tam favere ac benevolum eſſe reipublicæ, adeoque ſtudere tranquillitati ſtatus amiſſi, ut malit in eo vel latroni obſequium præſtari, dum privati ſuum quiſque teneant, quam *ἀναρχίαν* eſſe, vimque & injuſtitiam regnare.

Cicero Sullanas leges] 2. de l. agraria 2.

His legibus contineri] Si leges illæ tollantur, rurſus bellum civile ſubeundum. Sulla civilibus armis victor quotquot inimicorum ejus tempeſtatem belli effugerant, eorum nomina proſcripta in grandi tabula publice propoſuit, uti noſcerentur, ingentem pecuniam pollicitus, ſi quis alicujus eorum ad ſe caput afferret. Tulit etiam legem, ne ſic proſcriptorum liberis aditus ad magiſtratus & rempublicam gerendam Romæ daretur, ne ſcilicet hi rerum potentes omnia rurſus turbarent, dum quas parentibus ſuis factas injurias meminiſſent, in auctores auctorumque fautores ultum eunt.

§. XVI. *Manere jus belli*] Liv. 3, 39. Tanquam po. Romano majus ullum bellum ſit, quam cum iis, qui privati faſces & regium imperium habeant.

§. XVII. *Quod in aſpectum cadit*] quod non ex interpretatione malum aut excuſandum eſt, ſed in oculos incurrit, ita ut quivis de eo judicare poſſit.

Poſt reditum ex Piræo] ejectis XXX. tyrannis per Thraſybulum, Leges Atticæ Petiti tit. 4. p. 10.

Lex Valeria & lex conſularis] Prior eſt P. Valerii Poplicolæ etiam conſulis. poſterior nepotis illius L. Valerii Potiti ſimul cum collega, M. Horatio Dionyſ. 5, 19. Livius 3, 55.

§. XIX. 2. *Libertas*] repetenda multo ſanguine.

An pax] patientia tyranni vel oppreſſoris.

Detrahimus] Lucan. 1, 350.

Sulla interrogatus] Plutarch. de genio Socratis p. 576.

3. *Rerum mutationes*] formarum reipublicæ hujus in illam tranſitus, aut magiſtratuum eorumve qui ſunt cum imperio, abrogationes extra ordinem & depulſiones. Sed & ſucceſſiones morte interveniente. Juſtin. 40, 3. Sueton. Galb. 8. Domit. 16.

§. XX. *Poſſeſſionem ſequi*] cum agnoſcere juſtum dominum, qui rem tenet.

AD
CAPUT V.

§. I. V*Oluntatis actionibus*] quæ fiunt ἐκ προαιρέσεως & ſunt materia ſubjecta virtuti morali, in quibus verſatur bonum & malum, honeſtum & inhoneſtum. nam ſunt aliæ actiones intellectus, naturæ, manuum.

§. II. 1. *Porro Quirites*] Formula, qua utebantur in ſubita vi, hominum, quicumque obvii eſſent aut exaudirent, auxilium invocantes. Qualis Plauto Rud. 3, 2, 1. *Pro Cyrenenſes populares, veſtram ego imploro fidem. Agricolæ, accolæ, propinqui, qui eſtis his regionibus, Ferte opem.* Laberius apud Macrob. 2. Sat. 7. *Porro Quirites, libertatem perdimus.* Priapej. 25. *Porro (nam quis erit modus) Quirites.* Apul. 8. Met. 215. *Nec diu tale facinus meis oculis tolerantibus, Porro Quirites, proclamare geſtivi.*

Ariſtoteles] 1. Pol. 3. Τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δὲ ἔμψυχα· οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον, ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον, ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν.

§. III. *Inſtrumentum*] Varro lib. 1. de re ruſt. 17. inſtrumentum ruſticum dividit in Vocale, in quo ſunt ſervi; Semivocale, in quo ſunt boves; Mutum, in quo ſunt plauſtra. l. 8. D. de inſtr. vel inſt. leg. In inſtrumento fundi ea eſſe, quæ fructus quærendi, cogendi, conſervandi gratia parata ſunt. Sabinus in libris ad Vitellium evidenter enumerat. *Quærendi, veluti homines qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpoſitive ſunt his: quorum in numero ſunt villici & monitores. præterea boves domiti, & pecora ſtercorandi gratia* &c. Plutarch. præcept. gerend. reip. p. 807. Ὄργανα γὰρ οἱ φίλοι ζῶντα καὶ φρονοῦντα τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν εἰσι. Cicero lib. 11. fam. 14. *Plane jam, Brute, frigeo: ὄργανον enim erat meum ſenatus. id jam eſt diſſolutum.*

Sicut pars non tantum] Senſus, totum dici Dialecticis non modo Totum per ſe, cum aut ipſum eſſentiale eſt partibus, aut cum partes Toti, in quo apparet relatio totius ad partem, & nullius alius argumenti vel loci Topici; ſed etiam Totum per accidens, ubi contra nec totum eſt de eſſentia partium, nec partes de eſſentia totius; in quo non apparet illa relatio, ſed vel cauſæ reſpectu diverſorum effectuum, vel ſubjecti diverſorum adjunctorum, & viciſſim; ſic rem poſſeſſam eſſe partem poſſidentis. Vide Jul. Scaligerum de cauſ. Lat. ling. lib. 6. cap. 130. p. 350.

§. IV. *Servos*] & capite cenſos. De Servis l. 11. D. de re milit. Ab omni militia ſervi prohibentur: alioqui capite puniuntur. Plin. 10. ep. 38. *Sempronius Caſianus repertos inter tirones duos ſervos miſit ad me, quorum ſupplicium diſtuli, ut te conſulerem de modo pœnæ. De Capite cenſis* Gell. 16, 10.

Digitized by Google

INDEX RERUM,

IN

PROLEGOMENIS

AD

HUGONIS GROTII

DE JURE BELLI AC PACIS

LIBROS

OCCURRENTIUM.

A.

ACcipere minus ſuo poteſt adventitium habere vitium. 52. *quando id habeat.* ibid.

Accipere minus ſuo pugnare juxta authorem non poteſt cum juſtitia. 57

Accommodare orationem ad rem ſubjectam, & ipſam, quantum lubet, extendere, quando ſit facile. 74

Advocatus quando turba dandus. 8

Aequitas cauſa in bello quidnam habeat. 44. *ea cur in bello non ſemper triumphet.* ibid.

Affectus unde commoveantur. 60. *ipſis potiſſimum frenos imponi cur non oporteat.* ibid.

Affectus exigui in quonam, & maximi ſine quonam eſſe poſſint. 60

Africanus quo modo populum Romanum bella ſuſcipere & finire dixerit. 43

Albericus Gentilis in definiendis controverſiis quidnam ſape fecerit. 50. *genera circa quadam ſumma, multoſque & nobilium, & frequentium controverſiarum locos, quo modo ſe geſſerit.* ibid.

Animal quodvis natura quod dicatur ad ſuas tantum utilitates ferri, quo modo ſumptum, concedi nequeat. 13

Animantia quadam, ratione carentia, utilitatum ſuarum ſtudium quotuplici reſpectu aliquatenus temperent. 16. *id in illis unde procedat.* ibid. *cur inde.* ibid.

Antigonus ſenex quemnam irriſerit. 5

Antiqui Chriſtianorum ſcriptores quemnam in modum ſint uſi teſtimoniis antiqui fœderis. 63

Appetitus ſocietatis eſt actio, qua homini eſt propria. 13. *is quid ſit.* ibid.

Argumentum jure pro natura vero unde certo reſpectu ducatur recte. 63

Ariſtoteles quoſnam accuſet graviter. 40

Ariſtoteles inter philoſophos merito locum cur obtineat principem. 52

Ariſtoteles inveſtiganda veritati fidelem navavit operam. 53

Ariſtoteles ipſam virtutis naturam male poſuit in mediocritate affectuum actionumque. 54. *hac eum quonam abduxerit poſitio.* ibid.

Ariſtoteles quidnam quaſiverit in rebus ipſis, circa quas verſatur juſtitia. 57. *id ibidem cur quaſiverit.* ibid.

Ariſtoteles uno de genere in alterum deſiliit genus. 52

Ariſtoteles errat, nolens adulterium ex libidine, & cadem, ex ira provenientem, proprie non pertinere ad injuſtitiam. 57. *cur, id nolens, erret.* ibid.

Ariſtoteles & Bodinus Politicam quo modo tractarint. 72

Artem extra quanam ſint poſita. 47

Aſſerere nihil poſſe percipi, eſt ſtultiſſimum. 53

Author quid non dubitet, quin opponant ſibi nonnulli. 7

Author, quod haberet compertiſſimum eſſe aliquod inter populos jus commune, quod & ad bella, & in bellis valeret, habuit multas ac graves cauſas DE JURE BELLI AC PACIS *ſcribendi.* 45. *quidnam viderit.* ibid.

Author privata diligentia ſtudio voluit adjuvare juriſprudentiam. 46. *in quibus & quando eam antehac exercuiſſet.* ibid.

Author ſe affirmat e patria, laboribus ſuis ornata, indigne ejectum. 46

Author re ipſa potius, quam verbis, ſuo oſtendit in DE JURE BELLI AC PACIS *libro quamnam ineundam cenſeat viam ad conficiendum naturalis & perpetua juriſprudentia corpus.* 48. *ejus* DE JURE BELLI AC PACIS *liber quidnam contineat.* ibid. *librorum ejus* DE JURE BELLI AC PACIS *liber primus, ſecundus & tertius quanam complectantur.* ibid. & 49.

Au-

Auther quod tractavit argumentum, nemo tractavit totum. 49. *partes argumenti, quod author tractavis totum, qui tractarunt, quomodo ipſas tractarint.* ibid.

Auther Alberici Gentilis diligentiam laudat. 50. *in Alberici Gentilis docendi genere, ordine, quaſtionum diſtinctione, juriſque diverſi generibus deſiderari quidnam poſſit, lectori dijudicandum committit.* ibid.

Auther in ſuo DE JURE BELLI AC PACIS *libro quidnam, & quo modo id ibidem dederit operam.* 51. *ex modo, quo id ibidem dedit operam, ad lecturum quidnam redundet.* ibid.

Author breviter exponit quibus auxiliis & qua cura ſuum DE JURE BELLI AC PACIS *aggreſſus ſit librum.* 51

Author inter ſe non minus, quam a jure civili diſcernere, quanam ſemper unice laborarit. 52. *in gentium jure quanam diſcreverit.* ibid. *quenam praterea nonminus ſollicite ſepararit.* ibid.

Auther cum in hoc ſuo libro, tum alibi, ratione philoſophia quidnam agat. 53

Author in quonam cenſeat Platonicos nonnullos & Chriſtianos veteres non ſine cauſa diſcedere ab Ariſtotele. 54

Author Ariſtotelem quali cum libertate magni facere decrerit. 60

Author exempla quanam cateris praferat. 62

Auther quorum librorum auctoritate ſape utatur. 63. *quo cum diſcrimine.* ibid.

Auther quoſnam pro virili vitarit errores. 63

Author quid cenſeat antiqui de fœderis uſu poſt novi fœderis tempora. 63. *antiqui cur de fœderis uſu poſt novi fœderis tempora ſic cenſeat.* ibid.

Author novo cur utatur fœdere. 66

Author novum fœdus, contra quam plerique faciunt, a jure natura diſtinxis. 66. *cur id egerit.* ibid. *quid notare tamen non omiſerit.* ibid.

Auther in toto ſuo DE JURE BELLI AC PACIS *libro tria ſibi maxime propoſuit.* 71. *hac quanam fuerint.* ibid. *a quibus ſe temperarit.* 72. *cur ab iis ſe temperarit.* ibid.

Auther in ſuo DE JURE BELLI AC PACIS *libro quorumnam nonnullis locis fecerit mentionem.* 72. *quomodo id fecerit.* ibid.

Author ſibi quoſnam facturos dicat injuriam. 72. *quidnam ſe vere profiteri aſſerat.* ibid.

Author generis dicendi ratione in ſuo DE JURE BELLI AC PACIS *libro quid noluerit.* 74. *cujus utilitati in ipſo conſultum voluerit.* ibid. *quodnam in eo, quantum potuit, ſecutus ſit loquendi genus.* ibid. *cur id egerit.* ibid.

Author in ſuo DE JURE BELLI AC PACIS *libro ſcriptorum veterum quando verba interdum adduxerit ipſa.* 74. *Gracorum teſtimonia verbotenus an nonnunquam expreſſerit.* ibid. *id quando fecerit pracipue.* ibid. *textui Graco verſionem an ſubjunxerit Latinam.* ibid. *in quorum commodum in fecerit.* ibid. *quam in ſententiis ac ſcriptis aliorum dijudicandis ſibi ſumpſit libertatem, eandem & concedit aliis de ſe.* ibid.

Auther pollicetur ſe, erroris monitum, monituros ſtatim ſecuturum. 74. *in adverſus pietatem, bonos mores, ſacras literas, Eccleſia Chriſtiana conſenſum, aut veritatem ullam dictis, ſententiam ſeſe mutaturum.* ibid.

Author natura quid voluerit. 31. *cur id voluerit.* ibid.

Ayala quid non attigerit. 50. *Ayala & Gentilis quorundam exemplorum congeriem ad definitiones aliquas retulerunt.* ibid.

B.

Bella in quoſnam ſumantur. 42. *quo modo exercenda, ut ſint recta.* ibid.

Bellum ordientem quempiam quo modo loquentem inducat quiſpiam. 5

Bellum cur ſuſcipi, & quo modo, ſuſceptum, geri debeat. 42

Bodinus & Hottomanus inter Gallos, legum ſtudio hiſtorias inſerere aggreſſos, magnum obtinent nomen. 71. *id quo modo fecerint uterque.* ibid. *Horum pronuntiata & rationes quamnam ſape nobis ſuppeditent materiam* ibid.

C.

Camillus bella quo modo gerenda dixerit. 43

Carneades quidnam potuerit. 8. *quodnam ei, ſuſcepta juſtitia, de qua author agit hoc loco, oppugnatione, validiſſimum fuerit argumentum.* ibid.

Carneades de utilitate quod affirmat, non eſt abſolute verum. 31

Carneades in diviſione juris quandam ejus partem omiſit. 34. *ſed male.* ibid.

Caſuum conſcientia ſummas qui fecerunt, de quibuſnam fecerint capita. 49

Cauſa univerſalis in quaſtionibus authoris quidnam ſit. 51

Cauſam ad univerſalem quidnam referri debeas. 51

Certare inter ſe convitiis, inquinat literas, eſtque turpis animi impotentis fœtus. 68

Chriſtiani veteres in nullius philoſophorum ſectam juraverunt. 53. *cur id non fecerint.* ibid. *quidnam cenſuerint eſſe nihil aliud, quam vere Chriſtianam tradere diſciplinam.* ibid.

Chryſippus & Stoici juris originem unde petendam dixerint. 27

Cicero quidnam vere dixerit ſcientiam praſtabilem in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum exterarumque nationum, in omni denique belli jure & pacis. 4

Civis quiſnam, teſte Carneade, non ſit ſtultus. 35

Civis, jus civile praſentis utilitatis cauſa perrumpens, quidnam faciat. 35

Civitas nulla eſt tam valida, qua non aliquando aliorum extra ſe ope indigeat. 39. *quorum reſpectu ea indigeat.* ibid.

Civitates magna quanam virtute non videantur indigere. 39. *cur.* ibid.

Cognatio inter nos unde conſtituta. 28. *ejus quidnam conſequens.* ibid.
Communitas nulla ſine jure conſervari poteſt. 40. *quonam id probarit Ariſtoteles.* ibid.
Communitas illa, quæ genus humanum aut populos complures inter ſe colligat, quonam indigeat. 40. *quiſnam id viderit.* ibid.
Conſcientia juſtitiæ magnam vim habet in bellis. 43
Conſenſus proborum quid probet, quidque damnet. 38
Conſenſus communis quidnam indicet. 51
Contemnere qualiacunque incitamenta hac tantum de cauſa, ne ſocietas humana violetur, juſtitiæ proprium eſt. 57
Contendere ad ſumma quævis quidnam ſit. 66
Contradicendi nimium conatus ſæpe adeo non proficit, ut obſit etiam. 45. *cur.* 45, 46. *quid ergo faciendum fuerit.* 46. *cur.* ibid.
Controverſia, populos inter aut reges incidentes, quemnam ferme habeant arbitrum. 5
Covarruvias & Vaſquius a quorum controverſiis non abſtinuerint, & quo modo uterque eas tractarint. 71
Cupiditas excellendi maximarum injuriarum cauſa. 57

D.

D*Emoſthenes in quoſnam bellum eſſe gerendum dixerit.* 42
Deſilire de altero in alterum genus merito culpatur ab Ariſtotele. 57
Deus quod non ſit, aut negotia quod ab eo non curentur humana, ſtatuere, ſcelus ſummum. 25. *contrarium ejus quænam inſeverint ac confirment nobis.* ibid. *ex eo quid ſequatur.* ibid.
Deus ſua poſt hanc vitam quo modo reſervet judicia. 38
Deus nimium coli: æterna bona nimium appeti: æterna mala nimium formidari peccataque nimium odio haberi nequeunt. 60
Dicta ſcriptaque Chriſtianorum, ſuis qui temporibus inter ſuos pietatis & doctrinæ fama floruerunt, nec gravis cujuſpiam erroris ſunt notati, magnam habent auctoritatem. 68. *cur.* ibid.
Dion Pruſaenſis inter hoſtes quænam valere, & quænam non valere jura dixerit. 42
Diſci Chriſtianis quid liceat, aliunde non poteſt, quam ex novo fœdere. 66
Diſcrimen illationis rectæ, principiis ex natura procedentis, & conſenſus alicujus communis, unde non, & unde intelligendum. 51
Diſputatio de jure quando ſuſcipiatur fruſtra. 8
Dominatus & coitio primitivam adulterare potuerunt veritatem. 68

E.

E*Nnius quid dixerit.* 5
Euphemi dictum quidnam ſit. 5. *queiſnam ipſum in ore.* ibid. *id Euphemi dictum apud quem occurrat.* ibid. *ei Euphemi dicto quodnam dictum ſimile.* ibid.
Euripides ſcientiam quamnam rerum divinarum & humanarum cognitioni præpoſuerit. 4 *Theonoën quo modo compellari faciat.* ibid.
Euripides Polynicen in Phœniſſis quo modo loquentem inducat, quidque ejus orationi ſtatim ſubjungat. 51
Exempla quænam auctoritatis ſint plurima. 62

F.

F*Aber in queiſnam ſupplere ſit aggreſſus quod maxime defuit omnibus theologis & juriſconſultis, qui libros ſpeciales de belli jure ſcripſerunt.* 50. *in ſupplendis iis quo modo ſe geſſerit.* ibid.
Fabricius qualis fuerit, quidque crediderit. 43
Facultas ſciendi & agendi qualis homini ineſſe intelligenda. 16. *ei quæ conveniunt, quorum natura non, & cui ſint congruentia.* ibid.
Ferri eo, ad quod a natura nos duci noſtra ſentimus, etiamſi nulla juris ex obſervatione ſpectetur utilitas, eſt ſapientia, non ſtultitia. 35
Ferus & Eraſmus ad quoſnam interdum accedere videantur. 45. *hi quales fuerint.* ibid.
Fœderis novi natura quænam ſit. 63
Formula Romanorum vetus quænam fuerit, quidque docuerit. 43
Fundamentum quoddam, univerſaliter ab Ariſtotele poſitum, non recte ab eo poſitum univerſaliter, apparet ex juſtitia. 57. *cur.* ibid.

G.

G*Alli præ aliis legum ſtudio hiſtorias inſerere ſunt aggreſſi.* 71
Gellius vere quidnam dixerit. 60
Genera juris Romani ſcientiam profitentium, ſunt tria. 69. *primum quorumnam ſit.* ibid. *ſecundum quoſnam habeat.* ibid. *tertium quoſnam complectatur.* ibid. *eorum primis author multum defert.* ibid. *cur.* ibid. *in quibuſdam hi quomodo ſe gerant.* ibid. *quæ vere juris ſunt gentium, quo modo ſæpe tractent.* ibid. *unde conſtet eos id non tractare, ut oportet.* ibid. *author quænam ut diſcernerentur, laborarit.* ibid. *eorum, qui juris Romani ſcientiam profitentur, ſecunda claſſis, cujus fuerit incurioſa.* 70. *omnes regum populorumque controverſias unde voluerit definire.* ibid. *in quonam his, alioqui ſatis ſolertibus ad indagandam æqui bonique naturam, ſæpe numero quoque temporum ſuorum infelicitas fuerit impedimento.* ibid. *ex hac temporum ſuorum infelicitate quidnam factum.* ibid. *hi quando maxime ſint audiendi.* 71. *tertii ordinis magiſtri, qui ſe juris Romani finibus includunt, & in jus illud commune aut nunquam, aut non, niſi leviter, exſpatiantur, quidnam vix ullum habeant.* ibid. *quidnam cum legum & canonum cognitione conjunxerint* ibid.

H.

H*Iſtoria duplicem habet uſum, qui ſit argumenti authoris.* 62. *cur.* ibid.
Hiſtoria ſacra cur præter id, quod in præceptis con-

conſiſtit, affectum ſocialem non parum excitet. 28
Homines multi, minime mali, quonam pervenerint, conſpecta quadam immanitate. 45
Homo perfectæ ætatis circa ſimilia ſimiliter agere novit cum ſocietatis appetitu excellente. 16
Horatius Achillis quomodo ferociam deſcripſerit. 5

I.

ILlatio recta, ex natura principiis procedens, quidnam indicet. 51
Impetus, in diverſa trahentes, quibus vagari Deus vetuerit. 28. illos Deus quo modo regat ac coerceat. ibid.
Incerta eſſe omnia ſimul ac a jure receſſum, eſt veriſſimum. 39
Infantibus de quidnam dicendum. 16. in iis omnem ante diſciplinam ſe quidnam oſtendat. ibid. in iis quidnam ſponte prorumpat. ibid.
Inſtituta ac leges quædam reperta ad faciliorem juris executionem. 36

J.

JUdicia adverſus quoſnam vigeant. 42
Judicia quænam præcipue non ſint ſpernenda. 62
Jura cujuſque civitatis ut utilitatem ſuæ civitatis reſpiciunt; ita civitates aut inter omnes, aut pleraſque, ex conſenſu jura quædam & naſci poſſunt, & naſcuntur. 34. hæc jura quidnam reſpiciant. ibid.
Jura quonam inventa fateamur neceſſe. 36
Jura omnia in bello ceſſare, male fingunt quidam. 42
Juriſprudentia multi quidnam antehac imponere deſtinarint. 46. quis perfecerit. ibid. cur nemo id perfecerit. ibid.
Jus circa civile, ſive Romanum, ſive quod cuique patrium eſt, quid multi fecerint. 1. jus circa illud, quod inter populos plures, aut populorum rectores, intercedit; ſive ab ipſa natura profectum, aut divinis conſtitutum legibus; ſive moribus & pacto tacito introductum, quid pauci fecerint. ibid. univerſum ac certo ordine quiſnam tractarit. ibid. cujus id fieri interſit. ibid.
Jus naturale, cum ſociale, tum laxius ita dictum, unde profluat. 27. cui tamen adſcribi poſſit. ibid. cur. ibid.
Jus a Jovis nomine Latinis dictum, haud improbabile. 27
Jus quodnam dicatur jus gentium. 34. quando jus illud ſit dicendum jus gentium. ibid.
Jus eſſe, quod validiori placuit, quo demum ſenſu commode accipi poſſit. 36
Jus fine ſuo externo quando careat. 36
Jus, a vi deſtitutum, omni caret effectu. 38
Jus non comparatum ſolius utilitatis cauſa. 39
Jus Dei, quod Deus per homines interdum exequitur, & jus hominum inter ſe, debent accurate diſtingui. 63
Jus gentium inde probatur, unde jus naturæ aliquo modo probetur. 62
Jus naturæ unde aliquo modo probetur. 62
Juſtitia Carneadi male traducitur nomine ſtultitiæ. 35
Juſtitia & injuſtitia quid afferant conſcientiæ. 35
Juſtitia quemnam faventem, & injuſtitia quemnam habeat inimicum. 38
Juſtitia tota eſt poſita in alieni abſtinentia. 57

L.

LActantius multum cum diſſeruiſſet de affectibus, quidnam ajat. 60
Leges repertas metu accipiendæ injuriæ, ac homines adigi vi quadam ad colendam juſtitiam, quo modo verum. 36
Leges inter arma quaſnam ſilere, & quaſnam non ſilere oporteat. 42
Lex antiqua multis urgetur pro ipſo jure naturæ. 63. an recte. ibid.
Libera Dei voluntas origo juris divini voluntarii, opponendi juri naturali, ſive divino neceſſario. 27. ei nos ſubjici debere quid nobis irrefragabiliter dictet. ibid.
Libera ex voluntate quodnam jus ortum habeat. 51.
Libri Romanorum veterum de jure feciali quidnam duntaxat ad nos tranſmiſerint. 49

M.

MArius quid negarit. 5
Mathematici figuras quo modo conſiderent. 72.
Minois nomen quidnam reddiderit invisum apud poſteros. 41
Moderari affectus non eſt virtuti omni proprium atque perpetuum. 60
Mores Chriſtianorum veterum quales merito pro canonibus valeant. 68
Multa legis veteris e libera Dei voluntate veniunt. 63
Multi, per ſe infirmi, ne a validioribus opprimerentur, quidnam fecerint. 36
Multi quam a civibus exigunt juſtitiam, eam in populo aut populi rectore inſuper habent. 39
Multi quidnam in jure tantum ſpectent. 39

N.

NAtura proprie ſtrictęque dicti juris in quonam ſit poſita. 23
Natura humana juris naturalis mater. 31. ea quo nos impellat. ibid.
Naturalia cur facile poſſint in artem colligi. 47
Naturam non poſſe juſto ſecernere iniquum, quo modo admitti non debeat. 13. cur. ibid.
Nefas & pœna obnoxium unde declinare ſciendum. 66
Natura juris civilis dici poteſt quaſi proavia. 31
Nemo quibus in bello ſe facile adjungat. 44
Notiones ad quales author retulerit probationes eorum, quæ ad jus naturæ pertinent. 51

INDEX RERUM.

O.

OBligatio ex conſenſu juris civilis mater. 31. ea ſuam unde vim habeat. ibid.
Officium Eccleſia Chriſtiana vere quidnam ſit. 68
Opera, quam ſumſit author in ſuo DE JURE BELLI AC PACIS libro ſcribendo, cur eo magis neceſſaria. 5
Opinio de bello, nec temere, nec injuſte, ſuſcepto, pieque geſto, ad quidnam multum conducat. 44
Opus ad authoris commendandum & præmuniendum quidnam pertineat. 8

P.

PArentes inter homines quidnam ſint. 28. iis ea de cauſa quidnam debeatur. ibid.
Parere Deo cur præcipue teneamur. 25
Philoſophi neque veteres, neque Græci, neque Chriſtiani quicquam, quod fecit author, fecerunt. 49
Pompejus quidnam fecerit. 5. dicere quidnam ſit auſus. ibid.
Pompejus quamnam rempublicam vere dixerit beatam. 41
Populi potentiſſimi & reges quidnam appetant. 39
Populus quiſnam, fatente Carneade, non ſit ſtultus. 35
Populus, naturæ gentiumque jura violans, quidnam faciat. 35
Principatus, quem Ariſtoteles merito tenet inter philoſophos, ab aliquot hinc ſeculis abiit in tyrannidem. 53. hac quidnam factum tyrannide. ibid.
Principia circa illa ipſa interna, e quibus jus naturale, cum ſociale, tum laxius ita dictum, profluit, quidnam Deus fecerit etiam in iis, quibus ad ratiocinandum imbecillior animi vis. 28
Principia juris naturæ quando per ſe pateant, & quam evidentia ſint. 51
Proverbia quænam in bello, juſte, vel injuſte, ſuſcepto, locum habeant. 44
Prudens diſpenſatio in elargiendis his, quæ cuique homini aut cœtui ſunt propria, quonam pertineat. 23
Prudens diſpenſatio quidnam faciat. 23
Prudens diſpenſatio juris proprie ſtrictеque dicti pars jam olim multis facta. 23. an recte. ibid.

Q.

QUiſpiam de bello & pace quid affirmarit. 43

R.

RAtio recta in quibuſdam modum ſequendum dictat, in quibuſdam ad ſumma excitat. 60
Ratio ſapientiæ non in affectibus, ſed in cauſis affectuum moderandis, verſatur. 60
Reſtitutionis obligatio unde oriatur. 52
Rex quidam Spartanus quamnam rempublicam dixerit eſſe beatiſſimam. 41
Rex quidam Spartanus militari fortitudini juſtitiam cur antepoſuerit. 41
Romani veteres bella cur tarde & nulla licentia ſuſceperint. 43

S.

SAcerdotes juſtitiæ veræ quo modo naturalis & perpetuæ juriſprudentiæ partes ſuſcipere deberent tractandas, partibus ut ex omnibus collectis confici deinde poſſet corpus. 48
Scholaſtici plurimum valent ingenio. 68. in quænam inciderint ſecula. ibid. iis inter multa laudanda & aliqua ſunt condonanda. ibid. in re morum conſentientes, vix eſt ut errent. ibid. cur. ibid. diverſa tuendi ſtudio quid præbeant. ibid. quo modo id agant, & quo modo id non agant. ibid.
Scriptores quaſnam paſſim confundant voces. 51
Scriptores quinam maxime nobis conferre non parum poſſint ad percipiendam librorum, fœdus ad antiquum pertinentium, ſententiam. 66
Scriptores hiſtoriarum cuinam rei in bello ſæpe victoriam præcipue adſcribant. 43
Secta philoſophorum quid nulla, quidque viderit omnis. 53
Senſus externi quando non fallant. 51
Sententiæ poëtarum & oratorum minus habent ponderis, quam hiſtoria. 63. iis non tam fidem, quam ornatum dictis conciliamus noſtris. ibid.
Sermo, ſocietatis appetitus peculiare inſtrumentum, ſolo inter animantes in homine. 16
Societatis cuſtodia, humano intellectui conveniens, cujus juris ſit fons. 18. jus ad illud quænam pertineant. ibid. juris ab hac ſignificatione fluxit altera largior. 22. cur. ibid.
Solon res maximas quo modo confecerit. 36
Stare pactis eſt juris naturæ. 29. cur ibid. e jure naturæ quænam jura fluxerint. ibid. cur e jure naturæ fluxerint ea jura, quæ inde fluxerunt. ibid.
Stoici fortitudinem quo modo definierint. 41
Succeſſus iniquarum molitionum proſperi non debent nos movere bellum ad ſuſcipiendum injuſtum. 44
Superſtitio quonam non peccat, & quonam peccet. 60
Synodici canones recti quidnam ſint. 68. hi quidnam quoque monſtrent, aut ad quidnam hortentur. ibid.

T.

TErtullianus præliorum quænam propria ſtatuat negotia. 7
Teſtimoniis quorum non ſit indiſcrete credendum. 51. cur. ibid.
Themiſtius quidnam affirmet de regibus, quales exigit ſapientiæ regula. 41
Theologi quinam & juriſconſulti libros ſcripſerint

ſpeciales

ſpeciales de belli jure 50. hi quonam modo ſcripſerint ea de materia. ibid.

U.

USus fœderis antiqui non eſt putandus poſt novi fœderis tempora nullus. 63
Utilitas cui accedat. 31
Utilitas juri civili occaſionem dedit. 31. cur. ibid.
Utilitas ſpectari queiſnam aut ſoleat, aut debeat. 31
Utilitas, quæ ex jure oritur, in quibus ſit evidens. 39

V.

VIrtus rectam ubique ſequitur rationem. 60
Virtutes nonnulla moderantur affectus. 60
Vis omnis fœderum a quibusnam tollatur. 32
Voluntas Dei libera nunquam jure cum natura vero pugnat. 63
Vulgi & virorum quorundam doctorum ac prudentium opinio de bello quænam. 5. unde hæc nata. ibid.

INDEX RERUM
IN
HUGONIS GROTII
DE JURE BELLI AC PACIS
LIBRO PRIMO
OCCURRENTIUM.

A.

ABrahamus, armis in reges quatuor ſumptis, & Moſes, juſſo Amalecitis, populum oppugnantibus, arma opponi, quonam ſint uſi jure? 92
Acarnania & Amphilochia quorumnam juris fuiſſe dicantur? 198
Accidere in imperio late patente quidnam poſſit? 179. id ſi fiat, quidnam cenſendum? ibid. cur id cenſendum? ibid.
Achæi Romanorum tempore queſti, fœdus, cum ipſis initum, ſpecie fœdus, ſervitutum eſſe precariam. 257
Acta quænam reſciſſa debeant intelligi regis ipſius imperio reſciſſa? 236
Actus quidam debiti ſunt aut illiciti per ſe, atque ideo a Deo neceſſario præcepti aut vetiti intelliguntur. 41
Actus dictatoris ab alio reddi non poteſt irritus. 217
Actus ſinguli regum, jure precario regnantium, a quibus reddi poſſint irriti? 219. actuum regumque iſtorum quiſnam effectus, ac quodnam jus? ibid.
Actus, contra promiſſum factus, eſt injuſtus. 231. cur is ſit injuſtus? ibid.
Actus ejus, cui deeſt facultas, eſt nullus. 231
Actus quiſpiam unde non, & unde reddatur nullus? 231
Actus imperii, quem imperii exercet invaſor, quonam reſpectu poſſit habere vim obligandi? 298
Actus qualis ſit nullus? 294. quando is nullus? ibid.
Addicere ſe, cui velit, in privatam ſervitutem, cuique licet homini. 190. id unde pateat? ibid.
Addicti ſacro miniſterio queiſnam eo non debeant abſtrahi. 158
Adhibere cautiones aliquas, nobis monſtrantes viam ad recte dijudicandum cui jus ſummæ poteſtatis in gente quavis competat, eſt neceſſarium. 211. cautionum harum quænam ſit prima? ibid. quænam altera? 215
Ado quidnam ſpeciatim de Carolo notemoret? 225
Adoleſcens quidam Eretrienſis cujuſnam diu frequentaſſet ſcholam? 273. quidnam, rogatus ibi quid didiciſſet, reſponderit? ibid.
Adumbrantia lineamenta quando impleantur? 124
Ægroti queiſnam imperare dicantur? 252
Ælius Lætus imperatorum ferme omnium fuit ſceleratiſſimus. 257
Æquitas ipſa & communis ratio quidnam doceat? 122
Æquitas ipſa & ratio naturalis cuinam obſequendum dictent? 163
Æquitas, adverſus legis verba exceptionem porrigens, eo major, quo pluris eſt id, quod conſervatur. 284
Æſchylus Atoſſam Perſis de rege Perſarum quo modo loquentem faciat? 240
Æſchylus quidnam habeat de rege? 266
Ætoli quidnam tenerentur in fœdere, quod inierant cum Romanis? 249
Ætoli Romanorum tempore queſti libertatem ſuam eſſe vanam ſpeciem & inane libertatis nomen. 257

Agamemnon apud Homerum quotnam Achilli ſe daturum urbes polliceatur? 224

Agamemnon in quibus & quando regibus imperitarit Græcis? 255

Agatharchides & Strabo, authore Artemidoro, quidnam narrarint ac annotarint de Sabæorum rege? 234

Agaunum a Mauritio poſtea quomodo denominatum? 291. quiſnam id referat? ibid.

Ager, iter, actus & via quidnam ſint? 215

Album inter & nigrum quidnam reperiri poſſit? 73

Alibi quidnam viſuri? 305

Alienare qui poteſt jus ſuum, poteſt & jus ſuum pactis imminuere. 207

Alienatio imperii queiſnam in regnis juxta authorem permittatur regi? 225

Alii pro aliis periculo mortis nos ut objiciamus, an ipſum natura jus nos obliget? 102

Alii quodnam & in Græcia ſecuti ſint exemplum? 204

Alii pleno jure proprietatis; alii jure uſufructuario; alii jure temporario quidnam habeant? 215

Aliud eſt imperium: aliud habendi modus. 295

Ambroſius quando vixerit? 154. de militia quidnam dixerit? ibid.

Ambroſius & Auguſtinus quidnam dixerint? 168

Ambroſius quando non voluerit ad Valentiniano reſiſtendum uti motu ſatis concitati populi? 276. quidnam affirmet ſe non poſſe? ibid. quidnam aſſerat ſe poſſe? ibid. quanam adverſus arma, milites & Gothos ſua dicat arma? ibid. munimenta ſacerdotum qualia? ibid. aliter cur non reſiſtat? ibid. quidnam, a ſe exacto populum ut compeſceret, reſponderit? ibid. cujus uti noluerit copiis adverſus imperatorem, & Arianum, & Eccleſiæ gravem? ibid.

Ambroſius ad exiſtimationis profectum adjuvare quidnam quoque ſcribat? 302

Amphipolis in dotem cui data? 224

Ananias Judæus Izaten Adiabenum quidnam docuerit? 63

Anaxagoras Melampodi quotnam regni partes dono dederit? 224

Andronicus Rhodius poſt Ariſtotelem quidnam recte ſcripſerit proprium amicitiæ, inter diſpares inita? 251

Animam acquiſiviſſe quiſnam a Chriſto vere pronuncietur? 292

Antiochi Tertii reſcriptum ad magiſtratus quidnam fuerit? 236

Antiochus & in omni Hiſtoria Maccabæi, & ab iis, qui ſequuntur eorum partes, quonam duntaxat compelletur nomine? 285. eo num compelletur merito? ibid. cur eo compelletur merito? ibid.

Aodis factum in Eglonem, Moabitarum regem, nos quonam movere non debeat? 303. eo de Aode ſacra quidnam aperte teſtetur auctoritas? ibid. hoc de Eglone quidnam non conſtet? ibid.

Apollonius Tyanæus philoſophi quidnam eſſe negarit? 134

Apollonius apud Philoſtratum quidnam referat de Aſſyriis ac Medis? 240

Apoſtoli cujus lenitatem ſint imitati? 140. qua poteſtate ſint uſi ad pœnam facinoroſorum? ibid.

Apoſtoli quidam & alii Galilæi, e patria urbem properantes, iter quo modo feciſſe videantur? 169. cur, Joſepho teſte, ſic iter fecerint? ibid.

Apoſtoli, cum dixerunt Deo magis, quam hominibus, obediendum, quamnam provocarint ad regulam? 263. ea queiſnam inſcripta? 264. apud quemnam verbis ferme totidem expreſſam reperias eandem? ibid.

Apoſtolorum princeps ſubjectos nos eſſe vult aliter regi, aliter magiſtratibus. 278. quo modo regi? ibid. quo modo magiſtratibus? 279

Aptitudinem quo modo Ariſtoteles vocet? 25. quo modo Michael Epheſius id, quod ſecundum eam æquale dicitur, interpretetur? ibid. quidnam eam reſpiciat? ibid.

Argumenta non pauca adverſus bella depromi ſolent ex Matth. cap. V. 132. e capitis hujus vocibus: Audiſtis dictum fuiſſe, oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne obſiſtite injurioſo, ſed cædenti vos in dextram maxillam, alteram quoque obvertite; quidnam multi inferant? 133. an vere? ibid. cur non? ibid. vocibus: Qui velit tecum litigare ut tunicam accipiat, dimitte illi etiam pallium; quidnam non, & quidnam iis prohibeatur? 133, 134. in vocibus: Qui angariabit te ad milliare unum, abi cum eo duo; quidnam Dominus non, & quidnam iis dixerit? 134, 135. circa voces: Petenti abs te dato, & volentem a te mutuo ſumere, ne rejice; quidnam obſervandum? ibid. e vocibus: Audiſtis dictum fuiſſe: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego vero dico vobis: Diligite inimicos veſtros; benedicite eis, qui vos exſecrantur; precamini pro eis, qui infeſti vobis ſunt & vos perſequuntur; quidnam colligant nonnulli? 138. eorum facile quo modo refellatur opinio? ibid.

Argumentum cujuſnam rei occurrat in propheta Jeremiæ Hiſtoria? 244

Arietes aut boves inter ſe cum depugnarunt ita, ut alteruter occidatur, quando ex ſententia Q. Mutii ceſſet, & quando competat actio? 80

Ariſtophanes ubi leonem non eſſe alendum, & ubi eundem, alitum, eſſe ferendum ſcribat? 302

Ariſtoteles in adminiſtranda republica quotnam faciat partes? 184. quanam eæ ſint? ibid. ad primam quamnam referat? ibid.

Ariſtoteles hominibus de nonnullis quidnam dixerit? 195

Ariſtoteles quo cum jure quoſdam eſſe reges affirmet? 201

Ariſtoteles cur neget regna, quorum rex improprie dicitur rex, conſtituere propriam gubernationis ſpeciem? 204

Ariſtoteles, Polybius & Diodorus quonam ſuffetem Carthaginenſium appellent nomine? 212

Ariſtoteles & Thucydides qualia temporibus heroicis pleraque in Græcia fuiſſe notent regna? 215

Ariſtoteles inter regnum plenum & regnum laconicum

conicum quidnam recte ſcripſerit interjectas? 240
Ariſtoteles quidnam affirmet de Aſiaticis? 240
Ariſtoteles in quonam differre ſocietatem a civitate ſcribat? 255
Ariſtoteles quidnam habeat de magiſtratum gerente, quempiam verberante? 267
Ariſtoteles arma ſumere quoſnam oportere dixerit? 305. pro quibus & quando eos arma ſumere oportere dixerit? ibid.
Arma ſumi poſſe in inferiores ab iis, qui ſummæ poteſtatis auctoritate armantur, non eſt controverſum. 263
Ars quænam Ariſtoteli dicatur architectalis? 185 ſingula, circa quæ hæc verſatur, quotuplicia ſint? ibid. quatenus privata? ibid.
Ars quænam Ariſtoteli dicatur civilis? 186
Ars quænam Ariſtoteli dicatur judicialis? 186
Arſacius inter quoſnam nominatus? 158
Artabanus Perſa leges inter multas, eaſque bonas, quamnam prædicet optimam? 287
Aruſpices, magi, & alii vetitarum artium profeſſores in ſua arte poſt baptiſmum manere non ſunt permiſſi. 146
Athenagoras quidnam affirmet de Chriſtianis? 148
Athenienſes, teſte Thucydide, quando ordinarint quæ urbes pecunias in barbarum, quæ naves conferrent? 255
Athenienſes quando, belli ductu omiſſo, libertatem ſolam retinuerint? 256
Auctoritas Eccleſiæ publica quanti ponderis eſſe debeat? 149
Auctoritatem quibus impartimur noſtram, noſtra facimus. 269
Auguſtini dictum quoddam celebre quomodo ſonet? 278. idem quidnam de Pilato dixerit? ibid.
Auguſtinus quamnam probare videatur ſententiam? 123
Auguſtinus ordine de naturali, mortalium paci accommodato, quidnam afferat? 175
Auguſtinus, Pauli ad Romanos dicta explicans, quidnam propter hanc vitam ajat neceſſe? 276
Auguſtinus quidnam duntaxat ſpectarit? 289. is quidnam dixerit? ibid. quidnam præterea dixerit? 290. idem quidnam habeat alibi? ibid. id exemplo Chriſtianorum veterum quomodo explicet? ibid.
Avidius Caſſius qualis vir fuerit? 275. quidnam, armis in Syria ſumptis, facturum ſe dixerit? ibid.
Author in Evangelio nobis præcipi quidnam agnoſcat? 102. ibidem præcipi quidnam haud concedat? ibid. quoſnam haud ſequatur? 105
Author quidnam agnoſcat de nonnullis ante Chriſti tempora? 126. iſta nonnulla quænam fuerint? ibid.
Author Ambroſii argumentum de militia quanti faciat? 126
Author Evangelium vocat jus divinum voluntarium perfectius. 166
Author quantam Deum a nobis exigere patientiam poſſe non dubitet? 166
Author inquirit quo uſque nos Chriſtus reſpectu quodam ratione patientiæ voluerit obſtringere? 166
Author certo reſpectu ratione patientiæ quidnam ſtatuat? 169. cur ejus ratione id ſtatuat? ibid. ſuam adverſus ſententiam quamnam formet objectionem? ibid. ad eam quot modis reſpondeat? ibid.
Author quæ dixit de dominio, non tantum pro unius imperio, ubi id receptum eſt, conſervando, dicta cenſeri debent. 169. cur non? ibid.
Author pleriſque in imperiis reſpici per ſe quidnam affirmet? 207
Author quibus non aſſentiat? 217
Author quidnam dictum velit de his, qui, antequam reges ad ſuam tutelam pervenerunt, aut dum furore, aut captivitate impediuntur, curatores regni ita conſtituuntur, ut populo non ſubſint, neque legitimum ante tempus poteſtas eorum ſit revocabilis? 217. quidnam cenſeat de his, qui jus acceperunt, quovis tempore quod revocabile? 219
Author quidnam concedat non præſumendum populi voluntatem in regnis, populi voluntate delatis? 225
Author quidnam non improbet Crantzium in Unguino ut rem novam notare? 225. quonam reſpectu non improbet id Crantzii factum? ibid.
Author, loquens de regulis quibuſdam, ad quas rex ſine promiſſo non tenetur, non loquitur de obſervatione juris naturalis & divini, ac gentium, ad quam reges omnes tenentur, etiamſi nihil promiſerint. 229
Author quidnam dictum velit aliorum, de politica ſcribentium ſententiis? 237
Author cujuſnam rei exemplum regibus in Hebræis dari poſſe arbitretur? 240
Author Hebræorum reges imperaſſe jure ſummo rebus arbitratur in pleriſque. 240
Author arbitratur Hebræorum regibus judicia quædam adempta, eaque LXX. virûm penes manſiſſe ſynedrium. 244
Author Judæorum de rege quidnam haud neget? 244
Author in Romanorum regum temporibus quidnam obſerves? 247
Author, quibuſdam poſitis, quæſtiones quaſdam, uſus in quopiam argumento frequentis, examinat. 249
Author examinat an imperium habere ſummum poſſit is, qui fœdere tenetur inæquali. 249. per inæquale fœdus hoc loco quidnam non, & quidnam ibidem per ipſum intelligat. ibid.
Author nullus dubitat, quin Hebræorum vicinarumque gentium reges etiam tum, cum poſt Antonini tempora certum quid aut redimendas ad injurias, aut tutelam ad comparandam, penſitare debuerunt, imperium habuiſſe dicendi fuerint ſummum. 258
Author de injuria, quapiam ex cauſa nobis, habenti ſummum imperium quod ita libeat, illata, quidnam cenſeat? 264
Author cenſet Paulum quodam in negotio conſideraſſe finem ejus univerſalem. 270
Author nobili Dionis Caſſii loco quidnam explicet? 273. is verbotenus cum Græce, tum Latine, quomodo ſonet? ibid.

Author Paulo, ſuam ulterius ut confirmet ſententiam, comitem addit Petrum, nſus loco, prioris ejus epiſtola capite ſecundo occurrente. 273
Author quidnam non neget a lege etiam humana certo pracipi ſub mortis periculo poſſe? 282
Author quidnam in legem quoque humanam deduci poſſe non dubitet? 282
Author quidnam facile intelligat? 284. *quidnam tamen non audeat?* ibid.
Author queiſnam reſiſti jure nonpoſſe dixerit? 292
Author in quonam regi poſſe reſiſti non dubitet? 295
Author quidnam ſtatuendum cenſeat cum Plutarcho? 301. *is quidnam cenſeat in libro de fato ad Piſonem?* ibid.
Author extra quæ probare non poſſit ut privato vi dejicere aut interficere liceat ſummi imperii invaſorem? 301
Authori quinam videantur ſtatum inducere rerum, qualem antiqui ſabulabantur in cælo fuiſſe, antequam majeſtas oriretur? 277
Auxentius quiſnam poſtea electus? 152

B.

B*Arclajus qualis?* 283. *quo tamen deſcendat?* ibid. *eo quamvis deſcendat, quidnam tamen fateatur?* ibid.
Baſilius quo modo loquatur de Chriſtianis antiquioribus? 159
Baſilius ſui de defenſione adverſus violentos quidnam ſenſerit, unde ſatis appareat? 168
Bella quanam in ſacris literis properie Dei bella nominentur, & cur ipſis ibidem id nominis tribuatur? 77
Bella omnia non improbantur jure naturali, quod & dici poteſt gentium. 80
Bella non damnari jure gentium voluntario, quænam nos doceant? 80
Bella quo jure introducta dixerit Hermogenianus? 80
Bella quam diu duratura? 131
Bella impugnantibus adſerri qualia ſoleant dicta? 145. *dictis ex iis quidnam colligatur?* ibid. *dictorum iſtorum proceres quidnam ament?* ibid.
Bella quadam quando ſint publica, & quando non ſint publica? 178
Belli Iſraelitarum quidnam juſta quidem, ſed non unica fuerit cauſa? 130
Belli prima maximeque neceſſaria partitio quænam? 160
Bellum quanam de cauſa ſuſcipiatur? 1. *unde oriri poſſit?* ibid. *ejus finis.* 2
Bellum quidnam ſit ſecundum Ciceronem, & quidnam ſecundum authorem noſtrum? 4. *nominis origo.* 5. *quo modo Græcis dicatur, & cur iis id nominis obtineat?* ibid.
Bellum an aliquod ſit juſtum, ſive an bellare unquam liceat, qualis ſit quæſtio? 71. *Hæc, ut & alia, ad quodnam jus exigenda?* ibid.
Bellum omne juri natura non adverſari, probatur ex Hiſtoria ſacra. 77
Bellum aliquod gerendum, probat omnium gentium, ac præcipue ſapientium, conſenſio. 79
Bellum contra quæ ex Euangelio adſeruntur, qualem habeant ſpeciem? 98. *iis in examinandis quidnam ſibi non ſumpturus author?* 98. 99
Bellum aliquod licite geri poſt adventum Chriſti, unde probet author? 129
Bellum publicum, privatum & mixtum quidnam ſit? 160
Bellum aliquod privatum licite geri, quantum natura jus attinet, unde ſatis apparere arbitretur author? 163
Bellum omne privatum juri naturali non repugnare etiam poſt conſtituta judicia, probatur & ex Exod. x. xii. 2. 165. *is locus quo modo ſonet?* ibid. & 166. *Hæc lex quidnam videatur non tantum inducere, ſed & explicare?* ibid. *in quonam non, & in quonam e contrario fundari videatur?* ibid.
Bellum publicum quotuplex? 173. *bellum publicum ſolenne ex jure gentium quonam ſenſu plerumque dici ſoleat juſtum?* ibid.
Bellum publicum ad ſolenne, quod ſit ex jure gentium, duo requiruntur. 173. *quænam ea ſint?* ibid. *horum alterum ſine altero non ſufficit.* 174. *cur non?* ibid.
Bellum publicum minus ſolenne quibus ritibus carere, in quos geri, & quemnam poſſit habere authorem? 174
Bellum publicum pro quo ſæpe numero ſumatur? 178. *bellum publicum cur, ſic ſumptum, non ſit bellum publicum?* ibid. *hoc quidnam in caſu non moveat authorem?* ibid. *cur id eum non moveat?* ibid.
Bellum quia geri non debet publicum, niſi eo, penes quem, ut dictum, ſumma poteſtas, authore, ad quænam conducat intelligere, quænam ſit illa ſumma poteſtas, quique eam habeant? 184
Bellum cum aliis gerere, quinam poſſint? 262
Bellum gerere privatis aut publicis perſonis an liceat in eos, quorum ſive ſummo, ſive minori imperio, ſubſint, quæritur. 263
Beneficia quorundam temporum & preces quibus fuerint temperata? 155
Bonitas aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, cui apta non ſint? 211
Bono quidnam inſerviat noſtro? 269
Bonos apud omnes quidnam quidem ſit extra controverſiam? 263
Bonum innocentis & bonum commune quibus ordinaria delectionis lege ſint antehabenda? 132

C.

C*Adavera regum Hebræorum, qui male regnaſſent, extra locum, regibus proprium, ſepulta.* 233. *id unde conſtet?* ibid.
Caeſar ratione Germanorum quonam contentus fuiſſe debuiſſet? 181
Caeſar de Vercingetorigis patre quidnam affirmet? 211
Caeſar quo modo, Suevorum ſub imperio quos fuiſſe dicit, mox nominet? 256
Cain, Qui invenict me, interficiet me, *cur dixerit?* 83
Calatim & Caudium ſuis cum territoriis queiſnam, teſte

teſte Frontino, adjudicata? 198

Campani olim in quem modum ſeſe, neceſſitate ſubacti, populo Romano ſubjecerint? 158

Campani quidnam dicantur facti, cum ſe Romanis dediſſent? 198

Canon XII Synodi Nicaenſis quo modo ſonet Latine? 156

Canon LXXXII Synodi Nicaenſis quidnam edicat? 157

Canon quidam ſextus quidnam conſtituat? 158

Canon inter Africanos ſextus quidnam conſtituat? 158

Canonem, quem produxit author, interpretari nos quo modo non oporteat? 157. eum cur nos ſic interpretari non oporteat? ibid.

Canonibus in antiquiſſimis, communione quiſnam demum privetur? 173. hi canones quales dicantur? ibid.

Canonum ſequentium ſenſus unde ſape dignoſcatur? 156

Cappadoces de ſe quidnam ſenſiſſe videantur? 195. id unde conſtet? ibid.

Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alii poſtea etiam apud Vandalos & Hungaros de regnis quod teſtati legantur reges, quamnam id apud populum magis, quam alienationis vim, habuerit? 225

Carthaginenſes Romanis de Sagunto oppugnando quidnam reſponderint? 181

Caſſiani quinam fuerint? 275

Cato Germanis C. Caſarem dedi voluit. 181. cur id voluerit? ibid. author hac de Catonis voluntate quidnam cenſeat? ibid.

Cato quavis de lege quidnam affirmet? 271

Cauſa effectrix principalis in bello quidnam plerumque? 205

Cauſa, cur populus jus totum imperandi a ſe abdicet, aliique tradat, exſtare poſſunt multa. 194. earum quaſnam recenſeat author? ibid.

Chriſti inter praecepta & permiſſiones, ante Chriſti tempora vigentes, quidnam ſit, & quidnam non ſit? 126

Chriſti e verbis ad Petrum: Repone gladium tuum in vaginam, nam quicunque acceperint gladium, gladio peribunt, & e textu, qui occurrit ad Rom. v. 8, 10. quidnam affirment nonnulli? 166

Chriſti ad exemplum, qui pro inimicis dicitur mortuus, quidnam reſponderi poſſit? 172

Chriſti facta omnia, qualia ſint, & qualia non ſint? 172

Chriſtiani ſi ſint omnes, & Chriſtiane vivant, nulla erunt bella. 131. Lactantius & Arnobius id quomodo affirment? ibid.

Chriſtiani ſape militiam cur evitarint? 146, 147.

Chriſtiani primorum temporum quanto ardore fuerint ſuccenſi ad praclariſſima quaque capeſſenda? 148

Chriſtiani ſuppliciis capitalibus quod aliquando non libenter interfuerint, cur mirum videri non debeat? 151

Chriſtiani bonitas quidnam arripiat, quidque non damnet? 155

Chriſtiani, teſte Cypriano & aliis, quidnam per pacem intellexerint? 158

Chriſtiani veteres nonnulli quidnam non improbarint, & quidnam vetitum putarint? 168

Chriſtiani, quamquam peſſimi ſape homines imperium Romanum tenuerunt, nec, qui obtentu republica adjuvanda iis ſe opponerent, defuerunt, quidnam tamen nunquam fecerunt? 274

Chriſtiani quondam circa quodnam infamarentur? 275. unde Tertullianus probet eos male infamatos fuiſſe circa id, cujus gratia infamarentur? ibid.

Chriſtiani quidam veteres, ut cenſet author, apoſtolorum & apoſtolicorum virorum praſcripta melius intelligebant, perfectiuſque, ac nos, implebant. 289. a quibus author ſummam iis fieri ſtatuat injuriam? ibid.

Chriſtianis praſtandum ſuis quicquid Chriſtus ex praſcripto legis Moſaica exegit a diſcipulis. 68. ejus ratio. ibid.

Chriſtianis licet nunc in omnes, quod Iſraelitis quondam licebat in Iſraelitas. 139

Chriſtianis queiſnam militia non fuerit interdicta? 157

Chriſtianis an liceat tantum, quantum vel Davidi, vel Maccabais licuit, eſt quaſtio gravior. 287

Chriſtus quonam ſenſu veteribus opponat pracepta ſua? 113. inde quidnam liqueat? ibid. ſcire quidnam inde liqueat, ad quotnam conducat? 113, 114. cur? ibid.

Chriſtus cur non venerit? 124. cur venerit? ibid.

Chriſtus, judiei homicida panam capitalem interdicens, quidnam faceret? 126

Chriſtus in laſo an probet ultionem? 136. quales injurias tolerari, & quales non tolerari juſſerit? ibid. in alapha exemplum cur poſuerit? ibid. ea quidnam non faciat, & quidnam faciat? ibid.

Chriſtus, cujus lenitatem & patientiam imitari paſſim jubemur, Judaos inobedientes quibuſnam affecerit ſuppliciis? 140. de impiis in die judicii quidnam facturus? ibid.

Chriſtus cur ſe non defenderit armis, cum caperetur a Judais & Romanis? 145

Chriſtus cum diceret, tempus imminere tale, ut gladii comparandi cauſa vel veſtis eſſet vendenda, quidnam ſtatim reſponderint Apoſtoli? 170. id Chriſti dictum quidnam revera non contineat? ibid. quale ſit proverbium? ibid. id unde pateat? ibid. id proverbium unde ſumptum? ibid.

Chriſtus Petro quod dixit, quidnam quidem contineat? 171. quidnam non contineat? ibid.

Chriſtus quod dixit de diſcipulis, cur id de iis dixerit? 171

Chriſtus non habebat opus a Petro ſe defendi. 171. cur non? ibid. quamnam cauſam ſubjecerit interdictioni, qua ſe defendi interdixit? ibid.

Chriſtus pro inimicis atque impiis cur non ſit mortuus, & cur pro iis mortuus? 172

Chriſtus pro queiſnam nos animam non objicere periculis, & pro queiſnam id nos agere jubeat? 172

Chriſtus quidnam affirmet de regibus gentium? 199

Chriſtus, in novo fadere pracipiens dari caſari,

qua

quæ ſunt cæſaris, quantam ſua a diſciplina ſectateribus intelligi voluerit ſummis deberi poteſtatibus obedientiam? 269. obedientia cum ea quidnam ſecundum authorem, ſi opus, fuiſſe conjunctum debuerit? ibid.

Chriſtus quaſnam probarit exceptiones? 281

Chriſtus queiſdam Chriſtianis, nihil ipſis juxta authorem ulterius concedens, quidnam, mortem ſuperioribus ob religionem iis intentantibus, concedat? 287

Chriſtus quonam vacarit ac cujuſnam immunis fuerit? 287. convitiis affectus, quo modo ſe geſſerit? ibid. cum pateretur, quidnam non fecerit, & quidnam contra fecerit? ibid. Deo Chriſtianis quando gratias agendas, & quando gaudendum ipſis affirmet? ibid.

Chriſtus cæſari tributum ſolvi cur juſſerit? 304

Cicero quidnam affirmarit de gladio? 170

Cicero quorumnam factum in Antonium defendat? 182. authoris de facti hujus defenſione judicium. ibid. author ita cur judicet? ibid.

Cicero de dictatura quidnam affirmet? 205

Cicero poſt Herodotum, & Herodotus, poſt Heſiodum quidnam dixerit? 207. ex eorum dictis quidnam haud ſequatur? ibid. cur id inde haud ſequatur? ibid.

Cicero de regibus & plebe quidnam dixerit? 220

Cicero de lege agraria quidnam habeat? 225

Cicero ſanctiora Romanorum tempora quonam deſcribat loco? 252. ibidem penes Romanos quidnam fuiſſe, ac quidnam penes eos non fuiſſe ſcribat? ibid.

Cicero quaſnam leges improbet? 298. eas cur improbet? ibid. ipſas cur tamen ſervandas cenſeat? ibid.

Cicero quidnam de omni cum civibus pace dixerit? 302

Cicero Platonis quædam ad Perdicam verba quo modo verterit Latine? 302

Cilices, regibus non parentes quo modo ſint nuncupati? 220

Cingulum, conſcientia puncti, ſub Licinio qui abjecerant, quonam demum pacto ad militiam admitterentur de novo? 157

Civitas ex bello quod in periculum veniat tota, quidnam ferme populorum omnium legibus cautum? 175

Civitas prohibere quidnam poſſit? 265. cur id prohibere poſſit? ibid. quod id prohibere voluerit, non dubitandum. ibid. de eo cur non dubitandum? ibid.

Civitatem qui regit, quo modo eam regat? 185. per ſe eam qui regit, circa quænam verſetur? ibid. quo modo circa univerſalia? ibid.

Civitates plures, arctiſſimo inter ſe fœdere colligatæ, facere poſſunt quoddam σύςημα. 189. civitates tamen tales retinere quidnam non deſinant ſingulæ? ibid.

Civitates multæ Græcæ quando convenerint omnes ut liberæ eſſent, at Athenienſium ductu uterentur? 256

Civitatis qualis interdum ſit ſtatus? 196

Clauſula quænam efficiat ut poſterius teſtamentum non ex vera teſtatoris voluntate profectum præſumatur? 237

Clauſula quænam, in ipſa imperii delatione poſita, efficiat ut ex rege privatam in perſonam recidat rex? 296

Clemens Alexandrinus de Chriſtiano, ad imperium vocato, quidnam affirmet? 149. Chriſtianum quidnam decere aſſerat? ibid.

Clementis in conſtitutionibus de homine Chriſtiano quidnam dicatur? 134

Clerici unde legerentur? 158

Clientes quorumnam ſint in fide? 252

Cn. Manlius a legatis non injuria fuit accuſatus, quod pop. Rom. injuſſu bellum Gallo-Græcis intuliſſet. 181. cur ejus non injuria fuerit accuſatus? ibid.

Coactionem quidnam includat nullam aut imperii jus aliquod? 210

Codicillos facere cuivis licet. 173

Cogere cujuſnam quidem ſemper non ſit? 235

Coitum circa hominum civilem in ſocietatem quidnam notandum? 283

Colonia metropoli juxta Thucydidem quidnam debuerint ac quidnam ei exhibuerint? 249

Comitia ordinum quidnam ſint? 213. quomodo Guntherus de iis loquatur? ibid. per eos diverſis in locis quidnam geratur? ibid.

Communio humana natura ſufficit ad quippiam, vincula quamvis deſint cætera. 305. cur? ibid.

Communis rerum uſus quamdiu fuerit naturalis? 46

Concilium Arelatenſe primum ſub quonam ſit habitum? 158. ejus canon tertius quo modo ſe habeat? ibid. is quomodo explicandus? ibid.

Concubinatus, divortium, matrimonium cum pluribus fœminis, qualia ſint, & qualia non ſint? 102

Condenti legem ſub pœna mortis voluntas ea non temere fuiſſe intelligenda. 282

Conditio tacita, bellum quod ſit juſtum, cuinam ſemper in ſit? 261

Confeſſio infirmitatis aliquid regum de dignitate delibat. 258

Confugientes ad Eccleſiam quonam demum pacto ſint redditi? 155

Conjectura magiſtratus minoris, qua conjectatur, ſibi non exhibito mandato a magiſtratu majore, de belli gerendi voluntate magiſtratus majoris, an in bello gerendo ſufficiat, controvertitur. 179. author hac in re quidnam cenſeat? ibid. cur id cenſeat? ibid.

Conſenſus manifeſtus omnium, quos novimus, populorum, legibus, quale præbeat teſtimonium? 166

Conſequentia naturæ quædam præferenda quibuſdam naturæ primis. 71

Conſervare quiſpiam imperium ac majeſtatem alterius, nonnunquam tenetur. 249. id quidnam ſit? ibid.

Conſilia & alia præſcripta, honeſta quidem, ſed non obligantia, quonam non veniant nomine? 33

Conſtantinus inter alias leges tulit & legem de parricidis culeo inſuendis. 151. ea lex ubinam exſtet? ibid. qualis, alioqui ſuppliciis inexigendis fuerit? ibid. cujuſnam ab hiſtoricis non

pancis

paucit reprehendatur? ibid. ſuo in exercitu plurimos habuit Chriſtianos. ibid. id unde conſtet? ibid. quidnam fecerit? ibid.
Conſtantinus quanam, religionem poſtquam & probare, & promovere cœpit Chriſtianam, ideo non deſierint? 151
Conſtantinus pupillis ac viduis quidnam permiſerit? 236
Conſtituentem conſtituto ſuperiorem, quonam reſpectu verum, & quonam falſum? 205
Conſtitutio Valentiniani & Valentis ubinam exſtet? 175. hæc quamnam cuivis licentiam eripiat? ibid.
Conſtitutiones Clementis Romani quidnam lib. VII. C. III. contineant? 149. de quibus agant lib. VIII. C. XXXI? ibid.
Controverſiarum genera poſſunt incidere quatuor. 253. earum genus quidnam primum; quidnam ſecundum; quidnam tertium & quidnam quartum? ibid. prima ſpecie ſi peccatum appareat, quanam teneatur rex aut populus cum inter æquales, tum inter æqualiter fœderatos; imo & inter eos, qui nullo fœdere tenentur? ibid. ſecunda ſpecie ſi peccatum cernat, quale jus habeat ſocius? ibid. tertia ſpecie ſi peccatum deprehendat, quidnam faciendum? 254. quarta ſpecie ſi peccatum reperiat, queiſnam cognoſcendi jus nullum? 255
Controverſia eorum, quos nulla juris civilis tenet communio, quonam pertineant? 1
Controverſiæ ſolent æquali in fœdere deferri vel ad conventum ſociorum, quos ſcilicet res non tangit; vel ad arbitros; vel ad principem, fœderis arbitrum tanquam communem. 254
Convenientia ea, in qua honeſtum ſit propoſitum, facienda pluris, quam ad qua ſola primum animi ferebatur appetitio. 72. ejus ratio. ibid. ea ex ratione quidnam ſequatur? ibid.
Corinthiorum in oratione apud Thucydidem de munere eorum, fœderis qui principes, quidnam legamus? 255
Cornelius centurio militiam an abdicarit, converſus? 126. de religione Chriſtiana a Petro inſtitutus, quod ab eo ſimul ſit inſtitutus de militia deſerenda, affirmant nonnulli. ibid. horum aſſertio momenti quando foret alicujus? ibid.
Corpore in morali ratione capitis aliter ſe res habet, ac in naturali. 189. cur? ibid.
Corpus & oculus qualia ſint ſubjecta viſus? 187
Cotyora urbs quorumnam fuiſſe dicatur apud Xenophontem? 198
Crudelitas quot modis committatur? 139
Curatores regni, ſive prodici, quibus in caſibus dandi? 261
Cyprianus de Laurentio & Ignatio, Afris, quidnam teſtetur? 150
Cyprianus quidnam clericos conſtitui nefas judicet? 158
Cyprianus quemnam ſequatur, & quidnam aperte prædicet? 289
Cyrillus quandam in ſententiam Johannis in locum de gladio Petri quæ habet, ſunt egregia. 290

D.

DAmnare indiſcriminatim aut ſingulos, aut partem populi minorem, qua ultimo neceſſitatis præſidio ſic olim uſa, ut interim & communis boni reſpectum non deſerat, quiſnam non audeat? 284
Dare operam, ut damna reſarciantur, quorumnam Romæ fuerit? 253
Dari quempiam ſuperiorem eo, qui promiſit quippiam, non ſemper ſequitur. 231
Darius Nothus filiis Artaxerxi Mnemon & Cyro Juniori teſtamento quidnam, teſte Juſtino, legarit? 224
David legatos ob violatos quidnam fecerit? 130
David regnum, ſibi promiſſum; armis recte ab Isboſeto repetiit. 138
David pro quonam gratias agat Deo? 199
David extra pauca facta quale habeat vitæ exactæ teſtimonium? 284. quotnam primum, & quotnam deinde circum ſe habuerit armatos? ibid. eos cuinam bono circum ſe habuerit? ibid. eos quando demum circum ſe habuerit? ibid.
David, Saule vivo, quidnam nec invaſerit, nec captarit? 284. quidnam per ea tempora duntaxat quæſierit? ibid. in queiſnam & apud quoſnam modo id quæſierit? ibid. quanam religione id quæſierit? ibid.
David regis Saulis perſona pepercit ex officii neceſſitate, non ex ſublimiori propoſito. 285
David quemnam aperte dixerit non poſſe inſontem eſſe? 285
David quidnam ſciverit in lege ſcriptum eſſe de nonnullis non maledicendis? 285
David tactus pœnitentia quod veſtem regis Saulis violaſſet. 286
David magnam perſonæ regis ſanctitudinem eſſe intelligebat. 286. an id merito cenſuerit? ibid.
Decertandi genera quot & quanam ea ſint? 77. quorum prius, & quorum poſterius proprium? ibid. ad poſterius quando confugiendum? ibid.
Decius Magius Campanus, ab Annibale vinctus & Cyrenas delatus, indeque Alexandriam deportatus, quidnam eos, ad quos deportatus, docuerit, queiſnamque eo liberatus ſit? 253
Deliberatio de gerendo bello, & per quos id geri voluiſſent adverſus Antonium, hoſtem judicatum, queiſnam fuiſſet permittenda? 182
Demetrias, ſpecie tenus libera quamvis urbs, revera quavis nutum ad Romanorum facere coacta. 257
Democritus uſu de famulorum quidnam habeat? 307
Deſertores adverſus militia quidnam cunctis ſit indultum? 300
Detrahere dominos urbi ſervire parata quidnam ſit? 302
Deus uni tantum populo jura dare ſua dignatus eſt. 56
Deus populo ſuo præſcripſit leges generales ac perpetuas de modo gerendi belli. 78. eo quidnam docuerit? ibid.

Deus primis temporibus quidnam inſtituerit? 83. *cur ipſum tunc inſtituerit?* ibid.

Deus homicidio ſeverius occurrendum quando cenſuerit? 87. *cur id cenſuerit?* ibid. *ſeculi prioris lenitate repreſſa, quidnam permiſerit?* ibid. *cur id permiſerit?* ibid. *quod tum permiſerat, ad quoſnam poſtea reſtrictum?* ibid. *cur & quomodo id factum?* ibid.

Deus quidnam faciat in hac vita, quidque poſt eam facturus de quibuſdam malis? 140

Deus in ſacris literis modo non ſemper deſcribitur eodem. 140

Deus noſtram quantum juris habeat vitam? 166

Deus ſibi peccata eorum, qui ſuperiorem ſe judicem non habent, cura teſtatur peculiari. 207

Deus peccata regum quando vindicet? 207

Deus peccata regum quemnam in finem toleret? 207

Deus imperio ſummo, quod in vitam necemque ſingulorum habet, quo modo pœnam in regis uti potuerit? 209

Deus imperandi & parendi ordinem ubinam cum olim, tum nunc approbarit? 269

Deus injuriæ patientiam probat, eam vero non interdicit. 279

Deus habet jus obſtringendi nos mortem ad ſubeundam certam. 281

Deus, humanam probans legem, quo modo eam probare cenſeatur? 283

Deus & in alios reges, per quos volebat miniſtros, judicia exequebatur ſua. 301. *id unde conſtet?* ibid.

Dicta qualibet, quantumvis univerſalia, ac leges, quamnam recipiant interpretem? 177

Dicta inter Eſſenorum quidnam fuerit? 287

Dictator habuit ſummum imperium, quamvis non eſſet perpetuum. 212

Dictator quando & quo jure ſuos actus omnes exerceat? 217

Dictator Romanus quonam jure ſummum haberet imperium? 215

Dictatoris adverſus edictum in quonam tantum fuerit auxilium? 250

Dictum Chriſti: Ne reſiſtite injuriam facienti, *an ſit univerſale?* 170

Dictum Chriſti: Date omni petenti, *admittit exceptionem.* 170. *quænam ea ſit?* ibid. *quidnam ei non adjiciatur?* ibid. *ex quonam ſolo adſtringatur?* ibid.

Dictum Chriſti: Omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt, *ſi proverbium, unde deſumptum, & quidnam eo ſignificetur ac quidnam ex eo fluat?* 171. *Origenes, Theophylactus, Titus & Euthymius hocce Chriſti dictum quidnam indicare cenſeant?* ibid. *huic Chriſti dicto ſimile ubinam occurrat dictum?* ibid. *quale Tertulliani dictum cum hoc Chriſti dicto conveniat?* 172. *huic & Chriſti dicto quidnam videatur ineſſe?* ibid.

Dictum quoddam Scipionis Africani Majoris quicum ſatis conveniat? 252. *dictum id verbotenus quomodo ſonet?* ibid.

Dictum Trajani quidnam? 280. *hoc quando uſus?* ibid. *a queiſnam id ſoleat proferer?* ibid.

Dictum Menandri quoddam quomodo ſonet? 305

Dictum quoddam Democriti quomomodo ſonet? 306. *ipſum quomodo Lactantius explicet?* ibid.

Dignitas imperii quomodo ſoleat dici? 217

Dii minores quando (fabulati ſunt ut antiqui) non conceſſerint Jovi? 277

Diligendi quomodo non ſint omnes? 139

Diligere inimicos cujus exemplo jubeamur? 140

Diodorus Siculus quidnam tradat de regibus Æthiopum? 233

Diodorus multas civitates Græcas poſt Cadmeam a Thebanis receptam conveniſſe quidnam ſcribat? 256

Dion quidnam principe de quodam affirmet? 201

Dion Pruſaenſis quo modo definiat regnum? 200

Dion Pruſaenſis de Athenienſibus Philippi Macedonis tempore quidnam referat? 256

Dionyſius Halicarnaſſenſis in adminiſtranda republica tria maxime notat. 184. *quænam ea ſint?* ibid. *iis alibi addit quartum.* ibid. *quænam id ſint?* ibid. *alibi quarto quidnam adjiciat?* ibid.

Directe publica quænam ſint? 185

Diſcrimen ſummi imperii, aut ſummo minoris, unde multi petendum exiſtiment? 214. *ii quænam imperia contendant eſſe ſumma, & quænam ſummo minora?* ibid. *illac de opinione quidnam ſtatuendum?* ibid. *cur id ea de opinione ſtatuendum?* ibid.

Dominium regis in res ſingulorum ad bonum commune, quantum? 19

Dominium, quale nunc in uſu eſt, quidnam introduxerit? 43

Dominium eminens, quod civitas habet in cives & eorum res ad uſum publicum, ſub quibus comprehendatur? 185

Dominium quotuplex acquiri bello poſſit juſto? 196

Dominium civile quidnam ſit? 196

Domitianus qualis fuerit imperator? 275

Duo quendam ad Petri locum, occurrentem prioris ejus epiſtola capite ſecundo, notanda. 273. *quænam ea?* ibid.

Duratio naturam rei non immutat. 217

E.

Eccleſias, ab apoſtolis conſtitutas, unde aut ſubito, aut omnes defeciſſe, non probabile? 145

Edeſſenorum quidquam quod traditur de rege, fictum nonnullis videtur. 120

Efficientium genera tria, principales, adjuvantes & inſtrumenta, ſolent, ut in aliis rebus, ita & eſſe in actionibus voluntatis. 305

Epiſcopi nec Conſtantinum ab omnibus omnino capitalibus ſuppliciis & bellis, nec Chriſtianos abſterruerunt a militia, injecto ipſis iræ divinæ metu. 154

Epiſcopi tempore Conſtantini quales fuerint? 154

Epiſcopi & plebs Chriſtiana quidnam ſæpe fecerint? 155

Epiſcopus Hieroſolymorum triceſimus quiſnam fuerit? 159

Epi-

Epiſtola Leonis quidnam dicat? 157

Epiſtola Syricii & Innocentis ac Concilium Toletanum oſtendunt quinam vetentur ad olerum admitti. 158

Eſſeni quales fuerint homines? 169. *iter quo modo fecerint?* ibid.

Etſi parendum in omnibus patri, in eo non parendum, quo efficitur, ne ſit pater, *eſt dictum Seneca.* 295. *id Seneca dictum cuinam non male aptes?* ibid.

Eucherius cujuſnam diœceſeos fuerit epiſcopus? 291

Eumenes apud Livium quidnam Rhodiorum de ſociis affirmet? 257

Euripides quidnam habeat de Cyclopibus? 265

Euripides quidnam habeat de imperia habentibus? 266

Euſtathius ad ſextum Odyſſea, Phaacum ubi reſpublica deſcribitur, quidnam afferat? 246

Excuſari qua magis, quam laudari poſſunt, quonam temere non ſint rapienda? 183

Exempla non pauca, tum in ſacris literis, tum in Hebraorum ſcriptis, occurrentia, quidnam evincant? 244

Exemplum Chriſti quando ſape nobis ut imitandum adduci videamus? 292

Exercitus Juliani defectoris e quibus ferme omnibus conſtiterit? 276

Exhibere inimicis beneficia mandatum & ſub V. T. 141. *hac tamen beneficia quibuſnam haud obſtiterint?* ibid.

Exiſtimantes fieri poteſtatis partitionem, cum reges acta quadam ſua nolunt rata, niſi probentur a ſenatu aliove quopiam cœtu, multum falluntur. 236. *in eo cur fallantur?* ibid.

Externi quo modo paſſim diſtinguantur in legibus Romanis de bello & judiciis recuperatoriis. 220

Extranei cur circumciſi ſint multi, legique per circumciſionem ſe obligarint? 63

Extraneis, aliunde advenientibus, neque inſtitutis Hebraorum ſubjectis, quidnam licuerit? 61

Extrinſecum imperio quidnam ſit, nec ad ejus naturam pertineat? 229

Exuperius quidnam fuerit? 291. *legionem, cujus erat ſignifer, quo modo narretur allocutus?* 292. *imperatori deinde quidnam nunciari juſſerit?* ibid. *poſtea quidnam addiderit?* ibid. *poſt hac in non repugnantes quidnam ſequatur?* ibid. *hujus in narratione quanam ſint Eucherii verba?* ibid. *res eadem in Veteri quomodo narretur Martyrologio?* ibid.

F.

F*Actum quidnam non ſit cenſendum?* 127

Factum, quod effectum aliquem juris habet, quidnam non habeat? 267

Factum Peſcenii Nigri & Clodii Albini diſplicuit Chriſtianis. 275

Factum quod contra reges vi, cujuſnam in teſtimonium id narretur, & cujuſnam in approbationem id non referatur? 279

Facultas moralis civitatem gubernandi quonam vocabulo nominari ſoleat a Thucydide? 184. *quotnam rebus deſcribatur?* ibid. *civitatem, qua vere civitas, quo modo vocet?* ibid.

Facultas omnis gubernandi, qua in magiſtratibus inferioribus, ſumma quantum ſubjiciatur poteſtati? 277

Facultatem nomine ſui quod appellant juriſconſulti, quo modo authori appelletur? 16. *facultatis diviſio, a priore diſcrepans.* 19. *facultatis vulgaris & eminentis definitio.* ibid.

Facultatem quidnam reſpiciat? 25

Facultates, eoſdem effectus habentes, eodem nuncupanda ſunt nomine. 217

Favonius quidnam dixerit de bello civili & dominatu illegitimo? 302

Felicitas imperantis in quorum felicitate conſiſtat? 270

Feuda franca, nullo jure in rem, in ſola perſonali obligatione conſiſtunt. 260. *cur?* ibid.

Feuda franca quidnam ſint? 260

Feudis in liberis, qua franca vocant, quidnam apertiſſime detur conſpici? 259

Feudum nunc quodnam apellent feudum ligium? 260

Filius quale ſit inſtrumentum patri? 307. *cur?* ibid.

Fingemus ſibi mutuam quandam ſubjectionem, qua populus univerſus recte imperanti parere debeat regi; male autem imperans rex ſubjiciatur populo, quando dicerent verum, quodque bonos apud omnes eſt confeſſum? 299

Finis, res honeſta ac debita proprius, qualis non poſſit non eſſe? 128

Florus de reliquis illis, qui imperii Romani immunes erant, quidnam ſcripſerit? 249

Florus quidnam habeat de actis Sylla? 298

Fœdera quadam cum quali ſanctione videamus inita cum vicinis? 234

Fœdere in aquali quidnam plerumque diſceptandis de controverſiis ſoleat convenire fœderatorum cœtus? 254

Fœderi inaquali quidnam proprium non ſit? 254. *cur id ei proprium non ſit?* ibid.

Fœdus iniri poteſt inter viribus diſpares. 249

Fœdus, quod Thebana civitas tempore Pelopida habuit cum Perſarum rege, erat fœdus, inter viribus diſpares initum? 249. *tale & fuit illud, quod Romani pepigerant olim cum Maſſilienſibus, deinde cum rege Maſiniſſa.* ibid.

Fœdus ubi aquale, rebus in communibus, etiam conventus extra tempus, quidnam, qui lectus eſt princeps fœderis, ſoleat? 255

Forma gubernandi nulla quovis caret incommodo. 190

Franci cuinam recte in urbem Romam imperium, a populo Romano acceptum, reddere potuerint? 227

Franci populi quiſnam quaſi perſonam ſuſtinuerit? 227

Franciſcus Victoria quando ad vindicandas injurias, quas rex perſequi negligit, jus bellandi oppidanis in civitatibus dare fuerit auſus? 177. *ejus an aliis placeat ſententia?* ibid.

Fructus hereditatis, qua reſtitui juſſa eſt, non reſtituuntur. 222. *cur hereditas, reſtitui juſſa, reſtituatur; fructus vero, non reſtitui juſſi, non reſtituantur?* ibid. *id in quonam proditum.* ibid.

Fulmina regalia quidnam ſint? 220
Functio, a Deo inſtituta, non eſt, teſte Paulo, impia. 120
Fundus, qui fidei commiſſo tenetur, qualis quidem non minus ſit fundus? 231. *quo modo habeatur?* ibid.

G.

Galenus & Ariſtoteles quidnam ſentiant de homine? 75
Gallus Ælius quidnam apud Feſtum habeat de Reciperatione ac de eo, quod lex circa eam convenit? 253
Genera vivendi cuncta non ſunt æque præſtantia. 192. *ex iis eligere quidnam cuivis liberum?* ibid.
Genera cognitionum quædam regi apud Judæos non permiſſa fuiſſe videntur. 244. *ea quænam fuerint?* ibid.
Gentes quædam per ſecula plurima ſub imperio plane regio ſatis feliciter vixerunt. 195
Gentes, quæ ſub regibus ſunt, non immerito regium quo modo, teſte Curtio, nomen colant? 287
Germani quonam pacto non haberent cauſam querendi de bello, ſibi a Romanis illato? 181
Germani non habebant jus poſtulandi Cæſaris deditionem. 181
Germanorum de ſervis quidnam occurrat apud Tacitum? 194
Gigantum ætate quidnam invaluerit? 87
Gladio ferientem gladio periturum quonam non ſpectet, & quonam ſpectet? 145
Gradus dilectionis quantus imperetur in lege Evangelica? 139
Græci, Latini veteres & Germani quonam olim æquali in fœdere controverſias detulerint? 254
Græci, teſtibus Rhodiis, quo modo quondam imperium ſint amplexi? 256. *nunc quidnam optent ac ſatis habeant?* ibid. *cur id nunc ſatis habeant?* ibid.
Gregorius Turonenſis Francorum quomodo compellet regem? 208

H.

Habere ſecum mulierem in contubernio licet ſervo. 173
Hebræo populo indultum cæteris regibus gentibuſque eodem tempore quod illicitum, eſt cogitatu abſurdum. 96
Hebræis quidnam præceptum? 138. *iis quiſnam fuerit proximus.* ibid.
Hebræis magiſtratibus imperatum quidnam fuerit non minus, quam diligere proximum? 138
Heraclidæ quaſnam urbes condiderint? 236
Hercules quanam lege Tyndareo Spartæ, bello captæ, imperium dediſſe legatur? 224
Herodes ſuo jure ſupplicium de liberis ſumere, quotuplici, vel ipſis liberis teſtibus, reſpectu potuerit? 255
Hiero ubinam regnarit? 228. *quoſnam teſtamento tutores aſſignarit filio Hieronymo?* ibid.
Hieronymus & Ambroſius quidnam habeant ad locum Pſalmi: Tibi ſoli peccavi? 243
Homerus quo modo populum reſpectu regis affectum fuiſſe ſcribat? 287. *is regi quodnam tribuat epitheton?* ibid.
Homines rationi ſui quidnam ſæpe nimium ſint? 163
Homines ut alterius imperio & poteſtati ſe ſubjiciant, quibus de cauſis accidere non tantum poſſit, ſed & ſoleat? 196
Homines liberi non ſunt in commercio. 219
Hominum quivis, teſte Cicerone, quidnam, utrovis licito, malit, quidque cum primum, tum deinceps, ejus ſit officium? 71, 72
Honeſtius multo & ad quietem hominum conducibilius quidnam ſit, quam homines ſingulos, ſui ſæpe nimium amantes, id, quod jus putant, manu exſequi? 163
Honeſtum quod dicimus, in quo materiæ pro diverſitate conſiſtat. 73
Horatius quidnam affirmet de regibus? 199
Hoſtis qui ſit, quonam pacto nonnunquam in amicitiam recipiatur? 249
Hyrcanus judicium de Herode cur eluſerit arte? 244

I.

Idem populorum plurium, qui tamen ſinguli perfectum cœtum conſtituunt, poteſt eſſe caput. 189
Idumæi ſuſcipere quidnam a Judæis ſint coacti? 62
Imperandi & parendi vox in hiſtoriis quæſnam interdum tribuatur? 255
Imperantes, Paulo ſcribente ad Romanos, omnes alienos fuiſſe a Chriſtiana pietate, non eſt univerſim verum. 120
Imperatores Romani, poſtquam palam & ſine ulla diſſimulatione regnum liberrimum tenuerunt, quomodo tamen vocarentur? 212
Imperatores Romani domino prædii quamnam concedant licentiam? 263
Imperia, quæ parta ſunt victoria, ad quorumnam utilitatem poſſint eſſe comparata? 207. *ea tamen qualia non ſint dicenda?* ibid. *talia cur non dicenda?* ibid.
Imperia pleraque ſumma quo modo non habeantur, & multa non ſumma quo modo habeantur? 228
Imperii ſpeciem aliam, nec imperii modum habendi alium, quidnam non conſtituat? 229
Imperii cujuſnam mixtura manſerit aliquanto ſerius aliquid apud Romanum populum? 248. *id, teſte Livio, quamdiu apud eum manſerit?* ibid.
Imperii poteſtatem quidnam ne quidem oſtendat? 254
Imperii ſummam partem habens, non poteſt non habere jus eam partem tuendi. 297
Imperium eſſe rem piam, quamvis ab impio teneatur, quonam ſimili doceatur? 120
Imperium, domo regnatrice extincta, quonam revertatur? 189
Imperium ſingulare quo modo deſcribatur apud hero-

Herodotum? 200

Imperium Romanum quo modo, ſublata etiam omni ſenatus & populi poteſtate, conferretur? 215

Imperium quamvis non deſinat eſſe ſummum? 229

Imperium ubinam fatendum quodammodo reddi arctius? 231

Imperium ſi quodammodo reddatur arctius, quotnam & queiſnam de cauſis quodammodo reddatur arctius? 231

Imperium ſummum quidnam ſit? 234. *ex quibus conſtet?* ibid.

Imperium ſummum, quamvis rex fidem fallat, ut cadat regno, non deſinet eſſe ſummum. 234. *ejus habendi modus erit imminutus per conditionem, & imperium temporario non abſimile.* ibid.

Imperium ſummum, quamvis ſit unum quiddam ac per ſe indiviſum, interdum tamen dividitur. 235. *ſi dividitur, per quotuplices dividatur partes?* ibid. *eæ quænam ſint?* ibid.

Imperium Romanum quamvis eſſet unum, quidnam tamen ſæpe factum? 235

Imperium Romanum quales ſæpe tenuerint homines? 274. *iis ipſum tenentibus, quales haud defuerint?* ibid. *ii, qui, talibus ipſum tenentibus, haud defuerunt, quonam obtentu id egerint, quod egerunt?* ibid.

Imperium Medorum ac Perſarum totum, proindeque & Judæorum, ad quoſnam, Medis ac Perſis ſubactis, devenerit? 285

Indicium diſcriminis cujuſdam alterum eſt in regni tutela, dum rex ætate aut morbo fungi poteſtate ſua impeditur. 228

Indicium quoddam mixturæ apud Macedonas imperii occurrit apud Curtium. 246

Inducere talem rerum ſtatum, qualis auditus nunquam fuerat, ſi mens Chriſti fuiſſet, quidnam edixiſſet? 122

Injuria aliquando altera potius ferenda, quam propulſanda prior. 138

Injuriæ quænam e quorundam ſententia nobis ſint utiles? 270. *eæ nobis juxta authorem cur utiles?* ibid.

Injuſti definitio. 8

Injuſtum quid intelligatur? 73

Inobediens qui fuiſſet ſummo pontifici, etve, qui extra ordinem rector populi a Deo eſſet conſtitutus, quonam legem juxta Hebræam afficeretur ſupplicio? 267

In patrefamilias, latifundia poſſidente, aut in quopiam, magnam ſervorum copiam habente, quidnam accidere poſſit? 294

In populis, qui perpetuo non ſubſunt regibus, qualia videamus exempla? 205

Inquirere de rebus capitalibus vetuſto Macedonum modo cujuſnam, teſte Curtio, eſſet? 246. *cujuſnam in pace?* ibid. *regum poteſtas quando demum valeret?* ibid.

Inſignia regiæ majeſtatis ubinam & queiſnam tribus ſoleant? 213

Inſons omnium, quos novimus, populorum legibus, quiſnam judicetur? 166

Inſtrumenta cum dicimus, quænam loco quodam per ea non intelligenda, & quænam per ipſa veniant intelligenda? 307

Interficere imperii invaſorem quando non minus liceat? 301

Interpres verborum Chriſti quiſnam optimus? 269

Interpretes juris in quonam diſſentiant? 178. *in eo cur diſſentiant?* ibid.

Interrogati, an velint omnibus hoc onus imponere, ut mori præoptent, quam ullo caſu vim ſuperiorum armis arcere, quonam, ſi reſponderent ſe velle, forſan cum additamento reſponderent? 282

Irenæus optime quidnam dixerit? 209

Iſidorum apud Peluſiotam epiſtola CCCLXXXIII *quidnam occurrat de conſenſu Hebræorum circa regem, adverſus leges, regis de officio ſcriptas, peccantem?* 243

Iſocrates Athenienſium rempublicam Solonis temporibus qualem fuiſſe velit? 249

Iſocrates quo modo veteres Athenienſes omnibus geſſiſſe curam pro ſociis affirmet? 255. *idem alibi de iis quidnam ſcribat?* ibid. *idem alibi de iis quidnam referat?* ibid.

Is, qui juriſdictioni præeſt, per quoſnam, quoſnam & quando vi poſſit cogere? 177

Iſraelitæ ſeptem populos cur exciderint? 77

Iſraëlitæ populis cum excidendis ſeptem quonam egerint modo? 105. *implacabile bellum cum queiſnam habere juſſi?* ibid.

Iſraelitæ bellum poſt Cananæum cur nonnunquam bellum geſſerint? 130

Iſraëlitæ diligi quondam jubebantur, ut nunc homines omnes. 139

J.

JAcere falſa maledicta ne quidem licet in privatum. 286

Jamblichus, ſimili, ab animalibus cæteraque natura ducto, ſuum illuſtrans dictum, quidnam aſſerat utilitate de privata ac bono ſingulari? 272

Johannes Baptiſta militibus, quidnam facerent, ut iram Dei effugerent, quærentibus, quidnam non reſponderit, & quidnam iis reſponderit? 121. *ejus ad milites reſponſio quidnam contineat?* ibid. *ad eam multi quidnam reſpondeant?* ibid. *authori hæc ipſorum cur diſpliceat reſponſio?* ibid.

Jojada qualis fuerit Joaſo, Athaliam regno depellens? 301

Judæi, ad Chriſtum converſi, quidnam defugere non potuerint & quo modo judicare debuerint? 124

Judæi militaribus ab expeditionibus immunitatem cur poſtularint & a L. Lentulo miſſionem impetrarint? 146

Judæi urbe Roma extedere juſſi. 1[illegible] *queiſdam eorum quidnam acciderit?* ibid.

Judæi adverſus quoſnam pugnare noluerint? 147

Judæi ſub externis regibus quando militarint? 147

Judæi, primum a Nabuchodonoſore devicti jure belli, queiſnam ex eodem jure paruerint? 285

Judæi Tacito quo modo vocentur? 285. *quidnam*

nam ab Alexandro ejuſque ſucceſſoribus ſtipulati? ibid. eorum in ditionem quomodo venerint? ibid.
Judæis interdum ritus ſuos & leges palam exercere permiſſum. 285. id quale regum e beneficio jus fuerit? ibid. qualis non fuerit lex? ibid.
Judex homicidam morte cur punire debeat? 126
Judices qua vice non, & qua vice dicantur judicare? 244
Judicia capitalia & bella pia unde ſint nata? 139
Judicia publica unde non ſint, & unde ſint? 163
Judicia quo modo vocentur? 244
Judicia de civium capite penes quem non fuerint apud Macedonas? 246
Judicium quot modis ceſſet? 164. quando momentanee? ibid. quot modis continue? ibid. quando jure? ibid. quando facto? ibid.
Jura quædam eorum, quæ nunc vocantur protectionis, advocatiæ, mundiburdii, ad quodnam referenda? 249. ad ipſum præterea quidnam referendum? ibid.
Jure de gentium Livius & Florentinus quidnam affirment? 80
Jure gladii per complexionem quidnam intelligatur? 116
Jure de ſummi imperii in ſubditos quidnam nihil detrahat? 260
Juri veteri Attico, & Romano XII tabularum, inde ſumpto, cur tanta cum legibus Hebræis ſimilitudo? 98
Juris tertia ſignificatio quidnam valeat? 33
Juris ad naturalis intellectum quidnam ſit notandum? 42
Juris immutabilis diviſio quænam vix ullum habeat uſum? 47. ejus ratio. ibid.
Juris quid naturalis eſſe quotuplici probetur modo? 49
Juris ſui, vel poteſtatis ſuæ quotnam de cauſis aliqui non eſſe dicantur? 220. hinc quænam nata ſint dicta? ibid.
Jus quidnam ſit authori, de jure belli agensi, & quonam ſenſu id ipſi ſit? 8. juris definitio negativa. ibid. affirmativa. 14. cui competat? ibid. ſub proprie & ſtricte dicto jure quænam contineantur? 16
Jus certo reſpectu optime dividitur in naturale & voluntarium. 37. diſcrimen hoc & reperire eſt apud Hebræos. ibid.
Jus naturale quidnam ſit? 39
Jus quoddam diſtat non tantum ab humano, ſed & a divino voluntario. 41
Jus divinum voluntarium quidnam non præcipiat aut vetet? 41, 42
Jus naturale adeo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari[illegible]at. 44. ejus ratio. ibid. quidnam tamen [illegible]lum fiat? ibid.
Jus naturale de quibuſnam non tantum agat? 43. de queiſnam etiam agat. ibid.
Jus voluntarium quid & quotuplex ſit? 50
Jus voluntarium humanum quotuplex ſit? 51. ſpecierum ejus omnium definitiones. ibid.
Jus gentium unaquaque in orbis terrarum parte quidnam non ſit? 53
Jus gentium quidnam ſit? 54. eam nobis in rem quinam maximum præbeant uſum? ibid.
Jus voluntarium divinum quidnam ſit? 55. queiſnam id datum? ibid. quoties humano generi jus a Deo datum? ibid. quoſnam & quando Hæc jura obligarint? ibid.
Jus adverſus natura cur a Deo nunquam præcipi potuerit quicquam? 66
Jus naturæ quod immutabile, ac proinde a Deo nihil in contrarium quid potuerit conſtitui, in queiſnam ſit verum? 81
Jus capitalium ſuppliciorum & armis cives tuendi adverſus latronis ac prædones ſi tolleretur, quidnam inde ſequeretur? 122
Jus Iſraelitarum ad bellum ex quonam ſolo non ſit deducendum? 130
Jus quodnam per Euangelium non tollatur? 130
Jus quoddam unde non, & unde metiendum? 192
Jus regendi quorumnam judicio ac voluntati non ſemper ſubditum? 198
Jus imperii, ab electione familiæ cœptum, quomodo continuetur? 214. quantum in eo deferat ſucceſſio? ibid.
Jus precarium quale ſit? 219. in queiſnam regnis id olim habuerit locum? ibid. hoc jure quidnam ſuos in reges populi potuerint? ibid.
Jus unde non metiendum, & unde metiendum? 236
Jus in rem quale? 261
Jus ipſum imperandi, ſi feudi jure teneatur, duabus amitti poteſt de cauſis. 261. quænam eæ ſint? ibid. quidnam eſſe non deſinat interim? ibid. cur non? ibid.
Jus ab uſu juris, ſive actus primus ab actu ſecundo ubinam diſtinguendus non minus, quam in dominio? 261
Jus reſiſtendi promiſcuum ſi maneat, quidnam civitas non futura? 265. quidnam futura? ibid.
Jus verum quidnam ſit? 267
Jus quiſnam in reges habeat ſummum? 279
Jus quantum homines in ſe & alios accepiſſe non videantur, niſi ſumma quatenus id exigat neceſſitas? 282
Jus legis, pendentis a voluntate eorum, qui ſe primum civiiem in ſocietatem conſociarunt, ab iis porro ad imperantes manat. 282
Jus imperii habens quidnam fieri poſſit ut malit? 301
Juſtam excuſationem etiam non accipi a paucis, quonam ſatius? 271
Juſtitia expletrix ab attributrice differt materia, circa quam verſatur. 29
Juſtitia attributrice quiſnam utatur? 31
Juſtitia attributrix qualem proportionem reſpiciat? 31
Juſtitia expletrix qualem proportionem reſpiciat? 131
Juſtitia brutis animantibus quo modo duntaxat tribuatur? 48
Juſtitiæ expletricis officio quiſnam fungatur? 31
Juſtitiam attributricem verſari circa res communes;

Digitized by Google

nes; expletricem circa res ſingulorum, eſt falſum. 31

L.

LAcedamonii duces unde orti? 212. queiſnam poſt ſubjecti fuerint? ibid. quomodo nihilominus dicerentur? ibid.
Lacedamonii, ac deinceps Athenienſes, in quibus & quando Gracis imperitarint? 255
Lactantius quidnam olim nefas viſum referat? 84
Lactantius juſtum quo modo belligeraturum neget? 148
Lamechus ſibi, facinore perpetrato, impunitatem unde promiſerit? 86
Latini unde orundi? 251
Latini quod imperare, Graci modeſtius ηὸσ[illegible] dicunt. 255
Latini quidnam ſub umbra fœderis Romani ſeſe pati ſint queſti? 257
Laudabilia multa legis tamen neceſſitate non exiguntur. 148
Lector quanam de cauſa quadam ſit monendus? 292. eorum quidnam ſit primum? 293. quidnam ſecundum? ibid. quidnam tertium? 294. quidnam quartum? 296. quidnam quintum? ibid. quidnam ſextum? ibid. quidnam ſeptimum? ibid.
Legati inter quoſnam recenſendi? 186
Lege de Moſis tota quod dictum, etiam de circumciſione, legis quaſi introitu, intelligendum. 62
Lege Moſis quinam, & circumciſionis quinam tenerentur? 62
Legem veterem nuptias adverſus inceſtas, Moſi non memoratam, extitiſſe, unde appareat? 95
Leges quaſnam Iſraëlitarum ſervare, & quaſnam non ſervare tenerentur pii inter Hebraos viventes? 60
Leges ſerve ejus ſenſus, cujus ſunt leges, per Moſem data, quatenus nunc & liceat & non liceat imperium inter Chriſtianos obtinentibus? 67, 68
Leges tum Divina, tum humana, in quo maxime ſoleant occupari? 73. quomodo in eo maxime ſoleant occupari. ibid.
Leges Romana duriores erant, quam lenitas pateretur Chriſtiana. 151. unde id pateat? ibid.
Leges vim quidnam vocent? 163
Leges quidnam, Teophraſto teſte, ſatis habeant reſpicere? 271
Leges Dei quadam, generaliter quaquam prolata, quidnam habeant? 281. quorumnam temporibus id de lege ſabbati definitum a ſapientibus? ibid.
Leges nonnulla cujuſnam ſint argumenti? 281
Leges ab hominibus ferri quomodo & ſoleant, & debeant? 282
Leges in Gracia civitatibus quales extiterint multa? 301. earum ratione quidnam ibidem cenſendum fuerit juſtum? ibid.
Legibus in humanis quidnam magis etiam procedat? 281
Legio Thebana, qua, Diocletiano imperante, a Zabda, triceſimo Hieroſolymorum Epiſcopo, Chriſtianam acceperat religionem, quidnam avum deinde ediderit in omne? 159
Legio Thebaa, uti nos docent acta, militibus e quotnam conſtiterit? 290. hi quales fuerint omnes? ibid.
Legis Iſraëlitica quatenus & quando ab Iſraëlitis ablata ſit obligatio? 64
Legis Hebraa parte nulla, qua proprie lex eſt, nos cur non obligemur? 64
Legis Moſis epitheta nonnulla. 66
Legis peritos & Phariſaos legem auditoribus non accurate ſatis explicaſſe, duplici probatur teſtimonio. 111
Legis XII. tabb. quidquam de furante fure occiſo quidnum ſtatuat? 166. unde illud, e lege XII tabb. deſumptum, haud dubie profectum? ibid.
Legis de ſabbato neglecta quamnam Judaiis apud Syneſium cauſam reddat quiſpiam? 281
Lex, largiſſime ſumpta, quo modo definiatur? 33
Lex quoſnam non obliget, & quoſnam obliget? 56
Lex abrogari quorumnam reſpectu non potuerit? 64
Lex Hebraa quod pracipit, non eſt contra jus natura. 66
Lex vetus de ſabbato & altera de decimus quidnam monſtrent Chriſtianis? 68
Lex vetus comparatione Euangelii fuiſſe quidnam dicatur? 68. quis ejus finis? ibid. quid ipſa ſit? ibid.
Lex, per Moſem data, ſanctionibus capitalibus rationes quaſnam adjiciat? 96
Lex quanam a nonnullis contra bellum ſoleat adferri? 82
Lex Moſis de judiciis expreſſam habuit divina voluntatis imaginem. 98
Lex, Noa data, non eſt talis, ut ea quævis impugnari poſſint bella. 98
Lex, per Moſem data, modo accipitur duplici. 111
Lex Moſis de judiciis quando demum deſierit? 123. cum ea quidnam conciderit. ibid.
Lex judici quidnam non permittat, ſed imperet? 126
Lex Chriſti quamnam ſolam Moſis legem ſuſtulerit? 129. qua natura, bene moratarum gentium conſenſu, honeſta cenſentur, quo modo non ſuſtulerit? ibid.
Lex XII tabb. quidnam circa ultionem juſſerit? 136
Lex Hebraa divortii libertatem cur indulſerit? 136. privatam ultionem, ad quam Hebraorum gens valde prona erat, quo modo coërcuerit? ibid.
Lex, vetans ſine judicio ſuum conſequi, quo modo ſit intelligenda? 164
Lex Cornelia quidnam dixerit? 175
Lex commiſſoria qualis non tantum in regni delatione, ſed & in aliis contractibus adjici poſſit? 234
Lex excalciationis quocum fuerit conjuncta? 243. in queiſnam ea, teſte Iſidoro Peluſiota, ceſſarit? ibid.
Lex nulla quidnam ſit? 271. in ea quid modo quaratur? ibid.

Lex de non reſiſtendo an obliget nos in graviſſimo certiſſimoque diſcrimine, qualis ſit quæſtio? 281
Lex quanam pendere videatur a voluntate eorum, qui ſe primum in ſocietatem civilem conſociant? 282
Lex quod vetet alienigenam populo Hebræo præfici, de quanam id electione intelligendum, & de quonam id non intelligendum? 285
Lex Solonis qualis eſſet Athenis? 301. hæc quando renovata? ibid. in quoſnam renovata? ibid.
Lex Valeria & lex conſularis poſt decemvirale imperium, qualis Romæ? 301
Lex ſpecialis a bello quoſdam arcet ſubditos. 307
Lex ſpecialis a bello nunc arcet clericos. 307. hæc tamen lex, ut omnes ejus generis, quo modo intelligenda? ibid.
Liberi Herodis, cum pater quædam adverſus ipſos ad Auguſtum ſua ſponte deferret, quidnam dixerint? 255
Libertas perſonalis & civilis quidnam excludant? 219
Libertas diſtingui poteſt in libertatem hominum ſingulorum, & libertatem populi. 220
Libertas civilis intelligi quo modo nequeat? 252
Licentia, quæ fuerat ante conſtituta judicia, multum eſt reſtricta. 164. hæc tamen licentia ubinam nunc quoque locum habeat? ibid.
Licinii temporibus multi quidnam fecerint? 156
Licinius & Julianus quoſnam milites exuerint militia? 156
Livius & Xenophon beneficentiam quomodo commendent? 135
Livius de urbibus ſub Eumene quidnam affirmet? 196
Livius de dictatoris edicto quidnam affirmet? 205
Livius Euandrum regem quo modo regnaſſe magis ſcribat? 212
Livius, de populo Romano verba faciens, quenam opponat? 220. alibi de populo Romano quidnam affirmet? ibid. alio quenam opponat loco? ibid.
Livius de Syris & Aſiaticis quidnam habeat? 240
Livius primorum conſulum Romanorum poteſtatem quonam uno ferme diſtitiſſe dicat a regia? 247
Livius veteri de fœdere, Romanos inter ac Latinos inito, quidnam habeat? 251
Livius quenam opponat? 252
Livius quo modo loquatur de populis, fœdere inferioribus? 252
Livius quidnam libro XLII Romanis ante C. Poſthumii conſulatum in uſu fuiſſe referat? 257
Livius eum ſic loquitur: Reſpublica incolumnis & privatas res ſalvas facile præſtat: publica prodendo, tua nequicquam ſerves, paucis explicat ſenſum cujuſdam prolixioris Periclis ſententiæ de civitate. 272
Livius patriæ ſævitiam quomodo leniendam ſcribat? 273
Locis e duobus, quorum alter Matth. v, 39. & alter Rom. xii, 19. quidnam affirment nonnulli? 166
Locus quartus, qui objicitur ab adverſariis, ut probent bellum Chriſtianis non eſſe gerendum, ubinam occurrat? 141. ad eum quidnam ſit reſpondendum? ibid. ad ipſum cur id reſpondendum? ibid.
Locus quintus, quo utuntur adverſarii, bellum Chriſtianis non gerendum, probaturi, ubinam occurrat? 142. ad hunc locum quidnam reſpondendum. ibid. carnis nomine quidnam ibi a Paulo intelligatur? ibid. ei Paulus quidnam opponat? ib. ſua de poteſtate quidnam neget, quidque de ipſa affirmet? ib. cur eo tempore Deus ad Eccleſiæ tutelam excitarit poteſtatem illam prodigioſam? ibid. hæc quando cœperit deficere? ibid.
Locus adverſariorum ſextus, quo, bellum Chriſtianis non gerendum, probaturi, utuntur, occurrit Eph. vi, 12. 143. hic locus de quonam agat, & de quonam non agat? ibid.
Locus ſeptimus, quo utuntur adverſarii, bellum Chriſtianis non gerendum, ut probent, ubinam occurrat? 143. quidnam is contineat? ibid. quidnam tantum dicat? ibid.
Lucas, perſonarum qualitate ſpecialem quandam vitæ mutationem deſiderante, quidnam non fuerit ſolitus? 127
L. Pinarius qualis fuerit? 177. quonam uſus jure? ibid. quando eo uſus? ibid. eo quidnam effecerit? ibid.
Lucrum medici quonam non pertineat. 206
Ludovicus Pius urbem Romam Paſchali pontifici reddidit. 227. ad quidnam id non faciat? ibid.
Lyſimachus, Juſtino teſte, quonam animo regis tulerit contumeliam? 273

M.

MAccabæorum factum ſimile videri poteſt cuidam Davidis facto. 285. eorum quonam arma defendi non debeant titulo? ibid.
Maccabæos jure populi, αὐτονομία cui deberetur, uſos, non eſt firmum. 285
Maccabæos quidnam duntaxat, & id quidem mero quodam reſpectu, tueatur in eo, quod arma ſumpſerint adverſus Antiochum? 285
Macedones imperio, quali, teſte Curtio, eſſent aſſueti? 246
Macedones ſcivere gentis ſuæ mores. 246
Magiſter Chriſtianorum, crucem ſubire toties jubens, quidnam videatur requirere? 287
Magiſtratus eſt conſtitutus miniſter iræ Dei. 140
Magiſtratus omnis quonam reſpectu, quo modo & quando videatur habere jus belli gerendi? 174
Magiſtratus quiſque belli gerendi judicium ad ſe trahere non debet. 180
Magiſtratus ſi quid imperent juri naturali divinisve præceptis contrarium, quo modo nos gerere debeamus? 263
Magiſtratus inferiores quonam reſpectu ſint perſonæ publicæ, & quonam ſint privati? 277
Magiſtratus apud Hebræos quod poſt regem ſimul cum populo ſe Deo fideles fore promiſerint, quatenus id intelligendum? 279
Magiſtri Hebræorum quamnam legibus de cibis veti-

Digitized by Google

vetitis, aliiſque nonnullis veteri ex traditione, exceptionem addant recte? 281
Magnetes quidnam ſint conqueſti? 257
Majeſtas in quonam ſit major? 217
Majeſtas quidnam ſit? 267. hac quomodo defendatur ubique? ibid. quando conſtare non poſſit? ibid.
Maimonides quadam in re Judæorum regem tribuum Iſraelitarum decem regi præfert. 244
Majus per regis conſilium quidnam fiat? 213
Maledictis a quibus abſtinendum in regem. 286. cur ab iis abſtinendum in regem? ibid.
Manna quando defeceris? 142
M. Antoninus Philoſophus quemnam ſolum principis judicem conſtituat? 201
M. Antonius quonam demum conſulto pecuniam attingere voluerit publicam? 280
M. Aurelius quoſnam de privatis, quoſnam de magiſtratibus, & quemnam de principibus judicare affirmet? 208
Marchionatus & comitatus ſolent facilius vendi & teſtamento relinqui, quam regna. 228
Maritus poteſtate maritali quonam haud privetur? 230
Maro quoſdam regem quo modo non obſervare ſcribat? 240
Mauſolus in Caria quidnam fecerit, fratres quamvis haberet ſuperſtites? 225
Mauritius cujuſnam legionis fuerit primicerius? 291. commilitones quo modo legatur allocutus? ibid.
Menna & Heſychius in Ægypto quidnam fecerint? 156
Mentio ſpecialis eminentium poteſtatum, quadam in lege facta, quidnam oſtendat? 285
Miles, baptiſmum poſtulans, quidnam doceatur? 149. ad baptiſmum quando admittendus? ibid.
Miles, centurioni, ſe caſtigare volenti, reſiſtens, quidnam, vitem ſi tenuerit, mutet? 267. quo modo, vitem ſi fregerit ex induſtria, vel manum intulerit centurioni, puniatur? ibid.
Militantes a baptiſmo nunquam rejecti, aut ab Eccleſia excommunicati. 149. id quando fuiſſet factum? ibid.
Milites nonnulli fuere martyres. 150. quinam inter eos memorentur? ibid.
Milites, non modico profectu Chriſtiani, ſub Juliano, erant parati Chriſto morte ſua reddere teſtimonium. 158. de iis quidnam affirmet Ambroſius? ibid.
Milites legionis Thebææ quando primum iter arripuerint Agaunum? 290. ipſis Maximianus imperator fieri quidnam juſſerit? 291. quando id ipſis fieri juſſerit? 291. hi quonam modo facile ſint executi imperium? ibid. hoc ſupplicio peracto, ſuperſtitibus quidnam fieri præceperit imperator? ibid. ad id præceptum quidnam reſpondeant milites? ibid.
Militia & quorundam magiſtratuum qualis fuerit obligatio? 158
Minus inter frequentia, quæque, ut ait Tacitus, interventu meliorum penſantur, quidnam habendum? 271
Mithridates in oratione apud Juſtinum quo modo loquatur de Paphlagonia? 215. idem quidnam de Orodo narret? ibid.
Mitti ad ordinandum ſtatum liberarum civitatium quinam dicerentur? 256
Mixtura imperii qualis Romæ fuerit tempore interregni primiſque conſulum temporibus? 248
Modus habendi ad quidnam faciat? 217
Mores omnium civitatum quonam ſe habeant modo? 266
Mors Commodi peracta manu palæſtritæ. 275. id cujuſnam imperio factum? ibid.
Moſes unde prædicetur. 140. quales de fontibus exegerit pœnas? ibid.
Moſes & David judices quo modo vocent? 244.
Movere nos quidnam non debeat? 255
Mulier quidnam aliquando faciat? 205
Multi qualia bella damnari putent ut iniqua aut illicita? 173. quonam id putent? ibid.
Multi quendam adverſus ſtatum, quaſi bicipitem, multa deferunt incommoda? 236
Multi, reſpublicæ adjuvandæ obtentu, Romanis ſæpe numero ſe oppoſuerunt imperatoribus. 274

N.

NAtiones, exemplum ſibi petentes a lege Moſis de judiciis, recte ac pie cur facerent? 98. quoſnam id feciſſe ſit credibile? ibid.
Natura quidnam non patiatur? 76
Natura quidnam non iniquum? 83. juxta quidnam id non iniquum? ibid.
Natura rerum moralium unde cognoſcatur? 217
Nazianzenus queiſnam ajat Julianum defectorem, conſilia cum agitaret peſſima, repreſſum? 276. cur iis, teſte Nazianzeno, tantum repreſſus? ibid.
Neceſſitas a vulgari quantum ob periculum pariat exceptionem? 177
Negligentia M. Antonini perdebat, ut ajebat Avidius Caſſius, rempublicam. 275
Negotia Romanorum quando ferme omnia manu regia expedirentur? 247
Nehemias cujuſnam edicto fuerit armatus adverſus vicinos regulos? 263
Nero & Agrippa quidnam agere potuerint? 120
Nicea & inſula Pithecuſa quibuſnam apud Strabonem adjudicata? 198
Nihil quidnam ſit in civilibus? 236
Noa liberis edixiſſe Deum quidnam ajant? 95
Norvegia cuipiam ab Unguino relicta teſtamento? 225
Nos quo modo, alienigenæ, conſecuti ſimus ut lege Moſis non teneremur? 66. quo modo unam in Eccleſiam cum Hebræis, patriarcharum filiis, coaleſcere poſſimus? ibid.
Notio convenientiæ rerum cum ipſa ratione corpore eſt potior? 72
Nulla quæ ſunt, quidnam non habeant? 294

O.

OBedire regibus quidnam ſit teſte Auguſtino? 266
Obligatio perſonalis in contractu feudali quodnam de cauſis eadem? 259. quænam iſta ſint

cauſæ? ibid.

Obligatio perſonalis in contractu feudali quidnam privato, regi aut populo non adimat? 259

Obligationem quamnam regidam aliquis dicat non ex lege humana, ſed divina, proficiſci? 283

Obvertere maxillam in Hebraiſmo quidnam ſignificet? 138. *qua phraſi Tacitus pro ea uſus?* ibid.

Officiis de qui ſcripſerunt, quidnam ajant recte? 305

Officium noſtrum cum primum, tum deinceps, quidnam ſit, cognito, quidnam, teſte Cicerone, ſequatur? 72

Omnes reges a populo conſtitui, unde pateat non eſſe verum? 205

Omnes quidem, authorut ſupra dixit, naturaliter quidnam habeant? 265. *cur id habeant?* ibid.

Omnia, quæ famâ a præclara dicuntur authoribus, non ſunt probanda. 183. *cur non?* ibid.

Opinio eorum, qui ubique & ſine exceptione ſummam poteſtatem eſſe volunt populi, ita ut ei reges, quoties imperio ſuo male utuntur, & coercere, & punire liceat, eſt rejicienda. 190. *hæc animis penitus recepta ſententia multis cauſam malis dedit & dare etiamnum poteſt.* ibid. *eam quibus argumentis refutet author?* ibid.

Oppida, quæ fuerant ſub Spartanis, quando nomen Eleutherolaconum acceperint? 198

Optatus Milevitanus, quodam de Davidis facto loquens, ei quidnam in eo affirmet obſtitiſſe? 285. *idem Davidi quænam tribuat verba?* 286

Orbari ſubditis ſupplicium eſt regibus. 209

Ordinationis voce ſi res intelligeretur, quam Deus tantum non vult impedire, quidnam ſequeretur? 118

Ordo imperandi parendique, de quo ſupra locutus author, in publicis haud dubie præcipuum. 273. *is cum quo conſiſtere nequeat?* ibid.

Ordo & ὑπαλληλισμὸς quiſnam non tantum ſenſu communi cognoſcatur? 277

Origenes & Tertullianus ſibi non ſatis conſtant. 145. *unde id conſtet?* 145, 146

Orodes quiſnam fuerit? 225

Otho Maurorum civitates cui dono dederit? 198

P.

P*Arcere perſonæ regis quali etiam in periculo debeat eſſe cautio?* 285

Parendum dominis quamvis æquo crudelioribus. 273

Parens aut tutor aliquem in jus vocare poſſunt, ut judicis ſententia ſibi ab invito comparent id, ſine quo liberi aut pupilli nequeant ſuſtentari. 134. *ejus ratio.* ibid.

Parens quiſnam amandus, & quiſnam ferendus? 273

Pareri quando non oporteat raptori in minus neceſſariis, ac in iis, quæ pertinent ad ipſum in iniqua poſſeſſione firmandum? 300. *talis de raptore quidnam quæratur?* ibid. *quando videatur in eum manere jus belli?* ibid. *in eum quidnam videatur, licere?* ibid.

Paritas ſaltem, ac proinde ſummitatis diviſio, ſequitur ex coactione. 235

Pars quotuplici reſpectu ſit totius pars? 307

Parthenius imperatorem quemnam oppreſſerit? 275. *factum ejus quiſnam deteſtetur?* ibid.

Partiri cum rege imperium populo ſi propoſitum fuiſſet alicui, quales utriuſque poteſtati fines aſſignari debuiſſent? 210

Partitio ſummi imperii ut fiat, quænam fieri, & quo modo ea fieri oporteat? 258

Pater diligendus magis extraneo. 139

Pater Chriſto, pro inimicis atque impiis morienti, quidnam promiſerit. 172

Paterfamilias, ſi quid familiæ facturum ſe promiſerit, quod ad familiæ gubernationem pertineat, quidnam eo ſua in familia, quantum fert familia, habere non deſinat? 229

Pati injurias ſecundum quoſnam an ſit utile? 270

Patientia Chriſti ſeſe quo uſque extenderit? 292

Patrocinium privatum quidnam non tollat? 252

Patrocinium publicum quo modo non tollat libertatem civilem? 252

Patroni liberorum uni cum libertus aſſignatur, quid non fiat, & quid fiat? 21

Paulus tribunum aut milites quid non monuerit. 127. *qualis in docendis aliis fuerit Paulus.* ibid.

Paulus & Petrus qua pœna cenſuerint etiam poſt publicatam Euangelii legem, crimina quædam merito plectenda. 128

Paulus quid teſtetur 1 *Tim.* v, 8. *de domeſticorum curam non agente?* 135. *quo modo Corinthios ad beneficentiam in Hieroſolymitanos excitarit?* ibid.

Paulus, inquiens poteſtates publicas Dei miniſtras eſſe, & vindices ad iram (id eſt ad pœnam) in maleficos, inter quænam apertiſſime diſtinxerit? 141

Paulus ſuum monitum, quod facit in Ep. ad Rom. XII. 19. *quonam loco fulciat.* 171. *quodnam vocabulum eo loco, quo ſuum ibidem ſancit monitum, occurrat.* ibid. *id vocabulum quidnam ſignificet?* ibid. *quidnam non ſignificet?* ibid.

Paulus de Chriſti morte, qua pro inimicis atque impiis mortuus, quidnam oſtendat? 172

Paulus, officia ſubditorum deſcribens, quidnam affirmet? 269. *mox quidnam addat?* ibid. *deinde quidnam ſubjungat?* ibid. *in ſubjectione quotuplicem non reſiſtendi neceſſitatem includat?* ibid. *præcepto rationes quotnam adjiciat?* ibid. *earum quænam prior?* ibid. *quænam poſterior?* ibid.

Paulus cum velit omnem animam ſupremis poteſtatibus eſſe ſubjectam, quoſnam & ei includat præcepto? 279

Pauſanias in Meſſenicis cuinam poteſtati regnum opponat? 200

Pauſanias in Corinthiacis quidnam affirmet de Argivis? 204

Paſſanias, Lacedæmoniorum rex punitus morte. 293

Pax tranquilla quando non diſtaret a confuſione bellica? 163

Per

Per alterum quæ expediuntur, per quoſnam expediantur? 186
Peræa & Cannus quorumnam ditionis fuerint? 198
Periclis, teſte Thucydide, quanam ſatis nunquam memorata de civitate ſententia? 272
Periculum animæ impellit ſabbatum *eſt dictum celebre.* 281
Permiſſio, quæ lege fit, quotuplex? 66. *Permiſſionis plena definitio.* ibid. *Minoris plena definitio.* 67. *Quomodo utriuſque permiſſionis ratione ſe res habeat?* ibid. *permiſſionis verbis ambiguis, unde nos intrepretari conveniat utrius generis ſit permiſſio?* ibid.
Permiſſio quidnam proprie non ſit? 33. *quidnam ſit?* ibid. *quonam reſpectu id ſit?* ibid.
Perſæ regem cur colant & adorent? 287
Petrus in defenſione Chriſti quonam ferretur animo? 171
Petrus in defenſione Chriſti adverſus quoſnam arma ſumpſerit? 171
Petrus loco, prioris ſuæ epiſtolæ capite ſecundo qui occurrit, quod probat, ulterius exemplo Chriſti confirmat. 273
Petrus quidnam affirmet Chriſtum, cum pateretur, nobis reliquiſſe? 287
Philippus Macedo, Perſei pater, quemnam a regno arcere, quemnamque ejus loco regem facere voluerit? 2.6. *urbes Macedoniæ cur obierit?* ibid.
Philo Byblius quamnam verterit hiſtoriam? 222. *quo modo Græce nominet Phœnicum regem, urbes cui rex Solomo viginti dedit?* ibid.
Philoſophi quorumnam cauſa regimen omne paratum, quorumque non paratum ſtatuant? 206. *eo ſuo ſtatuto quidnam colligant?* ibid. *unde id ex eo colligant?* ibid.
Philoſophi quo modo duntaxat ordinem dari ſtatuant? 277
Philoſtratus in vita Apollonii quidnam ſtultum affirmet? 195
Pii modo rationis ductu bella quando geſſerint? 130
Piſo quidnam apud Tacitum affirmet de Germanico? 211. *quidnam ibidem de eo neget?* 212
Plato de legibus tertio quidnam referat? 236
Plato quidnam legum IV *dixerit de communi ac ſingulorum, & quidnam ex eo, tanquam indubitatæ veritatis, colligat?* 272
Plato quidnam olim conſtituerit in legibus, & in Græcia uſurpatum fuiſſe doceat Euripides? 83
Platonis ultimo de legibus qualis exſtet lex? 175. 175
Plautianus quali functus munere? 275. *queiſnam comparetur?* ibid. *quemnam occidere voluerit in palatio?* ibid.
Plutarchus quales affirmet imperium habere non ex legibus modo, ſed & in leges? 200
Plutarchus in Agide quidnam ratione corporis regia cum nefas, tum illicitum, afferat? 287
Pœna criminum & arma quidnam faciant? 129. *qualia habeantur natura?* ibid. *ad quamnam referantur virtutem?* 130
Polybius ad quodnam reipublicæ genus retulerit rempublicam Romanam, ut erat ſuo tempore? 237. *hac quonam reſpectu fuerit mere popularis?* ibid. *cur eo reſpectu fuerit mere popularis?* ibid.
Polybius Romanos conſules vult fuiſſe quaſi reges. 237
Polybius ad quorumnam regimen retulerit Romani ſenatus auctoritatem? 237
Polybius de Theſſalis quidnam notet? 257
Pomponius quoſnam initio civitatis Romanæ poteſtatem omnem habuiſſe affirmet? 247. *Halicarnaſſenſis tamen quidnam velit?* ibid.
Pontifex ſummus judicium ut ferre debet ſecundum Paulum? 123
Populi, qui in alterius populi ditionem conceſſerunt, quidnam certo reſpectu per ſe non ſint? 189. *quidnam ſint?* ibid.
Populi quidam Romanorum ditioni ſubjicere ſe volentes, non ſunt recepti. 194
Populi quidam quali ſint ingenio? 195
Populi quidam populos alios quo modo ſub ſe habeant? 198
Populi quorumnam cauſa legantur interdum puniti. 209
Populi quidam ſuis regibus, reges quidam ſuis populis, reges quidam inter ſe, populi quidam inter ſe, reges quidam vicinis populis & populi quidam vicinis regibus quamnam fidem dederint, quidque alii aliis ſint polliciti? 236
Populi Orientis quomodo regnarentur? 240
Populi cujuſnam, cujuſnamque regis eadem ſit ratio? 251
Populi fœdere inferiores cujuſnam ſint in fide populi? 252
Populi, extra Iſraëlitas circumciſi, quorumnam veniſſe e poſteris credibile? 62
Populis in iis, qui nec Iſraëlitæ, nec Abrahami poſteritas erant, quidnam habuerit locum? 63
Populo ſui juris licet ſe uni cuipiam aut pluribus ita addicere, ut regendi ſui jus in eum plane transſcribat, nulla ejus juris parte retenta. 190. *tali in facto, quidnam minime præſumatur?* ibid.
Populo de Collatino quæri certo reſpectu quidnam potuerit? 198
Populo, quod ſciat author, nulli quidnam inducere in mentem venerit? 211
Populus quidnam poſſit eligere? 192
Populus quin aliquis ſe dedere poſſit uni præpopenti, non eſt dubium. 194
Populus Romanus in principes quando omne ſuum imperium & poteſtatem etiam in ſe dicatur contuliſſe? 201
Populus ob regum peccata cur non puniatur, & cur ob ea puniatur? 209
Populus cum alienatur, quinam proprie non alienentur? 221. *quidnam alienetur?* ibid. *quonam reſpectu id alienetur?* ibid.
Populus Romanus, ab rege Attalo, Eumenis filio, teſtameno bonorum ſuorum hæres factus, quidnam ſub bonorum nomine etiam complexus? 225. *hocce populi de Romani facto quidnam habeat Florus?* ibid.
Populus Romanus, quem Bithyniæ rex Nicomedes

des hæredem moriens fecit, regno quidnam egerit de Bithynia? 225. *Cicero de hac hæreditate quidnam ſecunda in Rullum habeat?* ibid.
Populus Romanus a quonam Libyæ parte Cyrenaica teſtamento ſit inſtitutus hæres? 225
Populus regem ſi eligat, quidnam fieri poſſit? 235
Populus Hebræorum qualem voluerit regem? 240
Populus Hebræus fuit totus ſub rege. 243
Populus Romanus in rebus quibuſdam, iiſque majoribus, quod juſſiſſet, quando demum eſſet ratum? 248. *id quando & quomodo, Livio ac Dionyſio teſtibus, ſpeciem tantum retinuerit veterem?* ibid.
Populus aut rex quiſquam, obligatus fœdere quopiam, ſi maneat liber, nec alterius poteſtati ſit ſubjectus, quidnam ſequatur? 251
Populus qualis juxta Proculum alterius poteſtati non ſubjectus? 251
Populus quiſpiam ſuperior quonam reſpectu non, quonamque intelligendus ſuperior dictus? 251
Populus Iſraëliticus, regiis preſſus injuriis, divinam cur imploraret opem? 267
Populus regni habendi modus ne mutetur, obſtare poteſt. 295. *id juris cur ſit populo?* ibid.
Porphyrius inter Eſſenerum placita quidnam memoret? 209
Poſſeſſio quo modo ſit aliquid ipſius poſſidentis? 307.
Poſtulata ſuperioris queiſnam in rebus imperia dici ſoleant? 257. *unde non, & unde merito ſic dicantur?* ibid.
Poteſtas regia quidnam habeat ſub ſe? 19
Poteſtas civilis & civitas quidnam ſint? 51
Poteſtas ordinata, de qua author pag. 118. *quomodo intelligenda?* 118. *ex hac, intellecta, ut intelligenda, quidnam inferatur?* ibid.
Poteſtas ſumma, qualis eſt regia, unde dicatur eſſe? 118. *quomodo vocetur?* ibid. *quidnam inde inferatur?* ibid.
Poteſtas civilis in queiſnam conſiſtat? 186
Poteſtas Amymonon apud Cnidios & Dictaterum apud Romanos qualis fuerit primis temporibus, cum ad populum non eſſet provocatio? 205
Poteſtas dominica & regia ut differunt; ita & diſcrepant libertas perſonalis, civilis, ſingulorum & univerſorum. 219
Poteſtas niſi publica eſſet, alter alteri quidnam faceret? 271
Poteſtas civilis ex hominum civilem in ſocietatem coitu ortum habet. 283. *hac inde quod ortum habeat, Petrus humanam ordinationem ipſam vocat.* ibid. *alibi divina eadem vocatur ordinatio.* ibid. *ita cur vocetur?* ibid.
Poteſtates publicæ quonam habenda ſint nobis loco? 269
Poteſtates per publicas nos conſequi plerumque tranquillitatem publicam, ſub qua & ſingulorum comprehenditur, non eſt dubitandum. 270
Præcepta Chriſti de ſingulis diligendis atque adjuvandis impleri quatenus debeant? 139
Præceptum de non reſiſtendo *ſibi quidnam habeat adjunctum?* 170. *ex eo, quod ei adjunctum, quidnam intelligendum nobis?* ibid. *id, ei quod adjunctum, ſi non eſſet adjunctum, quo modo cenſeat author rectius fuiſſe Chriſtum dixiſſe?* ibid.
Præceptum ſuperioris in quonam ſaltem ſit præceptum? 235
Prædiorum ſervitutes quo modo jura dicantur realia? 214
Præfectus prætorio cujuſnam exequi debuerit ipſum etiam in principem ſententias? 280
Præliari prælia Dei, qualia ſit præliari prælia? 78
Præſtantia de forma gubernationis hujus aut illius diverſorum diverſa ſunt judicia. 192
Prætor quantumvis reddere dicatur jus? 267
Preces regum quomodo ſæpe dicantur? 257
Prima inter naturæ nihil eſt quod bello repugnet, imo omnia potius ei favent. 74. *ejus ratio.* ibid.
Principatus & regnum apud Latinos ſolent opponi. 211. *ſæpe tamen confunduntur.* 212
Privata quidnam ſint? 186. *ea dirimi publica authoritate cujuſnam interſit?* ibid.
Privati queiſnam ſoleant injurias facere? 267
Privatus ſibi in re quapiam controverſa. quidnam non ſumere, ſed ſequi debeat? 304
Probaturi in Euangelio vetita ipſo jure naturæ eſſe illicita, mirum ſudant. 102
Proceres Perſarum ſuis quondam regibus parere magis, quam ſuadere, debebant. 233
Proceres Judæorum Jeremiam cum depoſcerent ad mortem, quidnam reſponderit rex? 244. *hoc reſponſum regis ad negotiorum genus quoddam certum reſtringitur.* ibid.
Procopius ubinam inſignem habeat hiſtoriam, quæ probet nefas Perſarum regi leges, certa quadam forma latas, mutare? 233
Proculi verba: Et fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis & in eos damnatos animadvertimus, *queiſnam videantur obſtare?* 253
Proculus in fœdere quidnam adjici dicat? 251. *cur id adjici, & cur id ei adjici non dicat?* ibid.
Prodeſſe alteri ubinam non [illegible] *licitum, ſed et honeſtum?* 305
Progreſſus in imperiis quia non datur in infinitum, quidnam faciendum? 207
Promiſſio vera quidnam det ei, cui promittitur? 231
Proportionem qualem utraque in juſtitiæ ſpecie locum habere ſecundum mentem Ariſtotelis referat author? 29
Proſpicere ſibi atque conſulere quonam reſpectu non ſit contra ſocietatis naturam? 76
Proverbium apud Hebræos quodnam? 271
Proverbium Chryſoſtomi quomodo cum Græce, tum Latine, verbotenus ſonet? 271
Provincia Romanorum quales fuerint? 189
Proximus nunc denotat homines quoſvis. 139. *cur?* ibid.
Pſalmus ſecundus quoſnam hortetur & ad quidnam eos hortetur? 116
Publica conſtituta judicia non vetant bellum aliquod privatum licite geri, quantum naturæ jus attinet. 163
Publicum quot modis dicatur bellum? 178
Punire Cæſarem cujuſnam fuiſſet? 181

Py-

Pydna quibuſnam a Philippo data? 198

Q.

QUærere de re, & de modo habendi, in queiſnam procedat? 215
Quare aliquando non debet quidnam in dubio ſit præſumendum, ſed jure quidnam fieri poſſit? 190
Quæſtio de nexu feudali quidnam multis videatur? 258. unde ea facile poſſit ſolvi? ibid.
Quale jam antiquitus in Græcia regnum Inachidarum fuerit Argis? 201. unde id colligamus ex Æſchylo? ibid.
Quarumnam gentium contractus feudalis ſit proprius? 258. ubinam is ſolus inveniatur? ibid. in hoc quotnam conſideranda? ibid. quænam ea? ibid.
Queiſnam verbis cum Græce, tum Latine, Clementis conſtitutiones exprimant ſenſum quorundam verborum, occurentium capite ſecundo prioris epiſtolæ Petri? 273
Quidam, vere magis, quam ad ſenſum Pauli, reſpondentes, authori appoſite cenſentur reſpondiſſe. 270
Quidnam ſatius, quam ſine norma vivere, aut normam cujuſque arbitrio permitti? 271
Quidnam habeant Clementis conſtitutiones de non reſiſtendo poteſtati regiæ? 274
Quidnam & divina probetur authoritate? 278
Quidnam in rege, mentis compote, uni populo imperante, videatur accidere vix poſſe? 296
Quinam pro republica quaſi caritate in Syria, Gallia Britanniaque ſumpſerint arma adverſus Septimium Severum? 275
Quintius cenſet Lacedæmonis fuiſſe ſatius tyrannum Nabidem relinqui Lacedæmone, quam ipſum opprimi. 302. cur id cenſeat? ibid.
Quiſpiam num ſibi male velit? 270
Quiſque ad uſum vitæ quod pertineat ut acquiri malit ſibi, quam alteri, quonam non repugnante, conceſſum? 76
Quiſque humano jure quæ poſſidet, quantopere ſint poſſidentis? 130
Quiſque naturaliter habet jus cogendi debitorem, ſed cum inferioris natura repugnat. 235
Quiſque juris ſui naturaliter eſt vindex. 305. ea quænam de cauſa cuivis data? ibid.
Quo modo quondam antiquiſſime Eccleſiæ conſuetudines fuerint appellatæ? 157. eæ cur ſic appellatæ? ibid.

R.

RArius quæ contingunt, communibus cur tamen ſint conſtringenda regulis? 271
Ratio ſalutis expedienda omnis quando honeſta, & qualis ea multorum e teſtimonio lex? 79
Ratio vivendi qualis regi præſcribatur in ea parte legis, quæ eſt de officio regis? 267
Rationes, cur author in definitione belli non utatur voce juſtitiæ? 6
Recta ratio ac natura ſocietatis quamnam vim non, & quamnam contra inhibeant? 25
Rectores niſi civitatum eſſent, quamnam, mordentes non tantum, ſed & vorantes alii alios, ageremus vitam. 271
Rectores aliquando nimia formidine aut iracundia, aliiſve affectibus, tranſverſi aguntur. 271. tales in ſtatu viam rectam, ducentem ad tranquillitatem, non ineunt. ibid.
Rectum laxius certo reſpectu juſtum dicitur. 33
Reges quatenus & quando ſerviant Deo? 116, 117.
Reges ſerviunt Deo, cum qua homines, tum qua reges. 117
Reges quidam populi, etiam univerſim ſumpti, arbitrio non ſubſunt. 199. id quotuplex teſtetur hiſtoria? ibid.
Reges, qui populo ſubſunt, quo modo tantum dicantur reges? 204
Reges Lacedæmoniorum poſt Lycurgum, magiſque poſt ephoros conſtitutos, quales Polybio, Plutarcho ac Nepoti fuiſſe reges dicantur? 204
Rege pro jure poteſtatis, obtentu actus boni mali ve cognitionem de eadem re hinc ad ſe trahente, inde populo, quidnam ſequi foret neceſſe? 211
Reges Germaniæ Veteris qualem, teſte Tacito, habuerint auctoritatem? 212
Reges quidam imperium quonam habeant jure? 215. qui id habent pleno proprietatis jure, quotuplices? ibid.
Reges, tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine ſuccedunt, imperium quonam habeant jure? 215
Reges Indorum, Diodoro ac Strabone teſtibus, privato jure ſunt fundorum domini. 220
Reges Ægyptiorum, ut alii Orientis reges, imperio ſunt uſi ſummo. 233. rerum ad multarum obſervationem obligantur. ibid. ſi feciſſent contra, ac eſſent obligati, non poterant accuſari vivi. ibid. mortuorum accuſabatur memoria. ibid. damnatis abjudicabatur ſolemnis ſepultura. ibid.
Reges Epiri jurare ſolebant ſe juxta leges regnaturos. 233. Plutarchus id ubinam referat? ibid.
Reges quidam quod accuſari non poſſent vivi, quodque, fidem ſi violaſſent, vel modo quopiam alio male regnaſſent, ſepelirentur, ſepultura ipſis ſolemnis abjudicata, extra locum, regibus proprium, efficiebat ut & ſanctimonia ſummæ poteſtatis maneret, & ut reges futuri judicii metu a fide violanda, vel modo quopiam alio male regnando, retraherentur? 233
Reges quidam imperare quo modo fuerint adſtricti? 236. iis ita imperantibus, obligati quidnam fuerint populi? ibid.
Reges quidam modo quopiam cavere ſibi volunt, ne quid, fallaciter interpretatum, pro vera ipſorum voluntate habeatur. 236
Reges tempore Taciti erant in Germania & Gallia. 240. quonam, teſte eodem, regnarint jure, ac quanam fuerint authoritate? ibid. quanam, ut habet Tacitus, non fuerint poteſtate? ibid.
Reges Macedonum, Calliſthene apud Arrianum teſte, ſuos in Macedonas quo modo non, & quo modo imperium in ipſos obtinerent? 246

Reges Armeniæ ſub Romanis cujuſnam eſſent conditionis? 252

Reges Armeniæ, teſte Pato, Romanorum in ditione quamdiu, & proinde magis ſono nominis, quam re ipſa, reges fuerint? 252

Reges Cypri aliique Perſis ſub regibus quales olim fuerint? 252. *eos quomodo vocet Diodorus?* ibid.

Reges inter aut populos non fœderatos quidnam veniat uſu? 254

Reges etiam apud quoſnam judicio contendere ſoleant? 254

Reges multi jure tali a Romanis conſtituti, ut ſcilicet, deficiente regia familia, rediret imperium ad ipſos. 261

Reges in populo Hebræo multi juris divini humanique contemptores fuere. 279. *magiſtratus tamen inferiores quidnam ſibi nunquam, niſi ſpeciale mandatum a Deo accepiſſent, adverſus eos ſumpſerint juris?* ibid.

Reges Lacedæmoniorum, ſub populo quod eſſent, quo modo, peccantes in leges ac rempublicam, non tantum repelli, ſed &, ſi opus, potuerint puniri? 293

Regimen omne comparatum cauſa eorum, qui reguntur, non eſt univerſaliter verum. 206. *cur non?* ibid.

Regimen dominicum regentis cauſa comparatum. 206. *cur?* ibid.

Regimen quoddam mutuæ utilitatis cauſa comparatum. 207. *quodnam id ſit?* ibid.

Regimina quædam reſpicere quorumnam poſſint utilitatem? 207. *in quonam regimine eam reſpiciat?* ibid.

Regna quonam jure apud Germanos minime heberentur? 225

Regna per Italiam vetuſtiſſima cujuſnam fuerint generis? 293

Regno ſub graviore quidnam ſit? 278

Regnum apud Lacones ad quoſnam tranſiret etiam poſt conſtitutos ephoros? 215. *de tali regno, id eſt principatu, quidnam ſit apud Ariſtotelem?* ibid.

Regnum Epirotarum quorumnam conſilio ortum? 218

Regnum plenum quo modo dicatur Ariſtoteli, Sophocli, Plutarcho, nec non Straboni? 240

Regnum Laconicum authori quidnam? 240

Reipublica ad uſus publicos quantum obligetur quiſque? 19

Religio Chriſtiana quonam maxime invaluerit? 287

Repellere vim vi licere quiſnam ſcripſerit? 277. *quonam id jus comparetur?* ibid.

Res quænam ſimiles teſtamentis, quibus adjectum, ne poſterius teſtamentum valeat? 237

Res quædam, regis juſſu expreſſo ac ſpeciali poſterioris voluntatis ſignificatione quo modo tolli poſſit? 237

Res Dei rebus a regis aperte diſtinguuntur. 244

Res per Dei quænam, monentibus Hebræorum doctiſſimis, intelligenda? 244

Res, in cœtu de quibus agitur, aliquando bonum ad commune ſocietatis pertinent; aliquando privatam utilitatem ejus, qui ſuperior in fœdere, ſpectant. 255

Res eſt aliud, aliudque rem habendi modus. 261

Res qualis authori ſimilis dicatur uſufructuario? 294

Reſiſtere poteſtati publicæ an liceat ullo caſu eſt peculiaris quæſtio. 171. *ubinam ea peculiariter ab authore tractanda?* ibid.

Reſpondiſſe quidnam author ad quæſtionem quandam non ignoret Proculum? 251

Reſpublica ulla quam non popularis ſit reperta? 196

Retinens uxorem, & remittens ultionem, ſibi privatim debitam, quid non faciat, & quid faciat? 126

Rex Theodoricus leges cui bono repertas affirmet? 163

Rex Theſeus ipſe quomodo loquatur apud Euripidem Athenienſium de republica? 204

Rex bello ſi quos populos non ſine civium ſanguine ac ſudore quæſierit, cuinam iſti dicendi ſint quæſiti, cuinam vero non? 222

Rex ſua ex privata ſubſtantia, aut etiam ex fructibus patrimonii, quod principatum ſequitur, alere poteſt exercitum. 222

Rex ut in patrimonium non niſi uſumfructum habeat, perinde ut in ipſum jus imperandi populo, qui ſe elegit, fructus tamen ipſius ſunt proprii. 222

Rex quale populus in quoſdam imperium habere, & quidnam agere de iis poſſit? 222

Rex aliquando ætate aut morbo fungi poteſtate ſua impeditur. 228

Rex Eumenes Attalo filio quemnam dederit tutorem? 228

Rex Ægypti poſt Joſephi tempus privato jure fundorum fuit dominus. 229

Rex quanto apud Perſas eſſet cum imperio. 233. *quomodo Plutarchus de eo loquatur.* ibid. *quomodo adoraretur.* ibid. *quando, teſte Juſtino, demum mutaretur.* ibid. *Perſarum proceribus quo modo diceret.* ibid.

Rex apud Perſas, regnum aditurus, Xenophonte ac Diodoro Siculo teſtibus, jurabat. 233. *leges, certa quadam forma latas, mutare illi nefas erat.* ibid. *quinam id nos doceant?* ibid.

Rex fidem fallens, regno cadit. 234

Rex Sabæorum quanam fuerit poteſtate præditus? 234. *ei, regia exeunti, quidnam fieri potuerit?* ibid.

Rex quotieſcunque promiſſis quibuſdam obligatur, quidnam, ut jam oſtendit author, non fiat? 235. *quando id fieri intelligendum?* ibid.

Rex apud Judæos quemnam eximere judicio non potuerit? 244

Rex Macedonum ſine quibus non venaretur pedes? 246

Rex ſicut infans jus habet, ſed imperium exercere non poteſt; ſic & jus habent, at imperium exercere non poſſunt rex furioſus, captivus, & qui in alieno territorio ita vivit, ut actiones circa imperium, alibi ſitum, ei liberæ non permittantur? 261

Rex, ſi voce non lædendus, manu multo minus eſt lædendus. 286

Rex

Rex populis pluribus ſi imperet, accidere quidnam poſſit? 296. *id ſi accidat, cur id accidat?* ibid.
Rex, qui ſe hoſtem populi totius profitetur, quidnam eo ipſo faciat? 296
Rex quando ſuam imperii partem jure belli poſſit amittere? 297
Rhadamanti jus quidnam? 83
Rhodii quidnam reſponderint Caſſio, ex fœdere auxilia petenti. 182
Rhodii in oratione apud ſenatum Romanum quæ apud Livium exſtat, quidnam habeant de Græcis? 256
Romana de civitatis ſtatu ſub Auguſto multis quidnam videatur prudentibus? 196
Romani jus Albæ acceperant omne. 251
Romani quidnam conſtituerint in tribunis plebis? 287

S.

SAcramentum militare formam in aliam mutatum. 151. *ea ubinam extet?* ibid. *quomodo ſonet?* ibid.
Sævitia Juliani defectoris quidnam, teſte Nazianzeno, non tantum in Chriſtianos eſſet, ſed & in quodnam rempublicam adduxerit. 276
Salluſtius quidnam habeat de Aboriginibus? 265. *quidnam de Getulis?* ibid.
Salluſtius quidnam aſſerat eſſe regis? 266
Salluſtius quidnam affirmet de patria aut parentibus regendis vi? 302
Salomo ſuper quodnam rex fuerit? 199
Salutem non eſſe extra Judaiſmum opinio prava. 63.
Samuel Iſraëlitis indicare juſſu divino cujuſnam debuerit jus? 199
Samuel, jus regum deſcribens, nullam populo relictam poteſtatem adverſus regis injurias, ſatis oſtendit. 243. *id recte veteres unde colligant?* ibid.
Samuel quod habet de jure regis, de quonam jure non accipiendum? 267. *quidnam eo non indicetur?* ibid. *de quonam facto ſit intelligendum?* ibid. *cuinam id appareat?* ibid.
Samuel quonam modo oſtenderit quidnam erga regem ſit procerum Hebræorum? 279
Scipio quidnam Romæ Carthaginenſium a queiſdam Annibale accuſato, dixerit? 255
Scriptores quidam antiquiores ſentiunt capitalia ſupplicia & bella Chriſtianis licite uſurpari. 149.
Scriptores quidam, politica ſcribentes, quidnam magis, quam imperii ſummi jus ipſum, ſpectare, ſuo congruens ducant inſtituto? 237
Sectiones capitum a quibus & quando non ſint factæ? 141. *quando & cui bono ſint factæ?* ibid.
Securitas imperio fungentis ſummo cur munienda fuerit peculiariter? 286
Seleuci Demetrius in poteſtate cum non ſatis libere viveret, quidnam vetuerit? 261. *adminiſtrari omnia quo modo voluerit?* ibid.
Seneca pater ſententiam, Rhadamanthi jus explicantem, quomodo retulerit? 83
Seneca injuriam a contumelia quo modo diſtinguat? 137
Seneca tres gubernandi formas quo modo deſcribat? 200
Seneca, Romanis habenda ſi ſides, quidnam Romanis a regibus ad populum in cauſis quibuſdam fuiſſe annotarit? 247. *unde id annotarit?* ibid.
Seneca de regis æquo ac iniquo imperio quidnam ſcribat? 266. *id unde ſumpſerit Seneca?* ibid. *is, unde id ſumpſit, quidnam dixerit?* ibid.
Seneca quidnam appoſite quandam ad rem dixerit? 271
Senſu deſcripti cum quæritur, vim quanam habere magnam ſoleant? 245
Senſu quopiam imperium libertatem non tollit alterum. 256
Senſus quiſnam in conſtitutionibus, quæ dicuntur Clementis? 209
Sententia Hebræi Barnachmoni in quorumnam dictis, quonamque exſtet titulo? 243. *ea quo modo ſonet verbotenus?* ibid.
Sententia juriſconſultorum de uſufructuario quænam authori videatur verior? 294
Sententiæ Chriſtianis e ſcriptoribus allatæ quidnam partim magis videantur continere, partim ſint & non ſint? 173
Septimius Severus cujuſnam indolis imperator fuerit? 275
Sergius Paulus, Cypri proprætor, fuit Chriſtianus. 120
Sergius Paulus non abjuravit magiſtratum, converſus. 127
Servi quidnam ſint. 189
Servitus miſera falſo vocatur pax. 257
Servius Tullius quonam magis quam jure, ad regnum perventus Romanum? 247. *vim regni quo modo imminuerit?* ibid. *quarumnam, teſte Tacito, legum ſanctor fuerit?* ibid.
Servus quale ſit inſtrumentum? 307. *quomodo id ſit?* ibid.
Simulacra falſorum deorum, quæ exſtabant publice, cujuſnam demum juſſu vel libera in republica, vel in regno, legantur dejecta? 279
Singuli judicium quodnam rapere non debeant ad ſe? 302
Singulis quidnam, Paulo J.C. teſte, non concedendum? 163. *cur id ſingulis non concedendum?* ibid.
Societas quonam tendat? 75
Societatis diviſio. 10
Societate civili ad tuendam tranquillitatem inſtituta, civitati ſtatim in nos & noſtra quidnam naſcatur? 265. *id ei quatenus in nos & noſtra naſcatur?* ibid.
Societatem qui cum aliquo inierunt, ab eo, quicum eam inierunt, non ſunt habendi tanquam mancipia. 257
Socii quandoque ſunt verbo ſocii, revera autem imperio ſubjecti & obnoxii. 257. *in quorumnam ſociis id, Eumene apud Livium teſte, acciderit?* ibid.
Socii qui fuerant, ſubditi ut fiant, quænam fieri, & quo modo ea fieri oporteat? 258

Socierum alter in ſocii ſubditum directe quidnam non habeat? 253
Solinus Hannonem quidnam dixerit? 212
Solon quaſnam reſpublicas docuerit beatas? 305
Solvere tributa quid & quale ſit præceptum. 128
Solvere quænam argumenta non ſit difficile? 205
Species intermedia quonam reſpectu ſit ſpecies, & quonam genus. 277
Stallius apud Plutarchum in Vita Bruti quidnam affirmet de viro prudente ac ſapiente? 302
Statio non deſeritur, niſi certo ſub mortis periculo. 282
Status religionis publica unde ſemper apud Hebræos pependerit. 279
Stoici ſervitutem quandam in quonam conſtare dixerint? 219
Strabo *& Ariſtoteles quidnam non uno loquantur & notarint loco?* 189
Strabo de Scepſi quidnam in Troade narret? 212
Strabo quidnam tradat de Amiſo? 220
Strabo Cythera inſulam, Tænaro objacentem, fuiſſe privato ipſius jure cujuſnam ſcribat? 222
Strabo quæ commemerat de Lacedæmoniis Romanorum poſt adventum in Græciam, quicum ſatis conveniant? 252. *ea cum Græce, tum Latine, quomodo ſonent?* ibid.
Strabo de Paphlagonia aliiſque nonnullis regnis quidnam notarit? 261
Subditi omnes quin naturaliter adhiberi poſſint bello, non eſt dubium. 307
Subditus in republica tale, quale in familia ſervus. 307
Subditus imperantis inſtrumentum eſt. 307
Subjecti regis quo modo vocentur in ſacris literis. 219
Subjectio duris Petro quod deberi dicatur etiam dominis, ad quoſnam quoque referendum? 273. *cur?* ibid.
Subjectum commune & proprium ſummæ poteſtatis quidnam ſit? 190
Succeſſio in imperio quidnam non ſit, & quidnam ſit? 214
Succeſſores Alexandri in quodnam jus ac quamnam proprietatem pro ſua quiſque parte ſucceſſiſſe, aut etiam ipſi jure ſibi victoria quæſiviſſe quidnam ſint cenſendi? 225
Succeſſores Alexandri ſibi arrogaſſe jus alienandi non eſt mirandum. 225
Suetonius de Caligula quidnam affirmet? 212
Summa poteſtas habet ſubjectum. 187. *quotuplex id.* ibid.
Summa poteſtas quænam dicatur. 187. *in definitione ſummæ poteſtatis cum author utitur voce* Alterius, *quemnam excludat?* ibid.
Summam adverſus poteſtatem, aut inferiores, agentes ſummæ poteſtatis auctoritate quod agunt, quidnam liceat, quæritur. 263
Summitas imperii diſtinguenda ab habendi plenitudine. 228. *id quam ſit verum?* ibid.
Summitas, ut imperium ſummum ſit imperium ſummum, addi debet partibus quas ſupra in recenſione partium ſummi imperii enumeravimus. 235. *hæc ſummitas quonam vocabulo Græce exprimatur?* ibid.
Super populum, ſuper hæreditatem Domini, ſuper Iſraelem quiſnam dicatur unctus? 149
Superior qui eſt in fœdere, ſi fœderatos potentia multum antecellat, imperium paulatim proprie dictum uſurpat. 257. *id quando præſertim faciat?* ibid. *quinam id fecerint?* ibid. *quando id fecerint?* ibid. *quidnam Lacedæmonii nunquam fecerint iis temporibus, quibus Iſocrates Athenienſium imperium in ſocios regno comparat?* ibid.
Supplicia capitalia jam quondam in homicidas non tantum, ſed & in alios facinoroſos uſurpata, apparet ex Gen. XXXVIII. 24. 92.
Sylla quo modo loquatur apud Appianum de populis, fœdere inferioribus? 252
Syllæus quiſnam fuerit? 252. *Auguſtus ei, teſte Joſepho, quidnam, injuriis in vicinos ni abſtineat, minatus ſit?* ibid.
Synedrium LXX. *virum cujus imperio & a quonam inſtitutum, ac cujus ad tempora cooptatione duraret perpetua.* 244

T.

T*Acitus quo modo luxum vel avaritiam dominantium toleranda affirmet?* 208
Tacitus de urbe Roma, libertate & conſulatu Romanorum quidnam affirmet? 220. *quidnam alibi de Germanorum libertate?* ibid.
Tacitus ubinam meminerit agrorum, qui regis Appionis quondam habiti, & populo Romano cum Appionis regno relicti? 225
Tacitus quidnam de Syria, Aſia, ſuetoque regibus Oriente, ſcribat? 240
Tacitus Gothones quo modo regnari ſcripſerit? 246. *principatum ante quo modo deſcripſiſſet?* ibid. *regnum plenum quibus poſtea deſcribat verbis?* ibid.
Tacitus Romuli de imperio quidnam affirmet? 247
Tacitus imperii dignitatem quonam nomine dixerit, & quo modo ſibi dictum explicuerit? 249
Tacitus quemnam & quo modo eum conqueri de Romanis ſcribat? 257
Tacitus quidnam ſcribat Deos principi dediſſe, ac ſubditis reliquiſſe? 266. *idem de iis, quæ rex facit, quidnam affirmet?* ibid.
Tacitus quænam ferenda ſcribat? 273. *quales imperatores tolerandos affirmet?* ibid.
Tacitus quamnam deliberationem ſtatuat graviſſimam & quidnam cenſeat difficillimum? 302
Teneri majeſtatis in jure Romano quiſnam dicatur? 175
Terra quo modo expietur de homicidio? 96
Tertullianus in Apologetico, Chriſtianorum ex perſona loquens, quidnam inquiat? 149. *quidnam paulo ante dixiſſet?* ibid. *quidnam narraviſſet M. Aurelio imperatori?* ibid.
Tertullianus ſuo in Apologetico quibus doceat verbis Chriſtianos non eſſe regum interfectores, nec palatium irrumpere armatos? 274
Tertullianus quando certe fuiſſet imprudens & impudens? 289. *is imperatores quonam allocutus modo?* ibid.

Ter-

Digitized by Google

Tertullianus quoſnam ajat milites in reos majeſtatis & hoſtes publicos? 300
Teſtimonium primum ac praecipuum, quo bellandi jus a Chriſti lege non plane tolli probat author, ubinam occurrat? 115. is textus quot & quænam nos doceat? ibid.
Theſeus, teſte Plutarcho, quidnam tantum egerit? 204. in cæteris qualis fuerit? ibid.
Theſſali, ſpecie tenus liberi, Macedonum revera ſub imperio fuere. 257
Thomas quamnam deſtructionem interdum ſcribat ſeditioſam? 303
Thraces & alii quidam populi quonam non gaudeant? 195
Thucydides veterum quidnam cenſuerit de delictis? 83, 84.
Thucydides cum queiſnam colonias jure libertatis pares fuiſſe ſcribat? 249
Tibullus, Strabo, Lucanus, Plutarchus, Juſtinus, Cicero, Maximus Tyrius & Jamblichus quid ſtatuant de bello ejuſque cauſis? 143, 144.
Tolerare ſecundum authorem quandam præſtat injuriam, quam ei reſiſtere vi. 264
Tractans rem negligentius, minime cenſendus eam habere pro derelicto. 293
Trajanus quidnam unice curarit? 280. id unde appareat? ibid.
Tranquillitas publica cuiuſnam ſit finis univerſalis? 270. ſub ea quidnam comprehendatur? ibid.
Tributorum finis quiſnam? 128
Typhon male exiſtimat alienigenis, ſi vellent eſſe ſalvi, ſubeundum fuiſſe legis Hebraicæ jugum? 56.
Tutela quorumnam cauſa reperta, & quidnam tamen ſit? 207
Tutela regnorum, quæ non ſunt patrimonialia, quorumnam ſit? 228
Tutela regnorum, quæ ſunt patrimonialia, quorumnam ſit? 228
Tutor, rem pupillarem male admiſtrans, ut amoveri poteſt; ſic amoveri non poteſt rex male gubernan? 207
Tutor, rem pupillarem male adminiſtrans, amoveri cur poſſit? 207
Tutores unde conſtituti pupillo Ariba, Eprotarum regi? 228
Tutores unde conſtituti Alexandri Magni poſthumo? 228
Tutores puerorum regum queiſnam annumerandi? 301
Tyrannis quonam reſpectu includat injuſtitiam? 207.

U.

Ultio quæ boni publici cauſa exigitur, interdici non poteſt, quia, vice Dei pœnas ut exigant, poteſtates publicæ a Deo ſunt conſtitutæ? 141
Ultionem ut quis ſumat ab eo, qui peccavit, quidnam ſit ſatis? 254
Ultionis quidnam, non vero defenſionis ſit deſcriptio. 171.
Unumquemque noſtrum rapere ad ſe commoda aliorum, ac emolumentis ſui gratia detrahere quod cuique poſſit, ſocietatem hominum & communitatem quod evertat neceſſario, probatur ſimili, a membris de ſumpto. 76
Urbes viginti, quas rex Solomo Phœnicum regi Hiromo dedit, Hebræi e populi urbibus non fuerunt. 222. unde id conſtet? ibid. nomen iis urbibus quodnam datum? ibid. urbes hæ queiſnam ex urbibus fuerint? 223. unde eas aliquando non fuiſſe habitatas ab Iſraelitis, probemus? ibid.
Uſusfructus ad dominum proprietatis reverti quod dicatur, quo modo id intelligendum. 294

V.

Valens impie & crudeliter in quoſnam ſævierit? 292. horum magna quamvis multitudo, quidnam tamen non fecerit? ibid.
Valentinianus quidnam a quibus imperator factus erat, militibus, quidquam, quod ipſi non probatur, poſtulantibus, reſponderit? 205
Vaticinium Eſaiæ, occurrens 11, 4. quot modis accipi poſſit? 132. inde quidnam haud poſſit inferri, quovis modo ſumas? ibid.
Vellejus de Marobodu quidnam affirmet? 212
Verba quædam apta ſimilitudine reſpectu quopiam Proculi quandam explicant ſententiam. 251. verba quo modo ſonent ea verbotenus? ibid.
Veteres illi, quibus Deus per Moſem dixit: Non occides. Quiſquis occiderit, tenebitur judicio. Non mœchaberis. Quiquis dimiſerit uxorem, det ei libellum divortii. Non pejerabis, ſed reddes Domino, quæ juraveris. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, quinam fuerint, & quinam non fuerint? 105
Veterum multi ſecundis Chriſtianos a nuptiis dehortantur. 148
Veterum plurimi juramentum omne quo modo improbent? 148. an recte? ibid.
Veterum Chriſtianorum conſuetudo unde non diſcedat? 273. ea quidnam ſit? ibid.
Vetus ad Hebræos extans traditio quidnam doceat? 95
Vice quænam regantur alteruiſque regant? 278
Victricius atque alii quidnam fecerint? 156. Mille centum quatuor in Armenia ſub Diocletiano quidnam fecerint? 156. horum ubinam mentio? ibid.
Vincula hominum, ad mutuam quæ invitant opem ſunt diverſa inter ſe. 305. id unde conſtet? ibid.
Virgilius facinora Mezentii narravit crudeliſſima. 293. iis narratis quidnam ſubjungat? ibid.
Viri eruditi ſeculo hoc noſtro quo modo ſint executi argumentum de bello publico. 184. eo quidnam egerint? ibid.
Viri quidam eruditi quonam argumento oppugnent aſſertionem authoris, quæ aſſerit imperia quædam eſſe in pleno jure proprietatis, ideſt in pa-

trimonio imperantis? 219

Viri quidam, eruditi quidem, ſed temporibus & locis nimium ſervientes, hoc ſæculo quidnam ſibi primum, ac dein aliis, perſuadeant? 277. *eorum an opinio ſit admittenda?* ibid. *ea cur non admittenda?* ibid.

Viri plurimi, cum pii, tum fortes, Hebræo in populo magiſtratus inferiores fuere. 279

Virtutes, a Chriſtianis quæ exiguntur, Hebræis quomodo commendatæ aut præceptæ fuerint? 113

Vis quænam non ſit injuſta? 77

Vis injuriam inferens, & eam duntaxat propulſans, diſtinguitur etiam in beſtiis. 79

Vis non poteſt eſſe juſta ſine cognita regis aut populi voluntate? 302

Vita qualis fuerit in pœnitentibus quibuſdam? 157. *talis cur in iis vita fuerit?* ibid.

Vitæ quænam æquiparentur? 94

Vita quam diu futura? 208. *quidnam ea non futura?* ibid. *quonam penſentur?* ibid.

Vivere ſecundum naturam quorumnam ſit, teſte Juſtino? 102

Voluntas imperandi & perdendi ſimul conſiſtere non poſſunt. 296

Vox quænam ſolida brevitate Chriſtiani militis officium exprimat? 159

Vox ἐκδικῶ quibus locis non tuendi, ſed ulciſcendi ſignificationem habeat? 171. *id unde conſtet?* ibid.

X.

X*Enophon quidnam referat de in bello ſeditioſe contra ducem ſe gerente?* 272

Errata corrigenda in Prolegomenis.

Pag. 7. l. 39. leg. *eorum*. p. 14. l. 23. leg. *quod omnia individua*. p. 16. l. 19. leg. *prohibitum*. p. 19. l. 62. leg. *quanti*. p. 24. l. 7. leg. *obligationibus*. p. 31. l. 2. leg. *ne quid Reſpub. detrimenti*. p. 35. l. 13. leg. *tamen*. p. 42. l. 19. leg. *æqua*. p. 47. l. 12. leg. *nequeat*. p. 50. l. 19. leg. *propellant*.

Errata corrigenda in prima hac parte.

Pag. 2. l. 34. leg. *quia*. p. 5. l. 2. leg. *nam*. p. 11. l. 5. leg. *pertinet ſtatum*. p. 12. l. 27. leg. *Sed*. p. 17. l. 8. leg. *liceat*. p. 22. l. 18. leg. *verendum*. p. 25. l. 2. leg. *abutatur*. p. 18. l. 1. leg. *Sibi*. p. 29. l. 5. leg. *interveniente*. & l. 6. del. *redditae*. p. 30. l. 41. leg. *Simplex*. p. 39. l. 33. leg. *includunt*. p. 41. l. 43. leg. *adnata*. p. 57. l. 46. leg. *perſuadeamus nobis*. p. 65. l. 54. leg. *obligationem*. p. 66. l. 15. leg. *venenum*. p. 70. l. 27. leg. *debemus*. l. 45. *recordarentur diei Sabbathi eumque*. p. 71. l. 10. leg. *exaudiri*. p. 85. l. 33. leg. *longitudine*. & l. 61. leg. *quando* p. 89. l. 43. leg. *id eſt*. p. 93. l. 40. leg. *Simpliciter*. p. 97. l. 6. delendum. *videtur*. & l. 9. leg. *eamque cauſam fuiſſe videtur*. p. 109. l. penult. leg. *nihil reſedat*. p. 113. l. 52. leg. *iis non demandata*. p. 118. l. 11. del. *eſt*. & l. 18. leg. *noxios*. & l. 51. leg. *æqualium*. p. 124. l. 26. leg. *indite*. p. 125. l. 7. leg. *admiſiſſe*. p. 131. l. 26. leg. *vereſimilia*. p. 139. l. 20. leg. *vera*. & l. 1. leg. *inde non*. p. 146. l. 10. leg *noſmetipſos*. p. 151. l. 41. leg. *juſta*. p. 168. l. 20. leg. *non eſſe juris naturalis permiſſivi tantum*. p. 194. l. 33. leg. *imponat*. & 44. *tamen quia* & 45. leg. *prompte*. p. 195. l. 30. leg. *eligentibus*. p. 196. l. 13. leg. *Solons*. p. 197. l. 11. del. *quique*. & lin. 31. leg. *pluralitas*. & 47. leg. *idem*. p. 199. l. 10. leg. *habeant*. p. 200. l. 22. leg. *qua*. & 23. leg. *renunciarint*. p. 210. l. 46. leg. *ab*. & 49 adde *promiſit præſtare*. p. 213. l. pen. leg. *conceſſa*. p. 219. l. 16. leg. *Baker*. p. 217. l. 34. leg. *ſummorum*. p. 218. l. 34. leg. *libero*. p. 219. l. 25. leg. *uberibus*. & l. 45. leg. *lubitu*. p. 221. l. 6. leg. *& ad unum*. p. 222. l. 28. leg. *Bat*. p. 223. l. 40. leg. *ut idem jus obtineat*. & 55. leg. *gentes*. p. 229. l. 33. leg. *nequidem*. p. 235. l. 51. leg. *concipi*. p. 238. l. 33. leg. *reſpiciamus*. & 45. leg. *Promulgationis* p. 240. l. 16. leg. *competium*. p. 245. l. 34. leg. *ſeptuaginta*. & l. 57. leg. judices dii. & 33. leg. *Ex*, p. 246. l. 1. adde *non* p. 248. l. 18. leg. *quæſtio an illud habuerit a ſe ipſo*. & 36. leg. *cognitionem*. p. 251. l. 26. leg. *confirmandum*. p. 258. l. 29. leg. *ejuſmodi*. & l. 48. leg. *quoad cetera*. p. 264. l. 47. leg. *conſiderati*. p. 265. l. 46. leg. *reſiſtendi*. p. 269. l. 2. leg. *eventus*. p. 270. l. 1. leg. *ſollicites*. p. 275. l. pen. leg. *magiſtratibus*. p. 279. l. 40. leg. *nomine*. p. 280. l. 22. leg. quoque. p. 281. l. 34. leg. *delationi imperii adjectas*. p. 293. l. 48. l. *Nam quemadmodum*. p. 293. l. 25. l. *exercitium*. p. 295. l. 9. leg. *Icto*. p. 296. l. 13. l. *dirigendo*. & l. 24. leg. *& obſequi*.

Si qua plura menda irrepſerint nimia feſtinatione & Typographi negligentia lectoris dexteritati & æquitati corrigenda relinquimus.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google